


92  
Incomplete



*In copy*

8 a - 4 - 14

*Dupl's Dupl's*

Instituto Universitario	
CUBA	
Clase	A
Edad	36
Número	125

*3-47-26*



2-11-18  
Circular stamps and red markings, possibly a date or reference number.

*Del Colegio M.<sup>o</sup> de Real Unib.<sup>o</sup> de Co.*  
R. P. M. THOMÆ

R-11854

# HVRTADO, TOLETANI, CLERICI REGVLARIS MINORVM:

SACRÆ THEOLOGIÆ ROMÆ, COMPLVTI, ET SALMANTICÆ  
Publico Professore, & in Vniuersitate Hispalensi primaria Cathedra proprietario Moderatore:  
eiusdemque Diœcesis Archiepiscopatu Examinatore Synodali, constituto per Em. Card. Spinola,  
supremique Senatus sanctæ Inquisitionis, & sancti Officij Hispalensis, ex munere Qualificatore:

RESOLVTIONVM MORALIVM

D E

## RESIDENTIA SACRA, TOMVS ALTER.

IN QVO CONTINENTVR SEX ALII LIBRI,  
circa Residentiam Regularium, tam Prælatorum, quàm subditorum.

*Insuper, varia resolutiones de Residentia Matrimoniali.*



LVGDVNI.

Sumptibus IOAN. ANT. HVGRETAN, & MARCI ANT. RAVARD

M. DC. LXI.

CVM APPROBAT. & PERMISSV SUPERIORVM



11-11-184

Handwritten scribbles at the top of the page.

Large, faint, mirrored text impressions, likely bleed-through from the reverse side of the page.



7 F 1404 910



DE LA LIBRERIA  
DEL REAL COLEGIO MAYOR  
Reunido de Santa Cruz, y  
Santa Catalina.  
E. C. N.



EXCELLENTISSIMO ET ILLUSTRISS. DOMINO,  
DON PETRO DE VRBINO,  
OLIM ARCHIEPISCOPO VALENTINO,  
REGNI EIVSDEM PROREGI;

NUNC

ARCHIEPISC. HISPALENSIS;

MEMET, HOCQUE LITERARIUM MVNVS,  
*in perennaturam panegyrim, ac tesseram affectus, cultus, gratitudinis,  
& obsequij. Sacro, Offero, Dicóque.*



MIRABERIS (EXCELLENT. & ILLUSTRISS. PRINCEPS) Miraberis inconsiderantiam meam, quòd te publicis occupationibus irretitum, veteribus, nouis, ac crescentibus publicis curis, quibus tot nexibus, tot quasi catenis maius in dies occupationum agmen extendit, Protectorem, & lectorem, ambio: Miraberis etiam audaciam in tuam modestiam, quã ab incunabulis es imbutus, quam impetere volo panegyri iacunda satis Ecclesiæ: Sed cessabit admiratio, dum non commentitium, & suspectum appareat panegyricum: Non enim est per se Magistra solitudo innocentia, & virtutum tuarum; nec frugalitatem docent rura: non solum tibi viuis, sed Ecclesiæ, & populis, quos regis Pastor vigilans. Quis, quam nulli ostendat, induit purpuram? Quis posuit secretam, in auro dapem? Quis sub alicuius frondosa arboris proiectus umbra, eius pompam solus explicuit, eius fructum sibi soli seruauit? Cùm nemo oculis suis lautus existat, nec paucorum quidem, & familiarium, sed apparatus Virtutum turbæ spectanti expandit. Igitur cum lux sis, quæ aliis lumen profert; iam modestia admirari cessabit: Mihi potius prauum, malignumque esset non admirari hominem admiratione dignissimum, quem videre, alloqui, audire, complecti, nec laudare tantum, verum etiam amare contingit, cùm enim lucidissimus sit oculus, quo Magister corporis Ecclesiæ existis, vt totum corpus lucidum sit, opus est Virtutum tuarum radij splendeant, in orbem diffundantur, & coruscent.

Nec me deterret ad dicandum opus meum Archiepiscopo & Pro-Regi Regni Valentiaë moles occupationum, quã premitur, nam & Augustinus Valerio Comiti conspicuo, summa dignitate Vice Regis, & Præfecti Africaë, & actibus publicis, iisque militaribus occupato Libros de Vitiis, & Concupiscentiis sacrauit. Quia (inquit S. Doctor) & ego Excellentiaë tuæ, scio non esse oneri tibi si aliquid prolixius mitto, quod legendo diuinius sis nobiscum: nam & hoc comperi, quod inter tuas multas, magnasque curas facile, ac libenter legas, nostrisque opusculis, etiam quæ ad alios conscripsimus, si qua in manus tuas

venire potuerunt, admodum delecteris; quanto magis, quod tibi dicatur, & advertere dignaueris attentius, & accipere gratius, quare dignanter ignosce, & beneuolum erga te animum, ad ea, quæ dicuntur, attende. Sit ergo in fronte operis huius sacrum, & solemne panegyricum anathema, quod amori erga me, tuo, & beneficiis lubens publica deuotione suspendo, quod si negligerem magni me sceleris impia tum rea conscientia postulabit.

Incipio, vt à leue, à Nobilitate tuæ Domus, quæ radix fuit Virbinorum, & Virbanorum ciuium firma fidelis Petræ fundamine sita, incontaminata, & illæsa ab omni contagio, & labe detestandi impuri sanguinis persenerans fidei integritatem gloriosæ conscientiæ inconcussum stabilimentum, imperturbatam conscientiam, inuiolatamque Religionem conseruauit, & sicut splendor in tetræ noctis obscuritate luminis sui claritate fulgescit. Vox mundæ Originis, etiam in recessibus, quos ciuium turmas fugiens petiisti castaneorum nemoris Syluestris Domum Seraphicæ Recollectionis inhabitans semper auditur, nec occultari patitur fætura sublimis, etsi enim de splendore natalium conscientiæ iubar hauseris, tamen fulgorem stirpis morum radiis obumbrasti, vincens decorem sanguinis, ingenij claritate, dum coruscantem germinis tui lampadem actuum serenitate transcendisti, & factus Victor stemmatis tui superasti maiores, illis concilians maiorem honoris, & gloriæ cumulum, Antecessores tuos, insigniores faciens, & cum te tantus Virtutum Chorus concinnat, ex illustrissima radice oriens, illustrior appares.

Pulchrè Ennodius, quasi à longe te aspiciens, reddite vos studendo origini, reddite lectione naturæ lucem, iubar actionis ostentat multiplicatæ suffectu scientiæ parentum titulos, ornatè eruditione decora maiorum fului nobilitate metalli, nisi ad vnguem manus ducat artificis, materia penè hebetatur tenebris, & si non magistra politione venustatur, nihil ei prodest sublimitas, quam vena concessit. Aduuatur quidem Doctrinis instantia dotibus sanguinis mundioris sed nisi limata non rutilant illa, quæ se erigunt prærogatiua nascendi. O quantum te reddidisti origine, studiis, & ex literarum exercitiis semper existens omnium horarum homo, quem. Feliciter iuuit fœlix ingenium, quod tibi à prima ætate clarum, sanum, & purum, vt posses super alios emergere, & ab humero, & sursum eleuari. O quantum te lectione reddidisti, tot annorum cumulis illi infudans in celeberrima totius Ecclesiæ Academia Complutensi: plaribus collector fui, & discipulatum tui Magisterij gloriabar in nostro D. Ioseph sacro Collegio, omnes in litterariis congressibus ab ore tuo pendebant, admirantes in te vno, quæ in pluribus partita admirationem generarent. Doctoris sublimis facilem intelligentiam introduxisti, cuius doctrina etsi sublimitatem à vena sua haberet, nisi tanti Magistri politione venustaretur ferè nihil ei prodesset sublimitas, atque quæ se erexit prærogatiua nascendi, nisi limata, & à te enucleata non ita rutilasset, sed difficultatum tenebris occulta maneret. Sunt Scoti plurimæ Sententiæ, veluti imagines, quæ in speciem, & prima fronte intractabiles, & veluti monstruosæ, & contemptibiles apparent, si clausæ aspiciantur; at si apertæ, & enucleatæ, subitò numen ostendunt, & ingenij altitudinem manifestant.

*Salue* (tibi alloquitur Ennodius) *Nutritor profectuum*: Fax splendor (Seraphicæ Scholæ) qui nobilia germina laboriosis purgando sarculis, in fructibus facis agnoscere. Qui in cano flore tuæ familiæ quantum horreis paretur, ostendis, qui de ferarum cubiculis ad fora literaria, quod erat absconditum propalasti, vnde maiores, penè iam longa ætate discesserant. Tibi debentur hæc beneficia, tibi spes vnica honestæ professionis studiorum adscribenda; ita quod si D. subtilem præceptorem tuum, & Antesignanum diceres, illo melior censereris, etsi non melior, at tibi non applicanda sunt tui Magistri encomia; pulsat enim cœlum Magistri opinio, perfectione discipuli.

O quantum te reddidisti argumentis, & disputationibus feriis in Academia nostra: audeo de te dicere, quod Nazianzenus de Magno Basilio: Necessariis argumentis aduersarios



uersarios ita comprimebas, vt nullo modo repugnare, aut contra niti possent, sed tui sermonis energia, & virtute propriis vocibus constringebantur; & quid de te magis mirandum fore dubitem: an Religio in verbis: an modestia in actionibus: an Urbanitas in vultu: an efficacia in oratione: an grauitas in habitu? & cum hac omnia in te vno omnes viderent; te vnum admiratione dignissimum acclamabant.

O quantum te reddidisti consultationibus, tum publicis, tum secretis: in quibus consultoris munus summa æquitate egisti, etiam in negotiis tuæ Seraphicæ Familiæ; sequens exemplar Chrysostomi aientis: Qui consultorem se profiteretur, hoc solum suo arbitrio habet, vt quid sentiat, dicat: quod si sententia alia conducibilior appareat, quàm ea, quæ ab eo dicta est, hanc sequi non recuset, verùm animū ab omni fastu eximentes, id spectemus, non vt ea solum, quæ ipsi decreuerimus stent, ac rata sint, sed vt ea sententia, quæ potior, conducibiliorque fuerit valeat, etiam si à nobis minimè allata sit. O quot ingenij, sapientiæ, prudentiæ, atque candoris radios hoc exemplar inspiciens, & ad amissim exsequens consultor consultus emisisti: Testis sum ocularis illustratum luce tua, salubrius, quod securius amplexatus es deposito proprio dictamine, quod aliquando moderabar is audiens aliorum Patrum sententias, aliquoties mihi dixit quidam grauissimus vir, quod tua prudentia, sobrietate, & zelo, qui loquebatur in te, ipsum, in stuporem, & tui admirationem rapiebas, tibi que adaptabat versus Ennij.

*Sermoneſque ſuos, rerumque ſuarum  
Comiter impertit, magna cum lapsa dici  
Pars foret è summis rebus, paruiſque gerendis  
Concilio induſoro, late, ſanctoſque Senatu.*

Quid eloquar de tua prudentia? Quibus laudibus efferam neſcio; cùm enim heroicam iunctam viribus animi ſemper monſtraſti, & imperatorem agere noſti, & militem, coronam tuam ornasti Regulari, Oeconomica, Militari, Patronali: in omnibus effulſiſti ſicut ſtella matutina in medio nebulae, & quaſi ſol refulgens in templo Dei: Regularem monſtrans prudentiam, dum Prouincialem, & Generalem, Commiſſarium familiae Ciſmontanae egisti, circa quem corona Fratrum exiſtebat, quaſi plantatio cedrorum in monte Libano, & quaſi rami palmae omnes filij (Franciſci) in Gloria tua; quia miniſterium tuum ita implebas, tanta prudentia, pietate, & morum grauitate; vt in te, velut in radicem arboris omnes coirent, & tibi omnes connecterentur, & vt dignum cedro acclamarent, vt Patrem ſemper colendum ſuſciperent ſummam lætitiã, quanta vigilantia, & itinerum labore offiium peregeris accinam verſibus, quos Claudianus cecinit Honorio ſuo.

*Non tibi deſidias molles, nec marcida luxu  
Otia, nec ſomnos genitor permittit inertes:  
Sed noua per duros inſtruxit membra labores,  
Frigora ſæua pati, grauibus non cedere nimbis,  
Æſtium tolerare iubat, tranare ſonoras  
Torrentum furias, aſcenſu vincere montes.*

Omnia hæc, & multo grauiora perperſus, vt Viſitationem tuæ familiae perficeres, vt emendares defectus, Regularemque diſciplinam conſeruares: ô quantum eminuit prudentia, & regimen tuum, dum cuidam ſorori Burgenti tibi ſubiectæ ſingularis virtutis feminae, cui dignabatur Deus multa ſecreta reuelare, & ſingularibus fauoribus proſequi, inter quos ille fuit maximus, quod cuspide Seraphica latus eius perforans, infixit vulnus, aduſque interiora penetrans, quo miraculo à multis agnito, exiuit fama illius in vniuerſam prouintiam, & turbatim vterque ſex ad illud inſpiciendum currebat, videns quod per eos, qui illud laudare conabantur aliquid

diminutio illius magnitudinis fiebat, commodius, & solidius iudicauit silentio tegere miraculum; vnde sorori præcepit illius Prouinciæ Superior (ô singulare dictamen!) Quod à Deo exposceret, vt vulnus sanaret, & recluderet (ô singularis, & admiranda obedientia!) oclusum est vulnus, cicatrice duntaxat remanente, obsequente Deo petitioni Sponsæ, & ista præcepto quod Tu approbasti & confirmasti. O Diuinum secretum! vtente Deo prudentia humana, velut instrumento; & prius miraculum verum esse ostendit, & aliud nouum creauit.

Quid de Oeconomia, dum infulis ornatus existeres, qua sobrietate, qua temperantia in victu tam tui, quam tuæ familiæ procedas, qua mediocritate, prædicem in te omnibus Præsulibus, in exemplum proponam, prædicabo satis & prudenter cum Prudentio.

— *Licet requiescere Sanctis.*

*Summa quies nil velle, supra quam postulat usus*

*Debitus; vt simplex alimonia, vestis & vna*

*Infirmos tegat, ac recreet mediocriter artus.*

Prudentia militaris, dum Proregis officio fungereris, & pastorali vtens fundâ in ouibus regendis, & profligandis à grege lupis, & gladio in propugnando ab hostibus regno; O quantum eminuerunt absque sui confusione, & sine offensione vtriusque muneris! Palatium tuum, & Imperatoris erat, & Episcopalis domus: hæc semper mittens Seraphicum odorem, illud militare exercitium: illa pauperum Xenodochium, & egenorum contubernium, neque enim ex voluptate, quam è numerofo satellitio capiebas, illos obliuisceris, nec ab illorum cura desistebas: istud plenum erat exercitiis militaribus, quo modo nulli offerendum, quo modo non rapina, non furto, sed stipendiis militaribus viuendum; sic enim militarem laborem, arma bellica, & ciuilibus regiminis curam accurabas, vt nulli inferretur iniuria, ne prædationes, & incursiones iniquæ aduersos integros homines, & bonum commune fierent, inter milites, vt Religiosus Præsul viuebas, transigens vitam Deo placentem; vt esset rationabile obsequium militare: & cum valde arduum sit duas, easque simul, summas capere potestates, arduitate vicit duplex hæc prudentia tua impermixta, & inconfusa, qua sanè exæquas Ximeno, & Orontio, ex tuo Seraphico Ordine assumptis ad vtrunque regimen ouium, & militum. *Sed nolo* (cum Ausonio) *magnitudinem tuam aliorum collatione præcellere*, abundant in te ea bonitatis, & virtutis exempla, quæ sequi cupiat ventura posteritas, & si rerum natura pateretur, adscribi sibi voluisset antiquitas.

In te Nobilissima Urbinitas, & affabilissima Urbanitas non se excluderunt (vt in aliis assolet) sed deosculatæ sunt sese, & complexæ. Urbinitas fouebat Urbanitatem, Urbanitas Urbinitatem formabat ad omnes, quibus dabat. Quid? faciles aditus. Quid? aures patientissimas. Quid? Benigna responsa. Quid? Vultum ipsum decoris grauitate, hilaritate permixta venerandum quiddam & amabile renidentem, quibus multitudinis animos, ad beneuolentiam alliciebat, & milites deliniebat. Affabilitas enim tua, & regnum, & potestatem conseruauit, dum ciuili, & Urbano incessu, non solum publica templa, mœnia, & excubias lustrabas, sed priuatas quoque ædes diuinis vestigiis consecrabas. Benè de te (in suo Theodosio Pacatus: *O Digna Nobilitas* (Urbana Urbinitas) quæ tanti fastigij apicem non solum Sapientia, sed decore etiam corporis potuit æquare: velut tua hæc forma venerabilis, quam fortunæ suæ par est! Quam longè, latèque diffusa commendas, muniaque exerces, vt planè videatur ambiguum, vtrumne te magis nostris mentibus virtus, an obtutibus vultus insinuaret: Augustissima quæque species, plurimum creditur trahere de cœlo; siue enim diuinus ille animus venturus in corpus dignum prius metatur hospitium, siue cum venerit, pro habitu suo fingit, habitacu

habitaculum : siue alterum ex altero crescit , & cum se paria iunxerunt, vtraque sunt  
maiora. Parcā arcanum cœlestē rimari , illud dicam talem esse debere , cui totā  
Hispaniā priuata , & publica vota redduntur , à quo petit nauigaturus serenum , pere-  
grinus reditum , pugnaturus auspiciū. Virtus tua voluit infulas Pontificales , sed vir-  
tuti addita forma suffragium : illa præstitit , vt oporteret te Archiepiscopum Hispalen-  
sem fieri , hæc vt deceret. Igitur specie tua , & pulchritudine tua intende , prospera,  
procede , & regna : Ego verò dico opus meum Proregi , & Hispalensi Archiflamini :  
benigno fauore prosequere , foue , protege , & in æuum viue.

EXCELLENTIÆ TŪÆ ILLVSTRISSIMÆ

Seruus & Capellanus obsequentissimus,  
THOMAS HVRTADO.



Committitur

---

*Committitur Censura Operis.*

**D**octor D. Didacus de Castrillo Metropolitanæ Ecclesiæ Hispalensis Canonicus, & in Archiepiscopatu Prouisor, & Vicarius Generalis ab Illustriss. & Reuerendiss. D. D. Fr. Petro de Tapia, Archiepiscopo Hispalensi, Domino meo, Catholicæ Majestatis à Consiliis. Hunc secundum Tomum *Resolutionum Moralium, de Residentia Sacra*, à R. P. Thoma Hurtado elaboratum, & continuatum, Committo perlegendum Doctori D. Dominico Guerrero, huius Almæ Ecclesiæ Hispalensis, Magistrali Canonico, & quidquid senserit pandat & subscribat. Hispali, die vigesima Iulij anno 1657.

D. D. DIDACVS DE CASTRILLO.

BART. FRANCISCVS DE BVSTO.

---

*CENSURA.*

**S**apientissimi Doctores D. Dominici Guerrero, olim Collegæ Illustriss. Collegij Salmantini Saluatoris, dicti de Ouiedo, Ecclesiæ Salmanticensis Canonici Magistralis, & hodie Hispalensis Ecclesiæ etiam Magistralis Canonici. Ex præscripto Domini Doctoris D. Didaci de Castrillo, Hispalensis Ecclesiæ Canonici, eiusdemque diocesis Prouisoris & Generalis Vicarij, præclarum hoc opus cui inest titulus (*Resolutionum Moralium, de sacra Residentia, Tomus secundus*) quodque Doctissimus & Reuerendissimus Pater Magister THOMAS HURTADO, copiosa eruditione refertum edidit; sedula qua potui diligentia euolui, nihilque in eo quod fidei Catholicæ & almæ Matris Ecclesiæ sanctionibus contrarietur, sed potiùs omnia ipsis consona valdeque Theologis Scholasticis fructuosa reperi; est namque ibi non solum constans & sacra Doctrina ab omni suspitione libera, verum etiam certa & irrefragabilis resolutio, qua eruditissimus Author & Magister ad inquirendam, imò & acquirendam veritatem viam aperit. Quapropter dignum censeo quod typis excusum longè latèque vulgetur. Hispali die 4. Augusti 1657.

Doctor D. Dominicus GUERRERO.

---

*LICENTIA ORDINARII.*

**V**isa Censura de hoc Opere, commissa Doctori Dominico Guerrero, Canonico Magistrali, quantum ad potestatem Ordinariam spectat, facultatem concedo, vt prælo mandetur. Hispali, die decima septima Augusti, anno 1657.

Doctor D. DIDACVS DE CASTRILLO.

*De mandato Domini Prouisoris.*


BART. FRANCISC. DE BVSTO.

INDEX



# I N D E X

## Resolutionum, Sectionum & Paragraphorum, quæ in hoc Tomo continentur.



### LIBER I.

De Residentia Prælatorum Pastorum Regularium. p.1

RESOL. I. **V**TRUM Prælati Regulares teneantur iure diuino ad personaliter residendum. *ibid.*

I I. Vtrum Prælati Regularis possit tuta conscientia percipere fructus, suæ Prælatiæ, sine obligatione restituendi si non resideat personaliter. 2

III. Vbi teneantur residere Prælati Regulares. 3

IV. Vtrum si Princeps secularis Superiorem electum à Regno eiecerit, ita ut non possit residere in suo Conuentu aut Prouincia, possit iterum eligi non transacta temporis intercapedine. 6

V. Vtrum Religiosus Capellanus teneatur residere personaliter in Ecclesia ubi est Capellania. 7

VI. Vtrum Regularis Parrochus possit eligi in Superiorem, siue Prouincialem, siue localem. 9

VII. Quæ sint causæ dispensandi cum Superiore Regulari in personali residentia. 11

#### §. I.

Quid in iustis operetur Christiana charitas. *ibid.*

2. Quid vrgens necessitas. 16

3. Quid debita obedientia. 17

4. Quid euident Ecclesiæ utilitas. 19

#### SVBRESOLVT. I.

**A**N coadiutor factus inquisitor lucretur coadiuto. *ibid.*

2. An Prælati Regularis factus Inquisitor possit retinere Prælaturam. 21

RESOL. VIII. Qui possint dispensare cum Prælati Regularibus in residentia. 22

RESOL. IX. Qualiter debeant Prælati Regulares residere. 23



### LIBER II.

De Residentia Claustrali Religiosorum. 26.

RESOL. I. **Q**UO iure teneantur viri Religiosi in clausura viuere, suisque conuentibus personaliter residere. 26

II. Quale peccatum sit in viris Religiosis fractio clausuræ per egressum à domo. 28

III. Qualis licentia exigatur, ut sine fractione clausuræ Regularis domo egrediatur. 31

#### §. I.

An requiratur causa, ut hæc licentia detur. *ibid.*

2. De licentia tacita. 33

3. An consensus de futuro sufficiat ad licentiam tacitam. 34

4. Dubia quadam ex præiactò fundamento resoluntur. 37

#### SVBRESOLVT. I.

**A**N sufficiat licentia tacita ex consensu de futuro, ut Religiosus domo egrediatur sine socio. *ibid.*

2. Vtrum in aliquibus Religionibus requiratur licentia expressa, & non sufficiat tacita. 38

3. An eo ipso quod Superior teneatur dare licentiam teneatur adesse tacita. 39

4. Vtrum tacita licentia sufficiat in voto paupertatis. 40

5. An licentia tacita ex consensu futuro, sufficiat ad egressum, si ea utatur quis ad malum. 41

6. An in custodiibus nemorum, piscationum, sufficiat voluntas tacita Domini. *ibid.*

7. Vtrum dubius an Superior licentiam daret possit domo egredi. 42

8. An Superior localis teneatur petere licentiam à Prouinciali. *ibid.*

9. Vtrum dispensatio tacita sufficiat ad actus honestandos. 43

10. An si verisimile sit quod Princeps dispensaret, sufficiat ad dispensationem tacitam. 44

11. Ex quibus signis dignoscatur tacita Principis voluntas. 46

# Index Resolutionum, &c.

RESOL. IV. *Qua licentia sit requisita, ut subditus domo egrediatur, recurrens ad Superiorem altiore.* 49

## SVBRESOLVT. I.

**V**trum in aliquo casu Religiosus grauatius possit recurrere ad Principem laicum. 51

RESOL. V. *An in carcere detentus Regularis possit fugere sine licentia, ut vadat ad altiore Superiorem, ut releuet grauamen.* 53

## SVBRESOLVT. I.

**R**eligiosus incarceratus si prudenter timet mutilationem potest fugere. 56

2. *Vtrum possit frangere carcerem & vincula.* *ibid.*

3. *Si sit damnatus ut fame pereat, si offerantur cibi, tenetur comedere.* 57

4. *Addimenta posita à Cardinali de Lugo, examinantur.* 58

RESOL. VI. *Vtrum Prælati Regularis possit dare licentiam, ut Religiosus professus maneat extra Monasterium.* 59

### §. I.

*Discutitur Resolutio de mansione extra Conuentum habitu retento.* 60

## SVBRESOLVT. I.

**E**xplicatur Decretum Trid. sess. 14. c. 11. de reformatione. *ibid.*

2. *Qui possit dare licentiam viuendi extra claustra.* 61

3. *Vtrum licentia hæc data sine causa, sit valida.* 62.

4. *Qua sit causa legitima ad hanc licentiam impertiendam.* 64

5. *Monacho etiam Carthusio sufficiens causa est curare ab infirmitate graui & contagiosa.* 65

6. *An sit sufficiens causa quod Religiosus iuste fuerit damnatus ad iriemes.* 66

7. *Vtrum hæc licentia possit esse perpetua.* 67

8. *Vtrum possit Papa concedere Religioso professo licentiam irreuocabilem manendi extra claustra.* 68

9. *An Religiosus vnius Religionis qui fit alterius Superior, finito tempore teneatur ad suum Conuentum redire.* *ibid.*

11. *Vtrum Religiosus indigeat licentia ad acceptandum Summum Pontificatum.* *ibid.*

12. *Vtrum Præpositus nostræ Religionis possit dare licentiam alicui ex nostris ut Parrochiam extra Religionem accipiat.* 70

13. *Quid de fratre laico Religionis nostræ.* 71

14. *Quid de iure speciali sentiendum.* *ibid.*

### §. II.

*Expenditur Resolutio de mansione extra claustra habitu non retento.* 72

Subref. 15. *Quid intelligatur nomine habitus Regularis.* 73

16. *Vtrum Regularis factus Episcopus, possit tuta conscientia habitum suæ religionis dimittere.* 74

17. *Vtrum Episcopus Regularis si non portat habitum suæ Religionis incidat in excommunicationem.* 75

18. *Vtrum Religiosi professi Societatis Iesu si dimittant habitum incurrant præfatam excommunicationem.* 77

19. *Vtrum Religiosi militares hanc excommunicationem incurrant.* 78

20. *Vtrum clerici militares incurrant, si Rochetum dimittant.* 79

21. *An sit temeraria habitus dimissio, si habitans extra claustrum licite, illum dimittat, aut occultet?* 80

22. *Vtrum talis Regularis possit habitum occultum portare.* *ibid.*

RESOL. VII. *Vtrum solemniter professus possit reclamare ut non resideat in Religione.* 81

RESOL. VIII. *Quinquennium à Tridentino concessum post professionem ad reclamandum de nullitate enodatur.* 86

## SVBRESOLVT. I.

**D**e conditionibus requisitis à Tridentino ad reclamandum. *ibid.*

2. *Religio non potest reclamare ad probandam nullitatem professionis alicuius Religiosi.* 88

3. *Scholares Societatis non possunt uti decreto Tridentino.* *ibid.*

4. *Vtrum decretum hoc obliget in conscientia.* 89

5. *Quando incipiat hoc quinquennium?* 100

6. *In quo casu non possit Pontifex concedere restitutionem post quinquennium.* 105

7. *Decretum Tridentinum non comprehendit eos qui perpetuo sunt inhabiles.* 106

8. *Qui fingit consensum non est audiendus vlllo tempore.* *ibid.*

9. *Vt quis confirmet suam professionem non requiritur annus alter Nouitiatus.* 108

10. *An requiratur nouus consensus ex parte Religionis.* 109

11. *Inhabilis perpetuo, nec in articulo mortis potest valde profiteri.* 111

7. *Qualiter transiens ad aliam religionem debeat facere nouitiatum.* *ibid.*



## LIBER III.

De residentia Matrimoniali qualiter commutari possit in residentiam Monachalem. 112

RESOL. I. **Q**ualis debeat esse licentia coniugis, ut quis licite possit cum alio non residere, sed Religionem ingredi, & profiteri. 113

§. I. De

# Index Resolutionum, &c.

## §. I.

De licentia ad Nouitatus ingressum. ibid.

### SVBRESOLVT. I.

- V**trum licentia coniugis sit necessaria ut valide fiat nouitatus. ibid.
2. Vtrum coniux qui debet licentiam ad nouitatum, possit illam reuocare. 115
  3. Vtrum si coniux de licentia alterius uoueat castitatem possit votum hoc irritare. 116
- §. 2. De licentia requisita, ut coniux absens sit à residentia Maritali per solemnem professionem. 118
4. Vtrum hæc professio sine licentia coniugis sit irrita ex natura rei. ibid.
  5. Votum Castitatis factum in professione ista, nullum est & irritum ex natura rei. 119
  6. Votum continentia votum factum sine licentia coniugis validum est. 120
  7. Vtrum qui sine licentia coniugis professionem emisit possit à Religione fugere. 121
  8. Quid dicendum quando coniux sine aliqua licentia est professus, si qui mansit in saculo adulterium commisit. 125
- §. 3. Quæ requirantur, ut licentia coniugis, ad non residendum cum alio per professionem, sit licita & iuridica. 128
9. Vtrum ad professionem coniugis requiratur etiam licentia Ordinarij. ibid.
  10. Vtrum votum continentia eius coniugis qui manet in saculo, solemnizetur professione alterius. 129
  11. Vtrum si coniux senex manens in saculo, si est suspectus de incontinentia, debeat ingredi religionem. 131
  12. An si coniux manens in saculo ratificet professionem emissam sine eius licentia sufficiat, quod uoueat castitatem. 132
  13. Quæ atas in utroque coniuge sit sufficiens, ut iudicetur non esse periculum proximum incontinentia. ibid.
  14. Quid requiratur ad validam professionem, quando præcessit in iudicium diuortium. 133.
  15. Vtrum factò diuortio, innocens possit ingredi religionem altero repugnante. 135
  16. Diuortiatu reus nequit professionem emittere sine consensu Innocentis. 136
  17. Si innocens monitus multoties, nolit reconciliare nocentem, iste potest ingredi religionem. ibid.
  18. Singularis explicatio cuiusdam legis Hispanæ circa adulteros. 138
  19. Innocens non tenetur dimittere adulterium, sed potest cum illo residere. ibid.
  20. Innocens quando dubitat de sua incontinentia, an teneatur dimittere adulteram. 139.

Tom. II.

21. Vir tenetur ex vi præcepti correctionis fraterna dimittere uxorem adulteram. 140
  22. Vtrum Innocens possit propria auctoritate diuertere ab adultera. 141
  23. Vtrum iudex Ecclesiasticus cogat innocentem excommunicatione teneatur reddere. 142
  24. Vtrum si adulterium sit occultum & improbabile possit innocens dimittere uxorem. 144
  25. Vtrum si adultera de consensu Innocentis votum castitatis emisit, possit etiam quoad usum matrimonij reconciliari. 147
- vl. Reducuntur ad Synonymiam duo textus iuris Canonici, qui antynomia laborant. 148
- RESOL. II. An coniux professus, ex licentia spontanea alterius manentis in saculo, restituendus, isto in iudicio repetente illum, ad residentiam & cohabitandum. 149

### SVBRESOLVT. I.

- A**N si professione valida existente, si coniux restituatur, possit petere & reddere. 153
2. Qua ratione possit coniux repetere. 154
  3. Qualiter cogendus coniux qui licentiam dedit ut professionem emittat. ibid.
  4. Coniux qui potest reuocari, nequit propria auctoritate à monasterio egredi. 155
  5. Cur coniux reuocatus possit reddere, ast non petere. ibid.
  6. Si coniux non est professus, aut non valide qui fecit votum continentia, hoc non adstringitur. 156.
  7. Vir sine licentia professus si reducatur, nequit exigere, sed solum petere. ibid.
  8. Vtrum restitutus mortua uxore possit cum alia contrahere. ibid.
  9. De eo qui sine licentia alterius coniugis reuocatus est, quid sentiendum. 159
  10. Vtrum coniux in saculo relictus altero proficiente sine eius licentia, possit eo inuito ad religionem transire. 160
- RESOL. III. Qualiter uxoratus licite & valide possit non residere, & cohabitare cum uxore per susceptionem Sacrorum ordinum. 160.

## §. I.

- Ponitur Regula generalis. ibid.
2. Ampliationes Regula. ibid.

### SVBRESOLVT. I.

- V**ir ut initiatur ordine sacro, debet licentiam uxoris habere. 161
2. Vtrum adulterante uxore possit vir ea inuita sacros ordines suscipere. ibid.
  3. Non licet viro sacros ordines adsumere etiam ante consummationem matrimonij. 163
  4. Vir uxoratus, nec primam tonsuram, potest recipere. 164
  5. Etiam si vir sit assumptus ad summum Pontificatum potest reuocari. 165

\*\*

2

3. Refe

# Index Resolutionum, &c.

- §.3. Residentiam mutuam, & commanentiam  
vtriusque coniugis esse de iure diuino & natu-  
rali, ex scriptura & Patribus probatur. 165
6. Vindicatur Dominus Caietanus. 168
7. Ob adulterium vxor nequit criminaliter accu-  
sare virum, bene tamen e contra. 169
8. Ratio genuina, cur stuprum sit species luxuria  
ab aliis distincta, ex utroque. *ibid.*
9. Virgo etiamsi sit omnino sola, stuprum pati-  
tur. 174
10. Nullus potest renuntiare iuri ad custodiendam  
virginitatem. *ibid.*
11. Idē est si virgo consentiat, & quādo sit raptus. *ib.*
12. Virgo etiamsi consentiens defloretur tenetur id  
exprimere in confessione. 175
- RESOL. IV. De septem exceptionibus quas ponit  
Diu. Th. ad licentiam Christi de dimitten-  
da vxore propter fornicationem. 175

## §. I.

- Examinatur prima exceptio. *ibid.*
2. Enucleatur secunda exceptio si vir vxorem pro-  
stituerit ad luxuriandum. 177

## SVBRESOLVT. I.

- V**ir si non prohibet vxoris adulterium cum pos-  
sit, leno est. 178
2. Si vir iniuste vxorem domo expellat, hac forni-  
cante potest eam ciuilitate, & criminaliter  
accusare. 179
3. Si vir iniuste debitum coniugale denegat nequit  
vxorem accusare. *ibid.*
4. Vir adulter si vxorem accusat criminaliter pec-  
cat mortaliter. 180
5. Vir innocens nequit in conscientia occidere vxor-  
em adulteram sibi traditam à indice. 182
- §.4. Explicatur tertia exceptio si mulier proba-  
biliter credens primum maritum obiisse, alte-  
ri nubat? 184
- §.5. Trutinatur quarta exceptio, si latenter co-  
gnita est ab alio sub specie viri lectum subin-  
trante. 185
6. Examinatur, de subintrante homine simili  
proprio marito. *ibid.*
7. Perpenditur de Demone incubo. 186
- §.6. Expenditur quinta exceptio, si fuerit vi  
oppressa ab aliquo. 189
- §.7. Extricatur sexta exceptio, si reconcilia-  
uerit eam sibi post adulterium perpetratum,  
carnaliter eam cogonscens. 190
8. Vt adultera non possit accusari requiritur, quod  
innocens externo signo remittat iniuriam.  
191
9. Si exterius remittatur iniuria, etiam sine ani-  
mo tenet remissum. *ibid.*
10. Idem iudicium fertur si innocens habeat copu-  
lam cum adultero. 192
11. Qui sint actus, quos si faciat innocens cense-  
tur remittere iniuriam. 194

- §.8. Declaratur septima exceptio, si matrimo-  
nio in infidelitate vtriusque contracto, vir  
dederit vxori libellum repudij, & vxor alteri  
nupserit, tunc enim si vtrique conuertantur,  
tenetur eam vir recipere. 195

- RESOL. V. Quae cause sint iusti diuortij, excusantes  
à residentia matrimoniali? 196

## §. I.

- De fornicatione spirituali quae est Apostasia à fide  
Catholica. *ibid.*

## SVBRESOLVT. I.

- D**iscrimen inter fornicationem spiritualem &  
corporalem. 200
2. Vtrum innocens possit in saeculo manere. 202
3. Vtrum in adulterio spirituali detur compensa-  
tio. 204
- §.2. De inductione ad peccandum. 208
- §.3. De seuitia coniugis. 210
3. Sufficit ad diuortium, quod mulier sit venefica  
aut strix. 211
4. Seuitia parentum estne causa diuortij. *ibid.*
5. Lata sententia ob seuitiam, innocens non po-  
test ad religionem, aut Sacros Ordines transi-  
re. *ibid.*
- §.4. De coniugis amentia, aut furia. 213
6. Ob amentiam superuenientem, non licet sano  
amentem relinquere. *ibid.*
7. Vtrum coniugi leproso, aut gallico morbo infecto  
teneatur sanus reddere debitum. 214
- §.5. De coniugis absentia. 217
7. Vtrum contractui sponsalium possit conditio appo-  
ni, quod vir tenetur in hac ciuitate, aut domo  
habitare? *ibid.*
8. Quando maritus abest negotiationis causa, cum  
intentione redeundi. 219
9. Princeps pro defensione boni communis potest  
cogere vxoratum ire ad bellum. 221
10. Nequit hoc Princeps, si non adest necessitas  
tuendi bonum commune. 222
- RESOL. VI. Vtrum Papa possit dispensare in resi-  
dentia matrimoniali inter infideles ad  
fidem conuersos? 223

## §. I.

- Expenditur primus sensus. *ibid.*
2. Enucleatur sensus secundus. 228
3. Varia corolloria ad praxim utilia. 236

## SVBRESOLVT. I.

- Q**ua ratione in partibus Indiarum doctrina  
tradita practicetur. *ibid.*
2. Quid de Aethiopicis, Mauris, & Turcis capti-  
uis. *ibid.*
3. Matrimonium consummatum in infidelitate non  
dirimitur ingressu religionis. 237
4. Quando



# Index Resolutionum, &c.

4. *Quando dissoluatur matrimonium infidelis conuersi ad fidem.* 239
  5. *Vtrum infidelis licite possit contrahere secundas nuptias, si conuersus alium statum accipiat.* 242.
  6. *An coniux conuersus qui aliam duxit, si ista moriatur, & prior conuertatur, teneatur istam admittere.* 244
  7. *Si fidelis conuersus filios generet ante matrimonium non sint adulterini.* 245
- RESOL. VII. *Vtrum possit quis tuto habere residentiam matrimonialem sine ordine ad copulam carnalem.* 246

## §. I.

- Sententia nouissima Basilij Legionensis suis valla-  
ta fundamentis adducitur.* *ibid.*
2. *Libamina pro tuenda vera S. Thom. sententia.* 248.
  3. *Residentia Matrimonialis non subsistit sine consensu implicito in copulam carnalem, Auctorum intelligentia probatur.* 250
  4. *Ostensus roboratur sententia Angelici Doctoris, authoritatibus Aristotelis, S. Augustini, & aliorum Patrum.* 252
  5. *Rationibus firmatur eadem sententia adductis ex S. Aug. & D. Th.* 255
  6. *Occurritur fundamentis adductis in oppositum.* 256.
  7. *De residentia matrimoniali inter sanctissimam Virginem Mariam, & eius purissimum sponsum Iosephum.* 257
  8. *Extrahitur qualis matrimonialis ista B. V. cum S. Ioseph residentia compatiatur cum voto Virginitatis ante matrimonium emisso.* 259
  9. *Quae munia residentiae Matrimonialis exercuerit S. Ioseph in puerum Iesum, & eius Sanctissimam coniugem.* 268

## DIGRESSIO I.

**V**indicatur triplex Christi excellentia, quod non habuerit Angelum custodem, quod fuerit plenus gratia, quod sibi gratia habitualis, non promeruerit augmentum. 274.

## SECTIO I.

- B**eatam Virginem Angelum custodem habuisse designatum. 275
2. *In Beata Virgine non fuisse eandem gratiae habitualis plenitudinem, quae fuit in Christo.* 279.
  3. *B. Virginem sibi promeruisse suis operibus gratiae habitualis augmentum.* 286
- RESOL. VIII. *Vtrum Eunuchi utroque testiculo carentes possint habere matrimonialem residentiam.* 291

## §. I.

- Supponuntur aliqua.* *ibid.*
2. *Sententia Basilij Legionensis & aliorum adducitur, enucleatur, probatur.* 298
  3. *Iudicium, sapientioribus remissum & Ecclesiae determinationi subiectum circa Eunuchorum matrimonium in ordine ad coitum, an iure naturae sit validum.* 301
  4. *Auctoris primum assertum. Impotentium matrimoniale vinculum, ipso iure potest ab Ecclesia dissolui, non tamen soluitur, nisi post iudicis sententiam.* 303
  5. *Assertum secundum. Valde probabile est, quod aliquorum Eunuchorum coniugium sit iure naturae validum, etsi non omni ex parte perfectum.* 305
  6. *Assertum tertium. Matrimonium contractum à femina sciente virum esse impotentem propter frigiditatem, est validum iure naturae.* 307.
  7. *Satisfit Christopolitano, & Legionensi.* 314
  8. *Varia deducuntur Corollaria ad praxim valde utilia.* 315

## SVBRESOLVT. I.

- V**trum si se gerant, ut soror & frater coniuges teneantur ad simul residere. *ibid.*
2. *Vtrum femina Eunucha valide contrahat.* 316.
  3. *Vtrum defectus veri seminis obstet valori Matrimonij.* 317
  4. *Quid sentiendum de eo qui membrum virile habet radicitus abscissum.* 319
  5. *Quid si vir ingrediatur religionem declarato nullo matrimonio, si post inueniatur sententiae error.* *ibid.*
  6. *Vtrum Sponsus teneatur totum legale bimestre residere cum Sponsa, quam de praesenti duxit.* 321.
  7. *Vtrum femina coacta ad consummandum teneatur residere cum viro cogente.* 323
  8. *Quando mortaliter peccet vir cogens coniugem.* 324.
  9. *Vtrum sponsa vi oppressa possit semen viri expellere.* 325
  10. *Si transacto bimestre coniux cogatur consummare nequit ad Religionem manere.* 326
  11. *Si coniuges annis pubertatis completis si adhuc non sunt apti, tenentur residere simulque cohabitare.* 328
  12. *A quo tempore computandum sit triennium.* *ibid.*
  13. *Si coniux propria autoritate non resideat ob impotentiam alterius, restituendus est.* 329
- RESOL. IX. *Quali obligatione teneatur ad residentiam matrimonialem veneficiatus, & maleficiatus.* 331

# Index Resolutionum, &c.

## APPENDIX

A D

### LIBRVM TERTIVM,

In qua ponitur triplex Diggressio, non in-  
iucundæ lecturæ. 334

DIGGRES. I. **V**trum liceat, à malefico exposito  
petere, ut maleficium, male-  
ficio euertat. *ibid.*

II. Vtrum liceat tollere signa maleficij à malefico  
fabricata. 343

### SECTIO I.

**S**ententia Delrij, Suarez, Sanchez, Lessij &  
plurium Doctorum Societatis enucleata.  
*ibid.*

2. Antiquorum, statera Religiosa, ponderatur Au-  
thoritas. 344

3. Sententia Aëtij Syluij, Guagerici Hispani, &  
aliorum Doctorum Vniuersitatis Duacensis, ut  
vera defenditur autoritate Augustini, & D.  
Thomæ. 349

4. Rationibus, Syluij & Guagerici Hispani, eadem  
vera comprobatur sententia. 351

5. Aliis argumentis eadem veritas fulcitur & con-  
firmatur. 354

6. Non licere alia ponere signa per quæ preceden-  
tia signa posita, vim suam amittant, contra  
Suarez, & Fagundeꝝ ostenditur. 355

7. Soluuntur argumenta opposita sententiæ Del-  
rij, & aliorum. 359

8. Vtrum sententia opposita nostræ sit aliqua graui  
censura digna. 361

DIG. III. Vtrum cicuratio Tauri in die S. Marci  
libera sit à superstitione. 362


### SECTIO I.

**O**pinio Reuerendissimi Magistri, Ioannis, à  
S. Thom. confirmata adducitur. 363

2. Praxis Hispana de Cicuratione Tauri S. Marci  
in eius peruigilio, & Festo propugnata, ad-  
ducitur. 366

3. Eadem Hispana praxis confirmatur ex solutio-  
ne rationum in oppositum. 369

4. Proprium Auctoris iudicium, & sententia. 372



### LIBER IV.

De alia specie Residentiæ Regularis, quæ  
dicitur filiatio. 373

RESOL. I. **V**trum in Religione approbata à  
sede Apostolica detur propria  
filiatio spiritualis. 374

I. Vtrum sit perfecta filiatio Religiosa, ubi non  
est votum solemnitatis. 376

III. Qualiter stabilitas sit de ratione filiationis  
Religiosæ, & Residentiæ species. 380

### §. I.

Primum libamen, quid stabilitas Religiosa. 380

2. Quotuplex sit stabilitas Religiosa. 386

3. Filiatio Religiosa perfecta non subsistit, sine  
stabilitate in Religione. 388

4. Filium Religionis strictioris posse de legitima li-  
centia, filiari in Religione laxiori ostenditur.  
390.

### SVBRESOLVT. I.

**A**n translatio ista filiationis possit esse in Or-  
dinibus militaribus. 392

2. Vtrum eiectus à Religione possit se filium face-  
re laxioris Religionis. *ibid.*

3. Vtrum qui sapius fugit à religione, animo con-  
sequendi licentiam transitus ad laxiorem, si  
transit non est tutus in conscientia. 393

4. Vtrum ad hunc transitum ad laxiorem requira-  
tur causa cognitio. 395

5. Ut Generalis det licentiam ad huiusmodi tran-  
situm, non indiget consensu Capituli. 396

RESOL. IV. Variæ difficultates circa iara fi-  
liationis Religiosæ, tam in communi, quàm  
in speciali enodantur, & enucleantur.  
399.

### DIFFICVLT. I.

**V**trum possit Religiosus solemniter professus  
dignitate extra Religionem assumpta, ex-  
filiari sine Religionis Prælati consensu.  
400.

2. An requiratur consensus Prælati Regularis, ut  
quis acceptet electionem de se factam in  
Summum Pontificem Romanum. 402

3. Vtrum Superior Regularis possit cogere sibi sub-  
ditum, illi imponens formale obedientiæ præ-  
ceptum, ut dignitatem extra Religionem ac-  
ceptet, & sic exfilietur. 405

4. Vtrum Episcopus Regularis exfilietur à Religio-  
ne sua. 413

5. De filiatione qua quis adstringitur ex voto so-  
lemni aut simplici. 419

6. Vtrum Conuersi laici, Donati, & Oblati sint ve-  
re filij Religionis, an Serui dumtaxat veluti  
adscriptitij. 422

7. An filius Religionis, qui voto solemniter se adstrin-  
xit acceptandi extra Religionem Episcopatum,  
nisi coactus obedientia Summi Pontifi-  
cis, hac obedientia debeat esse sub formali  
præcepto. 424

8. Quæ obedientia sit necessaria, ut à nobis  
acceptetur dignitas extra Religionem.  
429.

# Index Resolutionum, &c.

9. *An votum hoc comprehendat saculares dignitates.* 430
10. *An comprehendat votum non ambiendi officium Inquisitoris.* 431
11. *Vtrum materia huius voti comprehendat Æthiopicos, & Indicos Episcopatus.* *ibid.*
12. *Vtrum Inramentum Bernabitarum comprehendatur in Bulla Urbana.* 436
13. *Quis, & à quo possit cogi, ut dignitatem extra Religionem accipiat.* 437
14. *Vtrum si Pontifex sine causa vni ex nostris precipiat, quod acceptet extra Religionem, aliquam dignitatem, teneatur, vel possit, eam acceptare.* 440



## LIBER V.

*Variarum Resolutionum casuum particularium circa iura filiationis Regularis, & exfiliatione ab ordine per eiectionem,*

- Post decretum Urbani VIII. 442
- RESOL. I. *C*vi acquirant Religiosi professi, iure filiationis regularis. 442
- II. *Quis possit iura filiationis alterare.* 444
- III. *Potestne Capitulum generale, iura filiationis immutare.* 445
- IV. *De Apostatis & fugitiuis.* *ibid.*
- V. *Dua Bulla, vna Pij V. altera Gregor. XIII. enodantur.* *ibid.*
- VI. *Plurium consultationum, circa iura filiationis Regularis.* 450

## SVBRESOLVT. I.

- D**E translatione filiationis ab vno in alium Conuentum. *ibid.*
2. *An quis filius alicuius Conuentus possit admitti in aliquo alio, ut hospes perpetuus exhibita dote conuentui pro hospitio huiusmodi.* 451
3. *De religioso Missionario apud Mauros cui acquirat, an Monasterio, an Camera Apostolica, si ibi moriatur.* 452
4. *De religioso, qui adfiliatur alteri Monasterio, qua secum portare possit? an libros quos ad impressionem habet paratos; an quantitatem pecunie.* 453
5. *De religioso, qui ex plura ex ludo prohibito à iure Canonico, & arte similiter prohibita Sacris Canonibus, acquisiuit? an debeantur Camera Apost.* 454
6. *Cui debeat restitui furtum factum de re lucrata à religioso per negotiationem, & contra Sacros Canones.* 456
7. *De religioso negotiatore per alium, & de illo qui vnica tantum vice negotiauit.* *ibid.*

8. *De religioso eiecto à religione iuridice, negotiatore.* 459

## DIGRESSIO.

**C**irca hunc casum. *Vtrum non obstante decreto Urbano, circa formam eiciendi religiosum professum à religione, possit Pralatus Regularis propter delictum atrox, non seruata forma, ad triremes per decennium damnare.* 461

## SECTIO I.

- P**ars negatiua argumentis & auctoritate firmatur. *ibid.*
2. *Opinio affirmatiua pluribus adstruitur argumentis.* 463
3. *Quod ad expulsionem non sufficit quacunque incorrigibilitas, nisi oriatur ex contumacia.* 465.
4. *Quid eiectio à Religione? quid damnatio ad triremes? quid traditio curie seculari?* 468
5. *Duplex degradatio enucleatur, & que requiratur, ut quis damnetur ad triremes.* 472
6. *Damnatus ad triremes non est formaliter, & iuridice eiectus à Religione.* 473
7. *Proprium auctoris dictamen ex Decreto Urbano manifestum.* 475
8. *Fundamina sententia negantis euertuntur, enervantur & demoliuntur.* 477
- vlt. *Pro praxi damnationis ad triremes inter Regulares, que sint delicta que digna sunt hac pena.* 478
- Diggr. 2. *De pœnis que imponi solent, pro delictis Regularium.* 478

## SECTIO I.

- D**E pœnis iam exoletis etiam apud Regulares *ibid.*
- §. 2. *De homicidio doloso, & proditorio.* 485
3. *De Sodomie crimine.* 489
4. *De monasterio falso, vbi aliqua de moneta vsu & institutione, adducitur in fine opusculum, de hac materia Nicolaj Oresmij.* 492

## SVBDIGGRES. I.

- V**trum in numismate debeat esse valor intrinsecus. 493
2. *Qua ratione lucrum quod Princeps habet ex moneta alteratione sit turpe, aut honestum.* 495.
3. *Vtrum ad mutationem moneta, sufficiat opinio probabilis.* 498
4. *Vtrum Princeps possit materiam numismatis pluris aestimare, quam in se aestimatur.* 500.
5. *Nullus nisi Princeps potest, resigillare monetam.* 501.
6. *Iuste est lata pœna mortis, etiam Regularibus cudentibus falsam monetam.* 502

# Index Resolutionum, &c.

RESOL. VII. *Aliqua Regula statuuntur pro damnatione fratrum ad triremes, non obstante decreto Urbano, de non eijciendis.* 503

## SVBRESOLVT. I.

**E**xpediens est hodie aliquos Regulares ob delicta ad triremes damnare. 503

2. *Damnatus ad triremes finito tempore pœna tenetur ad Religionem redire.* 505
3. *Ob delictum valdè atrox potest Regularis ad perpetuum triremium damnari, etiam post decretum Urbani VIII.* 506
4. *Hodie nullus Generalis etiam Societatis potest expellere professum, non seruata forma Urbana.* *ibid.*

DIGR. III. *Explicantur circumstantia requisita ad eiectionem in forma Urbana.* 507

## SECTIO I.

1. **Q**uis intelligatur legitime professus. 508
  2. *De incorrigibilitate.* 512
  3. *Qualiter annus carceris sit computandus.* 517
  4. *Qualis carcer debet esse.* 519
- Subiect. 1. *Carceris Ethymon, notio, multiplex significatum, & acceptio.* *ibid.*

## SVBDIGGRESSIO I.

- C**arcer ex vi nominis plures habet notiones. 521.
2. *Ille est carceri mancipandus, qui est de fuga suspectus.* 522

3. *Quod delictum requiratur, ut aliquis incarcerationetur.* 523

4. *Incarceratus manet priuatus actibus legitimis.* 524.

5. *Vtrum incarcerationans indebite incurrat excommunicationem.* 527

6. *Vtrum Regulari mancipato auferendus sit habitus.* 527

7. *Hac habitus regularis ablatio non fit in incarcerationato ad solam custodiam.* 528

8. *Incarceratis ad pœnam ordinariam non est deneganda confessio Sacramentalis.* *ibid.*

9. *Vtrum concedenda Eucharistia.* 529


10. *Vtrum damnatus ad carcerem possit fugere.* 531

Subiect. 2. *Qualis fuerit olim inclusorum ordo & institutum.* 532

Subiect. 3. *Qua fuerit antiquitus pœna reclusionis in Monasterium.* 537

RESOL. VIII. *Vtrum D. Thom. recte comparauerit expulsionem à Religione excommunicationi maiori.* 554

RESOL. vlt. *Vtrum Regulares possint tradi curiæ seculari à suis superioribus ob enormia delicta.* 565



## LIBER VI.

Bullarum Apostolicarum, & Decisionum Sacræ Rotæ Romanæ. 569

**B**ulla Apostolica. 570

Decisiones S. Rotæ Romanæ. 595



# LIBER PRIMVS, DE RESIDENTIA Prælatorum Pastorum Regularium.

PRO O E M I V M.

**R**EGVLARES aut sunt Prælati, aut subditi, si Prælati, aut Generales, Prouinciales, aut Locales: Rursus, aut Abbates Monachorum, aut Superiores Mendicantium, si subditi, aut habent aliquod Officium, vt Diffinitorum, aut Assistentium, qui simul cum Superioribus attendunt in animarum regularium regimine, aut sunt purè subditi, & de his omnibus tractandum sigillatim: est enim non paruus abusus inter Regulares introductus circa Prælatorum Residentiam; & valde interest, vt extirpetur.



## RESOLVT. I.

*Virum Prælati Regulares teneantur iure diuino ad personaliter residendum.*

1. An Prælati Regulares iure diuino ad personaliter residendum teneantur, qui sentiant.
2. An occurrēte iusta causa possint prælati cum minori scrupulo abesse ad aliquod tempus.
3. Pelizzarij sententia assertur.
4. Omnes Patriarchæ, Primates &c. obligantur ad personalem in Ecclesia vel Diocesi residentiam, ex S. Synodo & n. 5.
6. An Prælati Regulares qui possident beneficium animarū curā habēs obligentur ad residētiam.
7. An strictiori vinculo ligentur Prælati Regulares ad residētiam personaliter, quā alij Pastores.
8. Quid restituet monasticā disciplinā & regularē.
9. An personalis residentia consistat in industria persone, quæ ex iure diuino requiritur ex vi officij pastoris ordinarij.
10. Omnes quibus animarum cura commissæ est debent esse diuinorum præceptorum memores.
11. An residentia personalis pastorum sit de iure diuino.

**F**RANCISCVS Pellizzarius † tom. 2. sui Regularium Manualis, tract. 9. c. 5. quest. 14. num. 14. (nescio prorsus qua luce) relatis Concilij sess. 2. cap. 1. de reformat. verbis (ex quibus verbis, ait, putant aliqui euinci residentiam curati esse de iure diuino) quam non idem Prælatus Regularis dici

Tom. II.

possit teneri residere eo rigore quo tenetur Parochus, cum non sit ita certum residentiam Parochi esse de iure diuino, & decretum Trident. superius adductum, non loquatur expresse nisi de Episcopis, & aliis habentibus beneficium Parochiale (quales utique non sunt Prælati Regulares) unde † occurrēte iusta causa cum minori scrupulo ij poterunt abesse ad aliquod tempus, a proprio monasterio, præsertim cum loco ipsorum, semper maneat alius, qui vices ipsorum gerat, eorumque obligationibus æquè bene satisfaciat. Hactenus ille.

Sed Pelizzarius † se opposuit, omnibus fere 3 scriptoribus, imo & manifeste, ipsi Concilio contradicit loc. cit. vbi tradit generalem decisionem his verbis. Cum præcepto diuino mandatum sit omnibus quibus animarum cura commissæ, onus suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, & in cætera munia pastoralia incumbere qua omnia nequaquam ab his præstari, & impleri possunt qui gregi suo non inuigilant neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt. Ex quo principio colligit Sancta Synodus, primo quod † omnes Patriarchæ, Primates, Metropolitanæ ac Cathedralib. Ecclesiis, quibuscūque, quocunque nomine & titulo præfecti obligantur ad personalem in Ecclesia vel Diocesi residentiam, vbi iniuncto sibi officio defungi teneantur, neque abesse posse nisi ex causis & modis infra scriptis, colligit & determinat. 2. quod † eadē omnino etiam quoad culpam omissionē fructuū & pœnas de curatis inferioribus, & aliis quibuscumque qui beneficiū aliquod Ecclesiasticū curā animarū habēs, obtinēt; sacrosancta Synodus declarat & determinat. Vbi manifestū est † hoc decreto & iure diuino æque 5 obligari Prælatos Regulares, qui possidēt beneficiū animarū curā habēs cōprehēdi cōfirmat, tertio ea quæ sacre & vtiliter sancita fuerāt de 6 residentia

residētia personali Pastorū *sess. 6. c. 1. & 2. de re- for. celebrata sub Felic. rec. Pauli III. c. enim 2.* statuitur quod Ordinarij eorū qui habēt quæuis beneficia personalem residentiam exigentia possunt eos cogere, ad residendum vtpote iure diuino ad id obligatos.

Præterquā quod rationibus quibus vtitur Cōciliū, & sacræ scripturæ testimoniis eodē, imo  
8 † strictiori vinculo ligentur Prælati Regulares ad residēdū personaliter, quā alij Pastores sæculares, vt regāt, pascāt, & gubernēt ouile suū, cuius oues exquisitius pabulū, & alimētū suauius exigāt, vtpote obligatæ ad progrediēdū in  
9 perfectionis augmētū, & ira exquisitior & diligētior debet esse ars & officiū Pastoris: & sic rigidius à Pastoribus Regularium ouium exquirendus est earum sanguis à supremo iudice.

10 Amplius † nihil magis restaurat disciplinā monasticham, & regularem collapsā & confirmat persistētē, & auget, quā personalis existētia Superiorū Regulariū in suis cōuētibus, & assistētia in exercitiis, quibus incūbit communitas, & sic vigilēt, in omnibus laborēt, & ministerium suū impleāt, quod implere non possunt si Religiosos sibi cōmissos deserāt, etsi enim vicarium suas vices habētē relinquant, cæterū hic nō est Pastor ordinarius, & habēs obligationē residēdi personaliter nō releuatur vicarij assistētia, vt certū est in Parrocho, & in Episcopo personalis

11 enim † residētia cōsistit in industria personæ, quæ ex iure diuino requiritur ex vi officij Pastoris ordinarij, nisi dicas Præpositos, & alios Superiores Regulares nō esse ordinarios Pastores habētes Iurisdictionē ordinariā, quod dici nulloatenus potest. Cōciliū autē *locis citatis*. loquitur de omnibus Pastoribus ordinariis siue sint sæculares siue Regulares, dūmodo oues illis sint  
12 cōmissæ ex vi officij, omnes autē † quibus animarū cura cōmissa est debēt esse diuinorū præceptorum memores, vt facti forma gregis in iudicio & veritate pascant, & regant.

Quæ omnia (quæ sūt anazephaleosis doctrinæ Tridēt.) manifeste cōprehēdere Prælatos ordinarios Regulariū vel cæcus videt, quare de hoc nō potest esse dubiū inter Catholicos recte sentiētēs, quod † residētia personali Pastorū sit de iure diuino, est enim omnino eadē ratio, quātū ad hoc de Prælatiis sæcularibus, & regularibus, & ea quæ supra adduximus ad hoc probādum de sæcularibus, probāt vt dixi de Regularibus, quare eo rigore tenētur Prælati Regulares ad residendum, quos sæculares quia ius diuinum quantum ad obligationem peccati æque omnes respicit, & ligat. Quare omnino reiiciendus est Pelizzarius.

RESOLVT. II.

*Vtrum Prælatus Regularis possit tuta conscientia percipere fructus suæ Prælatiæ, sine obligatione restituendi si non resideat personaliter?*

## S V M M A R I V M.

1. *Quando nam ex statuto aut constitutione Prælato regulari applicentur certæ collectæ.*
2. *Generalis absque iusta causa in qua personali residētia Prælatorū dispēsare nō possit, n. 3.*
4. *An Prælati regulares præter mortalis peccati reatum quem incurrunt, pro rata temporis absentia fructus suos non faciant.*
5. *Quid nomine Episcopi in Conc. intelligatur.*
6. *An sub nominibus Episcopi & Parrochi, aut habentis beneficium cum cura animarum in pænalibus non veniant regulares.*
7. *An Prælati regulares non videantur cōprehensi sub pænis latis contra non residētes a Conc.*
8. *Regulares Prælatos in administratione & cura suorum subditorum reliquit S. Cong. propriis statutis.*
9. *Qui possint se componere per Bullam.*
10. *An in favorabilibus cōprehēdantur religiosi Prælati, qui habēt quasi Episcopale iurisdictionē.*

**E**T si Prælatus Regularis nihil habeat, aut habere possit propriū ratione paupertatis quā solēniter vouit, tamē † ex statuto, aut constitutione illi, applicatur certæ collectæ, vel in domo si fuerit localis, in Prouincia si fuerit Prouincialis, vel in tota Religione si generalis, idque est in vsu in multis Religionibus Monachalibus & etiam Medicatibus, & datur titulo vestuarij, sūt, & alij fructus vt pro velo Monialiū, pro Magisteriis & multi Patroni institutores patronatū non paruā propinā relinquunt Superioribus, vt rite & recte distribuunt dotationes, & memorias quas fundarunt. Igitur dubiū est si Prælatus Regularis absq; legitima causa, & licētia nō resideat personaliter ultra tempus à Concilio pro Episcopis, & Parrochis decreuit, an possit tuta cōsciētia hos fructus percipere & retinere absque onere restituendi?

Pater Miranda *tom. 2. Manualis, q. 9. art. 5. conc. 2.* vnica sic fatetur. *Vnde † Generalis absque iusta & legitima causa in hac personali Residentia Prælatorum dispensare non potest ipsique Prælati non residentes intra ones suas, & intra proprias Dioceses sine legitima causa mortaliter peccant, etsi sunt tales, qui temporales habeant fructus, aliqua sibi ratione deputatos illos, ipso facto, & absque vlla determinatione admittunt, neque aliqua ratione eos faciunt suos. Hoc dixerim propter aliarum Religionum Prælatos, qui aliquos habent redditus annuos, quod ex decreto præfati Concilij verum habet in omnibus Ecclesiæ Prælatiis generaliter.*

Quæ doctrina videtur clare determinata in Trident. *sess. 23. c. 1. de reform. vers. si quis autem & vers. eadem. eadem omnino etiam quoad culpam amissionem fructuum, & pænas de Curatis inferioribus & aliis, quibuscunque, qui beneficium aliquod Ecclesiasticum curam animarum habens obtinent sacrosancta Synodus declarat & decernit, cum ergo superiores Regulares beneficium regulare habeant cū animarum cura, quarū sunt Pastores Ordinarij, vt vidimus clare videtur inferri,*

ferri, quod † præter mortalis peccati reatum, quæ incurrunt, eos pro rata tēporis absentia fructus suos non facere, nec cura conscientia alia declaratione non secuta, illos sibi retinere posse, prohibita quacunque conventionē, vel compositione, quæ pro fructibus male perceptis appellatur, ex qua etiam prædicti fructus in totū, aut pro parte eis remitterentur, non obstantibus quibuscunque privilegiis cuiuscunque collegio, aut fabricæ concessis, ut ait Concil. *versic. si quis autem.*

5 Confirmatur, quia † nomine Episcopi in Conc. *sess. 24. c. 6.* intelliguntur Prælati, & Abbates Regulares, ut multis citatis tenet Dian. *p. 7. tr. 2. resol. 4. & 5.* ergo multo magis in hoc *cap. 1.* nomine Parrochi, intelligitur Prælati Regularis, qui Pastor est sicut ille Ordinarius suarum ouium.

† Fateor sententiā hanc valde esse conformē Concilio, & quidem, quantum ad peccati mortalis reatū, quem incurrunt mihi indubiam, cum sint Prælati isti nō residentes transgressores diuini præcepti, quod grauissimum est vti materia, quā respicit; cæterum quantum ad pœnas propter hanc transgressionē impositas mihi nō ita certū, quia † sub nominibus Episcopi, & Parrochi, aut habentis beneficiū cū cura animarū in pœnalibus nō veniūt Regulares nisi exprimantur, vel cōmunis intelligentia legis pœnalis eos cōprehendat, ut est certum apud DD. in præsentī autem *c. 1.* Conc. etsi in principio doctrina sit generalis de omnibus Pastoribus, qui personaliter debent residere, ex iure diuino; tamen dum Conciliū pœnas taxat & imponit transgressoribus, solū loquitur de Episcopis, & aliis Beneficiatis curā animarū habentibus, nō exprimit Prælatos Regulares, isti ergo † non videtur comprehēsi,


6 hi nō ita certū, quia † sub nominibus Episcopi, & Parrochi, aut habentis beneficiū cū cura animarū in pœnalibus nō veniūt Regulares nisi exprimantur, vel cōmunis intelligentia legis pœnalis eos cōprehendat, ut est certum apud DD. in præsentī autem *c. 1.* Conc. etsi in principio doctrina sit generalis de omnibus Pastoribus, qui personaliter debent residere, ex iure diuino; tamen dum Conciliū pœnas taxat & imponit transgressoribus, solū loquitur de Episcopis, & aliis Beneficiatis curā animarū habentibus, nō exprimit Prælatos Regulares, isti ergo † non videtur comprehēsi, sub pœnis latis contra non residentes à Concilio, ita tenent expresse Less. *lib. 2. c. 34. n. 161.* Tamb. *de iure Abbat. to. 1. disp. 14. q. 7. n. 3.* dicēs hos Prælatos Regulares hisce pœnis non arctari, nisi habeant curam animarū seculariū, per ipsos administrandam, quia de huiusmodi cura loquitur Concil. ut respondit S. Congr. Ad † Regulares Prælatos in administratione, & cura suorū subditorum reliquit propriis statutis, & suorū superiorum ordinationibus, quas omnes profecto determinatis pœnis Abbates, & Prælatos non residentes credibile est afficere, hæc ille & bene, an vero teneantur restituere iure naturæ, ut potè non implentes ministerium propter quod illi fructus assignantur. dixi *supr. lib. 5. resol. .... n. ....* dum agerem de non recitantibus officiū

7 diuinū, possunt tamē † se cōponere per Bullam, quia hoc illis non est prohibitum à Concilio, sed solum secularibus.

8 Ex quibus constat ad fundamentum oppositū: ad confirmationē, Resp. 1. quod doctrina illa nō est vniuersaliter recepta cū multi grauissimi DD. huius tēporis magna probabilitate & securitate contrariū sentiant. Resp. 2.

9 quod † in favorabilibus comprehenduntur Religiosi Prælati, qui habent quasi Episcopalem iurisdictionem, & illud caput Concilij favorabile est, & sic extenditur ad Superiores Regulares.

quod † in favorabilibus comprehenduntur Religiosi Prælati, qui habent quasi Episcopalem iurisdictionem, & illud caput Concilij favorabile est, & sic extenditur ad Superiores Regulares.



## RESOLVT. III.

Vbi teneantur residere Prælati Regulares.

## SUMMARIUM.

1. Quando nam Prælati regulares satisfaciunt præcepto diuino de residentia personali.
2. Auctoris iudicium, & n. 3. & 26.
4. Ad quid cōsultatio Generalis habeat potestatem
5. An superiores locales qui quotidie cursitant per loca suorū districtuum relictis suis conuentibus non sint in bono statu.
6. Quid nihil sit perniciosus religiosæ communitati, & n. 7.
8. Nazianzeni sententia adducitur.
9. Nō colit Deū qui officio Pastoris nō satisfacit.
10. Superiores circumquaque vagantes pastores sunt mercenarij.
11. Chrysostomi sensus assertur, nec non Bordonii, & n. 16. 17. 18. 19. & 20.
12. Superior continuo cursitans non potest afflicto consolari.
13. An si non resideat Prouincialis aut generalis in ea domo cuius accessus facilior & cōmodior est ad regimen prouinciæ, non videatur satisfacere perfecte præcepto diuino de residentia personali.
14. Trident. opinio adducitur.
15. Aliqua dubia veniunt resoluenda.
21. Quodnā officiū sit incōpatibile cū Prælatura.
22. An superior existens orator in Concilio eligi nequeat in Priorem.
23. An si impedimentum ante electionem ad residendum non erat dependens à voluntate superioris, sed à voluntate alterius, electio teneat, & n. 24.
25. In quo casu teneatur superior electus auferre impedimentum.
27. Quando nam teneatur superior manifestare suam electionem Papæ, aut Generali.

**P**RÆLATI isti † satisfaciunt præcepto diuino de residentia personali, & fugiunt pœnas non residentibus impositas, si personaliter assistāt in quolibet loco vbi possunt exercere suam iurisdictionem sibi que subiecto. Ita omnes, qui de hac materia scripsere. Vnde Generalis in qualibet domo totius Religionis, Prouincialis suæ Prouinciæ; superior localis in sua domo; ratio est, quia residentia personalis Pastorum exigitur à iure diuino, ut possit pastum necessarium ouibus præbere ne pereant luporum rabie, cūque Generalis in tota Religione, nec Prouincialis in tota Prouincia personaliter possint

assistere & ius diuinum non determinet talem locum possunt, quem voluerint, & quando voluerint eligere, sicut Episcopus potest ex vi iuris diuini eligere, quemlibet suæ diœcesis locum, vt ibi resideat.

- 2 Dixi † satisfacere præcepto diuino de residentia, nam si in aliqua Religione sit constitutio approbata à Pontifice, quod Generalis resideat Romæ, sicut Soc. Iesu & nostra habet, vel vt resideat alibi, vt habent multi ordines Monachales, non possunt alibi per multum tempus vltra tres menses sedē residentia figere, nisi vel Capitulū generale aliter disponat, vel Nuntius Apostolicus, aut Sum. Pont. dispenset; existimo enim hanc constitutionem frangere esse graue peccatum
- 3 propter incommodū, quod resultat regimini Religionis, quod respexit constitutio, dū domum residentia Generali assignauit, vnde neque ad visitandum potest exire, nisi visitatio finiatur spatio trimestri, in quo potest abesse, nisi ex causa approbata à Pōtifice, sicut in nostra Religione approbavit Gregor. XV. speciali breui ann. 1621. vt P. Generalis ab Vrbe discederet, per sex & amplius mē-
- 4 ses, neque enim † consultatio Generalis ad hoc habet potestatem. Prouincialis etiā nequit exire à domo suæ residentia nisi tēpore visitationis, quod si domum hanc assignatam non habeat in qualibet suæ prouinciæ, potest residere ex vi suæ regulæ.

- De superiore locali audi Doctissimū Laurent. de Peyrinis tom. 2. de Præf. q. 1. c. 7. n. 29.
- 5 sic fantē, ex quibus collige quod † superiores locales, qui quotidie cursitant per ciuitates, & loca suorum districtuum relicti suis conuentibus, non sunt in bono statu, etiam abstrahendo à constitutionibus regularibus tenentur enim suis curis personaliter assistere, & illa cōtinua superioris absentia fratres relaxat, & conuentum perdit, vnde à quodā seniore nostri ordinis, qui cū esset superior nunquā egrediebatur de conuētū, audiui, quod interrogatus quare nunquam exiret, respondit per exitum superioris è domo conuentus multū perdit, & demon multū lucratur.

- Quæ doctrina vere est regularis disciplina in domibus neruus, & contrariam Diabolus lupus rapax introduxit, vt mactet, & dissipet oues; nihil enim † ita perniciosū est cōmunitati Religiosæ, quā quod superiores quotidie domo exeant, & per ciuitatē vagentur; suo enim malo exemplo subditos sollicitant ad similes exitus, etsi ad illos licentia denegetur, quot murmuraciones, quot discordia, quot tumultus, & machinamēta nō excitantur, & sic tota domus ardet, & subditi dum vidēt superiorē quotidie exeuntē, nec timent cellarū ingressus, ludos prohibitos, iocos indecentes, cōfabulationes, diuersiones ab studiis, & mille alia inconueniētia quæ magistra experientia lamētabiliter vi-

dētur relaxata & penè ad nihilū redacta disciplina regulari; & quæ ad religionē attinēt frigidè fiunt, & vltra septa transiliūt omnes suū imitantes Pastore, qui claustra vix noctu inhabitat, vt enim ait Nazianz. orat. 1. neque *indelebilem tincturam pannus, vel fatidum aut suauē odorem res admotæ, ita facile trahunt, vel exitialis quidā vapor tam facile in aërem diffunditur, ac per aërem animantia occupat (quod quidē pestis & est & appellatur) quam subditi Antistitis improbitate celerrime impleri solent, & quidem multo faciltus, quam virtute.*

Nec prætextus necessitatis, & visitadi benefactores hos superiores excusant: credant mihi quod si ipsi suæ obligationi satisfaciant Deus prouidebit de necessariis, qui dixit: *querite primum regnum Dei & iustitiā eius, & hæc omnia adiicientur vobis*, verè enim dixit S. Th. *sic nos tu visita sicut te colimus*; nō enim † colit Deū, qui officio Pastoris nō satisfacit, nec implet ministeriū suū, quod est pascere oues, non cursitare, aut visitare benefactores & benefactrices, quorum consortiū & communicatio quanto rarior, nisi in necessitatibus, tanto æstimabilior, & dubio procul à longè securius venerantur superiores, habent enim sæculares oculos linceos ad videndum Religiosorum superiorum defectus, & imperfectiones, & quanto magis comunicatur plus acuunt aciem, & parui penduntur.

Et quidem ad prauè iudicandum parua satis est occasio, quam libenter accipiūt sæculares, vt † superiores extra domū vagātes & circūquaque cursitantes, quotidie iudicēt esse pastores mercenarios, qui sua oblectamenta quærūt, non ouiu, super quas summa vigilantia intendere debent. Audi Chrysothom. 29. ad Rom. *Perpendamus (ait) & ouiu Pastores illos qui in Capadocum regione sunt quælia & quanta pro pecorum suorum custodia, patiantur illi sepe numero vniuersū irriduum niue obruti perdurant. † Dicuntur etiam & qui in Lybia sunt non minoram ala ferre, dum integros menses difficilē illam solitudinem pessimarū bestiarū plenam vagando circumeunt. Si tantum erga pecora diligentia impendunt pastores illi, quam quæso excusationē habebimus quibus rationales animæ concreditæ sunt, quod profundū hoc somnum dormimus? Respirare quidem omnino oportebat; quiescere autem omnino, & non circunquaque percurrere.*

Si enim † superior continuo domo exit, quaratione afflictos consolabitur, qualiter tentatos pacabit, qualiter inobseruantes arguet, qualiter exequetur, ea quæ S. Gregor. Nazianz. orat. 7. circa finem, qualiter dicit, *quæ pascua petentes, qui fotes ad eundi, ac rursus quæ pascua vitada, qui latices, qui baculo regēdi, qui fistula? quo tempore ad pascua ducendus grex, & quo rursus à pascuis reuocandus, quomodo bellū lupis inserēdū, quomodo nō lacesēdi pastores hoc præfer*



presertim tēpore in quo pastores stultē se gerunt (vt eadem, quæ sanctissimi Prophetæ verbis deploram) quomodo quod infirmum est roborabo, quod lapsum est erigam, quod aberrat in viam reducā, quo inquam modo hæc addiscam, vt recte Pastoralis artis vestraque ratio postulat, custodiam, ac non quod scelerati pastoris est lac comedam, lana induar, & pinguisima quæque iugulem, aut vendam, reliqua autem bestiis & præcipitiis relinquam, me ipsum pascens non gregem, &c. Nota verba religiose Pastor, qui artem pastoritiam exerceat in oues religiosas, quomodo satisfaciat artis documentis, & præceptis, quæ hîc graphicè sunt descripta, si quotidie vagaris extra claustra.

Rursus dixi satisfacere præcepto diuino de residentia, nam si † non resideat Prouincialis, aut Generalis in ea domo cuius accessus facilior, & commodior est ad regimen Prouinciæ, aut totius Religionis, non videtur satisfacere iuri naturæ, nec perfectè præcepto diuino de residentia personali; vtrumque probo, quia si hi superiores (nisi quum visitant Religionem, aut Prouinciam) non resideant in ea domo, quæ attentis omnibus circumstantiis, commodior est expeditioni negotiorum totius Religionis, aut Prouinciæ, & commoditati subditorum. vt recursum habeant, non attendent subditorum cōmoditatibus, & ipsorum recto regimini, ad quod tenetur iure naturæ, & præceptum de personali residentia ad hoc ordinatur, vt videre est in Trid. quod † Christiani sumus propter nos est, quod autē Præpositi sumus propter vos est, aiebat Aug. lib. de Past. c. 1. & repetit Greg. lib. 3. in 1. Reg. c. 20. idque lumine naturæ esse certum ostendit latè D. Thom. lib. 1. de Regim. Princip. cap. 1. & lib. 3. cap. 3. ex Ae lib. 8. ethic. cap. 10. Rex subditorum vtilitatem spectat, Tyrānus autem suā. Pastor ergo regularis iure naturæ tenetur eam domum suæ residentia eligere, quæ attentis circumstantiis omnibus commodior sit ad respiciendam ouium vtilitatem, easque facilius pascere verbo, exemplo, monitis & consiliis, ad quod tenetur iure diuino, vt vidimus.

Ex qua doctrina † aliqua dubia resoluntur valdè practicabilia. Primum est, an si superior electus alicuius conuentus, aut Prouincialis alicuius Prouinciæ, qui cū absentes, essent, extra conuentum, & prouinciam, & ex superueniente impedimento in toto triennio, nō potuit accedere ad residentia personaliter, an talis electio sit ipso iure nulla? Pellizar. tom. 1. tract. 9. c. 1. n. 20. sentit nullā esse, ex quo colligit quod si in eo ordine est constitutio, quod intercedere debeat annus inter vnam & alteram eiusdem personæ promotionē, iste talis sine hac intercapedine potest eligi, id quod etiā tenet † Bordon. res. 26.

n. 68. qui supponentes electionē esse nullā, illationē probant ex reg. iuru 52. de reg. iuru, non prestat impedimentum quod de iure nō sortitur effectū, & sic cū electio ista non sit sortita effectum administrationis non prestat impedimentum, vt iterum immediatē eligatur, qui nunquam refedit.


Sed ego aliter discuro in hoc pūcto, quia vel impedimentū hoc erat ante electionē, & notū electoribus, & fuit amobile, ex voluntate electi, aut non pendeat ex eius voluntate, vel impedimentū hoc superuenit electioni iam factæ, & hoc tolli pēdebat ex voluntate electi, aut ex illa erat independens. Si dicatur primū, & impedimentum erat dependens à voluntate electi, & talis electio valida fuit absque dubio, quia electus tenebatur impedimentum tollere, quod si non tollat ipse & citatus per edictum etiam non personaliter contumax fuerit, liberum erit Ordinario per censuras Ecclesiasticas aliqua iuris remedia etiam vsque ad priuationem compellere, vt ait Trident. cap. 1. sess. 23. versic. quod si per edictum, vnde manifestum est, quod in hoc casu electio non fuit irrita, sed electus est priuandus officio.

Addit Concilium, quod si iste talis excusetur non esse admittendam excusationem etiā manitā quolibet priuilegio, licentia, facultate, exēptione etiā ratione cuiuscunque beneficij, pactione, statuto etiam confirmato, aut quacūque autoritate cōfirmato, cōsuetudine etiam immemoriali, quæ potius corruptela cēsenda est siue appellatione, aut inhibitione etiam in Rom. Curia, vel vigore Eugenianæ cōstitutionis suspēdi posse. Vnde fit quod Magister Regularis, qui Salmantiæ Cathedrā in proprietate regit si eligatur superior Ordinarius extra ciuitatē, aut Cathedrā debet dimittere, aut substitutum in illa ponere, aut renunciare prælaturā, quæ incōpatibilis est, cū lectura quotidiana cathedræ, nisi prælatura sit in cōuentu eiusdē ciuitatis.

Idem dicendū est si sit confessor alicuius Principis, etiā Regis, cui continuo assistit in consiliis, & regimine, hoc etiā † officium est incompatibile cū prælatura extra ciuitatē in qua Princeps degit, idē iudiciū esto de officio Oratoris, apud alios Principes, quod dimittere nequit, imo etiā si sit Orator Regius in Concilio generali, quāuis si superior existēs Orator eligatur, possit retinere prælaturā, quia est absens propter vniuersalē vtilitatē totius Ecclesiæ (maximè si nō sit alius qui ita congruè officium Oratoris exerceat) tamē † existēs Orator in Concilio eligi nequit in Priorē, aut Præpositū localem, nisi relinquat officium Oratoris, quia nequit acceptare prioratum si nequit residere personaliter, maximè cum non habeat votum decisiuum in Concilio sicut habent Episcopi.

- 23 Si autem ꝑ impedimentum ante electionē ad residendū nō erat depēdens à sua volū- tate, sed à voluntate alterius superioris, ele- ctio etiam tenet, et si superior sit talis, quod possit dispensare in residentia illi esta pericē- da dlectio an velit dispensare quod si nolit non potest electus acceptare electionem, quia habet incompatibilitatem indispen- sam; si dispenset acceptabit valide, & reti- nebit prælaturam, quamvis non resideat, quam administrabit per substitutum, vnde iterum eligi nequit immediate sed tempus requisitum à constitutione elabi debet.
- 24 Ast si impedimentum superuenit electio- ni iam factæ si ipsum tolli dependet à volun- tate electi, aut acceptauit electionem, aut
- 25 non ꝑ & in vtroque casu tenetur impedi- mentum auferre vel si non aufert tenetur non acceptare vel si acceptauit renuntiare, quia ius diuinum obligat ad residēdum per- sonaliter, aut tolli impedimentum non pē- det ab eius voluntate vt continua infirmi- tas, aut Papæ imperium, vt vadat ad lega- tionem, vel aliud quid faciat impossibile cum residentia si sit infirmas prolongata, ipsum excusat, nam adest causa iusta quæ
- 26 est vrgens necessitas: existimo tamen quod si sit nimis prolixa & speretur quod toto triennio ab ea non liberabitur Sanctissime renuntiabit præposituræ imo videtur ad hoc teneri cum præceptum de residentia vrgen- tissimum sit nisi à Superiore dispensetur.

- Aut impedimentum dimanat à volunta- te Papæ, aut Generalis & tunc ꝑ debet illis
- 27 manifestare suam electionem, et si impedi- mentum sit, quia occupatur in negotio aut Ecclesiæ aut totius Religionis, & sic aut de- bent dispensare ex hac causa iusta, aut ele- ctus tenetur renuntiare: hæc autem dispen- satio expressa debet esse in scriptis, vt deter- minauit Vrbanus V I I I. in *Bulla edita anno 1634.* cuius supra feci mentionem.



#### RESOLVTIO IV.

*Utrum si Princeps secularis Superio- rem electum à Regno eiecerit, ita vt non possit residere in suo con- uentu aut Prouincia, possit iterum eligi non transacta temporis inter capedine?*

#### S V M M A R I V M.

1. *An Rex iuste lege politica ductus possit ex- pellere à regno Episcopos, ob instam poli- ticæ causam.*

2. *Multorum Doctorum sensus adducitur.*  
 3. *Difficultas venit enodanda, & n. 4.*  
 5. *An Prior qui modico tempore sui primi an- ni non potuit residere, qui coactus à prin- cipe recessit, sit manu tenendus in suo prioratu constituto vicario, qui conuentum regat.*  
 6. *Episcopo egrotanti datur coadiutor.*  
 7. *Authoris mens affertur.*  
 8. *Exilium est quedam civilis mors & num. 9. & 10.*  
 11. *Quandonam Prælatura regularis ipso iure vacet.*

**D**E hoc casu consultus fui in hac ciui- tate Hispalensi anno 1646. & mea re- sponsio quam subiungo multis placuit. Non disputo ꝑ an Rex iuste lege politica ductus ꝑ possit expellere à Regno Episcopos, Cardina- les & alias personas Ecclesiasticas ob ius- tam politicæ causam, quia videlicet Regi non obediunt, & ob crimina quorum puni- tio ob scandalum quod intulerunt differri nequit. Multi enim ꝑ Doctores Regnicolæ nostri existimant id licere Principibus abso- lutis, titulo & iure defensionis naturalis, ne corpus politicum cuius sunt partes personæ Ecclesiasticæ, etiam Regulares corrupa- tur, & pereat, non secus ac quis vt seipsum defendat potest occidere clericum inuaso- rem, absque eo quod incurrat excommu- nicationē canonis si quis suadēte ita si Remp. inuadat, ipsum scandalizando & Regi publi- ce non obediendo, potest à Regno expelli absque incurfione excommunicationis latæ in *Bulla Cæna*, & sicut in gubernatione Oe- conomica domus, et si Papa mihi assignet clericum, vt pedagogum filiorum meorum si ipsos scandalizat, & mihi non obedit in eorum directione, inconsulto Papa possum ip- sum à domo mea repellere. Ita docent in- numeri scriptores aliarum nationum, sed Hispani in qua mos iste viget tuentur Ze- uall. *tract. de vi tollenda. quest. 77.* Solorzanus *tom. 2. de iure indiarum lib. 3. cap. 27. à num. 45.* Salgado *de Regia protectio. p. 1. cap. 2. à n. 2 27.* Barb. *ad leg. quicumque. 14. Codic. de Episcop. & cleric. Amaya leg. 60. à num. 40. & 41. C. de De- curio. lib. 10. Cened. quest. 45. num. 61.* Sesse *de inhibitio. cap. 8. §. 3. num. 202.* Piguera *in praxi cap. 42. colum. vlt. Pereyra de manu Regia p. 2. cap. 64.* Calistus Ramirez *de lege Regia §. 27. nu. 11.* Auendanno *de exequend. 2. p. cap. 6. n. 10.* Bellerga *in specul. Princip. rubr. 18.* Garzia *de nobilit. gloss. 9. num. 31.* Bobadilla *lib. 2. c. 13.* qui omnes DD. Hispani & Galli et si in ex- purgatorio Generalis inquisitionis Romanæ expurgentur tamen Rex supplicauit de De- creto & in Hispania leguntur, sequuntur, & defenduntur impunè. Sed ego hæc expul- sionem Ecclesiasticorum semper sum abo- minatus

minatus & late ministrari *tom. 11. meorum operum*, qui est Apologeticus contra ignominiam nouitatis & iam sudat præla.

- 3 Et quidquid sit † an hoc liceat ex immemoriali consuetudine vel alio iusto titulo aut indulto à Summis Pontificibus concessio saltem ex tacito consensu ipsorum, tamen defendi, (ni fallor) nequit ex iure defensionis, & moderamine inculpatae tutelæ, & si enim possum occidere aggressorem iniustum absque contrauentione legis naturalis de nõ occidendo, quum aliter non possum meam vitam tueri, & in columem conseruare, si enim possum me defendere per alium, & aggressoris petulantiam cohibere, sine illius occisione, nullus cordatus & Catholicus dicet quod possum illum impune & sine peccato occidere, si ergo Rex per iudicem Ecclesiasticum, & competentem potest defendere Regnum & purgare ab scandalo, & cohibere inobedientes Ecclesiasticos, & Regulares certe non video quomodo seruata immunitate Ecclesiastica, possit titulu defensionis eos à Regno excludere, & temporalitates auferre, sed quidquid sit de hoc.

- Circa præsens punctum Pellizarius *ubi supra*, secutus Bordonum *Resolut. 61. n. 14.*  
 5 dicit quod † Prior qui modico tempore sui primi anni non potuit residere quia coactus à Principe recessit est manutenendus in suo prioratu constituto vicario, qui conuentum regat, qui in omnibus dependeat à Priore, quia afflictis non est addenda afflictio, *cum percussio. 7. q. 1. cap. ex parte de cler. agrot. & sic*  
 6 † Episcopo ægrotanti datur coadiutor, & ab officio non deponitur, ergo & isti Priori, qui coactus non residet, non voluntarius, & sic cum per alium suum conuentum gubernarit, eligi immediatè non potest, nisi transacto tempore constituto.

- Quod si fuerit à Mauris in captiuitatem ductus, sine spe redeundi ad postliminium sui conuentus, intra tempus sui regiminis, existimo ego † quod tãquam mortuus ciuilitè, quantum ad suum regimen debet vacari Prioratus à Superiore, & alius eligi, qui oues vt Pastor ordinarius regat & idem dico si coactus à Principe extra Regnum religetur, sine spe iterum intra tempus redeundi, existim enim † est quædam ciuilis mors, cum sit violenta separatio à Patria. Vnde Plutarchus *in Apophteg.*, ex Themistocle, dixit, *perire videtur, qui cogitur exulare.* Hinc Alexander ab Alexand. *lib. 3. cap. 5.* apud aliquas gentes etiam propter maxima & enormia delicta nullum morte afficiebant iudices, sed exilio, quod vt dixit Euripides in Medea.

*Laborum non aliud supra*

*Quam terra patriaque priuari.*

- 9 Vnde mors est quædam ciuilis exilium, & sic si non sit probabilis spes, quod cito redi-

turus sit exclusus à Regno (sicut ordinariè sic exclusi Regia benignitate ad suum redeunt postliminium, vt in Hispania experientia constat) vacari debet Prioratus.

Neque hoc est addere afflictionẽ afflictio, 10 sed primo est prospicere pro bono ouium, & cõuentuum, qui malè reguntur & gubernantur nisi resideat Pastor ordinarius, tum etiã est ipsum releuare ab onere Pastoris, quod si cum quis residet est formidabile, multo magis si est absens, nec est simile de Episcopo infirmo qui etsi talis residere personaliter potest quamuis exercitia per alium exequatur.

Quod si Superior ad aliam transeat Religionem, etsi alia beneficia non vacent etsi sint cum cura animarum, vt alibi dixi, sed debet expectari professio, tamen † Prælatu 11 regularis ipso iure vacat, imò, & quodlibet aliud officium in N Religione, quia eo ipso est priuatus voce actiua, & passiuã, etsi iterũ redeat, est inhabilis ad officia, ex vi constitutionum, in aliis autem Religionibus, si non adest similis constitutio Prouincialis, aut Generalis potest officium Pastoris vacare, & alteri dare, quia non est æquum quod qui Religionem dereliquit beneficia Religionis obtineat.



## RESOLVTIO V.

*Vtrum Religiosus Capellanus teneatur residere personaliter in Ecclesia ubi est Capellania?*

### S V M M A R I V M.

- 1: *An Capellanus religiosus personaliter residere teneatur, in Ecclesia ubi est Capellania.*
- 2: *An si Capellanus non resideat possit Capellania priuari.*
- 3: *An si semel Capellania regularis accepit cum residentia eam teneatur adimplere.*
- 4: *An cum Capellania nequeat Regularis habere aliud beneficium.*
- 5: *Fundator Capellania ad quam vocat regularem possit apponere conditionem, vt resideat in loco ubi sita est Capellania.*
- 6: *Quid veniat obiciendum.*
- 7: *Multorum DD. sensus, & n. 8.*
- 9: *An conditio residentia apposita fundationi Capellania non opponatur libertati absolutè, & num. 10.*
- 11: *An si Capellania requirat residentiam in loco ubi non est conuentus, nequeat Generalis licentiam concedere alicui.*
- 12: *Quæ residentia personalis Capellani ex iure humano*

*humano descendat.*

- 1** **Q**UOD VIMVR de Capellania ad quam  
† vocatus est aliquis, etiam si sit Regularis professus, & ad quam fundator appositum conditionem residentiam in Ecclesia ubi posita est talis Capella, quam conditionem iuridicam & licitam esse egregie probat Perez de Lara *lib. 2. de Capell. & annuvers. cap. 8. à num. 1.* taliter quod † si Capellanus non resideat, potest ea priuari, qui enim recusat onus, quod testator reliquit à commo debet repelli *leg. Nessenius Apollinaris. D. de accusat. tuto.* quod etiam tenet verum in Capellania requirens residentiam, sit etiã parui redditus, semel enim admissa tenetur residere, *cap. qui autem de prabend. cap. fin. de cleric. non resid.* ubi omnes Canonice & esse omnium testatur Lara *ubi supra num. 9.* Ecclesia enim diligenda est propter Ecclesiam non propter lucra *cap. sunt in Ecclesia 8. quest. 1.* temporalia enim commoda sectantes lucris inhiantes quisquis talis est, mercenarius est.
- 3** Si enim semel accepit † Regularis Capellania cum residentia eam tenetur adimplere cum propter ipsam detur beneficium cuius est officium residere *cap. singula 89. dist. leg. generaliter. 40. C. de Episcopus & cleric. ibi eos autem clericos, & Monachos huiusmodi habere beneficium sancimusque apud sacrosanctas Ecclesias vel monasteria permanent, non diuagantes, nec circa diuina mysteria desides cum non propter hoc ipsum beneficiũ eis indulgemus, &c.* Vnde fit quod † cum hac Capellania, nequit habere aliud beneficium residentiam exigens impossibilem cum alia cum non possit vtrique simul personaliter inservire, & qui non seruit beneficio, illud amittit, nam cessante labore propter quem aliquid conceditur, cessat concessio. *leg. Geometra. leg. idem Vlpianus D. de excusat. tuto & latè ostendit Barbosa leg. 1. à p. 7. num. 61. D. solut. matrim.*
- 5** Vnde nequit in dubium verti, quod † fundator Capellania ad quam vocat Regularẽ potest apponere conditionem, vt resideat in loco ubi sita est Capellania, quare si ex licentia superiorum in illam est ingressus, tenetur ibi residere, aut illam relinquere, neque Superior, poterit licentiam reuocare ad libitum, nisi ob graue motiuum ad mores Capellani pertinens, vel ob ea motiua ob quæ potest in residentia dispensare, de quibus *infra Resolut. 8.*
- 6** Sed contra hoc † est difficilis obiectio scripta ex *leg. Titio centum D. de condit. & demõstr. §. Titio centum el. 2.* ubi sic habetur. *Titio centum relicta sunt, ita vt à monumento meo non recedat, vel vt in illa ciuitate domicilium habeat, potest dici non esse locum cautioni per quam*

*ius libertatis infringitur.* vbi Gothifredus dicit *iniquas institutiones, quibus parentes certi loci incolatum, aut Domicilium liberis iniungunt & Iurisconsultus leg. 2. D. de lib. hom. exhib. Nihil enim multum differunt à specie seruitutium, quibus non datur facultas recedendi, & Bartholus ibi Salustius leg. antiquitas. C. de usufruct.* Ioannes Garzia *de nobilitat. gloss. 6. num. 31. Quesada diuers. quæstion. cap. 7. num. 1.* dicunt † quod omne quod aliquomodo offedit libertatem, tanquam turpis conditio reiciatur, quod confirmat Felinus *consil. 22. num. 2.* & maxime vrget in præsentibus; quia vnus Superior nequit coarctare potestatem Superioris sequentis, vt libere possit religiosum immutare, imo quidquid Fundator disponat quod opponatur voto obedientie turpe est sicut si opponatur paupertati.

Respondet hanc doctrinam veram esse absolute loquendo, quatenus dicit quod conditio, quæ absolute opponitur libertati est turpis & abiicienda, *c. fin. de condit. appof.* tamen † conditio residentie appositæ fundationi Capellania non opponitur libertati absolute, cum possit quis non acceptare Capellania, tamen supposito, quod liberè eam acceptauit tenetur residere, sicut potest quis non acceptare, tamen ex suppositione, quod acceptauit tenetur residere, nec præceptum diuinum de residentia opponitur absolute libertati, neque Superior concedens subdito licentiam, vt acceptet Capellania cum onere residendi in certo loco coarctat potestatem successoris, qui semper ex rationabili causa maximè si scandalo sit potest mutare Religiosum, etsi amittat Capellania, quam amittet si non resideat, neque eius redditus potest percipere nisi Pontifex dispenset in conditione residentie, quod potest facere sicut & commutare ex causa vltimas voluntates, quod † si Capellania requirat residentiam in loco ubi non est conuentus, in quo habitet Religiosus, sed debeat esse extra ordinem habitu non pretento nequit etiam Generalis licentiam concedere, vt eam acceptet, sed solum Pontifex, aut legatus à latere, qua autem ratione sit intelligenda lex Titio centum, latè tradunt *Mieres de Maioratu. 1. p. quæst. 57. n. 3.* Garzia *de nobilit. ubi supra n. 21.* Ant. Gom. *tom. 2. c. 10. n. 24.* conditio enim residentie respicit commodum defuncti. cuius interest, quod Capellanus resideat, vt missæ celebrentur & cultus qui Deo debetur absque intermissione exhibeatur maiori assistentia & reuerentia, quam exhiberetur à mercenario.

Cæterum cum, vt dixi hæc † residentia personalis Capellani ex iure humano descendat, utpote ex voluntate testatoris sic disponentis; potest derogari ex consuetudine præscripta in contrarium, & tunc potest per

per substituterum deferui; etenim de iure communi omne beneficium etiam simplex requirit personalem residentiam, si datur institutum, quia eo ipso assignatur Beneficiarius seruitio Ecclesiæ titularis, & sic residere debet, *cap. ad hæc de præbend. cap. quia non vlli de Cleric. non resident. & Giga de pensio. quest. 31.* dicit teneri omnes, & consuetudo introduxit, quod beneficium simplex non obliget ad residendum.



## RESOLVT. VI.

*Vtrum Regularis Parrochus possit eligi in Superiorem, siue Prouincialem, siue localem?*

## S V M M A R I V M.

1. *An Parrochus regularis in superiorem siue Prouincialem, siue localem possit eligi.*
2. *Simul posse retineri duo beneficia personalem residentiam requirentia expressè prohibet Conc. Trid.*
3. *An qui Parrochiam habet Ecclesiam non per Vicarium, sed per se ipsum debeat deferuire.*
4. *An si Prioratus esset perpetuus incompatibilis esset cum beneficio curato.*
5. *Card. Bellarmini mens adducitur.*
6. *An tota cura Sacramentalis & quoad forum interius penes quem sit.*
7. *Qui Prioratus non dicantur perpetui.*
8. *An Beneficia regularia non conferantur in titulum beneficij perpetui.*
9. *An temporales administrationes non sint beneficia.*
10. *Cuius prioratus temporanei non sit faciendâ mentio ad consecutionem alterius beneficij etiam inrati.*
11. *An Prior sit dignitas curata habens iurisdictionem fori exterioris.*
12. *An officia quæ alterius vice geruntur & exercentur non inducant incompatibilitatem.*
13. *Rota sententia assertur.*
14. *Quid veniat colligendum, n. 15. & 16.*
17. *An in Vicaria perpetua non possit poni Vicarius perpetuus sine Apostolica dispensatione.*
18. *Authoris iudicium.*

**V**EL Parrochia est, † sita in eodem conuentu cuius eligitur Superior, vel est alibi, vel intra vel extra ciuitatem, & quidē dubium graue est maximè, quia inter Ordines Militares Religiosi Sacerdotes qui *Freites*, dicuntur etiam si sint Parrochi Ordina-

rij extra Conuentum degentes curam habentes animarum eliguntur Priores Conuentuum retinentes beneficium curatum, quod qua ratione fiat videndum est. Cum Concilium Trident. *sess. 24. c. 17. de reform.* expressè prohibet † simul posse retineri duo beneficia personalem residentiam requirentia, quod decretum comprehendit non modo Ecclesias Cathedrales, sed etiam omnia alia beneficia tam secularia quam regularia quæcumque, etiam commendata, cuiuscumque tituli ac qualitaris existant. Cum autem Parrochus debeat residere personaliter, sicut & Superior localis, ista duo incompatibilia sunt, & sic simul retineri non possunt, sed vnū debet dimitti, etsi eligitur Superior tenetur renuntiare Parrochiæ, etsi Superior eligitur Parrochus tenetur Prioratui renuntiare quare, ita tenet Peyrinis, *t. 2. de Prælato q. 1. c. 7. n. 30.* Probatur primò, *ex c. extirpanda. §. qui vero de præbend. ibi, qui † Parrochiam habet Ecclesiam non per Vicarium, sed per seipsum illi deferuiat.* qui textus ad minus intelligitur ad longum tempus, quale est vltra bimestre assignatum Trid. *sess. 23. ca. 1. de reform.* quod si vltra prolongetur absentia ab Episcopo debet assignari Vicarius. Secundò idem Concilium *sess. 7. cap. 3. de reformat.* dicit, quod inferiora beneficia curam animarū habentia conferantur personis, quæ in loco residere ac per se ipsos curam exercere valeant, alias collatio omnino irritetur, ergo qui Prior est nequit Parrochus prouideri, aut qui Parrochum in Priorem eligi cum vtròque nequeat curam per se ipsos exercere.

Et quidem † si Prioratus esset perpetuus 4 omnino incompatibilis est cum beneficio curato, aut Parrochiali, siue sit Regularis, siue secularis, ob rationem dictam, quia vtrūque requirit personalem residentiam de iure diuino & Parrochiale nequit perpetuo per substitutum inferui *cap. extirpanda citato & Trident. locis adductis*, etsi enim Prioratus regularis non sit proprie beneficium curatum in rigore iuris, vt bene † Cardinalis 5 Bellarmin. *ad cap. 17. sess. 24. littera 3. in obseruatio. doctri.* Sed tantum curet familiam Monasterij sui non habens populum cui administret sacramenta. Cæterum cum vere & proprie sint Pastores animarum regularium ad illarum regimen iure diuino tenentur in suis monasteriis residere, cum respectu illarum non solum iurisdictionalem, sed sacramentalem curam habeant, etsi enim solum haberent ( vt sunt Priores & Abbates commendatarij ) iurisdictionalem, non haberent obligationem residendi, quia † tota cura 6 sacramentalis, & quoad forum interius sit penes Priorem, aut Vicarium constitutum, vel à Generali vel Capitulo Generali, vnde Commendatarij solum habentes curam iurisdic

iurisdictionalem ex nullo loco Concilij tenentur residere personaliter, vt decidit Rota apud Farinacium *in nouissi. decis. 112. n. 10.* & Garzia 3. p. de Benefic. cap. 2. à num. 82. Barbosa de potest. Episcopi allegat. 53. num. 112. dicunt decium esse à Sacra Congregatione Trid.

- 7 Cæterum cum † Prioratus præfati conuentuum ordinum militarium perpetui non sint, sed temporales non sunt incompatibiles cum beneficio curato Parrochiali, aut alio beneficio requirente residentiam ita decium est *cap. de multa de præbendis*, vbi notant Innocentius num. 6. Ancharr. n. 15. Imolanum. 136. Abbas num. 22. & 23. Gambar. de officio legati lib. 5. tit. an possit legatus vni plura benef. conferre num. 23. Doctissimus Hojeda de incompatib. l. 2. c. 10. n. 13. & 14. & 1. p. c. 13. num. 52.
- 8 Secundò, quia quum † beneficia regularia, vt est Prioratus de quo loquimur non conferuntur in titulum beneficij perpetui, sed ad certum tempus non causant incompatibilitatem, vt tenent Imolæ clement. si principalis num. 22. & ibi Barbat. de rescript. ex quo non sunt proprie beneficia, sed potius temporales administrationes, vt dicit ibi Vitali. num. 4. allegans Hostiens. in cap. de multa citato, vbi quærit qualis debeat esse dignitas & beneficium in casu dicti cap. respondit debere esse perpetuum. Propterea quod † temporales administrationes nõ sunt beneficia, neque inducunt incompatibilitatem, vnde non cadunt sub regula reseruatoria. Calderinus consil. 26. de præbend. Falconius tract. reseruat. p. 3. num. 15. Achilles decis. 2. de reseruat. Etenim de ratione beneficij Ecclesiastici est, quod eius titulus saltem appetudine, sit perpetuus: Oldradus consil. 81. Ancharranus in clement. per litteras notabili 3. de præbend.
- 10 Tertio, quia † Prioratus iste temporaneus ex sua institutione, & fundatione cum conferatur ad determinatum tempus, non est facienda de eo mentio ad consecutionem alterius beneficij, etiam curati, Felinus cap. in nostra colum. 6. num. 18. de rescriptis. Vnde manifestum est, quod non causat incompatibilitatem cum alio beneficio requirente personalem residentiam, alias ad vitandam subreptionem deberet fieri illius mentio.
- 11 Quartò, quia † licet Prior sit dignitas curata habens iurisdictionem fori exterioris suspendendi, excommunicandi, absoluen- di &c. tamen hæc cura non est perpetua, sed ad tempus determinatum, & non quidem iure proprio, sed vice Magistri magni. Vnde
- 12 Puteus decis. 117. lib. 2. affirmat quod † officia quæ alterius vice geruntur, & exercentur, non inducunt incompatibilitatem; neque habent fructus aliquos, neque mensam

distinctam à conuentu, sed solum alimenta, prout Prior claustralis, cap. 2. & cap. ad monasterium de Regularibus & tenetur de illis reddere rationem.

Hæc sunt efficacissima fundamenta quibus Domini Auditores Rotæ † vnanimi consensu determinarunt *in vna Siguntina The- saurearia die 29. Aprilis 1636. coram Orano*, Prioratum Militiæ S. Iacobi Monasterij Regularis S. Marci Legionensis ad triennium in gubernium seu administrationem concedi solitum non esse incompatibilem cum Thesaureariæ Ecclesiæ Seguntinæ, quæ non vacauit per assecutionem dicti Prioratus etiam si Thesaurearia residentiam exigeret.

Ex quibus etiam constat, quod etiam si † beneficium curatum regulare horum ordinum residentiam exigat, non est incompatible cum Prioratu Triennali eorundem Ordinum, vnde consuetudine introduci potest, quod qui habet beneficium curatum, eligatur Prior & toto triennio ipsum deseruiat per substitutum cõstitutum à Magistro Magno Ordinis, vel à consilio supremo Ordinum. Hæc autem consuetudo rationabilis valdè est, & ob vtilitatem communem Religionis introducta, cum enim beneficia ista regularia communiter habeant personæ digniores, & maiori experientia ornatæ, & antiquiores in habitu satis consonum est rationi, quod cum non sint exemptæ ab obedientia ordinis, & Magni Magistris, & maximè conducere possent ad regularem disciplinam tuendam, & conseruandam Priores temporales efficiantur, etiam si beneficium curatum per Vicarium inseruiant, ad tempus sui Prioratus. Hæc autem consuetudo cum cõseruata sit etiam post Trident. à Concilio supremo, in quo sunt viri Doctissimi & timorata conscientia vidente & approbante Magno Magistro, & Capitulis generalibus, manifeste securas reddit conscientias Dominorum Priorum etiam si curati sint.

Neque fundamenta opposita firma sunt, ad primum respondetur, quod loquitur textus † de Vicaria perpetua, & de Parrochialibus sæcularibus, in quibus sine dispensatione Apostolica non potest poni Vicarius perpetuus, non tamen de Parrochialibus Regularibus in quibus ex consuetudine potest poni Vicarius temporalis iuxta tempus consuetudinis & pari modo respõdetur ad secūdum.

Si tamen Parrochia sita sit in eodem conuentu, in quo, quis præficitur Prior, aut Præpositus existimo etiam non esse incompatibilia, quia etsi pluribus intentus minor sit ad singula, tamen tanta potest esse capacitas electi in Priorem ad tempus determinatum, quod vtrique bene satisfaciatur fateor conuenientius fore, ne Parrochus in Priorem eligatur, & ne Prior Parrochus designetur, sic

hic enim attentius, & diligentius suo muneri satisfaciet.



## RESOLVTIO VII.

*Quæ sint causa dispensandi cum Superiore Regulari in personali residentia?*

## S V M M A R I V M.

I. *Causa dispensandi cum superiore regulari in personali residentia afferuntur remissive.*

**S** V P R A tom. 1. lib. 2. & 3. per varias resolutiones enucleauit causas † quas ponit Trident. sess. 23. cap. 1. quæ sufficientes sunt, vt cum Episcopis, & Curatis & aliis sæcularibus Ecclesiæ Ministris; modo tamen cursim ea, quæ ibi latè discussi Superioribus Regularibus sunt applicanda. Causæ autem Conciliares sunt, *Christiana charitas, vrgens necessitas, debita obedientia, ac euidentis Ecclesiæ, vel Reip. utilitas*, decernens eadem Sacrosancta Synodus has legitimæ absentia causas à Beatissimo Romano Pontifice, aut à Metropolitano, vel eo absente, suffraganeo Episcopo antiquiori residente in scriptis esse approbandas, nisi cum absentia inciderit propter aliquod munus, & Reip. officium Episcopatus adiunctum, cuius, quoniam causæ sunt notoriæ, & interdum repentinae, ne eas quidem significari Metropolitano necesse erit.

## §. I.

*Quid in istis operetur Christiana charitas?*

## S V M M A R I V M.

1. *Qua in Prælatibus regularibus sit sufficiens causa, vt dispensetur in residentia personali, & n. 2.*
3. *Antiquitus ex tacito Pontificis consensu Reges mittebant Episcopos Legatos suos extra suam diocesim.*
4. *An sine expressa Pontificis licentia non possint Episcopi abesse à suis Ecclesiis.*
5. *An Bulla Urbana non extendatur ad Prælatos regulares.*
6. *An possit Rex alicui Prælati regulari alicuius regularis familia mittere ad Capitula alterius Religionis, vt ibi nomine regio assistat, & n. 7.*
8. *An si Regularis Prælatus fuerit Ecclesiasticus poterit presidere & habere vocem actiuam in capitulo ex delegatione nuntij Apostolici, & n. 9.*
10. *Authoris iudicium, & n. 38.*

11. *Qua assistentia licentiarum Regij vim habeat inuaminis brachij secularis.*
12. *Qua iurisdictio regia politica duntaxat & regularis sit.*
13. *An fuerint Principes qui vel per se immediate, vel per suos ministros assisterint Ecclesiasticorum electionibus.*
14. *Bzouij sententia adducitur, & n. 15.*
16. *Canonistarum asserunt.*
17. *An Rex indrecte se immisceat rebus Ecclesiæ, & n. 18.*
19. *Aliquas consuetudines contra libertatem & communitatem Ecclesiasticam admittunt Salas & alij multi.*
20. *An Principum personalis vel per suos ministros assistentia in Ecclesiasticorum electionibus non sit ablatiua alicuius iurisdictionis Ecclesiastica.*
21. *Quod nullus Princeps secularis Conciliis, aut electionibus Clericorum assisteret, prohibitum fuit in Synodo Romana.*
22. *An laicorum Principum assistentia in Clericorum electionibus per abusum sit intraducta.*
23. *Imperatores non iure, sed facto & forsan ex Pontificio priuilegio Pontificum & Episcoporum electiones approbant.*
24. *An non sit fas vt sine necessitate laici fiant spectatores rerum, quæ sacerdotibus Dei contingunt.*
25. *Reges Hispani cum assistunt Clericorum electionibus vel per ministros suos, hoc habent duplici titulo, & n. 26. 27. & 31. & 32.*
28. *Antonij Cuchi opinio adducitur, & numero 29. & 30.*
33. *Præsentia principis aut ministri suo nomine omnem repellit metum contra inquietos.*
34. *An Præsentia politica in electionibus regularium non sit contra sacros Canones.*
35. *Inter politicam regiam præsentiam in Capitulis, & retentionem Bullarum Apostolicarum discrimen.*
36. *Quandonam potestas politica regia suos limites transfiliat, & n. 37.*
39. *An possit introduci consuetudo contra libertatem Ecclesiasticam, etiamsi quotannis legatur Bulla Cæna, & num. 40. 41. 42. 43. & 44.*
45. *Multorum DD. opiniones asseruntur, & n. 46. & 48.*
47. *An consuetudo orta ex tolerantia & scientia Pontificis licita sit.*
49. *Reges Hispani suis Proregibus Indiarum ordinant, vt Capitulis & electionibus Regularium assistant, & n. 50.*

**I**gitur in Prælatibus Regularibus Christiana charitas † tunc est sufficiens causa, ad hoc quod dispensetur in personali residentia

tia; quum est grauis proximorum utilitas, vel in docendo utilitatem, prædicando contra hæresim, vel in vitando damnum, quod imminet exhortando Principes Catholicos ad pacem, & concordiam, vel dissuadendo ne bellum inferât, ad fedandum schisma, ad componendos tumultus, ad pacandas inimicitias inter ciues alicuius Regni, ad tractanda matrimonia inter Magnates Principes, & quamuis securum sit aliquod damnum in propria Ecclesia, ex Prælati absentia, si tamen magis ponderat utilitas, quæ ex absentia resultat, non est contra ordinem charitatis, quod dispensetur in residentia.

3 Ex quo constat quod quamuis † antiquitus satis erat ordinarium, & præuium ex tacito Pontificis consensu *cap. comparati de appellatio* quod Reges, & Principes absoluti mitterent Episcopos legatos suos, extra suam Diocesim ad diuersas mundi regiones, vt pacem componerent, & negotia grauissima cum aliis Principibus tractarent, vt multis exemplis ex variis Historiis comprobatur Salzedo *de legat. politi. lib. 2. cap. 12. à num. 69.* tamen hodie post Bullam Urbani VIII. quam supra dedi sine expressa licentia Summi Pontificis expedita speciali Breui † non possint Episcopi, etiam Cardinales abesse à suis Ecclesiis, & sic non possint Principes Episcopos mittere in legationem ad alium, qui non sit Summus Pontifex, si legatio duratura est ultra trimestre, quod Concilium pro absentia concedit Episcopis. Cæterum cum † Bulla Urbana solum loquatur de Episcopis, etiam si sint Cardinales non est extendenda ad Prælatos Regulares, cum quibus ad Regis petitionem potest eorum superior dispensare in residentia personali ( ultra tempus à Concilio determinatum, quod iterum confirmat Urbanus ) vt negotia à Principe commissa tractet extra suam diocesim, aut domum residentia.

### Dubium Graue.

6 **S**ed est in hoc puncto difficultas † an possit Rex aliquem Prælatum Regularem alicuius Regularis familiae mittere ad Capitulum alicuius alterius Religionis, vt ibi nomine Regio assistat, ad scandala, & rixas, & contentiones, quæ inter Regulares in electionibus Provincialis & generalis oriri solent, vitet, & ad concordiam, & vnitatem reducat & sic electio pacifica, & sine scandalis, quæ timentur, iuxta suas constitutiones, Regulas & constitutiones Apostolicas fiat; vel ad hoc idem possit absque violatione immunitatis Ecclesiasticæ mittere Regium Cõsiliarium, vel præcipere Proregibus Regnorum, vt præfatis Regularium Capitulis intersint, ne seditiones oriantur, et si isti de facto assistant

aliquid contra immunitatem, & exemptionem Religionum operentur.

Hoc autem dupliciter fieri potest, primo de consensu Nuntij Apostolici, & hoc modum certum est posse, vt testatur Manuel Rodrig. *tom. 2. quest. 52. art. 12.* et si fuerit Ecclesiasticus, poterit præsidere, & habere vocem actiuam in Capitulo ex delegatione Nuntij Apostolici sicut factum est Vallisoleti *anno 1641.* in Capitulo Generali Benedictinorum, cuius Præses fuit Episcopus Vallisoletanus per Illustrissimum Nuntium Apostolicum, ad instantiam N. Regis; sed Præses non poterit aliquid, quod sit contra ius Canonicum, aut Regulare perficere, vt priuare aliquos voce passiuam, non citatos, & inauditos, & similia alio modo id potest facere Rex sine consensu Apostolici Nuntij, sed solum tanquam Religionum protector, defensor, & conseruator pacis publicæ, tenetur enim ex vi regiminis Regij, & Dominij absoluti omnes eas occasiones præscindere ex quibus in sua politica gubernatione possent probabiliter oriri scandala, tumultus, & perturbationes inter Regulares, indeque scandala laicorum suboriri, & sic pax publica perturbari.

Ego quidem † vt verum fatear (saluo tamen Ecclesiæ & Summi pastoris dictamine) non video cur id non possit facere Rex, imo existimo id valde conueniens esse; Regularium enim tumultus, rixæ, & dissensiones valde coercet Regium nomen interpositum, silentiariumque Regis minister sua presentia silentium loquacibus, & inquietis imponit, non quidem iuridica vtens autoritate, quam nullam habet in exemptos, nec coercet ius ipsos dirigens, ita vt si aliter faciant puniri possit, sed consiliis, monitionibus, suasionibus, & persuasionibus, vt iuxta suas regulas, statuta & priuilegia Apostolica electores perficiant & cum pace celebrent, quare hæc † assistentia silentiarij Regij vim habet iuuaminis brachij secularis, quod exhibet Princeps ad conseruandam pacem, & disciplinam regularem, quæ valde turbaretur, & scandala generaret in populis, nisi hæc Regia assistentia interueniret, quæ efficacissime cohibetur insolentia ambitionis. Hæc enim † iurisdictione Regia politica dumtaxat est, & Regalis ex vi officij Regis, sicut inest in patre œconomia dum inter filios Clericos, etiam si exempti sint à Patria potestate, ex vi clericatus pacem, concilia, tumultus, excitados, & rixas, quæ timentur, sedat neque in hoc contra filiorum exemptionem aliquid facit.

Quare ob hæc eandem rationem plenæ sunt Historiæ Ecclesiasticæ exemplis Principum † qui vel per se immediatè, vel per suos ministros astiterunt electionibus Ecclesiasti



clerasticorum, Conciliis, & Capitulis, ad rixas & tumultus sedandos, & vitanda scandala populorum, quæ probabiliter timebantur. Sic fecit Martianus Imperator, vt constat ex *orat. 1. relata actio. 1. Concilij Calcedonensis*. Sic etiam teste Baronio ex *Tripertit. lib. 7. cap. 8.* astitit & tumultus impediuit Ambrosius in electione Præsulis Mediolanensis, & dum illius ciuitatis esset laicalis Præses, electus, populi & cleri consensu est Episcopus; legendi sunt Nicephorus *lib. 8. cap. 16. & 17.* Eusebius *lib. 3. de vita Constantin.* Bzouius † *lib. de Roman. Pontif. cap. 9.* qui loquens de Constantino Magno itaque satis habuit Constantinus in illo cætu (Nicæno) attente audire, paci studere, veritati fauere, fouere concordiam, tumultus comprimere, ac discrepantes à veritate reuocare, non autem suffragium ferre, vel causæ sententiam diffinire, vel quampiam legem ad disciplinam Ecclesiasticam pertinentem prescribere, quibus verbis pius & doctus vir, & constituit actus ob quos salua immunitate Ecclesiastica & sine illius in aliquo offensione, aut læsione potestas Regia potest interesse cætib, & electionibus Ecclesiasticis, & eos inuexit quos ibi nullatenus valent, exercere, vt suffragium ferre, sententiam diffinire, aut legem Ecclesiasticam ferre, quam doctrinam si morali Theologo liceret, lato calamo possem comprobare ex actis ferè omnium œcumenicorum Conciliorum apud Græcos & multorum apud Latinos Patres, actis quorum plura adducit ipse Bzouius. Vnde S. Lucifer Primas Calaritanus *lib. 1. ad Constant. Augustum*, ipsum precatur, vt electioni Constantinopolitani Patriarchæ assistat, quam etsi non faciat Imperator, sed Synodus & conuentus electorum, Imperator tamen ministrat ne tumultus oriantur, & vt pax inter electores conseruetur.

16 Hinc est quod † Canonistæ libertatis & immunitatis Ecclesiasticæ defensores, hoc idem asserunt Archidiaconus, *cap. laici numero 163. distinct.* Præpositus *ibidem num. 1.* & *ad cap. missam de electio. Abbas numer. 3.* Baldus, qui ex Anania rationem dedit, quod licet laici non possint interesse ad eligendum, possunt tamen adesse ad protegendum Canonicos, & armata manu. Antonius de Butriò *num. 3.* Ioannes Andreas *num. 4.* Innocentius *cap. nobis de iure Patron.* & eleganter Petrus Biax. *in decreto electio. p. 1. cap. 1. 2. numero 2.* qui omnes citatos adducit & eorum confirmat doctrinam.

Hæc omnia satis vrgenter confirmo ex doctrina Dianæ acerrimi defensoris immunitatis Ecclesiasticæ, qui *part. 1. tractatu 2. resolut. 5.* etsi enim Rex per se, vel

Tom. II.

per suos Ministros assistit cætib, & electionibus Ecclesiasticis ad sedandos tumultus, & pacandas discordias, quæ inter electores oriri possent, & ordinariè solent contingere † videatur se saltem indirectè 17 rebus Ecclesiæ immiscere, & extra spheram suam diuagare, tamen iam hoc consuetudo antiquissima, ex tacito consensu Papæ obtinuit, quæ actionem regiam iustificat, ex præfato tacito Pontificio consensu, qui prudenter in præsentiarum id esse iudicatur, cum illam consuetudinem sciat, & toleret; ergo non est verum dicere absolute (ait Diana) quod per publicationem 18 Bullæ tollitur omnis consensus Pontificis, sed dicendum est quod stante publicatione Bullæ, quum adest talis consensus Pontificis tacitus & approbatiuus, qui colligendus est prudenter attentis omnibus circumstantiis; vnde † aliquas consuetudines contra libertatem & immunitatem Ecclesiasticam admittunt Salas *de legib. tractat 14. sect. 1. 1. num. 121.* Vasquez *de restit. cap. 6. §. 1. num. 33.* Molina *tract. 2. disp. 207. num. 5.* Turrianus *2. 2. tom. 2. disputat. 14. dub. 4. numero 12.* Malderus *tractatu 5. cap. 6. dub. 8.*

In præfati autem casu adesse consensum approbatium Papæ, & non puram tolerantiam mihi indubium est, cum hæc † Principum personalis, vel per ministros 20 suos assistentia, non sit ablativa alicuius iurisdictionis Ecclesiasticæ; aut illius impeditiua, imo potius iuuat, vt disciplina Regularis, & leges Ecclesiasticæ obseruentur, & pax introducatur, & tumultus vitentur, quare potius Pontifex gratificare, quam impedire debet huiusmodi assistentias.

Quamuis enim prohibitum sit in Synodo Romana sub Nicolao 1. anno 858. & constitutum sit, quod † nullus Princeps secularis 21 etiam Imperator Conciliis, aut electionibus Clericorum assisteret, quod etiam fuit sanctum in Concilio Constantinopol. 8. cap. Adrianus 63. distinct. cuius rationem habemus Canon. 7. Concilij Constant. 1V. sub Adriano II. & Basilio Imperatore, quia fas non est saculares Principes spectatores fieri rerum, quæ sacerdotibus Dei nonnunquam euenit. Vnde hanc † laicorum Principum 22 assistentiam per abusum introductam notat Glossa *caput quisquis, verbo abusum de electio.* Ex *cap. cum terra cap. sicut eodem*, & contra libertatem Ecclesiasticam esse, ibi dicitur.

Quamuis inquam, hæc ipsa decernat ius Ecclesiæ, tamen ex antecedentibus, & consequentibus constat, quod manifestè est sermo de assistentiâ laica in Conciliis, & electionibus

b Clerico

- Clericorum auctoritativa, electiva, approbativa, rerum quæ fiunt in Conciliis, & electionum, ad quas aliquando populus vel concurrebat, vel approbabat, Imperatores enim † non iure, sed facto, & forsan ex Pontificio privilegio Pontificum, & Episcoporum electiones approbabant, sine quorum approbatione possessio dignitatis non adsumebatur, & hoc factum glossa rectè dicit *abusum*, & quidem intolerabilem, non tamen damnant iura assistentiam Principum laicorum, præservatiuam tumultuum, rixarum, & scandalorum, quamvis si hæc prudenter, & probabiliter non timeantur satius est, quod laici Principes eiusve Consiliarij non assistant, quia † fas non est, vt sine necessitate laici fiant spectatores rerum, quæ sacerdotibus Dei contingunt & maximè Regularibus, quorum actiones quanto secretiores, tanto sacratiores.
- 25 Sed † quum Reges nostri per se, aut per suos ministros assistunt, hoc habent duplici titulo, & defensiuo sui Regni politici, & protectiuo Religionum suæ Monarchiæ. Primum titulum explicuit Martinus Imperator *orat. citat.* dicens nos ad confirmandam fidem non ad ostendendam virtutem exemplo Imperatoris Constantini adesse Synodo excogitauimus; vnde in omnibus ferè Conciliis Toletanis Reges Hispani interfuerunt, vel personaliter, vel per proceres & Magistros suos, vt latè ostendit Illustrissimus Loaysa in suis valdè eruditis notis, & ex ipso Franciscus Padilla tom. 2. *Historiæ Ecclesiasticæ Hispaniæ cap. 57.* agens de Concilio 12. Tolet. tempore Enugij Regis anno 681. die 9. Ianuarij (in quo quindecim viri laici Proceres subscripsere, titulo quidem honoris à Patribus illis concesso, non titulo alicuius iurisdictionis, quam haberent in Concilio) hinc est quod etiam Reges ipsi primi in Conciliis Toletanis subscriptionem nominis sui supponebant; sic in Concilio Toletano III. & IV. & V. & XI. & innumeris aliis, Reges enim nostri vt fidei Protectores ex tacito Pontificis consensu, imo aliquando expressa consultatione, etsi de ea non fiat in Historiis expressa mentio, Concilia Toletana, & Hispana alia conuocabant, ibique assistebant, ad pacem tuendam, & rixas vitandas, quod Principibus, & Regibus competit, id quod satis cordate dixit Antonius Cuchus lib. 2. *institut. maiorat. titul. 3. numer. 36.* erunt † ait hæc Principum secularium partes præcipue, vt Concilij quietem & tranquillitatem autoritate, ac si opus fuerit armis tueantur, foueant, & regant, turbatores longè summoncant, cum si

pax, & disciplina Ecclesiæ soluantur, ille à Principibus rationem sit exacturus, qui eorum potestati suam Ecclesiam commendauit.

Quæ doctrina solidè & Catholicè confirmo ex Concilio Trident. *sess. 25. cap. 20. de reform.* vbi sequentia dicit. Primum, quod vt disciplina Ecclesiastica facta, rectaque à quibuscumque impedimentis conseruetur. Præterea, quæ de Ecclesiasticis personis constituit sæculares quoque Principes officij sui admonendos esse censuit, confidens eos, vt Catholicos quos Deus Sanctæque fidei Ecclesiæ Protectores esse voluit ius suum Ecclesiæ restitui non tantum esse concessuros, sed etiam subditos suos omnes ad debitam erga Clerum, Parrochos, & Superiores Ordines reuerentiam reuocaturus, nec permissuros, vt officiales, aut inferiores Magistratus Ecclesiæ & personarum Ecclesiasticorum immunitatem Dei ordinatione & Canonicis sanctionibus constitutam aliquo cupiditatis studio, seu inconsideratione aliqua violent, sed vna cum ipsis Principibus debitam iuris Summorum Pontificum & Conciliorum constitutionibus obseruantiam præsent. Secundum, sed seuerè in eos qui illius libertatem, immunitatem, atque iurisdictionem impediunt animaduertant, quibus etiam ipsimet exemplo, ad pietatem, Religionem, Ecclesiarum protectionem existant, imitantes anteriores optimos, religiosissimosque Principes, qui res Ecclesiæ suæ imprimis autoritate & munificentis auxerunt, nedum ab aliorum iniuria vindicarunt. Adeoque in ea re quisque officium suum sedulo præstet, quo cultus diuinus deuotè exerceri, & Prælati, ceterique Clerici in residentiis & officiis suis, quieti, & sine impedimento cum fructu, & edificatione populi permanere valeant.

Ex quibus † duo præfati tituli assistendi Conciliis, & electionibus Regularium, quum timentur rixæ, contentiones, & turbatio pacis inter electores, qui nostris & aliis Regibus & Principibus absolutis competunt, colliguntur clare ne electores cupiditatis studio & ambitionis turbent electiones, & pacem eliminent regularem, debent Principes assistere saltem per ministrum prudentem, vt obseruatis constitutionibus propriis, & Apostolicis dignior, & aptior ad regimen eligatur, ne scandala ex opposito sequantur, & debita sacris Canonibus obseruantia præstetur, qui titulus competit Regi ratione œconomica potestatis, & paternæ Regiæ potestatis, à qua non eximuntur regulares, vt benè Abulensis q. 32. 10. ad cap. 3. lib. 4. Reg. & colligitur ex Agapito Papa *epistol. ad Leonem Imperator.* quæ habetur tom. 2. Concil. in vita huius Pontificis. Vnde Theodosius Iunior Impera

Imperator, ut assisteret Concilio Ephesino, ut constat *ex actis eiusdem cap. 32.* misit Candidum Comitem, non ut Consultationibus Episcoporum sese immisceret, sed ex more ut omnia ibidem summa tranquillitate agerentur curaret, ad hoc enim tenetur Rex cum timetur rixa, aut tumultus ratione potestatis politicæ quam habet, præsentia enim † Principis, aut ministri suo nomine omnem repellit metum cōtra inquietos, *leg. non est verisimile. D. quod metus causa &* 33 *ibi Baldus leg. metum. C. eodem. & ibi Cynus, & idem potest in quantum protector est omnium Ecclesiarum, ratione cuius protectionis, eas ab iniuriis vindicent, tollantque impedimenta quæ timentur, ut electores quieti eligant, quem vident aptiorem ad regimen.*

34 Igitur † præsentia ista Politica in electionibus Regularium, & Ecclesiasticorum tantum abest, quod sit contra sacros canones, & Concilia œcumenica, quod imo est illis valde conformis, non tamen est ita necessaria, ut falso quidam autumavit; nisi in casu in quo electores non manerent liberi ad eligendum ob metum cadentem in constantem virum, quem excluderet Regis præsentia, aut eius ministri suo nomine, qui reprimeret incutientem talem metum.

35 Vnde constat † manifestum discrimen inter hanc politicam Regiam præsentiam in capitulis, & cœtibus Ecclesiasticis, & retentionem Bullarum Appstolicarum, & tribunal violentiæ, quod dicitur *de las fuerzas*, quia præsentia politica etsi sit respectu personarum Ecclesiasticarum, tamen non egreditur spheram suam, sed intra limites suos continetur neque est impedimēto, imo est iuuamen iurisdictioni Ecclesiasticæ ut exerat actionem sibi competentem, & cum pace & tranquillitate omnia agantur, cuius præsentia hic est adæquatus finis à quo si diuertatur efficitur iniqua, & contra libertatem & immunitatem Ecclesiasticam. At Bullarum Pontificum retentio, & tribunal 36 præfatum *de las fuerzas* † potestas politica Regia suos limites transilit cum impediatur iurisdictionem Ecclesie ipsamque detineat, ne ad effectum perducatur suam sententiam sub prætextu, quod iudex Ecclesiasticus vim infert, & violentiam in reum operatur, quare Rex cum teneatur suum vassallum tueri, ne scandalum oriatur ex iniustitia iudicis Ecclesiastici, ipsum detinet ne ulterius in illo articulo procedatur. Bullæ etiam interceptiuntur & detinentur sub aliis prætextibus 37 de quibus late Salgado *tom. 1. de retentio. Bullarum & Ceuallos tomo de cognitio. per viam violentiæ.* Utroque enim modo præcluditur via iurisdictioni Ecclesiasticæ, ne ulterius in suo tribunali procedat, quare non licet

nisi indultum & priuilegium Apostolicum intercedat, ut late dixi *tom. 2. Moral.*

Verum enim vero pro solatio iudicum sæcularium Hispanorum, qui iudicant de violentia illata in causa Ecclesiastica, & de ipsa causa nullum ius dicunt, sed solum declarant vim inferti à iudice Ecclesiastico, dico quod † cum sequantur consuetudinem 38 immemoriam Hispanam & non teneantur inuestigare ex quo origine dimanet talis consuetudo, possunt securi in conscientia iuxta præfatam consuetudinem operari, quæ cum sit immemorialis præsumitur introducta cum consensu Pontificio, ut enim supra ex Diana & aliis grauissimis Doctoribus notabam, † potest introduci consuetudo contra 39 libertatem Ecclesiasticam etiam si quotannis legatur *Bulla cane*, etsi enim Suarez *l. 4. contra Reg. Angl. cap. 32. n. 23.* dicat has consuetudines aliquorum Regnorum iuxta quas sine scrupulo operantur ministri & Magistratus ad facta hominum pertinere quorum rationem dare non tenemur. Tamen si consuetudines istæ rationi, & æquitati naturali valde vrgenti non niterentur, non à tot sæculis, & retro temporibus conseruarentur inter Reges Piissimos, & Catholicos à ministris Doctissimis, & valde timorata cōscientiæ obseruarentur (non enim omnium quæ à maioribus statuta & introducta sunt rationem reddere possumus, *leg. non omnium. 20. D. de legib.*

Quarum obseruantia etsi in facto confis- 41 stat, & non in iure, (quod nullum habent sine indulto Apostolico) tamen cum factum hoc ita sit tractu longissimi temporis custoditum à Magistratibus, immune est ab omni censura & peccato in foro interno, & in externo quousque à Summo Pontifice speciali Bulla ad hanc consuetudinem euerendam directa id declaret non censentur ministri censuram aliquam incurrere. Et enim factum, quod est prohibitum, quia 42 malum, cum sit tale ex natura rei nulla temporis intercapedo, consuetudo, aut vsus ipsum immune facit & liberum à malitia, est factum, quod est malum, quia prohibitum, ipsius facti ab immemoriali continuum exercitium, vidente, & tolerante legislatore, qui ipsum etiam sub censura prohibuit liberat à malitia, & consequenter à pœna, 43 hæc enim tolerantia facit, ut de facto factum ipsum nō sit malum, nam proclamatio iuris humani ex ipsa legislatoris tolerantia elanguit, ne vires suas ius ipsum exerat, etsi enim simplex Principis tolerantia parui temporis in quo non potest commodè de obseruantia legis prouideri, non excusat factum ipsum, neque à culpa neque à pœna, tamen, quum tolerantia est longissimi temporis, in quo multi ex- 44

titer legiflatores, dubio procul factum ipsum liberat, à culpa, & à pœna à qua ipsum exercentes immunes fiunt, argumento *ex leg. sed & ea 25. ff. de l. sed & ea que longa consuetudine comprobata sunt, ac per annos plurimos obseruata veluti tacita ciuium conuentio non minus quam ea que scripta sunt iura seruantur*, ait Iurifconsultus Hermogenianus.

Hinc est quod cum anno præterito indicis Eminentissimorum Cardinalium præfide eminentissimo Cardinali Spada decretum fuerit factum, in quo prohibiti declarantur multi libri Auctorum Hispanorum, qui tractant de hoc tribunali *de las suenzas*, ipsum vt licitum defendentes, & tutantes:  
 45 vt † Solorzano *tom. 2. de iure Indiarum*. Larea, Salgado, & similes supplicatum est sanctissimo Innocentio X. de hoc decreto, vt impunè, & securo pede possent huiusmodi libri currere in totum Regnum, & annuit Sanctissimus supplicationi Regiæ, & suspensum est decretum, hodièque libri currunt non obstante quod decretum fuit publicatum Matriti ab Illustrissimo Nuntio & in aliis Diocæsibus Hispaniæ, & libri qui iam à possessoribus erant ablati, illis sunt restituti, legunturque absque vilo scrupulo quod magnum est indicium, vt iudicemus hanc non esse simplicem Pontificis tolerantiam, sed coniuentiam, & approbationem videns  
 46 enim Summus Pater, quod Reges Catholici, & eorum Piissimi ministri in hoc insistere, tanquam sit valde conducens regimini politico non est credendum, quin pie indulgeat, & iuri suo cedat: vt enim dicit Modestinus Iurifconsultus *leg. nulla 25. ff. de leg. Nulla iuris ratio, aut equitatis benignitas patitur, vt, que salubriter pro vtilitate hominum introducuntur ea nos duriore interpretatione contra ipsorum commodum producamus ad seueritatem*; quare consuetudo hæc Hispana, non est vsquequaque damnanda cum in contradictorio iudicio sit introducta tolerante Papa *leg. cum consuetudine 32. D. eod.*

Confirmatur totum hoc ex doctrina singulari Canonistarum asseretium, quod † consuetudo orta ex tollerantia, & scientia Pontificis, quod quis in absentia lucretur distributiones quotidianas licita est, & in conscientia possunt retineri non obstante quod ius Canonicum contrarium toties reclamet & prohibeat & Concilium Trid. confirmet *sess. 24. cap. 12.* Ita † Panormitanus, Antonius de Butrio, Andreas ab Exea, Duenas, Felinus Emanuel Suarez in *Thesauro*, quos citat & sequitur Doctissimus Hojeda *de incompatibilit. p. 1. cap. 17. num. 13.* & probat Couarr. *lib. 3. variar. cap. 13. num. 5.* & *lib. 4. de sponsal. p. 2. cap. 6. §. 10. num. 15.* ergo tolerantia, &  
 48 dissimulatio Papæ positua, sufficit etiam in præsentis casu de Tribunali Hispano vio-

lentiæ, dummodo illo non abutatur iudices, sed obseruent finem, ob quem est introductum.

Ex dictis in hoc dubio constat quam † sancto zelo Reges nostri Catholici ordi- 49  
 nent suis proregibus Indiarum Peruanis, & Mexicanis variis schedulis, vt Capitulis, & electionibus Regularium illarum Regionum assistant, & sub nomine præfidentia politica ad vitandas rixas, tumultus, & seditiones, & violentiam à magis potentibus faciendam, quod etsi vbiq; valde necessarium est inibi necessarium iudico propter maius & minus remediabile damnum, quod ex præfatis oriri timetur. Vnde prudentissime eos Proreges instruunt, sic *ca. 11.* eis alloquitur *Porque la discordia de sus y o 50  
 es tan dañosa se hecha bien de ver quanto mas losera en las Religiones y los inconuenientes, que se pueden seguir si esto pasa adelante, os en cara que os in formeis muy en particular del estado en que estubiere che encada vna de las ordenes, para que si hallaredes las dichas diferencias, ò cosa semelante, que tenga necesidad, de remedio tratando de ello con sus Prelados y Superiores Procureis concordar los mostrados los sus proprio daño y el que oueden hazer en lugar de provecho que se espera de se doctrina que es en lo que se detran ocupar de landose de essas passiones domesticas de tan poco fructos y tan procurandas por el damono. O para que yo de mi parte procure el remedio en lo que conuiniere ponerle, &c.* hæc enim omnia tenetur Rex facere, vt in pace, & concordia Regularis, & Regnum conseruet maximè in illis partibus ita distitis à Romani Pontificis influxu & directione.

### §. I I.

*Quid vrgens necessitas?*

### S V M M A R I V M.

1. *Quæ vrgens necessitas dispensandi cum Prælati regularibus in residentia personali dicatur.*
2. *An propter aëris insalubritatem vrgens sit necessitas ad dispensandum, & num. 3.*
4. *An si Prælati regularis de licentia Prouincialis, aut Generalis faciat votum ad eundem terram Sanctam, sit vrgens necessitas ad dispensandum in residentia.*
5. *Authoris iudicium.*
6. *An si Prælati Regularis fecit votum cum Prælati licentia, si possit differri teneatur differre.*

**V**Rgens † necessitas dispensandi cum Prælati Regularibus in residentia personali, intelligitur impedimentum personale, quo quis detinetur, ne personaliter præsens

sens fiat suis ouibus, assistensque sit earum regimini spirituali, quod impedimentum iustum, & rationale debet esse ut infirmitas corporis, periculum probabile mortis, vel ratione inimicitiae, vel latronum, quibus abundant itinera maris & terræ, ita ut etiam volens ire ad suam residentiam sine tali periculo nequeat, siue in vita siue in bonis fortunæ, siue, quia capietur in captiuitatem ab infidelibus, cuius redemptio magni æstimabitur.

- 2 Similiter † si iam residens sit, vrgens erit necessitas ad dispensandum, si aer sit illi insalubris tempore æstatis, si necessarium sit adire balnea de Medicorum consilio, si Pater, aut Mater valde indigeant eius consolatione, adiutorio, dexteritate ad victoriam litis, vel diuitiarum, vel honoris, quod si ob aeris intemperiem sibi insalubrem, vel quia impedimentum inimicitiarum ipsum detinent, ne residere vnquam possit tenetur
- 3 renuntiare, & maior Superior tenetur renuntiationem admittere, & ipsum ab officio Pastoralis absoluere, quia ipsam nullatenus adimplet, etenim Superior electus eo ipso quod recipiat officium pastoris virtualiter promittit pastoriciam curam exercere, quæ exerceri ut oportet nequit sine personali residentia, & assistentia cum suis ouibus, quarum vultum agnoscat & dirigat tanquam rationem de eis redditurus.
- 4 Sed nunquid † si Prælati Regularis de licentia Prouincialis, & Generalis, & iste de licentia Summi Pontificis votum faciat ad eundem terram Sanctam, aut Compostellam, ita ut peregrinatio sit duratura ultra duos, vel tres menses, sit ita vrgens necessitas ad dispensandum in residentia, vel eo ipso quod detur licentia ad vouendum sit dispensatus in residentia: respondetur, quod de simili voto facto ab Episcopo latè differui
- 5 *lib. 2. n. ...* existimo enim quod † si votum fuit emissum ante electionem, non potest illam quis acceptare, nisi in illo dispensetur, quia voti impletioni apponit voluntarium impedimentum, si tamen in ipsa prælatura votum emisit, si hoc fecit sine licentia est irritum, quia est de materia sibi impossibili cum materia regiminis personalis, *cap. ex litteris, de iureiurand. cap. magna, de voto, & voti redempt. sequuntur Rebuff. in praxi benefic. tit. de dispensat. n. 50. Hojeda de incompatib. p. 1. c. 17. n. 29. vers. undecimus casus.* Si tamen
- 6 † fecit cum licentia Prælati, si potest differri votum tenetur differre, si non potest, & hoc cõstat Prælato danti licentiam tenetur eam non dare, quia magis interest residentia personalis, si tamen ipse viderit quia sine vrgenti necessitate dispensat in præcepto diuino & naturali residentia, nulla est enim talis dispensatio, & subditus Prælati tenetur

ea non uti, sed residere, quia votum hoc hîc & nunc non est de meliori bono imo impedit maius bonum.

## §. III.

*Quid debita obedientia?*

## S V M M A R I V M.

1. *Qua dicatur debita obedientia.*
2. *Barbose & Miranda sententia adducuntur.*
3. *Duplex dubium venit enodandum, n. 4. & 6.*
5. *An superior laicalis sit Parrochus sui monasterij & suorum subditorum.*
7. *An sine præcepto non sit vis coactiua.*
8. *An ut Clericus minor licitè acceptet dignitatem extra Religionem, non sit necessarium præceptum formale Papæ, & num. 9.*
10. *Quid per ly obedientia intelligatur.*
11. *Authoris mens assertur.*
12. *Quid sufficiat ad veram & propriam obedientiam exercendam, & num. 13. 14.*

Est † mandatum & præceptum Superioris altioris præcipientis quod Prælati Regularis alio diuertat, & vadat ad negotia ardua pertractanda, ad quæ vrget Christiana charitas, si enim Prælati Superior sciens inferiorem esse Prælatum, & sic habens obligationem residendi, illi præcipiat, ut omittis propriis ouibus aliò vadat, censetur dispensare in præcepto residendi personaliter, & posito substitutus tenetur obedire, si eius absentia necessaria indicatur, etiam si per alium qui non sit Superior, possit ea negotia expedire commodè, sed non ita commodè sicut per istum, ita † tenent *Barbos. de potest. Episc. allegat. 53. n. 10. Mirand. de resid. cap. 12. vers. quinto.* sed absolute non assentior, nisi maior illa vtilitas, & dexteritas in negotiis pertractandis, magis præponderet, quam damnum quod ex absentia Pastoris, oues possunt incurrere.

Sed hic est duplex dubium † primum, si Papa præcipiat alicui superiori Regulari quod sibi assistat à confessionibus cum eius prælatura sit extra urbem, vel ut assistat alicui Cardinali Episcopo in sua Diocesi pro Theologo, & Confessario; possit retentâ prælatura obedire, respõdetur, quod de hoc casu fui consultus anno 1636. & respondi quod nisi expresse Papa dispenset in residentia, vel sciens esse Prælatum ordinarium ex certa scientia, & de plenitudine potestatis hoc onus Confessarij imponat, vacat prælatura, quæ exigit residentiam, & est incompatibilis cū tali onere & ipse confessarius tenetur in cõsciencia illâ renūtiare, ita ut si quod habet emolumentum illud nõ faciat suum, nec titulo Prælaturæ habebit vocẽ in capitulo in quo tuto suffragium ferre nequit argumen-

to *can. singula officia de prebend. in 6.* singula enim horum officiorum singulas exigunt personas, & sic simul in eadem incompatibilia sunt, nisi ex certa scientia & motu proprio eadem vni conferat Papæ, esset enim monstruosum duobus Dominis, quorum seruitium requirit personalem residentiam simul inferuire *cap. 1. 21. quest. 2. legantur Rebuffus in praxi beneficio. tit. de dispensat. facta cum Regulari, à num. 8.* Panormitanus in *lectura de prebend. cap. extirpanda, §. qui vero.* vbi ferè omnes Canonistæ. Superior enim

5 † laicalis est Parrochus sui Monasterij, & & suorum subditorum, & sic residere personaliter, *cap. licet Canon, de elect. in 6.* nec contra hoc potest præualere aliqua consuetudo, quæ abusus & corruptela est.

6 Secundum dubium † ex occasione est: diximus enim in Superiori dubio quod si Papa sciens aliquem esse Prælatum regularem actu, & illi iniungat onus Confessarij censetur dispensare in Residentiæ obligatione (præterquam quod si Cardinalis Episcopus sit, quia ad hoc requiritur speciale Breue dispensatorium expeditum, vt dixit Urbanus VIII. in sua Bulla) videtur quod cum nos clerici Minores votum solemne emittamus, nunquam curaturos, vel præten-  
 7 ptare nequit, ex vi voti solemnis emissi, quia † sine præcepto non est vis coactiua, & sine ista non est coactio atqui vouemus non consensuros, nisi fuerimus obedientia Summi Pontificis coacti, obedientia enim hic propriè accipitur, & obedientia propria non est nisi adsit Superioris præceptum teste D. Thom. 2. 2. *quest. 104. artic. 2. in corp. & ad 1.* quem sequitur ibi D. Caietan. quem contra Lorcam 3. *part. disput. 40.* sequuntur ferè omnes: Dum dicunt Christum habuisse præceptum proprium moriendi, & sic mortuus est ex vera, & propria obedientia, quia factus est obediens vsque ad mortem: ergo dum Clericus Minor vouet non consensurum in sui electionem ad Episcopatum, nisi coactus obedientia Summi Pontificis intelligitur votum de coactione illa, quæ fieri potest per Superiorem, hæc autem non est sine præcepto formali tacito, vel expresso: ergo.

P. Francisc. Pelizzar. *tom. 1. manual. Regular. tr. 4. c. 5. sect. 7. q. 8. n. 392.* dicit quod † vt Clericus minor licite acceptet dignitatem extra Religionem, non esse necessarium præ-

ceptum formale Papæ, quia iussio Papæ æquiualeat præcepto formali, cum sciens Clericum minorem esse legatum tali voto, illi iubeat acceptare Episcopatum, quare ipsa iussione cogitur & sic non acceptat, nisi coactus.

Sed quod requiratur formale præceptum arrisit N. P. Raphaëlis, cui coassistens ego fui in consultatione Generali per septem annos & ambo collectores fuimus in Collegio S. Agnetis in agone, & mihi semper venerandus, tum ob singularem sapientiam, rigidam obseruantiam, & morum placidam suauitatem. Igitur tantus P. in posita ratione dubitandi se potuit fundare: cui addo, quia votum hoc quartum solemne nostræ professionis non est absolutum, sed sub conditione, nisi interueniat coactio ab obedientia Pontificis: ergo † per *ly obedientia*, non intelligitur simplex iussio, sicut alter Religiosus, qui non habet tale votum fit Episcopus, etiam iubente Papa alias nullum esset discrimen inter fratrem Dominicanum, quæ Papa fecit Episcopum, & Clericum minorem qui adstringitur voto non acceptandi, nisi coactus obligatio Summi Pontificis, quod dici nequit, elanguescet enim magna ex parte energia nostri voti solemnis.

Igitur † ergo aliter discuro quod vt clericus minor consentiat in sui electionem, & acceptet Episcopatum aut aliam prælationem extra Religionem debet propriè cogi præcepto formali obedientiæ Summi Pontificis solius (nec sufficiet Legati à Latere etiam plenitudine potestatis, nisi hoc expressis verbis ei concedatur) non tamen requiritur quod hoc formale præceptum sit intimatum expressum, sed sat est quod sit tacitum, & implicitum, quia † hoc sufficit ad veram & propriam obedientiam exercendam, vt expressit S. Doctor *vbi supra, in corp. artic.* tunc autem censetur interuenire hoc tacitum formale præceptum, quam Papa ex proprio motu, atque certa scientia iubet alicui, ex nostris, quod acceptet præfatam dignitatem, tali enim iussione cogit Pontifex, & tacitè præcipit, cum sciat bene materiam præfati voti; quod si Papa aliquem ex nostris eligat in Episcopum ad petitionem alicuius, quacunque dignitate fulgentis, etiamsi sit Rex, simplex electio & concessio Papæ annuentis precibus, & præsentationi Principum non est implicitum præceptum, sed permissio, quæ nostris non sufficit, quare in isto casu expressè debet præcipere alias nequimus acceptare tali enim expresso mandato & præcepto dat intelligi Papa moueri rationibus vrgentibus à Principe sibi oblati, quas examinare tenetur, ne in re tam graui ostium Religionis, valde perniciosum aperiatur.

## §. IV.

*Quid evidens Ecclesiæ utilitas?*

## S V M M A R I V M.

1. *Que evidens Ecclesiæ utilitas.*
2. *Rebuffi & Hypolit. opiniones afferuntur.*
3. *An sit evidens utilitas quod Prælati vadat ad Capitulum provinciale aut generale, ut suffragium ferat in regimine Religionis, & num. 4.*

**T**alis est ¶ quum Prælati abest ob negotia gerenda suæ domus, aut Prouinciæ, aut totius Religionis, quæ non ita commodè, & expedite peragentur per alium, tunc enim iusta est causa vt dispensetur in Residencia *cap. ex parte et segundo de cleric. non resid. cap. de cetero eodem.* & tenent omnes etiam si iuramentum fecerit de residendo, quod tunc acciperet iuramentum legitimam interpretationem vt ex multis probant ¶ Rebuffus *ubi supra*, Hypolit. *leg. 1. §. cum quis D. de quest.* Si tamen æque bene alius potest negotia expedire, & iuramentum ligat, & præceptum de residendo obligat, quia non est evidens vtilitas quod iste sit absens, quum non est vrgens necessitas suæ personæ, siquidem vtilitas Ecclesiæ per alium potest consequi.

3. Similiter ¶ est evidens vtilitas, quod Prælati vadat ad capitulum Prouinciale, aut generale, vt suffragium ferat in regimine Religionis, & electionibus superiorum, similiter si vocatur ad Synodum ab Episcopo, aut ad Concilium siue generale siue Prouinciale in quo erit magno adiumento sua diligentia, aut litteris, aut suæ Religioni magnum decus inferent si vocentur, aut mittantur, similiter si qui Abbates, aut Generales habent votum saltem consultiuum, in Conciliis, in quibus interesse iurabant *cap. ego, ff. de iureiurand.* etiam si in loco in quo celebratur Concilium non sit sui ordinis Monasterium possunt illud adire, ex vi officij sui relicto Vicario Generali, aut Prouinciali, quia in præsentia Concilij attenditur vniuersalis Ecclesiæ vtilitas.

## S V B R E S O L V T. I.

*An coadiutor factus inquisitor lucretur coadiuto?*

## S V M M A R I V M.

1. *Vtrum Coadiutor creatus inquisitor coadiuto lucretur.*
2. *An si coadiutor non resideat sit in damnum tertij.*
3. *Coadiutor factus inquisitor lucretur fructus*

*beneficij ac si esset presens non sibi sed coadiuto.*

4. *An coadiutore egrotante lucretur coadiutus.*
5. *An coadiutus infirmus possit lucrari fructus quos sanus lucrabatur.*
6. *An cum coadiutus sit sanus corpore & mente tunc coadiutore legitimo impedimento detento, Ecclesiæ sit deseruendum per coadiutum.*
7. *An si coadiutus efficiatur inquisitor sit legitime impeditus, & lucretur omnia ac si presens esset.*
8. *DD. multorum sensus.*
9. *Interpretum responsum affertur.*
10. *Coadiutor factus inquisitor vere est impeditus.*
11. *An Procuratores generales Ecclesiarum sint legitime impediti & lucentur.*
12. *Cenedi mens adducitur.*
13. *Respectu cuius persona dentur simul dua fictiones iuris.*
14. *An coadiutor factus procurator Ecclesiarum duas iuris habeat fictiones.*
15. *Vbi nam sit fictio presentie, vt coadiutor lucretur fructus coadiuto.*
16. *Coadiuto cui datur coadiutor liberum est residere.*
17. *An coadiutus necessario occupatus sit occupatione legali.*
18. *An à coadiutoria releuet iustum impedimentum.*
19. *Coadiutor non potest renunciare privilegio facto DD. inquisitoribus.*
20. *Cuinam privilegio cedere quis nequeat in particulari.*

**S**ed ¶ hic insurgunt aliqua dubia, primum ¶ San si Regularis aliquis solemniter professus, siue sit Ordinum Militarium, qui dicuntur *Freiles*, siue Mendicantium siue Monachalium de licentia Papæ, & speciali indulto factus sit coadiutor cum futura successione, in aliquo Canonatu, aut dignitate alicuius Ecclesiæ Cathedralis, aut Collegiata insignis, in qua est stricta personalis residentia; à qua est liber Canonicus adiutus, cum coadiutor resideat, & satisfaciat seruitio chori, an inquam si iste coadiutor fiat Inquisitor fidei in aliquo Tribunali; coadiutus teneatur residere, cum coadiutor liber sit ab obligatione residendi sicut quilibet alius Inquisitor, vt *supra lib. 3. resol.* latè probaui ex indultis Apostolicis: de hoc casu posito in sæculari coadiutore, paucis ab hinc diebus fui consultus in hac ciuitate Hispalensi, quia tamen occurrere potest, placuit hinc meam ponere sententiam.

Quidam enim inter quos est Garzia de beneficiis in noua impressione existimant quod tunc coadiutor non lucretur, nec coadiutus nisi iste resideat; coadiutor enim ¶ non sibi z

lucratur, sed coadiuto, quare si non resideat est in damnum tertij, quod non supplet priuilegium Apostolicum concessum Inquisitoribus, loquitur enim quum isti sibi lucratur, non tamen quum alij & coadiutoriam cum hoc onere acceperunt à quo non releuantur per præfatum indultum, quod non euertit ius quod habet adiutus, vt ipsum releuet ab onere residendi, ita taliter quod fructus sint sui, & non coadiutoris, vnde capitulum cogere potest adiutum, quod resideat ad hoc enim habet ius, vt coadiutus per se aut per alium ex indulto Apostolico sit personaliter præfens, & cum adiutus non sit Inquisitor, sed coadiutor, ille potest cogi ad residendum, vt lucretur, eo ipso quod coadiutor factus Inquisitor non residet.

Ast mihi contrarium omnino est dicendum ( nisi in aliqua Ecclesia Cathedrali sit priuilegium in contrarium derogans ius Inquisitorum concessum post Breue Urbanum infra adducendum ) quod † coadiutor factus Inquisitor, aut fiscalis sancti Officij lucratur fructus beneficij, ac si esset præfens, non sibi sed coadiuto. Ratio quæ memouit est, quia coadiutor legitime impeditus non residens, lucratur, atqui factus Inquisitor, aut Fiscalis est legitime impeditus; ergo lucratur, maiorem huius discursus partem docuit Rota in vna Salm. coadiutor. 20. Iunij. an. 1594. coram D. Pegna ibi Domini respondententes affirmatiuè pronunciarunt † coadiutore ægrotante vel alias legitime impedito, lucrari coadiutum cui coadiutor datus est tam in spiritualibus, quam in temporalibus, cum plena, libera & omnimoda potestate, vt possit coadiutor, quæ poterat coadiutus, cap. is cui de electio. in 6. notanda verba Rotæ, vel alias legitime impeditus, quæ non determinat genus impedimenti, sed quodcumque illud sit, dummodo legitimum iudicetur, quam phrasim imitati sunt Gonzalez reg. 8. gloss. 5. §. 9. n. 15. Gratianus in disceptatio. cap. 166. num. 12. Barbof. de iure Ecclesiast. lib. 3. cap. 10. num. 86. sed † coadiutus infirmus vel corporaliter impeditus poterat lucrari fructus, quos sanus & impeditus lucrabatur, cap. vnic. de Cleric. non resid. in 6. igitur idem ita tuendum est respectu coadiutoris, qui ex forma coadiutoria in omnibus, & per omnia coadiutum repræsentat, cum in eius locum fuisset subrogatus leg. si cum §. iniuriarum D. si quis cautioni. Neque prædictis refragatur, quod † cum coadiutus sit sanus corpore, & mente tunc coadiutore legitimo impedimento detento Ecclesiæ sit deseruiendum per coadiutum. Quia forma coadiutoria, tollit difficultatem cum Papa, det coadiutorem coadiuto non potenti, seu inferuire nolenti, & sic iste inferuire non tenetur coadiutore legitime impedito.

Quod autem si efficiatur Inquisitor, aut Fiscalis sancti Officij sit legitime impeditus coadiutor manifestum est; quia † si coadiutus efficiatur talis minister est legitime impeditus, & lucratur omnia ac si præfens esset, vt ostendi latè lib. 3. resolut. ... n. ... ergo coadiutor antecedens in dubium verti non potest cum constet ex indultis, & declarationibus Apostolicis, de quibus Garzia de benef. p. 3. cap. 2. num. 356. Cæsar Carena de officio sancti Inquisitionis 1. p. tit. 5. §. 13. n. 95. ( quamuis ibi de distributionibus quotidianis ex quadam declaratione Concilij & Generalis Romanæ Inquisitionis contrarium sentiat, sed contrarium determinat Urbanus VIII. in quodam Breui de anno 1636. die 8. Ianuarij, vt retuli loco citato ) Sanctarell. variar. resolut. lib. 1. q. 11. Barbofa de Canonici cap. 24. num. 2. Scobar de nobilit. & purit. probanda p. 1. quest. 4. num. 91. in praxi for. Ecclesiast. cap. 13. à n. 23.

Secundo probatur eadem mea resolutio, quæ viris doctis ita placuit vt dixerint, † nõ posse hoc in dubium verti, quia Sacra Congregatio Concilij die 9. Nouemb. 1630. in vna Barbastrensi. in qua dubitatum fuit, an coadiutus impedito, seu infirmo coadiutore teneatur inferuire, si habilis sit ad effectum lucrandi distributiones? Eminentissimi Interpretes responderunt † si ex forma litterarum Apostolicarum coadiuti nunquam teneantur horis Canonici interesse coadiutores quandiu aliqua ex tribus causis expressis in cap. vnic. de Cleric. non resid. in 6. verè fuerint impediti, distributiones quotidianas lucrari perinde, ac si diuinis interessent.

Quæ declaratio manifestè conuincit veram esse resolutionem nostram, nam † coadiutor factus Inquisitor, vere est impeditus residere ob vtilitatem non solum Ecclesiæ vniuersalis, vt per se manifestum est, sed etiam suæ Ecclesiæ, cui adscriptus est, cum illi etiam interfit, quod fides nostra augeatur & peccata contra fidem debitæ pœnis coercantur. Vnde † Procuratores Generales Ecclesiarum, qui sunt Romæ, vel in Curia Regia, vel mittuntur ad comitia sunt legitime impediti, & lucrantur ac si essent præfentes etiam si sint coadiutores in quibus casibus coadiuti non tenentur residere, legendi sunt Cenedo in Canon. quest. 1. n. 23. versic. aliter & n. 57. Moneta de distrib. 2. p. q. 11. n. 91. Bernard. Diaz in additio. in praxi ad cap. 52. littera C. versic. 4. casus.

Rationem huius benè proposuit Cenedo num. 70. his verbis † cum vero in prædictis curiis, & officiis frequenter agatur de conseruandis priuilegiis, & libertatibus Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum, & in vectigalibus, & aliis oneribus, vel legibus vexentur Ecclesia, quibus ipsi adscripti sunt & ad hoc impediendum assistant



*stant nomine Ecclesiarum aliqui Canonici, & Prælati regni merito dicendum est pro utilitate omnium regni Ecclesiarum eos interesselucrari qui distributiones quotidianas iuxta dispositionem textus in cap. unico de Cleric. non resid. in 6. quæ doctrina æquiori iure verificatur in coadiutoribus, qui actu sunt Inquisitores.*

- 13 Tertio probatur, quia non est inconueniens, quod † respectu eiusdem personæ dentur simul duæ fictiones iuris, quando id cedit in fidei fauorem & bonum Religionis etsi iure ciuili communi sint prohibita, vt multi Iurisperiti ciuiles tenent, quia hoc est exorbitans & non præsumitur, & vt dixi ob fidei fauorem ea, quæ sunt iure prohibita iure etiam admittuntur, vt testes inhabiles, alias examinantur in sancto Officio,
- 14 similiter † coadiutor, qui efficitur procurator Ecclesiarum, in Curia Romana, aut Regia duas fictiones habet vnam, quia reputatur præsens, alteram quia lucratur fructus coadiutus; ergo idem si fiat Inquisitor altiori titulo, quanto est altior titulus Religionis, & fidei, quam tuetur, & conseruat,
- 15 tum maximè, quia in rigore non est nisi vna fictio, quia vbi est vnum propter aliud ibi est vnum tantum, hæc autem est fictio præsentia, vt coadiutor lucretur fructus coadiuto, & sic lucrari fructus, ac si essent coadiutoris, non est noua fictio, sed effectus necessario consecutus ex fictione præsentia.

- Vnde omnino falsum est, & sine fundamento aliquo dictum, quod autumat Garzia dicens, quod priuilegium DD. Inquisitorum solum est, vt lucrentur fructus beneficiorum suorum, vt videbimus in solutione fundamenti positi in ratione dubitandi, quæ nullius est ponderis. Eamque soluit Rota
- 16 *verbis citatis*, quia † coadiuto cui datur coadiutor liberum est residere, quare si iste sine culpa adiuti est legitimè impeditus, per sanctum Inquisitionis officium, idem est, ac si esset infirmus, ac iniuste in carcere detentus aut apud infideles captiuus aut alio impedimento detentus, non enim posset Capitulum obligare coadiutum, ad residendum à quo onere priuilegio Apostolico est eleuatus, est enim † coadiutus necessario occupatus occupatione legali, quæ in maiorem utilitatem Ecclesiæ resultat, quam residentia in choro, vt benè ponderauit Sacra Congregatio Concilij dicens *privilegia de non residendo in choro eo firmitus esse custodienda, quo præstantius & utilius est Christiana Reip. Inquisitorum officium ad conseruationem Orthodoxæ fidei constitutum*, sic responsum Card. Toletio, die 6. Iunij 1594.

- Quod enim coadiutor coadiutoriam acceperit cum onere lucrandi fructus coadiuto,
- 18 nihil obest, quia † ab hoc onere releuat

iustum impedimentum cap. ad hæc de offic. Archidiacono. cap. quoniam de officio Ordinarij, nec enim maius onus suscipit coadiutor, quam habebat coadiutus, quem repræsentat, & in cuius locum substituitur, iste autè lucratur in absentia factus Inquisitor; ergo coadiutor quod enim iste pro altero lucretur non obstat, quia si quis accipiat Canonicatum cum onere, vt det omnes fructus pro pensione, potest nihilominus fieri Inquisitor, & lucrabitur fructus pensionario, quam doctrinam adeo veram existimo, quod † coadiutor non possit renunciare priuilegio facto DD. Inquisitoribus, vt lucretur fructus præbendæ Canonicatus sui, dum munus Inquisitoris exercent, quia hoc priuilegium indultum est boni communis fidei propagandæ & conseruandæ † cui priuilegio cedere nequit quis in particulari, cap. si diligenti, de foro. competenti, etsi possit quis libere renunciare Canonicatum, aut dignitatem. Vnde statutum factum in aliqua Ecclesia, quod quis siue coadiutus, siue coadiutor factus Inquisitor non possit curari fructus, in absentia iniustum est & contra indulta Apostolica.

## SVBRESOLVT. II.

*An Prælatus Regularis factus Inquisitor possit retinere Prælaturam?*

## S V M M A R I V M.

1. An Prælatus regularis factus Inquisitor possit cum officio retinere prælaturam.
2. Duo officia requirentia personalem residentiam sunt incompatibilia.
3. Prælati regulares quanta vigilantia debeant residere, ex Caiet. & n. 4. & 5.
6. Prælati regulares ex vi officij quod acceptarunt salutem animarum sibi commissarum debent procurare.
7. Quæ sit præcipua radix relaxationis Religionum.
8. Origenis Adamantij mens.

**D**Vbium secundū est, an † Prælatus Regularis factus Inquisitor in Hispania possit cum officio retinere prælaturam. Respondetur non posse ex Breui Urbani VIII. citato vbi expressè non facit præsentem, vt possint lucrari fructus eos, qui habent beneficia curam animarum habentia, qualis est Prælatura Regularis, & sic nisi in ea ciuitate in qua est situm sacrum Tribunal, impossibilis est cum officio Inquisitoris, & sic vnum vel alterum tenetur in conscientia relinquere nisi sit indulgentia Illustrissimi Inquisitoris Generalis, vt non assistat Tribunali, vt resideat in sua Prælatia. Quando enim

enim † sunt duo officia, quæ requirunt personalem residentiam, & exigunt industriam personæ incompatibilia sunt in eadem, & quam aduenit secundum, vacat primum; legendus est omnino Ojeda de incompatibilitate p. 1. cap. 8. per totum.

3 Sed † vt aduertant Prælati Regulares, quanta vigilantia debeant residere audiant D. Caietanum in summa verb. beneficium n. 6. si beneficium sit curatum non residere absque rationabili causa peccatum communiter mortale est pro quanto damnum infert animarum, nisi propter imperfectionem actus excusetur à mortali, infert enim contrarium naturali iustitia, qua tenetur ipsemet ex suscepto officio gerere ouium Christi curam, qua regulariter sine residentia non potest haberi, vt debet, cum enim præsentibus & sollicitè studentes, circa animas vix regant, vt tenentur. Iniustitia enim ex suo genere mortale peccatum est, quamuis propter imperfectionem actus sit quoque venialis, est etiam contra debitam charitatem Christosnam amor eius non est apud eum, qui parui pendet maxima sunt Christi salutem scilicet animarum sibi commissarum; etenim experientia testatur quæ male se habent in spiritualibus & temporalibus Ecclesia Christiana propter absentiam Pastorum. Antiquum prouerbiū est, quod tam oculus Domini impinguat equum quam optimum firmum vestigia Domini.

4 regant, vt tenentur. Iniustitia enim ex suo genere mortale peccatum est, quamuis propter imperfectionem actus sit quoque venialis, est etiam contra debitam charitatem Christosnam amor eius non est apud eum, qui parui pendet maxima sunt Christi salutem scilicet animarum sibi commissarum; etenim experientia testatur quæ male se habent in spiritualibus & temporalibus Ecclesia Christiana propter absentiam Pastorum. Antiquum prouerbiū est, quod tam oculus Domini impinguat equum quam optimum firmum vestigia Domini.

6 Cum ergo † Prælati Regulares ex vi officij, quod acceptarunt salutem animarum sibi commissarum non minori cura, vigilantia & diligentia imo maiori (vt potè cum maiori & potiori iure animæ Religiosæ sint maxima Christi) debeant procurare ex naturali iustitia ratione officij suscepti, si eas parui pendunt, relicta residentia suæ cathedra facti Procuratores rerum secularium, diuagantes per alienas domos, & Prouincias aucupantes nundinas, forum litium ob quæstuosam negotiationem, vt habeant sibi aurum & argentum, & supellectilem, superabundanter, cum præfatas causas, quas enucleauimus, non habeant, contra iustitiam & debitam Christo charitatem operantur.

7 Existimo enim † esse præcipuam radicem relaxationis Religionum, quod Prælati in conuentibus non resideant, sed vagantes vix dum dormiunt illis assistant, hinc multi subditi, euadunt infirmi & imbecilles, & dormiunt multi in itinere perfectionis, quod perambulans, & imitatores facti suorum Præsulum nunquam quiescant & scandalizati pereunt, vnde Superior Regularis non residens absque rationabili motiuo & sui & aliorum rationem reddet. Væ istis Pastoribus, qui se ipsos pascunt, non oves, & istis relictis & spreis quærunt, quæ sibi placita sunt, non quæ ouibus conueniunt

dum eas oculis suis videntes & dirigentes non impinguant, exemplo vitæ † Audiant Origenem Adamantinum Homil. 7. in Iosue, Tu, qui Ecclesia præfides corporis Christi oculus es, propterea utique & omnia circumspicias, omnia circumlustres, etiam ventura prævideas. Pastor es vides ouiculas Domini ignaras periculi ferri ad præcipitia, & per prærupta pendere, neque occurris? non reuocas? non saltem voce cohibes? & correctionis clamore detines? & quomodo hæc præstabant si sine rationabili causa non resident.



## RESOLVT. VIII.

Qui possint dispensare cum Prælati Regularibus in residentia?

### SUMMARIUM.

1. Quid nomine Prælatorum veniat intelligendum.
2. An hodie regulares immediate subiecti sint Summo Pontifici, & num. 3.
4. Qui verè, proprie & strictè sint Prælati habentes iurisdictionem ordinariam in subditos.
5. Quæ iurisdictione conueniat prælati ex vi electionis confirmata ad officium quod exercent.
6. An nomine Prælatorum intelligantur Vicarij, siue Generales, siue Prouinciales.
7. Quid notandum circa iurisdictionem fori contentiosi, & num. 8. & 9.
10. Tamburiny mens adducitur, & n. 13.
11. An motiua quæ Episcopos & Parrochos coarctant ad residentiam personalem, pariter adstringant regulares.
12. An Generales possint dispensare cum Prouincialibus.
14. An obligatio residendi imponatur inferioribus Prælati à Superioribus, & n. 15.
16. An Prælati Regulares etiam si habeant causam iustam non residendi, debeant habere licentiam sui Superioris ad non residendum, n. 17.
18. Tridentini Conc. mens. & n. 21.
19. An Superiores locales possint per bimestre ex iusta causa non residere.
20. An Superiores locales in multis communitatibus nequeant ex suis constitutionibus sine licentia Prouincialis abesse à suis conuentibus.
22. Quid ex doctrina tradita sequantur.
23. Quæ causa non exigant tempus determinatum.
24. An superior localis possit abesse ultra bimestre & Prouincialis ultra trimestre ex sola licentia tacita sui superioris, & n. 25.

**N**OMINE Prælatorum † in præfenti  
 utimur propriè & strictè, quatenus  
 Prælati est, qui habet potestatem, & iurisdictionem spiritualem, & ordinariam fori contentioni, & vim coactiuam ad regendum sibi subditos, isti enim in Hierarchia Ecclesiastica multiplices sunt Patriarchæ siue Primates, qui pluribus præfunt Prouincijs, siue Archiepiscopatibus. Archiepiscopi, qui pluribus præfunt Diocesis, & Episcopatibus, Episcopi qui solum suæ Diocesi præfunt, & isti dicuntur Prælati maiores, alij sunt Prælati inferiores, vt Archidiaconi, Decani, Archipresbyteri, qui omnes limitationem habent iurisdictionem, quam præfati Prælati maiores, vt videre est in Suarez tom. 4. de Relig. tract. 1. lib. 2. cap. 2. Sebalt. Cæs. de Ecclesiast. Hierarch. quest. 2. proemi. à num. 3. Barbof. de potest. Episcopi p. 1. tit. 1. cap. 6. à num. 6. Summistis verb. Prælati Syluestro q. 2. Armilla n. 1. Rodriguez tom. 1. quest. 12. art. 6. Miranda tom. 2. Manual. q. 19. art. 1. Azor p. 2. lib. 3. cap. 20. q. 2.

**2** Cum vero † Regulares iam hodie sint exempti à iurisdictione horum Prælatorum sæcularium, & immediate subiecti summo Pontifici in eorum regimine Regulari simili inuenitur Monarchia Ecclesiastica Regularis, quorum Prælatorum iurisdictione ordinaria à iure diuino descendit, vt pote cum status Regularis à Christo Domino sit institutus & si immediate dimanet à Summo Pontifice, non secus ac iurisdictione ordinaria Episcoporum, etsi sit de iure diuino, tamen proxime & immediate illis communicatur, tanquam à primo fonte iurisdictionis Ecclesiasticæ, à Papa, cui competit pasce oves Christi, & assumit Episcopos & alios Prælatos in partem sollicitudinis, sibi commissæ, quæ assumptio intimata est illi à Christo Domino, qui diuersa officia, & munia Ecclesiæ instituit. Vnde hierarchia Ecclesiastica Regulari eo ipso quod eam Papa sibi immediate subiecit, & exemit, ab hierarchia Ecclesiast. sæculari; Instituit Primates qui sunt Generales, qui totam familiam Religionis gubernant, & Prouinciales, qui plures domus regunt, & Superiores locales qui vnam dumtaxat domum & sunt veluti Episcopi, quamuis in ordine minorum sint custodes, quibus aliquæ domus subsunt, & in ordine minimorum vigiles, qui similem habent iurisdictionem, quamuis isti iam exoleuerint, & illi solum habeant iurisdictionem in habitu, & conseruatur officium, vt votum habeat in Capitulo Generali, de quo Miranda vbi supra q. 18. art. 1. conclus. 1.

**4** Igitur † hi omnes vere, proprie & strictè sunt Prælati habentes iurisdictionem ordinariam in suos subditos, gaudentque priuilegijs Prælatorum (nisi in aliquibus Religio-

nibus talis potestas, & iurisdictione limitetur à regula vel constitutionibus aut Bullis Apostolicis) ita tenet communis certaue sententia, quam tuentur Nauarrus in *Manuali* cap. 27. num. 5. Auila de censuris p. 2. c. 2. disp. 1. dub. 1. Fagundez in 2. præcep. Eccles. lib. 8. c. 4. num. 5. Henriquez lib. 13. cap. 24. n. 3. Sayrus lib. 1. de censur. cap. 6. num. 13. Suarez vbi supra num. 8. Miranda quæst. 19. art. 4. concl. 2. Sotus in 4. dist. 22. quest. 2. art. 1. & ratio est, quia hæc † iurisdictione conuenit his Prælati ex vi electionis confirmatæ ad officium quod exercent, hæc autem est ordinaria cap. de cernimus. de iudicijs. vbi Glossa verb. Ecclesiarum, cap. fin. de penitent. & remissio. vbi etiam Glossa, & in Clement. 1. de electio. verb. Prælatum & cap. cum Ecclesiarum de officio ordinari. verb. Ecclesiastica vbi Innocentius num. 1. & innumeri alij.

Nomine etiam † Prælatorum intelliguntur Vicarij, siue Generales, siue Prouinciales, qui absentia, aut morte Proprietarij regunt, siue sint Vicarij locales in similibus gubernantes in absentia, secus vero dum hoc officium exercent præfentibus proprietarijs: De quibus legendus est Peyrinis tom. 2. de Prælato, quæst. 1. cap. 4. num. 74. Solum aduerto † circa iurisdictionem fori contentio-  
**7** si, quia possunt Prælati subditos excommunicare, quod etsi in aliquibus Religionibus, vt in nostra non possunt Prælati sine Capitulo excommunicationem ferre, imo nec præceptum obligans totam communitatem absque Capituli consensu; nihilominus hoc non obstat, quod sint verè & propriè Prælati, quia in cæteris per alia media habent vim coactiuam, vt coërceant subditos, & cuilibet in particulari possunt imponere præceptum formale obedientiæ obligari sub mortali, & in foro conscientiæ habent plenam iurisdictionem, suntque electi à Capitulo Prouinciali, aut Generali, aut constitutione. Vnde sunt vere Prælati, & si quantum ad forum contentiosum, sit limitata à regula potestas excommunicandi, nisi Capitulum, aut Consultatio Prouincialis eam imponat, tum etiam quia etsi requiratur consensus Capituli, tamen qui excommunicat est Prælati, non Capitulum.

Circa præsentem Resolutionem, sic factur Tamburinius † de iure Abbatum, tom. 1. **10** disput. 14. quest. 3. postquam retulit Concilij Trident. verba: *Quamuis hic habeatur sermo de Episcopis & Prouincialibus, & de omnibus Presbyteris curam animarum gerentibus, tamen dubio procul idem erit intelligendum de Abbatibus, ac quibuscunque Religionum Prælati similem curam habentibus, quorum recursus non ad Metropolitanum à quo per priuilegia Pontificia exempti sunt, sed ad Generales, Prouinciales,*

*Prouinciales, Superioresque, Abbates, iuxta Constitutiones singularum Congregationum à Sede Apostolica approbatas fieri debet.*

Quæ doctrina seruatis seruandis certa videtur cum decretum Conciliare ex rationibus, quibus moti sunt Patres clare comprehendat omnes Prælatos qui Pastores sunt actu ouium sibi commissarum, quare †  
 11 motiua, quæ Episcopos, & Parrochos coarctant ad residentiam personalem, pariter adstringunt Regulares, & quæ liberant illos eximunt ab obligatione istos, & Superiores qui possunt dare licentiam Pastoribus sæcularibus, similes possunt dare Pastoribus Regularibus, etenim *cap. licet Canon, §. fin.* tribuitur ordinario facultas dispensandi super residendo, vbi glossa per ordinarium intelligit Prælatus Episcopo inferiorem, dummodo sit Superior ordinarius dispensati. Vnde †  
 12 Generales possunt dispensare cum Prouincialibus, isti cum Superioribus localibus, isti cum confessariis monialium sibi subiectarum, cum Generali vero solus Papa, vt de Generali Minorum docet Miranda si vadat ad eam regionem in qua non est conuentus sui ordinis.

Sed non placet fundamentum quod huius Resolutionis adducit Tamburinius † *vbi supranum. 3.* quod is facultatem non residendi indulgere valet, qui residendi obligationem imponit eius est enim soluere cuius est ligare *leg. si puella D. de sponsal. leg. 4. D. de re iudicata Rebuffus in praxi benef. tit. de dispensatio. non residendi num. 75.* sed Abbatibus localibus inponitur obligatio residendi ab Abbatibus Generalibus, ergo isti possunt illos ab ea obligatione absolueri ex iusta causa, & ad modicum tempus, hæc ratio inutilis est & implicat in dictis, nam si obligatio residendi imponitur à Generalibus, est de iure humano, vnde valida erit dispensatio etiam sine iusta causa, & tutus erit dispensatus etiam si per longum tempus non resideat. Secundò, falsissimum est quod supponit, quod † obligatio residendi imponatur inferioribus Prælatibus à Superioribus, imò à  
 14 *iure diuino & naturali* ex vi officij Pastoralis dimanat obligatio istæ, quare ista semper fiat firma, nisi ad sit vna ex præfatis causis, aut similis, & tandiu præceptum diuinum residendi exerit vires suas, quandiu Superior non declarauerit, hic & nunc adesse causam iustam, qua cessante, illico præceptum obligat, nec dispensatio sortitur effectum, sed euanescit vt contingit in aliis dispensationibus iuris naturalis quæ non tam proprie sunt dispensationes quam declarationes, quod hic & nunc ius istud non obligat.  
 15

16 Prælati Regulares † etiam si habeant causam iustam non residendi, debent habere


licentiam sui Superioris ad non residendum vtrumque enim requirit Concilium, quod quamuis loquatur, de Episcopis, & Parrochis videtur etiam extendendum ad Prælatos Regulares, quamuis hoc non ita mihi certum sit, quia est dispositio iuris humani, & odiosa & ita non videtur extendenda, nisi ad illos de quibus exprimit Concilium, quare si re ipsa adest causa iusta, non residendi, videtur quod Prælatus regularis, securus sit in conscientia non residens, nisi valdè præponderet damnum, quod ouibus & regulari obseruantia accrescit, ex sua absentia. Hoc tamen certum est, quod † cum  
 18 Prouinciales assimilentur Episcopis, & isti sine vlla licentia possint per tres menses vnus anni abesse à sua Diocesi, † vt ait Trid. *vbi supra*, ita & Prouinciales in sua Prouincia sine licentia Generalis ( nisi obftet specialis constitutio ) debent habere rationem, vt id æqua ex causa fiat, & absque vllò gregis detrimento, quod *an ita sit abscedentium conscientia relinquit, quam sperat religiosam & timoratam fore, cum Deo corda peteant cuius opus non fraudulenter agere suo periculo tenentur.* Hactenus Sacrosancta Synodus.

De Superioribus localibus, † qui quantum ad hoc Parrochis assimilantur possunt per bimestre ex iusta causa non residere. Sed an quantum ad primum bimestre requiratur in Parrochis, quod iusta causa non residendi sit cognita & approbata ab Episcopo, qui in scriptis det licentiam, negant Sanch. *de Matrim. disp. 31. n. 11.* Azor *p. 2. lib. 7. cap. 4. quest. 9.* Emanuel Rodriguez *tom. 2. Summ. cap. 36. n. ultim.* sed affirmant Lessius *lib. 2. cap. 34. dub. 29. num. 159.* Garzia *p. 3. cap. 2. n. 23.* Possuin. *de offic. curat. cap. 5. nu. 11.* Sanctarell. *Variar. Resolut. quest. 4. num. 12.* & ego *lib. 3. quid sentiam explicui*, & quidquid sit de Curatis, † de Superioribus localibus in multis communitatibus nequeunt ex suis constitutionibus sine licentia Prouincialis abesse à suis conuentibus, quod si in aliis possunt Concilium Trident. illis non obstat, quia solum loquitur de Parrochis & non debet extendi ad Prælatos locales, qui habent designatum Vicarium aut Superiorem, qui illo tempore regimini assistat, bimestre enim pro Parrochis, & trimestre ad summum pro Episcopis Concilium declarat esse paruum tempus, vt non resideant extra præfatas causas, sed ex aliis licitis, sic enim ait Concilium. † *Quoniam autem qui aliquamdiu per  
 21 tantum absunt ex veterum Canonum scientia non videntur abesse, quia statim reuersuri sunt* Sacrosancta Synodus vult illud absentia spatium singulis annis siue continuum, siue interruptum extra prædictas causas nullo pacto debere duos, aut ad summum tres menses excedere.

Vnde fit, quod † si quis Episcopus ultra  
 22 tres

tres menses & Parrochus ultra duos, ex causis quas assignat Concilium de licentia potentis illam dare non resideat, si postea redeat ad suam residentiam, poterit ex aliis iustis causis abesse Episcopus per tres menses, & Parrochus per duos continuos, vel interruptos, quia istud tempus assignat Concilium declarans esse parvam moram absentia, ex aliis causis quam illis quæ ipsa sancta Synodus assignavit, ista enim non exigunt tempus determinatum, sed ex illis potest quis non residere toto tempore, quod duret illa causa, quare privilegium absentia per bimestre, aut trimestre non extinguitur per absentiam ex causis assignatis à Concilio, & approbatis à Beatissimo Papa, vel à Metropolitanano.

24. Sed dubitabis, an ut superior localis possit abesse ultra præfatum bimestre, & Provincialis ultra trimestre ex sola licentia tacita sui superioris. Si loquamur de Episcopis & Parrochis non sufficit tacita, sed requiritur expressa, & in scriptis gratis concessa, ut ait Trident. cap. 1. sess. 23. quod ius cum sit humana dispositio extra ius commune non debet extendi ad Pastores, & Prælatos Regulares, quare si causa gravis est, & attentis omnibus circumstantiis prudenter iudicatur, quod superior concederet, tutus talis Prælati non residet, & facit fructus & obventiones suas tempore absentia, qua durat causa illa.



## RESOLVT. IX.

Qualiter debeant Prælati Regulares residere?

## S V M M A R I V M.

1. Quomodo regulares Prælati debeant residere.
2. Præceptum de residendo non est de residentia materiali solum, sed etiam de formali, ex Trid.
3. Quantum prodest Pastoris corporalis presentia.
4. Nazianzeni sententia affertur.
5. Pastorale animarum officium an industriam personæ per se exposcat.
6. An Prælati regulares si vel infirmitate impeditus, non possit exercitibus laboriosis, possit hæc vicario suo committere.
7. An sint plura qua non expediat committere vicario.
8. Qui vituperandi sint prælati.
9. Doctissimi Oleastri sententia.

¶ In modo residendi valde deficient, & peccant multi Regulares Prælati ma-

ximè locales iudicantes suo muneri & officio satisfacere, si domi resideant totam omnino curam ouium suarum relinquentes vicario, aut superiori suo, aut si sit Abbas suo Priori, in quo valde seducuntur. Hoc enim non est esse Pastorem re ipsa, sed nomine tenus, & titulo officij sine re, & officium illis est res de solo titulo, refugientes laborem, & regimen animarum, quas Dominus est requisiturus ab eis, & ipsi reddituri sunt de illis ratione. Quare etsi agnoscat Abbas Priorem & Præpositum Vicarium æque benè ac ipsos imò melius gubernaturos oues, neque sine mortali contra præceptum diuinum de residendo abiiciens se omnem omnino curam, & solum materialiter, & corporaliter residere domi. Præceptum enim de residendo, ut constat ex Tridentino & Patribus non est de residentia materiali solum, sed etiam de formali, ut Pastor agnoscat vultus pecoris sui, & gubernet in spiritualibus pascat, & nutriat, & præseruet à luporum rabie.

Quantum enim obsecro prodest Pastoris corporalis presentia, si hæc verbo & exemplo non dirigat in spiritualibus, imò potius valde obesse potest Prælati corporaliter distantat residens; Non enim (ait Nazianz. orat. 1.) idem est gregi aut armento præesse, & hominum animas gubernare, quid sit primum ibi eleganter describit.

Quid vero secundum orat. 7. dicitur charitate tuâ erga gregem nos doce, industriam tuam simul & solertiam, curam tuam animique attentionem, vigiliam illam coloris istius florere gregis commodis insudatis, illam lenitatem, temperatam acrimoniam, illam in rebus gerendis serenitatem, bella illa pro gregis salute suscepta. Dic qua pascua petenda, qui fontes ad eundem, ac rursus qua pascua vitanda, qui lasices, qui baculo regendi, qui fistula: quo tempore ad pascua ducendus grex, & quo rursus à pascuis reuocandus: quomodo lupis bellum inferendum, quomodo non laceßedi Pastores, hæc præsertim tempestate, qua Pastores stulte sese gerunt, atque oues pascua disperferunt (ut eadem que SS. Prophetæ iisdem verbis deplorant) quomodo quod infirmum est roborabo, quod lapsum est erigam, quod aberrat in viam deducam, quod perit conquiram, quod integrum viribus est conseruabo: quo inquam modo hæc addiscam, atque ita ut recta Pastoris ars postulat custodiam, ac non quod scelerati Pastoris est, lac comedam, & lana induar, & pinguisima queque iugulem, aut vendam, &c.

Quæ S. D. doctrina, etsi omnibus Pastoribus aptè conueniat permaximè tamè quadrat Pastoribus Regularibus, eosque instruit qua ratione formaliter residere debent cum enim Pastoralis animarum officium industriam personæ per se exposcat ea, quæ Nazianzenus ponit ut recta Pastoris ars exequatur, non faciat, & solum presentia corporali

porali assistat nihil per se curans de ouium salute, vt enim egregie lumine naturæ ductus Virgilius cecinit in Culice

— Omnes

*Dirigit huc sensus hac cura est subdita cordi.*

Vt scilicet viam perfectionis oues sibi commissæ securo pede perambulent, non mercenario commissæ, sed suæ diligentia, cuius sunt oues propriae.

- 6 Fateor, quod † Prælatus regularis, si vel infirmitate impeditus, vel grauibus occupationibus detentus, non potest exercitiis laboriosis assistere, potest hæc Vicario suo committere, quem coadiutorem habet in officio, cui etiam potest demandare curam sustentationis domus, in quo est expertus, at illi imponere pondus diei, & æstus, & omnem omnino gubernationem committere absque grauiissimo peccato nequit, sunt enim
- 7 † plura quæ non expedit committere Vicario ob bonum subditorum, & rectum eorum regimen, plura enim Superior maior indixit, exequenda Prælato locali, quæ eius requirunt personalem industriam, & pruden-

tia petit quod per ipsum & non per alium executioni mandentur.

Quare † vituperandi & exulandi sunt Prælati illi locales, qui vt sese ipsos pascant, & cursandi per vicos & plateas sit locus omnes licentias impertiendas committunt Vicariis suis, qui vt in plurimum magis curant subditis complacere, quam mederi animæ infirmitatibus, quæ gladio seueritatis erant curandæ. De istis enim verè intelligitur Isaias cap. 56. n. 11. *speculatores cæci omnes nescierunt vniuersi, canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes & amantes somnia, ipsi Pastores intelligetiam, &c.* In quæ verba sic † Doctissimus Oleaster, dicit ergo de eis tria videlicet, esse cæcos, & non videre, esse mutos, & non latrare, & dormientes ac diligentes somnum, quæ omnia pessima sunt in Rectore, qui debet mala quæ sunt agnoscere, & videre, deinde vocibus arguere cum aliter ea non potest castigare. Hæc autem dicit quare populus est traditus bestiis agri & siluæ. Quare timeant Prælati Regulares si formaliter non resideant suis inconuenientibus, omnem ouium curam alienis humeris imponentes.

FINIS LIBRI PRIMII.



## LIBER SECVNDVS,

### De Residentia Claustrali Religiosorum.

**H**VCVSQVE actum est de residentia personali ratione officij Pastoris, & Prælati, deinceps agendum de residentia propter clausuram (quæ est permanentia, in loco materiali conuentus) et si enim Residentia, non sit clausura, omnis tamen clausura, species quædam residentia est, tam in viris quam in foeminis, in istis tamen strictior, & de vtraque diligenter pertractandum.



#### RESOLVT. I.

*Quo iure teneantur viri Religiosi in clausura viuere, suisque conuentibus personaliter residere?*

#### SVMMARIVM.

1. An Religiosi professi sint obligati precepto iuris ad clausuram, & permanentiam in suo conuentu.

2. Quæ obligatio ad permanentiam & clausuram Monasterij non dimanet ex simplici ordinatione Regule.
3. An nulla sit Regula monastica in qua non exprimat quod Regulares clausuram obseruent.
4. Regula S. Pachomio ab Angelo data assertur.
5. Suscipiendus in oratione coram omnibus promittat de stabilitate sua, ex S. Benedicto, & n. 6.
7. Nauarri sensus adducitur.
8. An Clausura sit preceptum Ecclesiasticum Pontificium & Conciliare.
9. Sit Monachus claustrum suo contentus, ex Eugenio II.
10. An clausura sit preceptum obligans in conscientia iuris Pontificij.
11. An clausura preceptum sit ortum ex precepto naturali & diuino, & n. 12.
13. An subditus dum in scio superiore, vel sciente sine licentia domi clausuram frangit, liberum se constituat à subiectione.
14. An non solum peccet subditus contra vo-
- tum

tum obedientia dum refugit obedire superiori actu imperanti, sed etiam dum se occultat.

15. Quid ex doctrina dicta sequatur, & numero 16.

**R**ELIGIOSOS omnes professos, siue tribus votis solemnibus siue simplicibus obligatos esse præcepto iuris ad clausuram & permanentiam in suo conuentu, à quo egredi non valent immunes à culpa, nisi adsit licentia superioris omnino est indubitatum. Hoc punctum primus quam ego viderim disputauit doctissimus pariter & Religiosissimus Senex Martinus Nauarrus *commentar. 4. de Regular. à numero 29. in meis*; hinc inde rationes proponens quibus rem dubiam, & ancipitem posuit, & tandem resoluit solum iure humano introductam esse Regularium clausuram, & permanentiam in monasterio, non enim extat ius aliquod naturale, aut diuinum in sacra pagina, quo hæc clausura Regularibus intinetur, aut præcipiatur; hæc tamen obligatio ad permanentiam & clausuram monasterij non dimanat ex simplici ordinatione Regulæ, quæ ad pœnam & non ad culpam obligat, sed ex ordinatione rigorosi præcepti, & legis Ecclesiasticæ, hoc autem pullulat ex iure diuino naturali.

Singula enodemus breuiter, & quidem contra Suarez *tom. 4. de Religione*, existimò quod nulla est Regula monastica in qua non exprimitur, quod Regulares clausuram obseruent, & domo non egrediantur quis sine licentia superioris, vnde ad minus est consuetudo obligans in conscientia, & declarans præcepta posita in iure Canonico: & quidem in Regula S. Pachomio ab Angelo data *artic. 47.* sic habetur *† nullus neque ambulandi in monasterio, neque extra murum monasterij procedendi habeat facultatem; nisi interrogauerit prepositum; & ille concesserit, & artic. 72. nemo exeat foras nemo loquatur (foras) nemo remaneat (foris) excepto maioris imperio, quam Regulam obseruari apud Thebaidam tradunt Ruffinus lib. 2. de vitis Patrum cap. 17. & latè Palladius cap. 71. & Sozomenus lib. 6. hist. cap. 28. Basiliius etiam in regulis breuior. interrogatio. 120. Nunquid aliquid discendum sit non petita ab Antistite venia? Respondet negatiuè, & hoc esse magnæ electionis & præsumptionis indicium Augustinus etiam cap. 10. Regula; ille qui habeat aliquo eundi necessitatem, cum quibus prepositus iusserit ire debet. In quæ verba sic fatur Hugo, ut à Prælato prouideatur securitas persona & subdito seruetur virtus obedientiæ. S. Benedictus cap. 58. Regula † suscipiendus in Oratorio coram omnibus*

Tom. II.

promittat de stabilitate sua sciens lege constitutum, quod ei ex illa die non liceat de monasterio egredi, nec collum excutere de iugo Regule, in quæ verba sic Turriscremata per stabilitatem adstringi intelligitur Monachus, quod nullomodo deserat Monachatum, nec sine necessitate & superioris autoritate exeat monasterium, & hanc esse mentem Sanctissimi Patriarchæ constat ex Alexandro II. relato *cap. iuxta 11. 16. q. 1. iuxta Calcedonensis tenorem optimi Concilij, Monachis quamuis Religiosis ad normam S. Benedicti morari præcipimus vitos, Castella, ciuitates peragrarare prohibemus.*

Horum Patriarcharum regulas & constitutiones imitati sunt ceteri omnes Religionum Fundatores, quorum instituta confirmauit Sedes Apostolica. Vnde Clemens VIII. in salubribus decretis, quæ refert Peyrinis *tom. 3. priuileg. & confirmauit Sacra Congregatio iussu Urbani VIII. anno 1626. ordinat sic nullus à conuentu egredi valeat nisi ex causa & cum socio licentiaque singulis vicibus impetrata, ac benedictione accepta à superiore, qui non aliter eam concedat, nisi causa probata sociumque exituro adiungat, non petentis rogatu, sed arbitrio suo, neque eandem sæpius licentiæ vero generales excundi nulli omnino concedantur. Hactenus decretum, quod maiori ex parte est in viridi obseruantia, vbi hæc viget; vnde Nauarr. *vbi supr.* sic fatur *† hanc clausuram communem & iure communi statutam, & confirmatam etiam à Patribus illis quatuor regularium principalium aliarumque institutoribus, deinceps receptam, approbatam, & propriis institutis & sætionibus stabilitam in omnibus Religionum ordinibus permansisse, non tamen apud omnes æqualem, sed in aliquibus arctiorem.**

Et quidè quod huius clausuræ sit præceptum Ecclesiasticum Pontificum, & Conciliarum à quo dimanat hæc obseruantia in Regularibus constat ex *cap. iuxta citat. cap. placuit 8. eadè caus. ex Eugenio II. qui sic loquitur placuit nostro Concilio, ut nullus Monachorum pro lucro terreno de monasterio exire ausu nefandissimo præsumat. Et infra † sit Monachus claustrum suo contentus, quia sicut piscis sine aqua caret vitata sine monasterio Monachus, sedeat itaque solitarius & taceat, quia mundo mortuus est, & Deo viuut, quem locum etià refert Ansel. lib. 5. sui decreti c. 75. & lib. 6. c. 213. quo testimonio et si Pont. expressè prohibeat exitum à conuentu pro lucro terreno, tamè hæc dicit ausum nefandissimum, quia alias nequit de monasterio exire, & hoc illi prohibitum est, vnde pro lucro temporali exire ausus nefandissimus, tū quia suo monasterio debet esse contentus, tū quia mundo mortuus est & Deo viuut. Hinc est, quod Concil. Moguntiacum *cap. 20. ait quod monasterium ita debet constitui, ut omnia necessaria intra monasterium exerceantur, ut non sit necessitas Monachis vagandi foris, quia omnino**

*non expedit animabus eorum. idem statuitur in Concilio Aquisgranens. cuius verba refert Corollianus, de casibus reservatis p. 2. casu. 3.*

10 n. 10. Vnde dubitari nequit esse præceptum obligans in conscientia iuris Pontificij, consuetudine totius Ecclesiæ & Regularis disciplinæ confirmatum, quod nullus Religiosus domo exeat sine sui Superioris licentia.

11 Hoc autem præceptum ortum dicit ex præcepto naturali, & diuino, imo illud est huius quædam modificatio, & determinatio. Hoc constat ex ratione Eugenij Papæ, quia Religiosus professus *mundo mortuus est & Deo viuit*. Vnde non habet proprium velle, aut nolle, totam enim voluntatem totaliter subiecit voluntati sui Superioris, vnde ex vi huius subiectionis debet esse paratus corrigi, dirigi, & imperari à Superiore, & duci quo ipse subditus non vult, hoc enim habet Religiosus professus ex vi voti obedientiæ, quo totum suum velle, & suum nol-


12 le totaliter subiecit suo Superiori, ergo isto incio, & nullo modo volente non potest è domo egredi, quia tali egressu fugit à subiectione quam vouit per obedientiam, & ista absentia priuat Superiorem iure, quo semper, & ad suum beneplacitum potest ipsum

13 dirigere, gubernare, imperare, & ipse subditus dum incio Superiore, vel ipso sciente sine licentia domi clausuram frangit liberum se constituit à subiectione, & non viuit totaliter Deo, nec mundo totaliter est mortuus, non secus ac ille, qui est proprietarius, qui accepit rem inuito Superiore, & se liberum constituit ab abdicatione, quam fecit per votum solemne paupertatis, sicut enim proprietarius priuat Superiorem iure, quod habet ad disponendum de rebus. Ita qui domo sine licentia egreditur priuat Superiorem iure, quod habet ad semper disponendum de persona subditi, qui ex vi huius subiectionis mortuus est totaliter mundo & Deo totaliter viuit, & huc spectat propriissima similitudo qua vitur Pontifex & vsurpauit S. Bernardus, *serm. 1. de S. Andraa*, quod monasteria sunt veluti stagna à quibus si exeant pisces vitam non habent, ita si Regularis sine licentia vlla domo egrediatur, vitam qua Deo viuit, non habet, cum priuet Superiorem iure suo, non secus ac proprietarius, & sicut iste non solum peccat contra votum paupertatis, dum actu expendit, sine vlla Superioris licentia, sed etiam

14 dū se occultat. Ita † non solum peccat contra votum obedientiæ, dum refugit obedire superiori actu imperante, sed etiam dum se occultat, per recessum à domo, quia refugit proximam subiectionem, vt imperari possit à Superiore, qui ad hoc habet ius ex vi voti obedientiæ. Ita Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 1. cap. 6. n. 8.* quem ad ver-

bum ferè transcripsit Pellizarius *1. 1. tract. 5. cap. 6. n. 2.*

Ex hoc itaque discursu quem mihi obtulit ratio Eugenij Papæ, qui satis conformis est iuri naturali quo adstringitur subditus ex vi totalis subiectionis ad Superiorem, qua tenetur esse expeditus, & absque impedimento voluntario, vt possit imperari à Superiore, ortum duxit & originem traditionis & consuetudo, atqui præceptum humanum ne quis Religiosus sine licentia sui Prælati domo egrediatur, tali enim egressu ex natura rei subditus occultatur Superiori, & pro tempore quo durat egressus voluntariè impeditur Superioris facultas ad imperandum, gubernandum, dirigendum atque custodiendum subditum, à qua custodia inuito iuridico custode fugit, & ille, qui ex natura rei subditus est actu subiectionem refugit actualem, quare sine licentia exire domum etiam cum animo reuertendi contra ius naturale est, non secus ac si exit cum animo non reuertendi, quia animus non reuertendi solum addit, quod sit semper mortalis egressus, non tamen facit quod egressus sine licentia etiam animo redeundi, non sit malus cum priuet Superiorem iure suo, quod valde notandum. In huius obligationis confirmationem plura inculcat Gibalinus *de clausura Regulari. disquisitio. 2. Cano. cap. 1. §. 1.* quæ necessaria non sunt ad præsens.



## RESOLVTIO II.

*Quale peccatum sit in viris Religiosis fractio clausura per egressum à domo?*

### S V M M A R I V M.

1. *An Prælati ex vi ordinaria potestatis possit licentiam impertiri subdito vt domo egrediatur.*
2. *An si quis sine licentia aliqua exeat domo, & clausuram frangat, sit peccatum ordinariè.*
3. *Pereant mortaliter qui egrediuntur foras sine licentia aut benedictione, ex Peyrinus.*
4. *Quandonam egrediens possit puniri vt fugitiuus.*
5. *An graue sit impedimentum quum quis egreditur è conuentu animo extra illum per multum tempus permanendi.*
6. *Authoris iudicium, & n. 7. 8. & 13.*
9. *An sine licentia Prælati exire non sit mortale peccatum, & n. 10.*
11. *Quandonam ius superioris grauiter laedatur.*



12. An exitus à clausura in viris etiam repugnante superiore sit aliquando honestus.
14. An exitus à clausura sit aliquando obligatorius.
15. Duplex difficultas venit enodanda & numero 21.
16. An observantiarum transgressio si non sit contemptus illius non sit mortalis & numero 17.
18. Caietani sententia adducitur.
19. An clausura regularium sit præcepta à iure Ecclesiastico, & n. 20.
22. An si quis se occultet intendens quod superior non possit ipsum corrigere peccat mortaliter, & n. 23.

**N**ON loquimur de Apostatis & fugitiuis, isti enim cum iugum Religionis à se excludant spreto claustrò, & regulari disciplina, dubio procul mortaliter peccant, sed loquimur de Religiosis, qui animo reuertendi sine superioris facultate domo egrediuntur. Et quidem mihi videtur certum (quod nisi extet specialis aliqua constitutio alicuius Religionis, ut mox dicam) quod † Prælati ex vi ordinariæ potestatis potest licentiam impertiri subdito, ut domo egrediatur siue ad utilitatem conuentus, siue proximi, siue propriam, tum quia consuetudo, praxis, & præceptum ita receptum est, & regulæ Sanctorum fundatorum hoc exprimunt, vnde hinc interuenit propriè dispensatio ex licentia superioris, quam requirit subditus, ex vi voti obedientiæ, sicut requirit ad expendendum ex vi voti paupertatis, ut *infra* enucleo.

Igitur † si quis sine licentia aliqua exeat domum, & clausuram frangat, ordinariè peccatum est; & si materia egressus gravis sit erit mortale, ut in omnibus legibus naturalibus, diuinis, & humanis certum est, in quarum multis est paruitas materia, quæ à mortali excusat, etsi materia sit grauis sub mortali obligant, existimo tamen quod sicut proprietas ex genere suo mortalis est, ita egressus à domo sine licentia, quia ut vidimus talis egressus prohibitus est, ex iure naturali, quo tenetur subditus non ponere voluntarium impedimentum sibi imperandi. Legendus est Peyrinis in *Regulam Minimorum cap. 5. §. 19. quæst. 4. num. 6.* vbi dicit quod † peccant mortaliter, qui egrediuntur foras sine licentia, & benedictione, tum quia grauis pœna huic egressui ponitur, tum quia in Religionibus reformatis hoc graue malum cœsetur, & res grauiissima. Vnde quatuor Summi Pontifices de quibus *infra* pœnam carceris imponunt, quod arguit culpam esse mortalem iuxta doctrinam D. Thomæ, *quodlibeto 1. art. 20. ad 1. & D. Caiet. 2. 2. q. 186. art. 9. quam*

doctrinam Peyrinis ego intelligo quæ egressus sit sine vlla licentia, tunc enim † egrediens potest puniri, ut fugitiuus secus vero si habet tacitam, quamuis in aliquibus Religionibus requiratur expressa, ut dicam *infra* *resolut. 3. §. 4.* sed videndum restat quum apponere præfatum impedimentum graue sit itaue sit mortale, & quam leue itaue sit veniale.

Et quidem † tunc est graue impedimentum quam egreditur conuentum animo extra illud per multum tempus permanendi, animo tamen reuertendi; hic, etsi non sit fugitiuus propriè, aut Apostata; tamen mortaliter peccat contra clausuram regularem, quia per multum temporis refugit subiectionem, & priuat superiorem iure suo ipso inuito; sed quantum temporis spatium debeat esse, existimo † quod nocturnus egressus vnus noctis, hic enim est casus reseruatus à Clemente VIII. *casu 3. nocturna ac furtiua à monasterio egressio, etiam non animo apostatandi facta*; non autem reseruatur nisi peccatum mortale, vnde talis egressio ex obiecto suo mortalis est, secluso quocunque fine malo extrinseco, quia per se loquendo talis nocturnus & fugitiuus egressus contrarius est iuri superioris, quod habet ad custodiendum Religiosum, per seque infert scandalum, & infamiam, quamuis per accidens sit occultus, & nulli notus, damnosissimus est talis egressus.

Imo existimo † esse mortale, etiam si crepusculis diei & noctis egrediatur animo permanendi per noctem & diem extra conuentum, etsi sit in crepusculis noctis esse casum reseruatum si nocte extra perseueret; imo etiam si aliqui eam viderint nocturna fuga mortalis est, & credo quod sit casus reseruatus, quia *furtiua*, ibi non dicitur, quia omnibus occulta, sed quia furtiua sit, hoc est clam & occultè, à Prælato facta, imo etiam si sit egressio à mane vsque ad vesperam, & per diem integrum si fiat furtiue, & clam puto materiam esse grauem, nec facile excusarem à mortali maxime in Religionibus in quibus viget Regularis disciplina & datur sufficiens congrua Religiosis, in aliquibus enim contrarius abusus in disciplina regulari est introductus, in quibus non facile damnarem ad mortale egressus à mane vsque ad vesperam.

Sed impedimentum tunc erit leue, ita ut † exire sine licentia Prælati clausuram non sit mortale, quum verbi gratia duo Religiosi, vel vnus per communem ianuam exeant foras paulo post reuersuri, hæc enim materia leuis est seclusis præceptis specialibus alicuius Religionis, secluso

etiam scandalo, & sine extrinseco mortali exitus à domo, hic enim, non est moralis grauis subtractio iuris Superioris, & subiectionis Regularis, neque est fuga in rigore, vnde non continet grauem moralem deordinationem, & sic ob leuitatem materiæ erit solum culpa venialis, nisi is vigeat regularis disciplinæ rigor quoad clausuram, vt in Carthusianis, Carmelitis excalceatis, & similibus, quod graue quid in genere moris in sua Communitate reputetur: quia ex vi regulæ mos iste rigidè obseruatur sicut votum paupertatis in vna Religione rigidius obligat, quam in alia, vel ex consuetudine, vel ex regula & constitutionibus, aut ex indultis Apostolicis, quare si Carthusianus vel excalceatus, sine licentia tacita, vel expressa generali, vel speciali per aliquod temporis spatium clausuram omnem egrediatur mortaliter peccat, quia

10 † ius sui Superioris grauiter lædit, quod ius Superioris ita intactum obseruatur in talibus religionibus, & in similibus, in quibus declaratur, quod taliter debeat obseruari clausura in qua grauitas materiæ defumitur in ordine ad finem, quem religio declarat, & habet in clausura sicut grauitas materiæ paupertatis illa quæ in vna Religione leuis est, in alia grauis iudicatur, vt latè dixi tom. 6. de congrua in digressio. Paupertatis Carthusiana.

11 Rursus adnoto quod † exitus iste, & egressus à clausura in viris etiam Superiore repugnante aliquando est honestus, imo aliquando obligatorius maximè si sit, pro paruo tempore, vt bene Suarez *ubi supra*, num. 11. est honestus si Religiosus indigeat exire ob licitam recreationem, vel ad inuisendum parentes existentes in graui infirmitate, aut incarcerati, tunc enim Superior irrationabiliter est inuitus negans licentiam; quare est licentia tacita legis, vt possit exire; maximè si ex consuetudine & intelligentia Regulæ, & legis contrarium non sit in vsu, vt existimo † esse inter Carthusianos, & Camandulenses qui strictissime clausuram obseruant, & quamuis Superior localis possit huiusmodi licentiam concedere in præfatis casibus, ex rati habitatione Generalis; tamen nisi illa expressè concedatur existimo hos Monachos non posse licitè ob præfatos fines clausuram exire, in aliis vero, non ita acerbè iudico. Est etiam † aliquando obligatorius,

14 vt quando interuenit necessitas proximè spiritualis proximi, quæ differri nequit, tunc enim sicut obligatur Superior ad dandam licentiam si Superior ex falsa informatione, aut præsumptione, aut paruo affectu noliteam concedere tenetur subditus exire ad illam necessitatem proximi

succurrendam, si tamen res dubia sit, tenetur obedire Prælato, & eius opinionem sequi, si præcipiat.

Sed aduersus dicta † est difficultas duplex non parua, primò, quia videtur consequenter dicendum quod quilibet Religiosus teneatur in conscientia & sub obligatione peccati mortalis vel venialis ad obseruandum ea quæ in suis constitutionibus traduntur, etiam si expresse dicatur non obligare ad culpam, sed solum ad pœnam, consequens autem est contra S. Tho. 2. 2. qua. 186. art. 9. in corpo. & expressius in solutio. ad 1. & D. Caiet. ibidem: sequela probatur, quia eo ipso, quod, quis transgrediatur, & non obseruet v. g. legem silentij, aut ingressionis in cubicula se subtrahit ab obedientia Superioris, & legis, eumque priuat iure suo, respondetur, quod † obseruantiarum (quæ non sunt in præcepto vel iuris communis, vel regulæ, vel Superioris qui expresse præcepto aliquam obseruantiam præcipit (transgressio, si absit contempus illius non est mortalis, vt bene D. Tho. quia sunt ordinationes factæ in ordine ad obseruantiam votorum substantialium, vnde ex vi regulæ non obligant, nisi ad pœnam (quamuis ad sustinendam pœnam obligetur regularis professus in conscientia, non enim leges istæ & constitutiones veræ essent leges nisi haberent vim coactiuam, nec distinguerentur à consilio quod nullo modo cogit, sed liberum relinquit, operantem ad illud exequendum quod non habet lex & cõstitutio Regularis, legendus est omnino Doctissimus Nazarius opusculo de statu & obligatione Religiosorum dub. 5. pag. mihi 205. de voto obedientia.)

Ast quum, id quod † statuitur in regula est alias præceptum lege Ecclesiastica aut naturali, illius transgressio obligat immediate in conscientia siue venialiter, siue mortaliter pro materia leui, vel graui, vnde ex duplici titulo tenetur, & obligatur, & quia est præceptum, & quia est statutum Regulæ sicut (inquit Caiet. *ubi supra* §. ad hoc dicitur) si in regula indicuntur inter alia ieiunia etiam illa ieiunia, quæ sunt ab Ecclesia instituta, tenetur Religiosus illa ieiunare non solum ex Ecclesiæ statuto, sed ex sua regula mandato. Non enim inconuenit præceptum à iure iterum præcipi ab alio iure vel iudice vt patet. Nec propterea iudices me dicere, quod omnia præcepta diuina contenta in regula cadant etiam sub præcepto regulæ quia stat quod cadant sub simplici statuto regulæ, ita quod ex regula non haberent vim præcepti, si cessaret vinculum diuini aut Ecclesiastici præcepti. Haftenus Card.

Cum ergo † clausura Regularium sit præcepta à iure Ecclesiastico, quod modificauit ius diuinum de subiectione ex vi obedientiæ, & hoc nõ interueniat in aliis obseruantiis clausura

19 clausura obligat ex vi præcepti & obligat ad  
pœnam sustinendam ex vi regulæ, aliæ vero  
solum ad pœnam. Vnde dum quis frangit  
silentium indictum à regula illam transgre-  
ditur, & facto se subtrahit ab obedientia  
legislatoris, si tamen sit paratus subire pœ-  
nam nullam culpam committit, si tamen pa-  
ratus non sit culpam committit, quia ex cõ-  
temptu operatur regulæ. Vnde subtrahit se  
ab obedientia Superioris potentis punire, &  
hoc facit qui clausuram frangit, & se absentat  
inuito & inscio Superiore, & transgredi-  
tur præceptum humanum, etiam si sit para-  
tus subire pœnam, transgreditur etiam ius  
20 diuinum, & naturale quod habet Superior,  
vt subditus sit in potentia proxima, vt possit  
dirigi, corrigi, imperari, & custodiri, quam  
potentiam à se abiicit, qui clausuram fran-  
git ex vi cuius redditur incapax ex natura  
rei, vt hos actus exercent circa ipsum Supe-  
rior: legatur omnino Nauarrus *comment. 4. cit. n. 35.*

21 Secunda difficultas est, quia ¶ etiam vide-  
retur mortaliter peccare subditus, qui intra  
clausuram conuentus, ita se includeret, &  
occluderet occultando, quod nullus eum  
possit inuenire, nec vocatus comparere co-  
ram Superiore, iste enim subditus ex vi talis  
occultationis incapax redderetur, vt possit  
dirigi, corrigi & imperari à Superiore, quare  
ab eo aufert subiectionem & proximam  
potentiam ad illi obediendum, non secus ac  
ille qui frangit clausuram. Respondet, quod  
22 ¶ si iste se occultat expressè intendens, quod  
Superior non possit ipsum corrigere, &c. du-  
bio procul mortaliter peccat, quia refugit  
subiectionem, quam ex vi voti obedientiæ  
professus est, (nisi id faciat ex aliqua passio-  
ne, aut timore) si tamen se occultet non ex-  
presse hoc intendens, sed solum ad fugien-  
das aliquas pœnalitates, aut ex alio motiuo,  
vt ad ludendum, vel quid simile cum non  
frangat præceptum clausuræ, sed intra illius  
septa contineatur, peccabit quidem ex alio  
23 capite, non tamen ex hoc, cum Superior in-  
tra solum monasterium liberum habeat in-  
gressum, & non admodum difficulter oc-  
cultus possit inueniri, iste non redditur in-  
capax ex vi occultationis intra monaste-  
rium, vt possit corrigi, & imperari sicut red-  
ditur ex vi fractionis clausuræ.



## RESOLVT. III.

*Qualis licentia exigatur, vt sine  
fractione clausura Regularis  
domo egrediatur.*

**L**ICENTIA Superioris duplex est, aut  
explicita, & expressa, aut implicita, &  
& tacita de aliis portionibus licentiæ §. 4. di-  
cam quod explicita sufficiat nulli dubium.

## §. I.

*An requiratur causa, vt hac licentia detur.*

## S V M M A R I V M.

1. *An requiratur causa vt licentia concedatur.*
2. *An dispensatio facta à Papa sine iusta causa sit valida.*
3. *An licentia Prælati inferioris Papa non sit dispensatio iuris communis, & n. 4.*
5. *An finis præcepti de Clausura in viris sit magis ne religiosus discedat à Prælato, quam vt non discedat à loco.*
6. *Nauarri mens assertur. & n. 7. necnon authoris iudicium, & n. 8. & 9. & 18.*
10. *Subditus non debet diuagari nec se à Prælato subtrahere.*
11. *Licentia debet esse ex causa iusta, remissiuè & num. 12.*
13. *An Superior licitè non possit dare licentiam sine iusta causa.*
14. *Non excundi sine licentia quanta sit grauitas materia assertur, & a. 5.*
16. *Vrbani VIII. decretum, & n. 17.*
19. *Non potest iusta reformatio cuiuscumque monasterij ab obseruantia lapsi fieri, nisi prius constructa domo, ex Nauarro.*

**S**ed ¶ an requiratur causa dubium est, ¶  
Nauarrus *comment. 4. de Regular. num. 36.*  
sentit, quod etiam Papa det licentiam egres-  
sus à domo, & sit immunis ab omni culpa  
dispensans in sua lege, debet, habere iustam  
causam, vt docent Doctores vtriusque iuris  
& Theologi cum vtroque Thoma 1. 2. q. 96.  
*art. 5. ad 3.* Legislator enim etsi non ligetur  
legibus suis, quoad vim coactiuam, bene ta-  
men quoad directiuam, vnde ¶ dispensa-  
tio facta à Papa sine iusta causa, valida est,  
etsi peccaminosa, quod *infra Resolut. enodo*  
de aliis vero inferioribus Papæ Superioribus  
si dant licentiam egressus à domo sine iusta  
causa, an peccent eam dando, & subditus  
egrediendo cum tali licentia sine causa con-  
cessa? Pellizarius *vbi supra n. 5.* dicit, quod  
subditus iste non peccat, si secludatur scan-  
dalum, & malus finis egressus, sequitur in  
hoc Suarez *cap. 6. citat. num. 12.* addens *n. 13.*  
quod nec venialiter peccat, etiam si egressus  
sit ad aliquod iter agendum.

Probant Pellizarius & Suarez suam sen-  
tentiam. Primò, quia ¶ licentia Prælati infe-  
rioris Papæ, non est dispensatio iuris com-  
munis, sed est conditio requisita ex vi præ-  
cepti clausuræ, quod non exigat, vt pruden-



ter licentia detur, nec quod subditus id exquirat, non enim constat ex lege, aut consuetudine; cum præceptum clausuræ solum sit, ut non sit egressus sine licentia, siue detur cum causa iusta, siue sine illa, sicut qui habet præceptum non comedendi sine licentia, & ista sine causa detur, non peccat contra præceptum, etsi, sine necessitate comedat peccet contra temperantiam; verbi gr. si Superior imponat præceptum, quod non bibatur chocolate in die ieiunii sine licentia, & ita detur sine causa, non peccabit contra præceptum, etsi possit peccare contra temperantiam, quia sine necessitate bibit, & delectationis causa. Secundo, quia ¶ finis præcepti de clausura in viris est magis, ne Religiosus discedat à Prælato, quam ut non discedat à loco quotiescunque enim descendit sub voluntate Prælati non discedit à Prælato, etiamsi talis Prælatus voluntatem immerito habeat, & imprudenter licentiam impertiat. Ex quibus infert, & quidem consequenter Pellizarius, quod Superior exiens à Conuentu sine iusta causa, non peccat contra præceptum clausuræ, sicut nec subditus cum licentia, quæ aliis sufficiens est ad egressum Prælatus sibi assumeret.

Sed contrarium ¶ tenet Nauarrus *comment. de Regular.* dicens n. 36. *in meis quamuis peccet qui dat licentiam sine iusta causa & etiam, qui vitur illa sciens non esse iustam non tamé arbitror incidere ipsum in penas exeuntis sine licentia argumento, eorum quæ diximus in comm. 2. de Regular. num. 22. de habente peculium de licentia Prælati absque iusta causa, quæ vero cuiuscunque exitus iusta causa fuerit, arbitror superioris boni viri ac prudentis pro varietate circumstantiarum, persona, loci, &c. diffiniri debet argumento leg. 1. D. de iure delib. &c. de causis de officio delegati.* Hæc Nauarr. qui perdocte solum eximit à pœna non à culpa.

Quæ sententia utpote conformior iuri communi, & rationi mihi ¶ summopere aridet probatur primò, quia, etsi licentia Prælati inferioris non esset dispensatio, sed conditio requisita, ut præceptum de clausura obseruetur, sicut consilium medici ut licite comedantur carnes in quadragesima ex vi Bullæ Cruciatæ, & tamen quia ad non comedendum carnes in quadragesima ius Canonicum obligat, si licentia detur ad comedendum carnes in quadragesima, sine iusta causa, peccant, qui dant licentiam & qui ea vtuntur: ergo, etiam Superior dans licentiam, sine rationabili causa, ut subditus domo egrediatur.

Idem etiam constat clarè in præcepto quod habent Moniales, de clausura seruanda, si enim re ipsa non subsistat causa aliqua ex assignatis à summis Pontificibus non

potest Episcopus licite licentiam concedere ut egrediatur, nec monialis tuto egreditur, quia causa debet esse iuridice, & prudenter cognita, ergo cum præceptum clausuræ impositum viris; ne sine licentia egrediantur domum, licentia ista ex iusta causa procedere debet, etsi non procedat frangitur, præceptum, verum est quod subditus non tenetur disquirere an Superior habeat causam, vel non, sed semper debet præsumere causam habuisse, etsi subditus eam ignoret, nisi expresse prohibeatur in constitutionibus, quod Superior aliquis in aliquibus casibus licentiam egrediendi non concedat.

Ratio à priori sumitur ex fine præcepti ¶ ne ¶ subditus diuagetur, & non subtrahat se à Prælato, qui illum custodire tenetur, & corrigere, cui iuri nequit Prælatus sine causa iusta renunciare, cum sit contra bonum commune ipsius Religionis, quare voluntas Superioris, ut subditus foras egrediatur debet esse ratione regulata, & per consequens ex causa iusta.

Ad fundamenta opposita facilis est solutio ad primū respondetur, quod ex fine legis constat, quod ¶ licentia debet esse ex causa iusta, ut vidimus, similiter ille qui habet præceptum, non comedendi sine licentia, si ista datur sine causa & hoc illi constat contra præceptum sibi impositum peccat, si licentia debet dari ab alio quam ab imponente præceptum ad exemplum quod adducitur de præcepto non bibendi potum cholicum sine licentia in die ieiunii iam sæpius dixi, & ter typis mandavi, quod potus iste non frangit ieiunium, & si illius meritum adimat, vel diminuatur, & multis, & efficacissimis rationibus comprobauit tom. 2. *Moralium, tract. ... per tot. & in Appendice,* quas hucusque solutas non vidi, & si aliqui id tentarint tamen sine fructu, si tamen imponatur præceptum, quod sine licentia non bibatur, alius Superior inferior præcipiente, nequit dare licentiam, sine iusta causa sine qua si detur bibens contra præceptum impositum peccat.

Ad secundum respondetur, concedendo ¶ illum esse finem huius præcepti, tamen negamus, quod Superior licite possit licentiam dare sine causa iusta ad egressum à domo, nec subditus si id sibi cõstet licite potest ea uti, ut in exemplis adductis constat. Verum est quod iuxta consuetudinem religionis, & aliis circumstantiis consideratis, & iuxta statuta ordinis consideranda est iustitia, & honestas causæ, quæ enim in vna Religione est sufficiens, in alia in qua strictior est regularis disciplina non sufficit.

Ut autem conspiciatur ¶ quanta sit grauitas huius materiæ non exeundi sine licentia

15 centia, & quod ista sit ex causa rationabili, & cum socio designato à Superiore, aduerto quod vnum potissimum ex mediis, quod reformatores Religionum ponunt est istud, & S. August. in sua Regula, cap. 10. designauit & cæteri Fundatores S. Pachom. art. 36. & 47. & S. Basilius in regulis fusius disputatis. Clemens VIII. & Urbanus VIII. in Decreto de reformatis Religionibus de art. 1601. die 20. Martij, §. 35. & 36. Et omnis scandalorum, & vagationis occasio tollatur conuentus clausura perpetuo ac diligenter seruetur, &c.

16 infra † nullus conuentu egredi valeat nisi ex causa & cum socio, licentiaque singulis vicibus impetrata, ac benedictione accepta à superiore qui non aliter eam concedat nisi causa probata sociumque exituro adiungat, non petentis rogatu sed arbitrio suo neque eundem sæpius, licentia vero generales exeundi nulli omnino concedantur. Hæc ibi.

Quæ confirmauit Urbanus VIII. anno 1626. in quo die 30. Iulij, pro Regnis Hispaniæ addit Bullam ex motu proprio, & ex certa

17 scientia, in qua reuocauit priuilegia, prærogatiuas, immunitates, & exemptiones quorundam Regularium, inter quas vna erat; Et cum sociis sibi bene visis, & iam destinatis, etiam Superiorum suorum non petita licentia, egrediuntur, &c. quam Bullam ad verbū refert Peyr. t. 1. priuileg. in paruis, p. mibi 354. & ibi explicat, sed latius Portell. p. 2. casu 31. qui etiam dicat non esse receptam, sed ab ea conclamatum maximasque inuexisse inquietudines, tamen tam ex Bulla hac, quam ex Decreto inducto constat sic declarantibus Pontificibus, quod causa exeundi debet esse rationabilis, cum debeat esse probata. Et quidem vt verum fatear existimo quod hæc probatio licentiæ egressus è domo est ita necessaria, quod ex illa maxime pendeat conseruatio Regularis, disciplinæ si vero sine delectu licentia concedatur est ostium magnum aperire relaxationi, dissolutioni, scandalis, & mille aliis inconuenientibus, vnde

18 Nauarrus ubi supra, vers. 5. dixit † non posse iustam reformationem cuiuscumque Monasterij ab obseruantia lapsi fieri, nisi prius constructa domo in qua omnes monachi possint simul habitare, cui esset porta, & Ianitor continuus, qui aperiret illam, & clauderet opportunè: quoniam alioquin non posset seruari pars illa regulæ de seruanda clausura confirmata per Concilia, & Summos Pontifices.

## §. II.

De licentia tacita.

## S V M M A R I V M.

1. Iure communi omnis regularis potest iuste

exire de licentia Superioris ex Nauarro.

2. An parem vim habeat tacitū & expressum.
3. An licentia prudens tacita, habeatur pro expressa, & n. 4. & 5.
6. An taciturnitas superioris sit prudens motuum licentiæ tacita & n. 7.
8. Patris Sanchez sensus adducitur.
9. An si taciturnitas superioris non sit pura permissio sed sit approbatio, sit tacita licentia.
10. Authoris iudicium, & n. 11.

**D**E licentia tacita, quod sufficiat est communis sententia de qua sic Nauarrus versic. duodecimo num. 34. † iure communi omnis Regularis potest iuste exire de licentia Superioris, non solum Generalis, & Prouincialis, sed etiam inferioris immediati non tantum expressa, sed etiam tacita, & non tantum specialiter, & in indiuidio, sed etiam generaliter data, modo ea detur iusta de causa. Dixi iure communi quia iure speciali, quorundam plus requiritur &c. Et in sequentibus explicat singula quæ dixit. Et quidem quod quum iure communi requiritur absolute licentia sufficiat tacita certum est, quia † parem vim habet tacitum, & expressum leg. cum quid. D. de reb. cred. cap. 2. de rescript. & licentia ad expendendum ne fiat contra votum paupertatis, quod strictius obligat, tenent omnes fere scriptores D. Thom. 2. 2. quest. 32. art. 8. ad 1. D. Bonauent. tom. 7. in speculo discep. ad nouit. p. 1. cap. 4. D. Antoninus 3. p. tit. 16. c. 1. §. 1. notab. 2. Lessius lib. 2. cap. 4. num. 8. expositores D. Thom. ad præfatum art. 8. Bannez, Aragon, Arauio, Lorca, Malderus, Suarez, Valentia, & alij quos refert & sequitur Thomas Sanchez lib. 7. summ. cap. 19. num. 4. cum enim prudenter præsumatur id velle superiorem non fit sine eius licentia, & consensu, vt enim bene Iurisperiti in iure certa regula est quod † licentia prudens tacita habetur pro expressa. Sed quando colligi prudenter quis possit Prælatum tacitè consentire latè Nazar. ubi sup. de voto pauper. pag. 106. concl. 8. aut colligitur ex consuetudine, & vsu communi timoratorū, aut ex blāda Superioris & affabili cōditione, aut quia subditus diligitur, aut valde æstimatur à Prælato, vel ob consanguinitatem, necessitudinem, aut insignia merita, ancianitatem, & similia, aut quia egressus valde utilis fuit, vel ipsi Religioso, aut Conuentui, aut proximo, vel quia vocatur à Principe, aut persona magnæ authoritatis, & differri nequit egressus. Aduerte tamen quod rationabilior causa requiritur ad egressum ex licentia implicita, quam ex licentia explicita, vrgentius enim motuum necessarium est, vt prudenter iudicem superiorem velle me egredi.

Sed

- 6 Sed est non parua difficultas † an taciturnitas Superioris videntis, tacentis & non impediens Religiosum domo egredientē sine sua expressa licentia, sit sufficiens, & prudens motiuum licentia tacita, & rati-habitionis de præsenti, quod talis subditus domo egrediatur, ex vna parte videtur quod sic iuxta *Regulam 43. iuris de regulis iuris in 6. qui tacet consentire videtur.* & ius ciuile idem pro regula tradit *leg. qui tacet D. de regulis iuris leg. 2. §. voluntatem. D. soluto matrim. & late explicat Barbosa axioma. 227. & ad præfatam Regulam iur. canon. cap. consentire 83. dist. dicitur, consentire peccato videtur, qui cum possit resistere tacet.* Ex altera parte videtur quod non sufficiat taciturnitas, cum ex variis motiuis possit Superior tacere, absque eo quod consentiat, & sic ex taciturnitate non colligitur licentia tacita & consensus Prælati, vnde *leg. 3. C. si res aliena leg. filius familias. 8. ff. de procurat. & aliis iuribus citatis à glossa canonica cap. nonne de præsumptio. & glossa ciuilis ad l. qui tacet cit. ex taciturnitate non colligitur consensus.*
- 7 8 P. Sanchez † *lib. 7. summ. cap. 19. num. 12.* hæc duo extrema opposita concordat, & conciliat dicens, quod prima sententia loquitur de taciturnitate purè permissiua, hæc enim non arguit consensum Prælati tacitum ad egressum, taciturnitas enim diuina, qua sine flagello actuali permittit aliquem in plura incidere peccata, non arguit vllatenus consensum in peccatum, sed tolerantiam permissiuam, quæ non excusat à peccato. At † si taciturnitas non sit pura permissio, sed sit approbatio quædam ita est tacita licentia, & consensus excusans à transgressione, quæ taciturnitas dicitur *rati-habitione de præsenti*, tunc autem taciturnitas est approbatiua, quum potens impedire non impedit, ex libera voluntate, & beneplacito, secus vero si ex verecundia & timore, quia tunc est pura permissio, & tolerantia.
- Hæc doctrina etsi communis, sit satis plausibilis mihi ingerit summam difficultatem, † quia si verecundia aut timor non cadit in constantem virum, sed est leuis, & non prouenit à causa extrinseca, quæ facile vinci potest, non aufert libertatem consensus, nec infert voluntarium mixtum, & sic tacens consentire videtur, & est taciturnitas approbatiua, quamuis enim quæ extorquentur ab extrinseco incusso metu leui in foro conscientia sint restituenda, vt-pote cum incutiens metum iniuriam faciat, sic dans, renitens dat ob metum sibi ab intrinseco incussum; at quum quis tacet non ob metum incussum leuem ab extrinseco,
- 10 11 sed quia ob verecundiam, vel ob timorem à causa intrinseca proueniens, timens ne

odiosus fiat, ne damnum ei inferatur, & hic timor leuis est, & non cadēs in constantem virum, sed facile vinci potest, non video cur taciturnitas ista non sit approbatiua prouenit enim hic timor à causa intrinseca, quæ illum potest vincere, vnde si non vincit, cum possit approbat; quod secus est si sit timor reuerentialis, hic enim dimanat à causa intrinseca, scilicet ab illa persona, quæ timetur timore reuerentiali, vt bene Thom. Sanchez *lib. 4. de matr. disp. 9. n. 12.*

## §. III.

*An consensus de futuro sufficiat ad licentiam tacitam.*

## S V M M A R I V M.

1. *An sit licentia tacita excusans subditum in transgressione voti paupertatis.*
2. *Nazarim mens adducitur.*
3. *An ex morali certitudine consensus futuræ colligatur actualis consensus tacitus & virtualis.*
4. *Multorum DD. sensus, & num. 5. & numero 18.*
6. *An cum licentia requiratur ad valorem actus licentia debeat precedere.*
7. *An vinculum legis non solvatur ex rati-habitione.*
8. *An dum requiritur licentia superioris ad aliquid licitè faciendum, ista licentia ponatur vt conditio actus.*
9. *Patris Sanchez opinio, & num. 10. & 11. necnon authoris iudicium, & num. 12. & 13. & 15. & Vlpiani mens adducitur, & num. 14.*
16. *An licentia dependens ex consensu futuro non precedat.*
17. *An sufficiat licentia tacita ex rati-habitione consensus Superioris.*
19. *An ad valorem actus requiratur licentia tacita ex rati-habitione consensus, & n. 20. & 21. 22.*
23. *An habitas ad exercendum actum validum sit requisita de iure diuino.*
24. *Ratio difficultatis assertur.*
25. *An omnia gesta per Episcopum aut Pontificem, qui vere non est talis sint inuvalida.*

Sed antequam hinc digrediar non possum non disputare grauissimam difficultatem circa hanc licentiam tacitam, quæ est principium morale ad plures difficultates deseruiens, † an sit licentia tacita excusans subditum in transgressione voti paupertatis & præcepti de clausura, dum operatur credens fore, quod Superior licentiam daret, sic operandi, quamuis modus operandi sine licentia expressa dumtaxat displiceret, late disputat & erudite vt assolet P. Thomas Sanchez

chez *vbi supra*, num. 13. quem sequitur Nazarius *vbi supra de voto paupert. dub. 8. conc. 3. & 4.* & quod sufficiat probatur *leg. inter omnes 16. §. recte D. de furtis. ibi † Recte dictum est qui putavit se Domini voluntate rem attingere non esse furem. Quid enim dolo fecit, qui putat Dominum consensurum fuisse? siue falso siue vero putet, is ergo solus fur est qui adtrectavit quod inuito Domino se facere sciuit. Hætenus Vlpianus. Hoc autem ideo est, quia adtrectat rem alterius ex tacito consensu, & tamen consensus est in futurum, cum putet Dominum consensurum fuisse.*

3 Vnde † ex morali certitudine consensus futuri colligitur actualis consensus tacitus & virtualis, & quasi quadam iuris fictione censetur quis tacite, & virtualiter consentiens, ex eo quod recto moraliter iudicio consensurum, ita colligo ex D. Thom. *in 4 dist. 15. q. 2. art. 5. q. 4. in corpo.* quod repetit *2. 2. q. 32. art. 8. ad 1.* quamvis in priori loco agens de eleemosyna elargienda à monacho dicat sub spe ratihabitionis Abbatis eam posse facere, & in secundo dicat id posse facere de licentia Abbatis vel expresse habita vel probabiliter præsumpta, quæ videntur in idem re incidere, nam probabiliter præsumitur licentia quum iudico Abbatem ratihabiturum, & consensurum. Vnde † Tabiena, Sylvester, Rosella, Angelus verbo *furtum* ex præfata doctrina colligunt, non esse furti reum, qui accipit alienum absque Domini licentia, quando prudenter credit Dominum petita licentia concessurum, & in hoc conveniunt omnes quos citat Sanchez quamvis aliqui dicant requiri certitudinem moralem futuri consensus, alij quod sufficiat cognitio probabilis orta ex iusta credendi causa, quæ cognitio est moralis quædam practica certitudo cum sit iudicium prudentiæ quod est evidens & certum, sine quo est improbabilis & temeraria cognitio practica.

Ex alia vero parte videtur quod ratihabitio de futuro consensu, etiam si certa moraliter sit non sufficiat ad excusandum à transgressione, primò, quia † cum licentia requiritur ad valorem actus licentia debet præcedere, vnde est constans, & certa sententia, quod ad valorem sacramenti pœnitentiæ, & matrimonij non sufficit ratihabitio præfata de licentia, & consensu futuro, vt late probat Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 35. à num. 7. secutus Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 72. sect. 3. vers. hinc sequitur.*

7 Secundò, quia † vinculum legis non soluitur ex ratihabitione, quod legislator dispensaret si peteretur ab eo licentia, quia futura dispensatio nõ soluit vinculum, quod actu ligat, alias mille absurda in dispensationibus matrimonialibus, & aliarum inhabilitatum iuris, introducerentur, non enim

sufficit quod Superior solitus sit dispensare, vt sine venia & dispensatione actuali contra legem obligantem operetur, ex hoc enim ostium magnum aperiretur ad relaxationem & eversionem disciplinæ Ecclesiasticæ, & regularis.

Tertiò, quia dum † requiritur licentia & consensus Superioris ad aliquid licite faciendum ista licentia ponitur, vt conditio actus: ergo vt ille licite, & valide fiat illa debet præcedere, & actus adesse, alias actus impunè fieri nequit, cum vinculum legis non solvatur, nisi illa adfit, sicut ait D. Thomas *2. 2. quest. 122. art. 1.* quem sequitur *ibi. D. Caiet. ad hoc quod cessit obligatio legis, ex vi epycheiæ, & æquitatis necessum est quod iudicetur, quod mens legislatoris est, quod in hoc particulari deficit lex contraria ab eius intentione. Vnde debet esse ratihabitio de præsentis voluntate, nec sufficit de futura.*

P. Thomas Sanchez *n. 15.* † dicit requiri voluntatem Superioris quasi actualem, & ratihabitionem illius quasi de præsentis, tacitamque licentiam; quæ colligitur ex experientia, qua compertum est libenter solitum esse Superiorem licentiam eam concedere, nec notabiliter ægre ferre, vt non petatur: vnde vt iudicetur esse licentia tacita, debet iudicari de præsentis adesse actus in voluntate saltem virtuali, aut habituali Superioris, quæ velit id à subdito fieri, quavis aliquantulum sit iniurus, quoad modum, nollet enim id fieri nisi petita licentia, secus si esset notabiliter inuitus quoad modum. Itaque requiritur credi probabiliter Superiori per voluntatem virtuale actu vel- 10 le, etsi mallet licentiam peti, at non est notabiliter, sed aliquantulum inuitus eo quod non petatur, tunc enim erit solum culpa venialis, carebitque omni culpa, si nec quoad modum creditur eos nõ fore inuitos, hæc fere Sanchez qui addit vt soluat funda- 11 menta partis negantis quod in materia sacramentorum est maior rigor, vt enim ista valide exercentur, requiritur ratihabitio de præsentis, ita vt iudicetur prudenter Superiorem actu virtuali consentire, & non repugnare dum actu videt, aut scit.

Ego quidè in re valde difficili & ad præxim valde necessaria, existimo primò, † quod 12 quando requiritur licentia vt aliquid licite fiat & absque peccato sufficit licentia tacita quæ colligitur ex ratihabitione consensus futuri non quod iste sufficiat, quia cum sit futurus & nondum existens non potest influere in operationem, sed quod ex isto, qui moraliter certe iudicatur futurus præsumitur adesse actu voluntas Superioris saltem virtualis moraliter (neque enim purè habitualis sufficit, sicut neque ad meritum, aut

- aut demeritum) qua iudicatur & præsumitur prudenter velle dare licentiam ad actum exercendum, ad quem requiritur licentia Superioris, hoc manifestè probat. *lex inter omnes citata*, & doctrina adducta pro parte affirmatiua, quæ optimam reddit rationem, cur ille non sit fur, quia *putauit se domini voluntate rem attingere*. & explicat ibi eleganter Gotifredus. *Litter. G.* animum enim affectumque furandi non habet, dum putat se Domini voluntate rem attingere. Sed vnde colligit Vlpianus, quod iste Domini voluntate rem attingit, quia *putat Dominum consenturum fuisse*. & sic ex consensu futuro putato prudenter, colligit manifestè actuali virtuali voluntate tacita Domini rem attingere & eam aufert, non inuito Domino & sic fur non est. Quare clarum est, quod ex consensu futuro prudenter iudicato colligitur tacita voluntas Domini, aut Superioris.
- Existimo secundo, dum agitur de actus validitate, tam in foro fori, quam in foro poli, & ad illam requiritur licentia, ista debet esse, vel expressa, vel tacita quæ colligatur ex rati habitatione consensus de præsentis, & non sufficit de futuro consensu etiam si certo iudicetur futurus, hæc conclusio mihi indubitata est. Probatur primo, quia quoties ad actus valorem requiritur licentia ista debet præcedere, vt causa simpliciter requisita. *Authent. licentia. Code Episcopis & Cleric. leg. si quis militi. §. iussu D. de acquirend. heredit.* & cum multis tenent Tiraquellus *ad leges connub. glossa. 6. num. 7.* Matienzo *leg. 5. recopilat. tit. 3. lib. 5. & tit. 7. leg. 3. glossa. 1.* Antonius Gomez *leg. 42. Taurin. 1.* atqui licentia dependens ex consensu futuro, non præcedit sicut nec iste, vnde semper est in pendulo, vt actus approbetur, vel reprobetur, vnde cum sit necessaria ad valorem actus debet influere motum quum actus est, vt ab illa valorem accipiat non autem potest influere nisi de præsentis sit quum est actus.
- Quod vero sufficiat licentia tacita ex rati habitatione consensus Superioris de præsentis etiam mihi est certum, ex doctrina, *c. omnis vtriusque de parit. & remiss.* vbi requiritur licentia proprii sacerdotis, vt alienus possit validè absoluerè à peccatis mortalibus, & tamen sufficit tacita ex rati habitatione de præsentis, quia vidente, sciente, & tacente Ordinario, & proprio sacerdote alienus absoluit, illa enim scientia & patientia habetur pro legitima licentia requisita ad actus valorem, vt latè probant Lupus *rubric. de donatio. §. 68. num. 27.* Corsetus *in singularibus Litt. L. verb. licentia*, quos refert & multos alios hoc idem tenentes Thomas Sanchez *lib. 3. de Matrim. disp. 35. num. 17. 18. & 20.* quos vidi sunt D. Caiet. *in Summ. verbo abso-*

*lutio ex parte absolutionis versc. licentia.* Rosseles *verb. confessio. 3. n. 31.* Angelus *n. 3.* Syluester *verb. confessor. 1. quest. 6. & quest. 15.* & omnes Summistæ, *verb. absolutio, aut verb. confessor, aut confessio*, nec est necessarium eos referre, quia hodie indubitatum est apud Auctores, dum agunt de Sacramento pœnitentiæ & matrimonij.

Verum obiicit aliquis, si quando ad valorem actus requiritur licentia tacita ex rati habitatione consensus de præsentis, ergo etiam sufficiet licentia tacita cum rati habitatione consensus de futuro quem certo futurum prudenter iudicamus, vt enim dicebamus *conclusio. 1.* ex tali certa existimatione colligitur in Superiore esse actu voluntatem virtualem moraliter, à qua dimanat licentia, quæ sicut sufficit ad honestandum actum, ita erit sufficiens ad dandum valorem ipsi actui.

Respondetur esse longe diuersam rationem, quia cum licentia ad valorem actus requisita sit à iure, vt actus valide exerceatur in foro externo, quod primo & per se attendit, requiritur, quod hæc licentia dimanet à consensu expresso, qui præsumitur actu adesse, vt licentia illa, etsi non sit expressis verbis data, sed tacita sit, tamen signo aliquo externo præsumpta propter consensum actualem præsumptum Superioris, & non sufficit virtualis, illa voluntas moraliter existens, cum qua compatitur dissensus actualis præsumptus cum quo non compatitur valor actus, ad quem requiritur licentia, quæ non subsistit cum tali dissensu, ast ad honestatem actus sufficit, quod quis habeat prudens iudicium, quod Superior habiturus sit consensum, quamuis alias non consentiat, sed dissentiat, cum eius dissensus futurus non euertat, voluntatem illam virtualem moraliter, quæ præsumitur, quæ sat est ad honestatem actus.

Ex quo fit manifestum id quod bene aduertit Thom. Sanchez *lib. 3. de matrimo. disp. 22. n. 64.* contra Petrum de Ledesma *de matrim. quest. 45. art. 5. punct. 3. dub. 4. fol. 192. col. 2. in fine*, quod sacerdos, qui audit confessiones ex licentia Episcopi fidei illi concessa, vel ex rati habitatione de præsentis consensu, cum tamen Episcopus interius dissentiat actu valide absoluit, & idem iudicium esto de assistentia ad matrimonium celebrandum. Ratio est, quia nullitas talis licentiæ occulta est nullo signo externo manifestata, neque antecedenter, neque in ipso actu. Vnde adest communis error quod adsit talis licentia requisita ex iure humano, & est titulus præsumptus datus à Superiore. Vnde Ecclesia supplet illum defectum, & concedit iurisdictionem, vt actus illi validi sint.



- 23 Quod secus esset † si habilitas ad exercendum actum validum esset requisita de iure diuino, tunc enim Ecclesia illam supplere nequit, etiamsi adsit communis error de tali habilitate, vt si aliquis communi errore iudicetur, & teneatur pro vero sacerdote, cum non sit, nequit valide absolueri à peccatis, qui ad hoc requiritur iure diuino, quod sit Sacerdos, nec Ecclesia potest quod non Sacerdos absoluat à peccatis omnia hæc expressit *leg. Barbarius. ff. de officio Prætoris*, vbi Iurisconsultus dans rationem
- 24 † cur valida sint gesta à seruo existimato vero iudice, cum non esset talis ob impedimentum occultum seruitutis, sic loquitur. *Verum puto nihil eorum reprobari cum populus Romanus etiam seruo potuisset decernere hanc potestatem.* Ex quibus clare constat. Primum, quod Ecclesia supplet impedimentum defectus iurisdictionis, & licentiæ. Secundum quod non potest supplere impedimentum defectus ordinis, quia hoc est iuris diuini, & illud est iuris humani.
- 25 An vero † omnia gesta per Episcopum aut Pontificem, qui vero non est talis inuolida sint, de Pontifice alibi disputo, de Episcopo existimo, quod si re ipsa non est Episcopus, quia non baptizatus, vel non ordinatus, quod ea quæ dependent ex potestate ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis vt alios absolueri à peccatis ordinare consecrare, &c. non sunt valida, secus vero, quæ dependent à iurisdictione Ecclesiastica, vt excommunicare, dare licentiam viris Sacerdotibus ad absoluendum à peccatis, sententiam in litibus pronuntiare, &c.

## §. IV.

*Dubia quedam ex præiactō fundamento  
resoluntur.*

## S V M M A R I V M.

1. *Authoris iudicium affertur.*
2. *An expressum non dicatur quod specificè exprimitur. & n. 2.*
4. *An possit esse licentia specialis tacita.*

Valde vniuersale est principium indultum, ne tamen in sua vniuersalitate occultum maneat casibus specialibus applicandum, quod scriptoribus moralibus valde conuenit maxime his temporibus, repetere enim † duntaxat principia alicuius scientiæ, est eandem canere cantilenam quod tædium adfert, præterquam quod multi caligant in lumine principiorum, non valentes sufferre radios solis, & sic illis lumen pro tenebris est & noctem in illis circumferentes oculis, nisi lumen illorum accommodetur capacitati, vt si Docti ex principiiis

Tom. I I:

colligunt conclusiones, si indocti ex conclusionibus venerentur principia, ego vero debitor sum sapientibus, & insipientibus, omnibus enim scribo.

Prius tamen quam dubia & resolutiones inducam, noto ex Thoma Sanchez *lib. 3. de matrim. disput. 45. num. 2 & 4.* quod † expressum non solum dicitur, quod specificè exprimitur, sed etiam, quod generalibus verbis, & sub eorum significatione comprehenditur *Glossa leg. Lucius verb. non ad matrim. de vulg. substit. Tiraquel. vbi supra glossa 7. num. 86. Molina de primog. lib. 1. cap. 17. & 18.* Rursus licentia specialis † aut est contra distincta à generali, & tunc est quæ datur ad actionem specificam exercendam, semel vel pluries, aut sumitur specialis prout idem est, quod expressa & tunc licet non exprimat aliquam actionem in specie comprehenditur, tamen hæc actio sub generali verborum significatione vt si detur alicui licentia ad exercendum omnia munia ad animarum curam pertinentia est expressa, specialis licentia ad audiendas confessiones, assistendum matrimonio, &c. Ita Stephanus *clement. 1. de priuileg. vbi Anchar. quest. 3. Bonifacius num. 17.* vbi dum dicit textus *de licentia speciali* explicant expressa & Sanchez pro eodem alios citat, sed ego existimo quod † potest esse licentia specialis tacita, vt si Episcopus videat & consentiat aliquem administrare munia Parrochi, & cum possit impedire tacet, & sic est, rati habitio de presenti, rursus quamuis licentia specialis sit expressa, non tamen omnis expressa est specialis, cum possit esse generalis.

## S V B R E S O L V T. I.

*An sufficiat licentia tacita ex consensu de futuro, vt Religiosus domo egrediatur sine socio?*

## S V M M A R I V M.

1. *An sufficiat licentia tacita ex rati habitio de futuro, vt qui Religiosus solus sine socio domo egrediatur.*
2. *Punctum de non exeundo solo sine socio mansit in vi constitutionis cuiuscumque religionis.*
3. *Religiosum solum procedentem, diabolum solitarium vocabat D. Thomas, & n. 5.*
4. *Thoma Cantiprat sententia adducitur.*
6. *Non quælibet licentia tacita de futuro consensu superioris sufficit, vt quis sine socio solus domo egrediatur.*
7. *An magis sit necessarium quod quis cum socio foras egrediatur, quam quod non egrediatur sine licentia.*

d

8. An

8. An extet præceptum Ecclesiasticum quod Regulares soli domo non egrediantur.

9. Iustiniani Imperatoris mens.

**I**gitur ex præfato principio resoluitur primum dubium, † an sufficiat licentia tacita ex rati habitatione de futuro, vt quis Religiosus solus sine socio domo egrediatur in his Religionibus in quibus in hac parte viget regularis obseruantia. Imprimis aliquis posset dicere, quod non est præceptum Ecclesiasticum, quod Religiosus non exeat solus non enim est ius aliquod quo id determinatiuè. Sed solum quod non exeat sine licentia Abbatis, aut Superioris, quare hæc solum prohibetur ex regula, aut constitutionibus aliquarum Religionum, & in Decreto pro reformandis Regularibus edito à quatuor Summis Pontificibus Clemente VIII. Paulo V. Gregorio XV. & confirmato ab Urbano VIII. de quo decreto supra feci mentionem, & dixi non esse receptum in Hispania, & cap. Monach. de stat. Monach. solum loquitur, & prohibet ne Monachi soli ponantur in quacumque parrochiales Ecclesias, vt ibi soli permaneant, sed quid ego sentiam infra ponam.

**2** Quare † punctum hoc de non exeundo solo sine socio mansit in vi constitutionum cuiuscunque Religionis in omnibus ferè id cautum est ab Antiquis, & Modernis Foundationibus qui Christum imitantes, Lucæ 10. num. 1. & cap. 14. num. 2. mittentem bitos discipulos ad prædicandum: & ipsi statuerunt, vt soli Regulares domo non egredierentur, sed quod egressurus accipiat comitem egressionis suæ, vt dicit S. Pachomius in Regula, artic. 30. & 34. & ex multis aliis probant Abbas Ananias in concordant. c. 72. §. 2. Nigrorius in Regulam Societ. Reg. 43. à n. 16. vbi ex patribus id grauer commmentatur, & ornat, & videri possunt Cornelius à Lapide ad cap. 1. Luc. n. 1. §. 2. vbi aliter Salmeron tom. 6. tract. 47. Garreus ad Regul. S. Pachom. art. 34. refert † quod D. Thom. Religiosum, qui solus procedebat vocabat *diabolum solitarium*. & S. Greg. Magnus lib. 10. Registr. in dicto. 5. epist. 22. ad Ioannem Subdiaconum Rauen. quendam contrariū, quem sibi Monachi Abbatem eligere solebant S. Pontifex id prohibuit, Cognoui (inquit) quia ad Monasterium quod in Piceni Prouincia situm est solus pergere, sine aliquo fratrum suorum præsumpsit. Ex qua eius actione cognoscimus, quia qui sine teste ambulat rectè non viuat. At quomodo aliis regulam teneat, quam sibimetipsi tenere nescit? Vnde Thom. Cantiprat. lib. 2. apum, cap. 11. §. 2. ait † Credo solis, id est, sine socio foris ambulantis mille infortunia, & plura quam credi potest sapius in-

curriffe in quibus nec opere, nec saltem animo offendissent si custos fratris socius adfuisset.

Hoc vt certum suppono, & quod nisi adsit vrgens necessitas, vtilitas proximi, aut Religionis grauer peccaret Superior qui solum sine socio foras emittit religiosum qui ex regula comitatus debet exire, ô, Beata Religio in qua hoc est, in rigorosa obseruantia? existimo enim verissimum, quod † qui solus ambulat sit *Diabolus solitarius*, qui cum sine teste ambulat rectè non viuat, imo ferè certum si iuuenis sit, aut non singularis virtutis quod incidet in mille pericula, raro enim scandala veniunt, nisi à Diabolo isto solitario, & religioso infociato, & sic *Va soli*, & *væ illi* per quem scandalum venit, vnde puto quod † non quælibet licentia tacita de futuro consensu Superioris sufficit, vt quis sine socio solo domo egrediatur, magis enim † necessarium iudico, quod cum socio quis foras egrediatur, quam quod non egrediatur sine licentia, & sic multo grauior decet esse causa, & vrgentius motiuum, vt ex tacita licentia honestè egrediatur sine socio, quam quod egrediatur, sine expressa licentia.

Quare mihi certum videtur quod † extet præceptum Ecclesiasticum quod Regulares soli domo non egrediantur, ex textu in quo Monachi cit. vbi Concil. Lateranens. sub Alexandro III. post verba citat. dicit: *Nec soli inter seculares homines spiritualium hostium conflictum expectent Salomone dicente, soli, quia cum ceciderit non est qui subleuet eum cap. 4. Ecclesiastes*, quod consuetudo in Religionibus in quibus viget rigor moderatus regularis disciplinæ sic intelligitur, vt medium valde necessarium ad custodiam castitatis, & aliorum præceptorum, vnde † Iustinianus Imperator in Nouella de Monach. 6. collat. 1. adhuc in Monasterio vult esse *Monachos associatos. Vt testes alterutri sint honestatis, & castitatis*, quæ ratio multo magis vrgendum domo egrediuntur? quare hoc præceptum modificatio est, vt non egrediatur sine licentia, parum enim istud proficiet si licentia data, vt solus infociatus, quis domo egrediatur. Verum est, quod ad hoc possunt esse causæ honestæ, vt Superior sine socio foris aliquem mittat, quæ vrgentiores debent esse, quã vt concedat egressum cum socio.

## SVBRESOLVT. II.

Vtrum in aliquibus Religionibus requiratur licentia expressa, & non sufficiat tacita?

### S V M M A R I V M.

1. An præceptum clausuræ regularibus impostum à iure canonico, magis vel minus exerat

*rat vires suas ad obligandum iuxta varias regulas religionum.*

2. *Non omnes regulares sunt ad æqualem clausuram obligati, ex Nauarro.*
3. *Authoris iudicium, & n. 4.*
5. *Quid ex doctrina tradita veniat colligendum, & num. 6.*
7. *An omnes Religiosi solemniter professi æqualiter obedientia solemniter adstringantur.*
8. *An licentia generales nisi in viris Apostolicis sint omnino reprobanda.*

**D**ubium secundum, cum semper sit requisita licentia saltem tacita an in omnibus Religionibus sufficiat ad egressum, sed requiratur in aliquibus expressa, respondetur, quod † præceptum clausuræ Regularibus impositum à iure canonico, magis vel minus exerit vires suas, ad obligandum iuxta varias regulas, & constitutiones diuersarum religionum, & iuxta consuetudinem legitime præscriptam, quæ valde est attendenda vt conspiciatur vis obligationis, & an sit ad mortale vel ad veniale, magna est enim vis consuetudinis vt vim præcepti aut eneruet, aut augeat, & explicet, sicut constat in obseruantia voti paupertatis, quo adstringimur ad non recipiendum, retinendum & expendendum sine licentia, quæ laxior, aut strictior est iuxta varias Religionum regulas, consuetudines, & statuta, in aliquibus enim nihil notabile potest Religiosus professus expendere sine expressa licentia Superioris, sic ait Doctissimus Nauarrus n. 33.

† *Non omnes Regulares sunt ad æqualem clausuram obligati. Alij sunt obligati ad totam & solam clausuram iure communi præceptam, alij ad maiorem suis statutis, constitutionibus aut consuetudinibus præscriptis auctam & longe strictiorem factam, vt Carthusiani, & alij ad minorem ex privilegio Apostolico vel consuetudine rationabili præscripta diminutam & relaxatam, &c.* Vnde consuetudo, constitutio aut statutum mitigans, aut restringens præceptum clausuræ mitigabit aut restringet malitiam egressus à domo, vnde existimo quod † Monachus Carthusius & si qui sunt alij, qui simile habeant statutum, aut consuetudinem si egrediatur foras sine licentia Generalis exceptis causis in eorum statutis exceptis mortaliter peccat contra præceptum Ecclesiasticum in materia graui, vt talis reputata in sua Republica & communitate, quare iudico quod licentia tacita etiam de præsentī in his Religiosis non sufficiat, nisi forsan prior ita expedire iudicauerit in aliqua circūstantia, in qua potest vt Epicheia, quia ex obseruantia legis præfatæ sequitur aliquod graue inconueniens aut damnum iuxta doctrinam vtriusque Thomæ 2. 2. quæst. 122. art. 1. vbi id

Tom. II.

solide enucleatur.

Ex qua Doctrina colligitur quod Apostoli, & discipuli Domini etiam si fuerint vere Religiosi, & emiserint tria substantialia vota; tamen habuerunt licentiam generalissimam à Christo Domino eundi in mundum vniuersum prædicare Euangeliū omni creaturæ, & ex vi Apostolatus, & discipulatus habent quod possint, quocumque adire, sicut & Episcopi Regulares, etsi ex vi dignitatis absoluantur ab obedientia Prælati Regularis, & sic non indigeant eius licentia tamen non absoluntur ab obedientia Summi Pontificis, qui sicut dat illis administrationem generalem circa temporalia quæ comparitur cum voto solemniter paupertatis, ita dat licentiam generalem egrediendi foras toties quoties iudicauerint expedire; similem licentiam habent Religiosi militares à magno magistro etiam si in propriis domibus habitent, hæc enim requiritur ex vi voti obedientiæ, vt explicatum relinquimus, quamuis tamen votum solemniter obedientiæ sicut & votum solemniter paupertatis æqualem habent naturalem obligationem, & sic † omnes Religiosi solemniter professi æqualiter sunt pauperes, & æqualiter obedientia solemniter adstringantur, tamen sicut in Religionibus est inæqualis materia paupertatis, quia in vna est laxior licentia ad expendendum, quam in alia ita inæqualis clausura, quia in vna est laxior interpretatio licentiæ egressus, quam in alia.

Colligitur secundo, † licentias generales nisi in viris Apostolicis, & singularis virtutis, & exempli omnino esse reprobandas, nisi ad negotium aliquod particulare, vt limitem prosequendam, proximum defendendum, & ad tempus determinatum, quo finito expiret licentia. Quatuor enim illi Pontifices in decreto de reformandis Religionibus has licentias penitus excluderunt vt Regularibus obseruantia profitentibus licentia tamen ista generalis concessa non est tacita, vt putat Pellizarius sed est expressa etsi non specialis, sed generalis vt dicebamus supra ex Thoma Sanchez.

### SVBRESOLVT. III.

*An eo ipso quod Superior teneatur dare licentiam teneatur adesse tacita?*

#### S V M M A R I V M.

1. *An eo ipso quod Superior teneatur dare licentiam ad egressum à domo censeatur iam adesse licentia tacita.*
2. *Nazarj mens adducitur. & n. 3.*

d 2

4. Diues

4. *Diues tenetur ad subleuandam miseriam pauperis in graui necessitate existentis.*  
 5. *An sit statutum aut sit constitutio, quod in aliquibus casibus Superior immediatus det licentiam ad egressum.*

**D**ubium tertium, an † eo ipso quod Superior teneatur dare licentiam ad egressum e domo censeatur iam adesse licentia tacita, etiamsi Superior deneget expressè; & quidem quando Superior deneget licentiam ad obseruantiam aliquod naturale præceptum, vt succurrere proximo in aliqua extrema, aut vrgentissima necessitate existente, cum tunc non obliget præceptum obedientiæ, *arg. ex doctrina D. Tho. 2. 2. quæst. 32. artic. 8. ad 1.* quare si Superior deneget licentiã egrediendi subditus egredi valet tuta conscientia, quare solum loquimur de licentia requisita ad egressum ob aliam causam, & operationem faciendam, quam non facere non est contra rectam rationem: tenetur tamen Superior licentiam dare, ita vt si neget irrationabilis, & imprudens sit negatio tamen subditus obediendo Prælato, & non egrediendo nihil inordinatum facit. † Magister Ioannes Paulus Nazarius *opusc. de tract. Religio. dubit. 8. de voto paupert. conc. 5.* negatiue respondet tum quia cito rueret obseruantia clausuræ, facile enim subditus diceret prælatum irrationabiliter negare, sibi licentiam egressus, & sic quod secundum rationem tenebatur eam concedere; & sic tacitam habere se licentiam diceret, quod omnino absolum est, quando enim requiritur licentia ad aliquid agendum quod non agere non est peccatum, nec à professione alienum, si licentia expresse denegetur tacita colligi nequit à subdito, sed tenetur Prælato obedire, & si iste irrationabiliter deneget, voluntas, & licentia debita non est voluntas, aut licentia, quando opposita actualiter perseuerat.

4. Secundò, quia certum est, † diuitem teneri ad subleuandam miseriam pauperis in graui necessitate existentis, & tamen ex hac obligatione non acquirit ius aliquod pauper, neque colligitur tacita voluntas diuitis, vt potest pauper capere à diuite, id quod sufficit ad subleuandum suam miseriam, quia cum diues expresse deneget, est actualiter inuitus (et si irrationabiliter) & sic pauper furtum committit: ergo similiter in casu.

5. Hæc sententia valde probabilis est, quam ego sequor sub distinctione, aut enim est † statutum aut constitutio, quod in talibus casibus Superior immediatus det licentiam ad egressum, & sic si iste deneget potest subditus egredi tuta conscientia,

quia Superior deneget contra legem, & statutum, nisi occurrat aliqua grauis circumstantia propter quam non expediat legem implere, tunc enim tenetur subditus obedire, & non egredi: si tamen non adfit lex, aut constitutio ista. Sententia Nazarij vera est, & bene probant argumenta adducta.

#### SVBRESOLVT. IV.

*Vtrum tacita licentia sufficiat in voto paupertatis.*

#### S V M M A R I V M.

1. *Duplex licentia tacita admittitur.*
2. *An receptio, & retentio eo ipso quod fiat cum iudicio Prælati non dissentientis, imo consentientis honestentur.*
3. *Qua dominij translatio vt valida sit requirat voluntatem actualem tacitam saltem Superioris.*
4. *Quod licentiam expressam inter & tacitam discrimen intercedat, & n. 5.*

**D**ubium quartum, an eadem tacita licentia sufficiat in voto paupertatis ad recipiendum, retinendum, & expendendum, *supra §. 3.* diximus † duplicem esse licentiam tacitam vnã ex consensu futuro, quam certum futurum existimamus, & quod hæc sufficit ad honestatem actus, alterum ex consensu de præsentis ratihabitione; & hæc requiritur ad validitatem actus. Vnde ad dubium præpositum respondetur, quod ad recipiendum; & retinendum absque peccato proprietatis sufficit licentia tacita ex consensu Superioris futuro, at vero ad expendendum sufficit & requiritur licentia tacita ex ratihabitione de præsentis. Ratio prioris partis est, quia † receptio, & retentio eo ipso quod fiat cum iudicio, quod Prælatus non dissentiet imo potius quod consentiet honestantur, quia non fiunt animo proprietario. Sed cum subiectione ad Superiorem. Ratio posterioris partis est, quia expendere est transferre dominium rei in alium, siue donando, siue emendo, vendendo, & alio modo, hæc autem † dominij translatio, vt valida sit, requirit voluntatem actualem de præsentis tacitam saltem Superioris siquidem ad actus valorem exigitur ratihabitione de præsentis. Vtrumque probaui *loc. cit.*

Sed priusquam ad alia dubia procedamus auertendum † discrimen inter licentiam expressam, & tacitam; quod licentia expressa generalis data semper perseuerat quousque reuocetur, vt tenent Nauarrus *consil. 4. de Cleric. non resident.* Syluester *verb.*

*verb. delegatus, quest. 15. Sanchez lib. 8. de matrim. disputat. 28. num. 83. vbi alios citat quibus adiungo alios qui idem tenent, vt Portel. in respons. moral. p. 3. casu 34. & Glossa cap. si super gratia, n. 2. ego ipse tom. 2. moral. tract. 12. n. 817. etiam si addatur in licentia ad beneplacitum, vt ibidem probaui & est communis sententia ex qua plura colligit Sanchez quem imitatur Portel. vbi supra & tom. 2. Respons. moral. casu 71. n. 5. At si licentia tacita orta siue ex ratihabitioe de præsentis siue de futuro, solum durat pro illa vice, qua habetur talis ratihabitio, cum hæc semper non perseueret nec sit signum eius perseuerantiæ, quare clericus qui ex ratihabitioe de præsentis vel audit confessiones, vel assistit matrimonio solum pro illa vice, qua est talis ratihabitio id potest facere valide, quæ doctrina valde est notanda.*

## SVBRESOLVT. V.

*An licentia tacita ex consensu futuro, sufficiat ad egressum, si ea vtatur quis ad malum?*

## S V M M A R I V M.

1. *An tacita licentia quam quis habet ad egressum à domo, sit sufficiens ad excusandum egressum, si ea vtatur ad malum. & n. 2.*
2. *Authoris iudicium assertur & n. 4. & 5.*
3. *An si religiosus habeat licentiam tacitam ad egressum à domo, etiam si hunc faciat ex malo fine, non frangat clausuram.*
4. *An religiosus qui clam accipit ea quæ ad solum vsum sunt necessaria, nequeat ea diuendere.*

**D**ubium quintum, an tacita licentia, quam, quis habet ad egressum à domo quia iudicat prudenter Superiorem consenturum in egressum, quia amicus, & sibi beneuolus est, si ea ipse vtatur ad malum sit sufficiens ad excusandum egressum, P. Tho. Sanchez in summa lib. 7. cap. 19. num. 13. vers. explicant autem, in alio simili negat dicens, quod licentia, & consensus tacitus Domini vt feruus aliquid esculentum, & poculentum vel quid simile accipiat ad comedendum vel bibendum etiam si sit inuitus quoad modum non est inuitus quoad substantiam & sic feruus non committit furtum mortale, etiam si quantitas quæ alias ad illud sat esset, secus vero si ad eum vsum nullatenus concederetur talis licentia vt ad vendendum, vel donandum, tunc enim Dominus non esset solum inuitus quoad modum, sed etiam quoad substantiam, & sic esset furtum, quia nulla adest licentia tacita, sic si Religiosus domo egrediatur malo

Tom. II.

fine ad quem si Superior sciret nullatenus licentiam daret, frangit clausuram, quia non adest licentia tacita, etiam ratihabitioe de futuro.

Sed ego contrarium probabilius iudico, existimo enim quod finis operantis cum sit omnino occultus non facit, quod non ad sit consensus, siue de futuro, siue de præsentis sufficiens ad honestatem specificam actus, eiusve valorem, quod enim quis confessiones audiat vidente, & consentiente Episcopo vt immaculate post sollicitet aliquam foeminam ad venerea quo fine operantis existente Episcopus nullatenus consensum haberet, vt ille confessiones audiret, & nihilominus valide absoluit, quia habet licentiam tacitam de præsentis, similiter in exemplo de seruo si accipiat aliquid comestibile, aut potabile, & ad hoc si est ad comedendum & bibendum est consensus Domini & tacita licentia, si seruus vult se abstinere & illud vendere, aut donare non est absolute contra voluntatem Domini & si valde displiceat, illi modus qui accidit ex voluntate operantis quæ non mutat obiectum voluntatis & licentiæ tacitæ Domini, qui tacite vult illius rei Dominium amittere quæ voluntas substantialiter immutata manet, siue res vendatur, siue donetur aliove modo distrahatur, quamuis in istum modum nullatenus consentiret, nec circa illud sit voluntas, aut consensus idem dico de filio qui res aufert à Patre ad expendendas in finem malum, & de aliis similibus vnde, si alias Religiosus habet licentiam tacitam ad egressum à domo, etiam si hunc faciat ex malo fine, & ad male operandum, non frangit clausuram, etsi vitietur egressus ex malo fine extrinseco, & ipsius operantis. Legantur Rebellus de obligatione iustit. p. 1. lib. 3. quest. 15. sect. 3. num. 14. & ego met tom. 2. moral. tract. 12. Resol. 20.

Verum est quod Religiosus, qui clam accipit ea quæ ad solum vsum sunt necessaria nequit ea diuendere, aut distrahere nisi hoc sibi sit necessarium, vt alia quæ sibi conuentus tenetur dare acquirat, quia ita votum paupertatis exigit.

## SVBRESOLVT. VI.

*An in custodibus nemorum, piscationum, sufficiat voluntas tacita Domini?*

## S V M M A R I V M.

1. *An custodibus nemorum, &c. tacita Domini voluntas sit sufficiens.*
2. *Metina sententia adducitur.*
3. *Qua supposita licentia non committatur furtum.*

d 3

Dubium

- D**Vbium sextum, † an Custodes nemorum, piscationum, viarum ad exactio- nes vectigalium possint permittere venationem, piscationem, aut transitum siue exactio- ne; quia firmiter iudicant Dominos cō- sensuros, & concessuros licentiam, aut libertatem si ea expeteretur. Metina † *C. de restit. quest. 12. 13. & 14.* late & doctè disputat de hac materia, & videndus est, asserit enim hunc consensum de futuro non sufficere, vt excusetur actio à furto, & obligatione restituendi nisi in certis casibus, quos ibi ponit, q. 12. sequuntur Nauarr. *in summa Hisp. c. 17. n. 122. & 123.* Corduba *in summa, quest. 66.* Nauarr. *lib. 3. de restit. c. 1. p. 3. n. 180.* Sed quod hæc tacita licentia ex rati habi- tione consensus de futuro, quem certo mora- liter futurum iudicant huiusmodi Custodes & exactores sufficiat, mihi probabilius ex *l. inter omnes, §. recte, ff. de furtis*, cum his  
**3** quæ accumulam *supra §. 3.* quia † supposita tali licentia, non committitur furtum, cum etiam non operantur contra fidelitatem officij sui, cum prudenter iudicent sic consensurum Dominum: quod valde notandum pro exactoribus & Custodibus viarum, ne sine solutione gabellarum, & vectigalium res introducantur.

## SVBRESOLVT. VII.

*Vtrum dubius an Superior licentiam daret  
 possit domo egredi?*

## S V M M A R I V M.

1. *An quum dubium est vtrum Superior licentiam concedat, possit subditus egredi.*
2. *In dubiis tenetur subditus stare præcipientis determinationi.*

- D**Vbium septimum, an † quum est dubium si Superior licentiam concederet possit subditus egredi. Respondetur, quod si dubium deponi practicè nequit, obligat præceptum de clausura seruanda, cuius obligatio certa est, & sic voluntas Superioris, qui imposuit præceptum exequendi, *cap. quid culpatur. 23. quest. 21.* in dubiis enim  
**2** † tenetur subditus stare præcipientis determinationi, qui enim contrarium agit transgressor est obedientiæ, & ius certum Superioris frangit per dubiam licentiam. Ita tenent ferè omnes: hic enim subditus non possidet aliquam libertatem cum ligatus sit præcepto iuris communis, non egrediendi sine licentia, quæ non præsumitur in dubiis, nam eo ipso, quod sit dubia non potest quis formare prudens iudicium, quod Superior consentiet.

## SVBRESOLVT. VIII.

*An Superior localis teneatur petere licentiam  
 à Prouinciali?*

## S V M M A R I V M.

1. *An Superior localis dum in sua domo adest Prouincialis teneatur ab illo petere licentiam, & benedictionem.*
2. *An ex iure communi Superiores, & Abbates sicut possunt aliis licentiam concedere, eam possint sibi assumere.*
3. *Ad quid deseruit Prælati Regularis benedictio. & n. 4.*
5. *An Episcopi, Abbates, ante consecrationem nequeant benedicere.*

**D**Vbium octauum, an † Superior localis, dum in sua domo adest Prouincialis teneatur ab illo petere licentiam & benedictionem. Peyrinis *ad cap. 5. §. 19. sua Regula; q. 3. n. 10. & 11.* dicit quod tenetur petere licentiam saltem per alium, sed per se ipsam benedictionem: quam benedictionem tenentur petere Collegæ Prouinciales à Rectore. Sunt enim in hac sacra Religione Prouinciales, ac in nostra Assistetes Prouinciales, sed quamuis de iure speciali suæ Religionis id esset verum, at de nostro iure, quod est conformius iuri communi non tenentur, ex iure enim communi Superiores, & Abbates, sicut possunt aliis licentiam cōcedere, eam possunt sibi assumere, nec benedictionem ab alio Superiori maiori petere tenentur, eo enim ipso, quod ex iure alicuius Religionis quis eximitur à iurisdictione actuali alicuius Superioris non tenetur ab eo licentiam & benedictionem petere, benedictio enim non solum ad ius reuerentiale pertinet, sed ad ius etiam iurisdictionale, nisi quis ab alio petat benedici ex motiuo humilitatis, aut ex speciali sanctitate, quam in eo veneratur, & benedictio regularis ad Superioritatem attinet; tenentur tamen Collegæ, & Assistentes nostri iure communi Socium à Superiore exposcere, ex suis subditis, quia nullus est istis potest foras exire sine licentia sui Superioris, etiã si ab aliquo exempto assumatur.

Sed † quid deseruit benedictio Prælati Regularis, quam impertitur subdito egres- suro, & regrediente ad Conuentum, Peyrinis *vbi supra*, dicit quod remittit peccata venialia, est enim vnum ex Sacramentalibus, ab Ecclesia institutis ad delendum venialia, & enumerat D. Thom. 3. *part. q. 87. art. 3. ad 1.* citat Peyrinis pro sua sententia, Aluar. *de vita spirit. to. 2. lib. 1. p. 1. c. 14.* Ioannem Friburgum *in summa confessorum lib. 3. tit. 34. quest. 158.* Sed fallitur Peyrinis, quia

4 quia vt probaui *tom. 2. Moral. tract. ult. num. 442.* Sacramentalia cum sint ab Ecclesia instituta ad remissionem venialium eam causant ex opere operato, ad hoc enim relicta est Ecclesiæ potestas summi Sacerdotij vnde ea sola quæ ab Ecclesia ad hunc effectum sunt instituta illa illum dumtaxat causabunt, ex institutione sua non autem alia, etsi excitent motum pœnitentiæ ex opere operantis, atqui Ecclesia solum instituit sacramentale, benedictionem personæ consecratæ, qualis est Episcopus & Abbas, vnde ¶ isti ante consecrationem nequeunt publice benedicere, & sic non quælibet benedictio superioris est sacramentale, sicut non quælibet oratio in qualibet Ecclesia non consecrata est sacramentale alias benedictio cuiuscunque, quem iudicem iustum esse, effect sacramentale, & multa alia possent introduci vltra ea quæ Ecclesia, & Patres agnoscunt. Lege me ipsum *in illa Resol. 9.* Et inuenies plura non vulgaria, deseruit ergo benedictio superioris, vt Dominus custodiat benedictus egressum & introitum nostrum, iuxta illud psal. *Dominus custodiat introitum tuum & exitum tuum.*

## SVBRESOLVT. IX.

*Utrum dispensatio tacita sufficiat ad actus honestandos?*

## S V M M A R I V M.

1. An dispensatio tacita in aliqua lege Ecclesiastica sufficiens sit ad actus honestatem.
2. An ex dispensatione tacita superioris actus honeste & valide fiat, & n. 3.
4. Vlpiani sententia affertur.
5. Vt tacita dispensatio præsumatur ex rati habitatione de præsentis, quid sit necessum.
6. Authoris iudicium.
7. An clausula, ex certa scientia, et si nihil operetur quoad extrinseca rescripti, operetur quoad intrinseca.
8. Sanchez opinio affertur.

1 **D**Vbiqum nonum, an ¶ dispensatio tacita in aliqua lege Ecclesiastica sufficiens sit ad actus honestatem, & valorem, sed norandum quod aliud est legis dispensatio, aliud concessio requisita conditione, qua posita coneditur aliquid fieri, dispensatio enim est quum stante lege legislator concedit absolute quod aliquid fiat, at concessio ex licentia posita conditione potius est legis obseruatio quam contra ipsam operatio, v. g. Rex prohibet vt sine eius licentia non extrahantur merces sui Regni, si concedat licentiam vt quis extrahat non dispensat in lege sua, sed ponit conditionem quam lex

egit. Sic Basilius Pontius *lib. 8. de Matrim. c. 1. num. 5.* Suarez *tom. 4. de Relig. lib. 1. cap. 9. num. 13.* & *lib. 2. cap. 12. num. 45.* & alij, hucusque egimus de licentia tacita, in hoc dubio de dispensatione tacita.

Et quidem quod ¶ ex dispensatione tacita superioris actus & honeste & valide fiat indubitatum est apud omnes tam Theologos quam vtriusque iuris peritos ex *leg. Barbarius ff. de officio Prælat. cap. veniens de filiis presb. & aliis iuribus;* ad dispensandum enim nullum verbum nullumve factum à iure est positum; sed quodcunque siue verbum siue factum exprimens voluntatem superioris sufficiens est, ad dispensationem; qua quis non obstante lege licite, & valide potest operari, aut facere actum vetitum, vnde si Pontifex sciens, aliquem admittat, qui irregularis est, ad ordines, & beneficia, aut qui inhabilis est ad matrimonium ob impedimenta iuris canonici & ipso vidente, & sciēte contrahit, tacite dispensat & valide contrahit & retinet beneficium, vt enim valide supremus Princeps dispenset, non exigitur causæ cognitio, sed solum voluntas dispensandi quæ tacite præsumitur, ex facto, & permissione Principis videntis & non repugnantis cum possit, est casus, *legis Barbarius citate,* vt bene aduertit Aymon. *consil. 98. num. 10. lib. 5.* idem determinatur. *leg. quidam consulebat 57. in fine. D. de re iudicata.* vbi Vlpianus sic fatur ¶ *si minor prætor si consul ius dixerit sententiamve protulerit, valebit. Princeps enim qui ei magistratum dedit omnia gerere decreuit.* vt bene notat ibi Glossa in casus formatione *versic. datus fui.* Hæc tamen tacita dispensatio colligi potest vel ex rati habitatione de futuro consensu, vel ex rati habitatione de præsentis consensu, sicut supra dicebamus §. 3. *de licentia.*

Vt autem hæc ¶ tacita dispensatio præsumatur ex rati habitatione de præsentis si loquamur pro foro externo necessarium est, quod Princeps sit conscius impedimenti, quod dispensatur, si enim non adsit scientia de præsentis, nequit adesse voluntas de præsentis voluntas enim sequitur cognitionem, cum nil volitum quin præcognitum; inhabili tamen incumbit onus probandi talem scientiam habuisse principem, & de hoc late Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 4. à num. 3.* existimo tamen & mihi est certum sufficere quod ¶ Princeps supremus ponat in rescripto clausulam *ex certa scientia* contra quam testes induci non possunt, tamen si Princeps ipse fateatur id ignorasse, clausula enim *ex certa scientia* dum ponitur in rescripto omnem defectum supplet, quantum ad effectum rescripti, & hoc præsumitur non ignorasse Principem, ly enim *certa*, ignorantia negatione includit; sicut ly *ex motu proprio*

prio includit negationem, quod nullus super id supplicavit Pontifici clausula enim  
 7 † *ex certa scientia*. et si nihil operetur quoad extrinsecam rescripti, attamen operatur, quod intrinseca, ut non vitietur rescriptum ex aliquo impedimento opposito dispensationi rescripti, facit enim, quod ei contraria censeantur sublata, et si non ponatur clausula *non obstante*. Ita Baldus *consil. 253. n. 4. lib. 1.* & multis citatis Tuschus *t. 1. Litt. C. concl. 340. num. 1.*

8 Addit bene Sanchez *num. 7.* † quod si loquamur in foro interno, cum hoc nitatur veritati nullum aliud probationis genus desideratur, quocumque modo constet de veritate, scilicet quod Princeps conscius fuisset impedimenti, & hoc non obstante promouit inhabilem, & ipso vidente, quis cum consanguinea contraxit per verba de presenti cum iam constet de voluntate Pontificis dispensantis, quæ voluntas est actualis, tacita & sic est dispensatio.

### SVBRESOLVT. X.

*An si verisimile sit quod Princeps dispensaret, sufficiat ad dispensationem tacitam?*

#### S V M M A R I V M.

1. *An si Princeps impedimenti ignarus admittit inhabilem censeatur dispensare cum illo, si verisimile est futurum, ut si sciret impedimentum ipsum admitteret.*
2. *Romani sententia, necnon Patris Sanchez, & num. 3.*
4. *An quando error non est solius principis, sed est error communis, tunc promotio inhabilis sit dispensatio tacita impedimenti, & num. 5.*
6. *Cum est ignorantia inuincibilis principis & error communis non est dispensatio nedum tacita impedimenti, & n. 7.*
8. *Quid ex tradita doctrina sequatur.*
9. *An ignorantia inuincibilis principis non inducat tacitam dispensationem.*
10. *Authoris iudicium assertur, & multorum aliorum, & n. 11.*
12. *Cuius iudicium excommunicati gesta sint valida, & n. 13.*
14. *Libertas non consistit in apprehensione & vulgi errore.*
15. *An si quis communi errore putaretur non excommunicatus, medio tempore erit absolutus ab excommunicatione.*
16. *An non solum probitas promoti, sit causa motiua promotionis.*
17. *Ulpiani ratio adfertur, & n. 18.*
19. *An tacita dispensatio non oriatur ex consensu Principis de futuro, sed ex presumpta voluntate, rati habitata de presenti.*

Sed difficultas non parua insurgit, an si Princeps impedimenti ignarus admittit inhabilem censeatur dispensare cum illo si verisimile est futurum ut, si sciret impedimentum ipsum admitteret? Quidam affirmatiue respondent, tum quia probitas promoti est causa promotionis, *l. uni. versis. credit. D. de offic. prefetti. prato.* Vnde satis verisimile est, quod stante probitate, Princeps dispensaret impedimentum, quia concessum censeatur, id, quod verisimiliter Princeps interrogatus responderet, Glossa *leg. Barbarius cit. verb. effecisset.* quam sequuntur Barthol. *leg. 2. n. 2. C. si seruus aut libert. lib. 10.* & dicit esse communem sententiam Romanus *consil. 226. n. 7.* tum secundo valde efficaciter ex ratione legis Barbarius, quam dat Iuris Consultus, cur ille seruus et si incapax dignitatis factus ignoranter prator, gesta tamen ab ipso valerent, quia ait, *et si populus Romanus scisset seruum esse liberum effecisset*, ergo ex rati habitatione de futuro colligitur tacita Principis dispensatio, si sciret promotum impeditum esse.

Sed P. Thom. Sanchez *ubi supra disp. 4. cit. n. 11.* † dicit sibi nullatenus placere hanc doctrinam & tenendum est, inquit nullo modo censeari Principem per eam promotionem dispensare, dum impedimentum ignorat, ratio est aperta (ait) quia ignorantia tollit consensum, at dispensatio vim fortiri non potest nisi ex principis volentis dispensare consensu. Nec sufficit fore, ut vellet si sciret, quia hic & nunc defuit voluntas dispensandi, non ergo vim habere potest tacita dispensatio.

Sed non video quomodo hæc doctrina cohæreat cum ea quam immediate supponit dicens, quod † quando error non est solius Principis, sed est error communis tunc promotio inhabilis, est dispensatio tacita impedimenti, id quod docuerunt Antonius *cap. veniens n. 7.* & Abbas *ibi num. 7. de filiis Presb.* contra hanc enim doctrinam multo magis militat ratio facta, quia error & ignorantia tollit consensum & dispensatio non subsistit sine Principis voluntate, error enim communis non addit aliquam scientiam Principi, imo quod communiter sit ignorantia maior incapacitas resultat, ut impedimentum veniat in notitiam dispensantis.

Vnde ego aliter existimo, quod † quum est ignorantia inuincibilis Principis, & error communis non est dispensatio nedum tacita impedimenti, sed promotus re ipsa manet impedimento ligatus, & in ipsum sex vires suas exerit, quantum ad ipsum reddendum inhabilem, ita ut quotiescunque innotescat impedimentum inhabilitatis exercetur, & est necessaria Principis dispensatio, si enim dispensatus



- tus esset tacite non esset necessaria, hoc manifeste colligitur ex ipsa leg. Barbarius, ubi Vlpianus dicit, *videamus si seruus quādiu latuit in dignitate patoria functus sit quid dicemus, quæ edixit, quæ decreuit nullius fore momēti, an propter utilitatem publicam, &c.* ubi Gothifredus egregie est igitur prætura functus non tamen fuit liber. ergo in illo mansit impedimentum seruitutis, etsi illud latuerit ad communem errorem, quo putabatur liber cum re ipsa non esset, sed seruus. Vnde non approbo sententiam glossæ, ibi asserētis, quod Barbarius iste tempore, quo usus est prætura fuit liber, hoc inquam opponitur torrenti DD. a sententiam quod hinc interuenit communi error, quod ille erat liber, & sic re ipsa non fuit talis, sed semper mansit seruus, quia non obstante valide fuit prætura functus, nec tenebatur se ipsum prodere, vt modo dicam.
- 8 Vnde sit, ¶ quod si quis ignorante Pontifice, quod sit filius illegitimus & sic communis error, quod sit legitimus & promoveatur ad Episcopatum, aut Parrochum vere sunt valida eius acta & absolutiones à peccatis & excommunicatione, et si non fuerit expressè nedum tacite in impedimento illegitimationis dispensatum, quod ipse ignorans non expressit & ita quamdiu manet in hac ignorantia facit fructus suos, et si quamdiu et error communis, quod sit legitimus, quæ edixit, quæ decreuit valida sunt. Vnde manifestum est, quod ¶ ignorantia inuincibilis Principis & error communis non inducit acitam dispensationem, quia quod Princeps dispensasset si sciuisset non est dispensatio, sed esset dispensatio, si autem non est dispensatio instat legis obligatio, & sic semper manet inhabilitas orta ex impedimento.
- 10 Quare existimo, quod ¶ Barbarius ille Philippus potius habuit usum potestatis prætoris, quam quod fuerit verus prætor ad eundem modum quo D. Thom. in 4. dist. 19. quest. 1. art. 1. q. 3. ad 4. dicit, quod Abbatisa non habet Iurisdictionis spiritualis clauem, sed aliquem eius usum, quod bene explicant Syluester, verb. *Abbatissa* n. 3. Panormit. in cap. *dilecta de maiorit. & obed. gloss. ibi.* Vnde etsi possit habere ius conferendi & instituendi beneficiata, quod est spirituale, non tamen dimanat ex potestate Ordinaria & clauis iurisdictionis, sed ex usu clauis sibi delegato, est enim incapax iurisdictionis ordinariæ, similiter iudex Ecclesiasticus qui nominatim est excommunicatus & alicubi existat, ubi hoc est occultum, & sit publicus error, quod non sit excommunicatus re ipsa non habet ipse iurisdictionem ad excommunicandum, quia ex iure Ecclesiastico excommunicatus caret proxima potestate

ad excommunicandum, hic enim est effectus, qui sequitur necessario ad excommunicationem maiorem, huius enim ¶ iudicis excommunicati gesta valida sunt, vt tenet communis certaque sententia, vt videre est apud Suarez tom. 5. in 3. p. disp. 14. sect. 1. num. 8. & 9. & non est ablatum impedimentum excommunicationis, nec illi est restituta iurisdictionis Ecclesiastica, sed Ecclesia illi concedit usum Iurisdictionis in utilitatem fidelium, non ipsius excommunicati, vnde cum non habeat Iurisdictionem Ordinariam, aut delegatam iudex non est, sed habet ex interpretatione Ecclesiæ exercitium, & usum iudicis argumento, ex leg. *Herennius Modestinus* 10. D. de *Decurio*. ubi valent gesta à Decurione putato ex solutione salarij. Gothifredus ibi. & tamen non fuit creatus Decurio, ergo etiam ¶ si Barbarius Philippus prætor non fuerit, acta eius valebant neque ad hoc requiritur, quod verè fuerit prætor, talis enim fuit medio tempore qualis inuentus est & deprehensus leg. *moueor in fin. C. si seruus export.* dicere autem, quod medio tempore fuit liber, vt vult glossa nullatenus assencior, quia ¶ libertas non consistit in apprehensione, & vulgi errore, sed re ipsa est, qualis non est deprehensa, sed seruitus alias si medio tempore fuit liber nulla erat difficultas, an acta eius valerent est etiam contra textum ibi *si seruus quādiu latuit, &c.* ergo seruitus latebat & ita re ipsa non erat libertas, sed libertatis usus, quem habebat ex communi errore, qui facit ius, leg. 3. in fine D. de *suppellect. legat.* alias si quis communi errore putaretur legitimus medio tempore talis erit & capax hereditatis relictæ legitimis, & ¶ si quis communi errore putaretur non excommunicatus medio tempore erit absolutus ab excommunicatione, & sic medio tempore ipse sine peccato poterit Iurisdictionem exercere, rursus nullum effectum causabit in illo excommunicatio quod dici nequit.

Ex dictis corruunt fundamenta opposita, ad primum respondetur, quod ¶ non solum probitas promoti ex causa motiua promotionis, nisi promotus sit capax qualis non est, quum habet impedimentum dispensandum à Principe cuius voluntas dispensandi actualiter debet præsumi, vt impedimentum euanescat, ad primum respondetur, quod ¶ illa ratio Vlpiani non tendit, vt decidat, quod Barbarius Philippus effectus sit liber & ablatum impedimentum seruitutis, quod non ablatum, sed occultum erat, sed eo tendit, vt ostendit gesta ab illo fuisse valida, quæ fuit responsio, ad hoc enim, vt essent valida est egregia demonstratio, nam si populus Romanus sciuisset Barbarium esse seruum liberum, effecisset ne si acta illa essent

essent irrita utilitas communis pateretur  
 damnum, quare hæc ratio non respicit dis-  
 pensationē impedimenti seruitutis, sed dis-  
 pensationem, vt gesta essent valida ob com-  
 munem utilitatem, hanc enim semper actu  
 18 virtualiter vult populus Romanus & volunt  
 Principes absoluti, qui tales sunt propter  
 communem utilitatem. Vnde est dispensa-  
 tio ad gestorū valorem quæ præsumitur  
 semper esse in Principe, quam interuenit  
 communis utilitas, & damni communis ex  
 communi errore damnantis vitiato. Vnde  
 19 † tacita dispensatio non oritur ex consensu  
 Principis de futuro, sed ex præsumpta vo-  
 luntate ratihabita de præsentī. Vnde in  
 Principe non est ignorantia utilitatis com-  
 munis, sed scientia virtualis, ex vi sui regi-  
 minis, & sic est actualis virtualis illius con-  
 sensus, & voluntas, qualem scientiam, &  
 voluntatem non habet impedimenti serui-  
 tutis conditionalis, quod sciūisset dispensaf-  
 set, nihil ponit in esse dispensationes, & hoc  
 bene probat fundamentum Thomæ San-  
 chez.

### SVBRESOLVT. XI.

*Ex quibus signis dignoscatur tacita Principis  
 voluntas.*

#### SUMMARIUM.

1. Vnde dignosci possit prudenter tacita Prin-  
 cipis voluntas.
2. An ex taciturnitate præsumatur consensus  
 de præsentī, remissive.
3. An si dispensatio Principis sit litteris expe-  
 dita, sit tacita dispensatio, & n. 4.
5. D. Thomæ sententia, & n. 6.
7. An sit dispensatio tacita legis requirentis,  
 quod litteræ expeditæ perueniant ad di-  
 pensatum.
8. An si aliquis Episcopus ordinet non suum  
 ex ratihabitione, quod proprius Episcopus  
 consentit, non incurrat aliquam pæ-  
 nam.
9. Multorum DD. sensus, & n. 22.
10. An si Episcopus cum ratihabitione de fu-  
 turo licite ordinet alienos subditos, mul-  
 to melius id faciet cum ratihabitione de  
 præsentī.
11. An ratihabitione de futuro non conferat iu-  
 risdictionem ad absoluendum à peccatis  
 alienum subditum, & n. 12.
13. Quid ex doctrina tradita possit inferri, &  
 n. 14. & 20.
15. An Episcopus sine litteris Apostolicis ad  
 Ecclesiam suam accedere, & bonorum  
 Ecclesiasticorum administrationem acci-  
 pere non possit.
16. D. Ioannis de Solorz. sententia assertur, &

num. 17. & 18. necnon Idradi, & nu-  
 mer. 19.

22. An ex Pontificia dispensatione urgente ne-  
 cessitate possit Episcopus a vno solo con-  
 secrari, & n. 23.
24. Bullæ quæ pro consecrandis nui Episcopis  
 Indiarum expediuntur, quæ habeant  
 clausulam, & n. 25.
26. An non minus sit efficax verum ad di-  
 pensationem celebrandam quam scri-  
 ptura.

Sed inquires † ex quibus signis lignosci  
 Sprudenter potest, quod in Principe est  
 actualis virtualis voluntas & consensus de  
 præsentī, vt præsumatur tacita dispensatio  
 sufficiens tam ad honestatem actus quam  
 ad eius valorem, respondetur, quod ex mul-  
 tis, primum ex taciturnitate Principis scienti-  
 is impedimentum & videntis impeditum  
 exercere actum sibi prohibitum iure, vt si  
 Pontifex, & Episcopus potens dispensare  
 videat irregularem celebrare, at consan-  
 guineum cum consanguinea iure matrimo-  
 nium, ita multis citat. Sanch. 226. ex hac  
 enim † taciturnitate, vt supra vidimus præ-  
 sumitur consensus de præsentī, vt quis ha-  
 beat iurisdictionem ad actum huius inuali-  
 dum, tum quia præsumeretur Pontifex pec-  
 care cum teneatur ex vi officii peccata im-  
 pedire, nisi præsumeretur dispensare, & in  
 aliis ibi relatis si sciat sacerdotem hac irre-  
 gularitate irretitum & videat celebrare, ta-  
 cite dispensat, nec est necessaria noua dis-  
 pensatio, & idem dic de Prælo Regulari,  
 qui ex priuilegio similia pœst cum suis  
 subditis.

Secundò, † si dispensatio Principis est  
 litteris expedita ad aliquem actum ritè, &  
 rectè faciendum, requiraturque ex lege alia,  
 quod litteræ dispensatorie sint præsentis,  
 vt talis actus fiat ritè & ecclè, sciaturque  
 certo moraliter, quod litteræ dispensatorie  
 sunt expeditæ, sed vel propter longitudinē  
 itineris, vel ex alio impedimento non per-  
 uenerunt ad manus dispensati, est tacita dis-  
 pensatio Principis, vt alius actus fiat absque  
 eo quod litteræ dispensatorie adsint, si ex  
 dilatione actus sequitur graue aliquod in-  
 commodum, vel dispensato, vel aliis. Hoc  
 ex duplici capite deduco primo, quia hinc in-  
 teruenit *Epicheia*; quæ tunc maximè exer-  
 cetur, quum deficit lex contraria, quod tunc  
 contingit, quum euenit casus in quo non so-  
 lum cessat ratio legis, sed inique ageretur  
 seruando legem, tunc enim *Epicheia* & æqui-  
 tas est directio legis, ne ad obliqua lex dedu-  
 cat, quod est contra legis & legislatoris in-  
 tentionem. Vnde † D. Thom. in 3. dist. 37. 5  
 quaest. 1. art. 4. in corp. sic fatur, si in aliquibus  
 casibus lex posita ab intentione legislatoris dis-  
 cedit

cedit, quia non potuit legislator ad omnes casus intendere legem statuens, sed ad ea quæ pluries accidunt tunc licitum est legem positam præterire & intentionem legislatoris sequi sicut patet in eo qui non reddit depositum impugnanti fidem vel patriam & ad hoc perficit quedam virtus quæ à Philos. 5. ethic. cap. 15. vocatur Epicheia per quam homo prætermissa lege legislatoris intentionem sequitur. Hæc ibi S. D. qui eadem 6 repetit 2.2. quest. 120. art. 1. & in sol. ad 1. adducit verba Imperatoris leg. non dubium C. de legibus. asserentis contra legem committere eum qui verba legis amplexus contra legislatoris nititur voluntatem. Cum ergo ex expectatione litterarum Apostolicarum quæ iam expeditam esse prudenter iudicetur ex particulari noticia damnum sequatur notabile, vt suppono licitum erit legem positam præterire & legislatoris intentionem sequi, qui non attendit ad hunc casum legem statuens, & semper intendit nocivum impedire, hoc autem non est proprie tacita dispensatio, sed est observatio æquitatis.

7 Secundò, est etiam † ex alio capite dispensatio tacita legis requirentis quod litteræ expeditæ perueniant ad dispensatum & legantur publice, iudicatur enim prudenter quod semel expeditus litteris si ob aliquod impedimentum nõ peruenierunt, Principem velle quod fiat actus ad quem expeditæ sunt litteræ, vnde ex ratihabitione colligitur voluntas Pontificis, quod sine litteris præsentibus fiat actus qui ex eo quod fiat nullum suum adfert pœnam aut censuram 8 incurrit illum exercens. Probatum quia † si aliquis Episcopus ordinet non suum ex ratihabitione, quod proprius Episcopus tacite consentit non incurrit aliquam pœnam, etiamsi Ordinatus non portet dimissorias, quia talis ratihabitione æquiparatur dimissoriis, cum ex illa constet de voluntate proprii Episcopi; & tum maxime quum dimissoriae sint expeditæ; quod constat ex litteris particularibus, vel alio modo, sunt tamen deperditæ, vel non venerunt ad manus Episcopi ordinantis, & Clerici ordinandi: tunc enim est ratihabitione de præsentibus sufficiens ad excusandum à pœna & acquirendam iurisdictionem vt validè & rite actus fiat. Ita Mandosius † regula 4. cancell. quest. 4. Cherubin. ad constit. 40. clement. 8. schol. 2. Suarez de censuris disp. 31. sect. 1. num. 17. Diana p. 3. tract. 4. Resol. 191. Fornarius de ordine (habetur ad finem summæ Toleti) cap. 5. num. 4. Thuscus verb. ordo conclus. 188. num. 41. Maiolus de irregular. lib. 4. cap. 2. num. 7. Raymondus in summa tit. de form. consecrationis, & alij quos refert & sequitur post factum Marchin. de ordin. tract. 1. p. 4. cap. 12. qui loquuntur de ratihabitione de futuro, quod satis insinuat factum Epiphaniij qui in Dice-

cesi S. Ioannis Chrysof. absque eius expressa licentia ordinavit S. Doctoris subditos & factum approbatur cap. ult. 9. quest. 1. si enim † cum ratihabitione de futuro licite ordinat Episcopus alienos subditos, multo melius id faciet cum ratihabitione de præsentibus quod mihi ita est indubitatum, vt contrarium non iudicem probabile, quamuis etiam iuxta Doctrinam positam §. 3. existimem 10 certum non euadere pœnas, qui cum sola ratihabitione de futuro alienos subditos ordinat, cum hæc non conferat iurisdictionem, quare ita sentiunt Turrianus de censuris l. 5. disp. 46. dub. 1. Quaranta verb. ordo versic. amplia hæc extrauag Barb. de potest. Episco. alleg. 8. n. 4. Bonacin. de sacrament. disp. 8. q. unica. punct. 4. n. 28. nec enim video cur ratihabitione de futuro non conferat iurisdictionem ad absoluendum à peccatis alienum subditum & tribuit ad ordinandum, & cur si tribuit ratihabitione de præsentibus iurisdictionem ad absoluendum non tribuat ad ordinandum, ergo cum Bullæ confirmationis Episcopi sint expeditæ, & hoc sciatur ex litteris missiuis 11 sintque veluti dimissoriae Pontificis vt Episcopus consecratur, si vel ob impedimenta & longitudinem itineris non peruenierint ad manus ordinandi, & sequatur inconueniens aliquod quod differatur consecratio dubio procul absque incurfione alicuius pœnæ ex tacita dispensatione Papæ, ordinans potest conferre, & consecratus recipere consecrationem, & ordines.

Ex qua doctrina inferitur † bene me respondisse 13 consultum circa consecrationem quam fecit Episcopus Tucamanensis in persona Reuerendissimi D. Fr. Bernardini de Cardenas Episcopi de Paraguay, quem consecrauit ante aduentum litterarum Apostolicarum, illis tamen iam expeditis se propter distantiam loci & Regionis diu procrastinatae ad manus ordinandi, aut ordinantis nondum accesserant, erat tamen notum per 14 litteras missiuas quod erant expeditæ & à Regio Indiarum consilio registratæ & recognita multo tempore ante consecrationem, quare cum in illo Episcopatu sedes vacauerit per annos septem valde quæ indigeret ministris Ecclesia, & oues cum non paruo damno spiritali sine Pastore degerent, tunc per Epicheiam, tum per tacitam dispensationem ex ratihabitione de præsentibus potuit Episcopus Tucamanensis consecrare, & Paraguasensis conseruari absque aliqua censura & pœna incurfa.

Quamuis enim in Extrauaganti iniuncta. de elect. statuit, quod † Episcopus sine litteris Apostolicis ad Ecclesiam suam accedere, & bonorum Ecclesiasticorum administrationem accipere non possit taliter quod, quidquid in contrarium fiat sit irritum, & Capitulares

- pitulares ipsum recipientes sine prædictis literis sint suspensi à suis beneficiis. Vnde literæ debent esse expeditæ, & ostensæ Capitulo, vt notant Azor. *p. 2. lib. 3. cap. 29. q. 9.* Gratianus *in disceptat. Forens. cap. 27.* Petrus Barbof. *leg. diuortio, part. 2. num. 50. ff. solut. matrim.* Rota apud Farinac. *tom. 1. decis. 475. n. 13.* Hoc enim non obstat propter multa quæ congerit satis doctè Diuus Ioannes de Solorz. *tom. 2. de iure Indiarum, in Politicæ Indiarum, lib. 4. cap. 5.* agens de hoc speciali casu Episcopi Del Paraguay: tum quia extrauagans adducta non loquitur de consecratione Episcopi, sed de administratione Ecclesiæ, & de obedientia quam illi Canonici præstant; tum quia respectu Ecclesiarum Indiarum non habet locum, quia Episcopi nominati à Rege, & præsentati Pontifici, vt confirmet ante confirmationem, & consecrationem ex ordinatione Regia, & indulgentia Pontificia confirmata consuetudine à multis annis præscripta, vt notat idem Solorzano *tom. 2. lib. 3. de iur. Indiar. cap. 4. à num. 33.* habent administrationem, tam in spiritualibus, quam in temporalibus, quam habet Capitulum Sede vacante, quod eam in nominatum transfert, & à se abdicat, ita vt capitulū non administrat, sed nominatus: qui quamuis ante aduentū litterarum non sit Superior Capitulo, nec istud teneatur obedire illi, tamen si alias constet de literarū expeditione potest consecrari, & administrare sicut ante administrabat, ex translatione iurisdictionis Capitulis in Sede vacante, & hoc est, valde notandum; post aduentum tamen literum, & ostensionem illarum Capitularibus, incipit iurisdictionem exercere ex vi suæ dignitatis, & expirat iurisdictione ex translatione Capituli, quod egregiè in nostris terminis aduertit Oldradus *consil. 9. num. 4.* ibi † *Sic electi post consensum præstitum ante confirmationem obtentam administrant & administrare consueuerunt, & res Ecclesiæ per se, & per alios spiritualia, & temporalia: quod ego intelligo facere ex tacita dispensatione Pontificia.*

16  
17  
18  
19  
20  
21


Infertur secundò, † bene fecisse Episcopum Tucamanensem dum ipse solus sine aliis duobus Episcopis, sed cum duabus dignitatibus, aut Canonicis, qui vices Episcoporum ex dispensatione Apostolica gerebant consecrauit Episcopum Paraguasensem: etsi enim si de iure diuino quod tres Episcopi consecrent alium Episcopum, vt latè ostendunt duo Cardinales. Baronius *tom. 10. anno Christi 34. num. 291.* Bellarmin. *lib. 4. de notis rer. Eccles. §. quantum*, ad ordinationem; quod clarè determinant duo Summi Pontifices. Anicetus *epist. ad Episcopos Gallia, cap. 1.* Damafus *epist. 4. contra Cor-*

*Episcopos.* Cæterum † ex Pontificia dispensatione urgente necessitate potest Episcopus ab vno solo consecrari, vt est constans fere omnium sententia de iure etiam diuino solus Episcopus est minister Ordinarius Confirmationis & Ordinis, & tamen ex dispensatione Papali simplex Sacerdos potest esse minister horum Sacramentorū. Vnde Apostoli in multis ciuitatibus saltem ex tacita Christi dispensatione, aut ipsius Vicarij per se ipsos solos Episcopos ordinabant: tum etiam quia valde probabile est, quod † dicunt Syluester *verb. consecratio. 1. n. 1.* Armilla *num. 2.* Azor. *part. 2. lib. 3. cap. 30. q. 2.* Valentia *3. part. 1. disp. 9. quest. 3. punct. 2.* Coninch. *de Sacram disp. 20. dub. 9. concl. 5.* Layman. *lib. 5. tract. 9. cap. 5. num. 1.* Barbof. *in collect. ad Concil. sess. 23. cap. 2. de reform. num. 8.* vnde in hoc sæpe dispensatum est à Gregorio I. pro Anglis à Gregorio XIII. cum Patriarcha Æthiopiæ, sacra Ritum Congregatio, *anno 1601. 2. Octob.* cum electo Episcopo Vssulensi in Sardinia, vt à duobus tantam Episcopis consecraretur, & ad instantiam Philippi II. Hispaniarum Regis dispensauit Pontifex, vt Episcopi Indiarum consecrari possint ab vno dumtaxat Episcopo Catholico, cuius Breuis originale, quod expeditum est *anno 1562. die 11. Augusti*, adseruatur in Archiuio Eccles. Metropol. Limensis. Vnde Solorzano, *vbi supr. cap. 6. num. 36.* dicit † Bullæ quæ pro consecrandis nouis Episcopis Indiarum expediuntur semper illam clausulam habent, vt à quocunq; maluerint Catholico Antistite S.R.E. communionem habente consecrari possint, quod non solum ipsorum gratia conceditur, sed etiam suarum ouium ne multum differatur habere consecratum Pastorem.

22  
23  
24  
25  
26

Ex quo manifestè iustificatur actio Episcopi Tucamanensis & liberatur ab omni culpæ labe, cum enim sibi alias per litteras priuatas constaret ( quod sufficere supra dixi ex Rota & late probat Nicolaus Genoa *l. 3. de scriptura prinata quest. 29.* ) sciretque Bullas ad consecrandos Episcopos Indiarum, hanc habere clausulam, & ex Breui supra relato generaliter sit, dispensatum, vt possint consecrari ab vno Catholico Antistite, dubio procul eius consecratio, & valida fuit & immunis ab omni peccato, imo id posset licite facere ( aliqui ) quibus non assentior ) dixere ) si sibi constaret dispensationem factam à Pontifice etiam si litteræ non essent expeditæ, quia dispensatio verbo vel scripto præficitur necessario exigitur scriptura *clm. dudum de sepult. extrauag. etsi dominici de penit. & remiss.* non enim † est minus efficax verbum ad dispensationem celebrandam quam scriptura, imo ista ad illud manife

manifestandum instituitur nisi gratia sit, qua datur iurisdicção iudicibus qui per eas deputantur, tunc enim necessario requiritur, quod litteræ sint expeditæ & præsentatæ antequam iudicium inchoetur, & non sufficit, quod supplicatio sit concessa, etsi enim ex hac Pontificis voluntate oriatur iurisdicção, tamen pro foro externo in quodumtaxat perficiendum est iudicium partibus per litteras expeditas debet constare iurisdicção concessa, ita habetur in Regulis Cancellariæ, vnde in hoc ex iurepositiuo requiritur scriptura, quia agitur dumtaxat de foro externo.



## RESOLVT. IV.

*Qua licentia sit requisita, ut subditus domo egrediatur, recurrens ad Superiorem altiorem?*

## S V M M A R I V M.

1. Non licet regularibus à suis conuentibus recedere etiam prætextu ad suos Superiores accedendi, nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint, ex Conc. Trid.
2. An subditus qui grauatur à Superiore immediato possit sine licentia ipsius domo exire, vt adeat Superiorem qui à grauamine releuet.
3. An subdito licitus sit egressus à domo & recessus à conuentu, vt recurrat ad Superiorem qui illum releuet à grauamine, & n. 4. 5. & 6.
7. Suarez opinio adducitur.
8. An petitio licentiæ de rigore iuris in foro conscientie non sit necessaria, & n. 9.
10. An ex petitione licentiæ nullum damnum timeatur, sit petenda, & numer. 11. & 12.
13. An titulo appellationis à grauamine iniuste sententiæ nunquam liceat prætextu ad eundem Superiorem recedere à conuentu, & numer. 14.
15. An tempore Concilij esset relaxatio ad eundem Superiorem ob grauamen iniuste illatum, & numer. 16.
17. Nullus Regularis prætextu recurrendi ad Summum Pontificem Romanam curiam ingrediatur sine licentia sub pœna incarcerationis, ex Sacra Cong.
18. Regulares qui transeunt de vna Prouincia in aliam si non deferant licentias suorum superiorum non possint recipi hospitio, ex Sixto quinto, & numero 19. & numer. 20.

Tom. I.

21. Multorum Doctorum opiniones afferuntur, & num. 22. & 23.

**C**ONCILIVM Trident. sess. 25. de Regular. cap. 4. sic fatur. † Nec liceat Regularibus à suis conuentibus recedere etiam prætextu ad suos Superiores accedendi, nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint, qui vero sine prædicto mandato in scriptis obitento repertus fuerit ab Ordinariis locorum tanquam desertor sui instituti puniatur, quod decretum extendit Sixtus V. in Bulla contra illegitimos. Incipit ad Romanum spectat. §. 19. & 20. & est, n. 71. tom. 2. Bullarj. inter Bullas huius Pontificis ad eos Religiosos, qui ad sacularia hospitia diuertunt quos Ordinarij, punire possunt nisi litteras patentes ostendant sine quibus, nec Prælati possunt eos in hospitium recipere.

Sed est graue dubium circa præfatam determinationem Conciliarem, & Pontificiam, † an subditus, qui grauatur à Superiore immediato, possit sine licentia illius domo exire, vt adeat Superiorem, qui à grauamine releuet? quod dubium versari potest de subdito respectu Superioris conuentus in quo residet, vel respectu Superioris Regularis, Prouincialis, aut Generalis, vt possit adire Summum Pontificem, vel de subdito grauato iniuste, & contra consuetudinem & vsum tractandi alios eiusdem conuentus alumnos, vel de subdito grauato iuste detento in carcere, vel aliam pœnam sustinente, ob sententiam iuridicè latam.

His decretis non obstantibus † subdito licitus est egressus à domo, & recessus à conuentu, vt adeat, & recurrat ad Superiorem, qui ipsum releuet à grauamine, à quo alias releuari nequit. Hoc assertum, vt regulam certam ponunt Bonacina de clausura quest. 2. punct. 11. §. 1. numer. 9. Fagundez præcept. 2. Ecclesiast. lib. 8. cap. 5. numer. 12. Peyrinis de subdito quest. 1. capite 20. à versic. nec obstat. Sayrus in clauis lib. 12. cap. 17. num. 40. Coriolanus de casibus referuatis part. 2. casu. 3. à num. 19. & casu. 5. §. 10. num. 27. Manuel Rodriguez tom. 1. quest. 30. artic. 3. & 4. & quest. 53. artic. 10. Hieronym. Rodriguez Resol. 10. num. 3. & Resol. 28. numer. 8. & suus auunculus testatur sic declarasse sacram Congreg. Concilij. Nauarr. comment. 2. de Regul. num. 61. & comment. 3. num. 51. Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 8. num. 102. Azor part. 1. lib. 12. cap. 11. quest. 7. & 8. Suarez tom. 4. de Regul. tractat. 1. lib. 3. cap. 1. à numer. 4. Pellizarius tom. 1. tractat. 6. capit. 7. à num. 48. Castro Palao t. 3. tr. 16. disp. 4. punct. 15. vbi sic satis prudenter n. 10. † loquitur, quia in hoc casu permessa est verbalis appellatio & ita permitti debet

debet realis appellatio qua facto ipso fit iuxta textum. cap. dilecti. 2. de appellatio. Neque Concilium sess. 25. cap. 4. de Regul. credendum est hunc processum interdixisse quia interdicare defensionem naturæ debitam, neque enim præsumi potest voluisse te restringere ad petendam  
 5 licentiam à grauante, quum moraliter certus es petitam non fore concessurum sed potius times ob id esse magis grauandum. Neque obstat nihil nouum prohibere concilium sufficit si prohibitionem antiquam, & non satis cognitam renouet. Præterquam quod eo decreto aliquid nouum inducit scilicet, ne recedant Regulares à suis conuentibus etiam prætextu accedendi ad Superiores, nisi ab eis missi, vel vocati in scriptis sint, alioquin puniendi sunt, tanquam desertores instituti, quod certe antiquo iure cautum non erat. Item ne accedant nisi ad propulsandam iniuriam grauem & manifestam, quæque alia via commode reparari non potest. Neque item recedant  
 6 si scandalum & Religionis perturbatio qua ex fuga præsumuntur, prouentura præponderent Religionis detrimento. His conditionibus positus non peccas iter arripiendo ad Superiorem, quia non voluntate sed necessitate coactus à monasterio recedis, & ad Superiorem pergis. Neque ordinarius te punire potest, si sufficienter ex hac legitima occasione fugisse probes. Ita Nauarrus, &c.

A præfata Doctrina quæ vt dixi regula  
 7 communis est, non recedit Suarez, † qui non est sibi contrarius vt existimauit Castro Palao vbi modo; quum enim Suarez tom. 4. de Religione lib. 2. cap. 11. num. 15. loquitur in foro externo, & strictius loquitur in foro interno, quam in lib. 3. cap. 1. num. 7. vbi sic loquitur vt ex eo sumpserit Castro Palao, dicit enim duo, primum.  
 8 Quod † petitio licentiæ de rigore iuris in foro conscientie non est necessaria, si enim subditus timeat Prælatum immediatum non solum non esse concessurum facultatem, sed etiam omnino impediturum recursum ad Superiorem, vel negotiationibus effecturum vt Superior Prælatum falsis informationibus præueniatur vel alio modo noceat suæ defensionem, tunc excusari poterit  
 9 subditus à petenda licentia. Quod si forsitan ob eam rem in itinere capiatur, vel alias pœnas sustinere cogatur, non est argumentum sufficiens culpæ, in conscientia, sed præsumptionis eius in foro exteriori, in quo si de veritate constiterit, cessabit sine dubio afflictio, & dabitur Religioso testimonium quo possit secure ad Superiorem peruenire.

Subdit tamen, per quod enucleat, id,  
 10 quod priori loco dixerat, si † ex petitione licentiæ nullum damnum timetur, petendam esse censeo, & in primis si est aliqua spes obtinendi illam vel etiam si nulla est sufficiens ratio desperandi, omnino necessarium iudico illam petere

quia tenetur Religiosus, per se loquendo non ire sine licentia, ergo tenetur etiam prius procurare illam, nec habet iustam causam, hoc omit-  
 11 tendi, quum non habet rationem probabilem desperandi nec timet aliquid incommodi. Immo licet non habeat spem obtinendi licentiam debet illam petere. 1. ex quadam urbanitate. 2. vt causam suam iustiore faciat. Denique necessarium est vt tanta sit necessitas que non det, locum petendi prius licentiam à Superiore Prælato, & expectandi illam, nisi res sit talis vt necessaria sit presentia, nec speretur per solas litteras aliquod remedium, vel licentiam posse obtineri. Est tamen raro, & difficile, hæc omnia  
 12 simul concurrere, difficilius tamen est subdito in huiusmodi casu prudens iudicium ferre in sua causa, & ideo nunquam hoc facere debet sine prudentum consilio, qui raro vt existimo id suadebunt, aut permittent. Quæ doctrina & valde prudens est, & satis conformis illi, quam dederat cap. 11. lib. 2. vbi id remittit prudentum arbitrio, qui iudicabunt, an fit vltima necessitas fugiendi, & vitandi  
 13 damnum notabile, & grauamen illatum, à Superiore, addens quod † titulo appellationis à grauamine iniustæ sententiæ, nunquam licet prætextu adeundi Superiorem recedere à conuentu. Quia (ait,) raro esse potest grauamen tam notabile, tamque irreparabile, vt propter solam difationem accedendi ad Superiorem ordinato modo, tam graue debeat existimari, præsertim quia maior infamia maiusque nocumentum etiam spirituale sequi solet, ex huius-  
 14 modi perturbato discessu, minus enim commodum existimat Concilium, vt Religiosus interdum patiatur aliquod grauamen iniustum, quam vt totum corpus Religionis illo prætextu magnum dispendium patiatur. Tempore enim † Concilij ma-  
 15 gna erat in hoc relaxatio, & prætextu adeundi Superiorem, ob grauamen iniuste illatum, quasi liberat erat vagandi occasio, & recedendi à suis conuentibus cum magno dispendio Regularis disciplinæ & obedientiæ debitæ Superioribus immediatis, ex huiusmodi licentioso ad altiorem Superiorem recursus prætextu, quod incommodum magis videtur præponderare, quam quod subditus aliquod grauamen pro aliquo temporis spatio patiatur, nisi alias prudenter iudicetur ex consilio Sapientum, nisi per recessum à conuentu recurrendo ad Superiorem non posse liberum ire à tali grauamine. Hæc dixerim  
 16 in gratiam Sapientissimi viri qui satis Religiosè, & prudenter loquitur & intelligit communem doctrinam, ne detur anfa vagandi Religiosis viris, & fugiendi obedientiæ vinculum, & regularem disciplinam

plinam: Vnde sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium decretum edidit, vt  
 17 † nullus Regularis prætextu recurrenti ad Summum Pontificem Romanam Curiam ingrediatur sine licentia ipsius Congregationis sub pœna incarcerationis: vt referunt Ioannes Anton. Nouarius in *summa Bullar. tit. de Religiosis recurrent. ad Curiam Rom.* Sperellus in *Decisio. fori Eccles. decis. 8. num. 25.* Campanil. in *diuersor. Rubr. 12. cap. 13. num. 31.* & ex ipsis Barbosa in *Collect. Apost. decis. Collect. 632. num. 12.* Vnde Sixtus V. in *const. edita anno 1587. incipit. Cum de omnibus Ecclesiasticis.* determinat, quod † regulares qui transeunt de vna Prouincia in aliã si non deferant licentias suorum Superiorum non possint recipi hospicio, & possint ab Ordinario locorum capi, & incarcerari, vt sui instituti desertores, sed quod possunt hospicio recipi etiam si in scriptis non deferant litteras patentes dummodo non agnoscantur esse Religiosos, tenet Corolarius de *casibus reseruat. casu 3. p. 2. n. 23. de quo* (inquit) *consului Procuratorem Generalem* (sui Ordinis) *& ita respondit.*

Sed quamuis hæc doctrina tutior sit, & Regulari disciplinæ conformior, vtpote conseruans neruum Regularis disciplinæ, non est tamen omnino occludenda via, vt subditi grauitè grauati à suis Superioribus immediatis à quorum grauamine se tueri non possunt humilitate, subiectione, patientia, & tolerantia pro aliquo temporis spatio, neque alio modo se defendere nequeunt: si enim aliter possunt nequeunt sine licentia discedere, sicut si quis potest alio modo se defendere non potest occidere inuasorem) eorum quæ Superior immediatus, vel passione, odio, inimicitia, aut zelo indiscreto contra ipsos operatur; meditatur ferè tyrannica gubernatione; quia altior Superior, qui immediatum cohibere, & reprimere potest, nimis distans est, habeant remedium suæ naturalis defensionis, in aliquibus casibus licitus est recessus à domo sine licentia Superioris immediati grauantis eos iniuste, vt adeant Superiorem, qui auditis partibus à grauamine liberet, etiam si necessarium fuerit carcerem frangere, vt à Superiore grauante aufugiat. Ita † Abbas *cap. ad nostram de appellat. ex textu leg. Dominorum, ff. de his qui sunt sui, vel alieni iuris.* Baldus *ad præfatum cap. ad nostrum*, probat ex *leg. contra pupilum, §. is qui, ff. de re iudicat.* Nauarr. *cap. non dicatis, de Regular.* quia hoc non est fugere, sed factò appellare, *cap. cum diuiti de appellat. legatur Sanchez lib. 6. summ. cap. 8. n. 17.*

22 Primus est si modum omnino excedat in  
Tom. II.

uisione, & correctione regulari, quem moderari nequit exhortationibus, & admonitionibus prudentum, & vltra pœnas ordinariè positas, alias excedentes imponit: vltra vires personæ maximè si publica sit, & alias scandalum non generat secularibus, vita sua, & moribus; tunc enim iniuste grauatur, & remedium recursus personalis ad eum qui moderare queit non est auferendum; quia iuris naturalis est, cui Religiosus non renunciauit, & forsan nequit renuciare.

Secundus si Superior peruersè informatus ab alio Superiore, v. g. si Prouincialis à Præposito vel Generalis à Prouinciali ordinem mittat, vt aliquis domo vnquam exeat, vel in aliquo loco detinetur ne vadat ad locum suæ residentia, in qua, vel officium habet, vel designationem filiationis, si talis Superior per litteras certioratus de veritate, & quod informatio facta veritati non nititur non desistit à mandato, potest ad Superiorem illum personaliter accedere, etiam si non petat licentiam ab immediato, si certo scit istum non daturum.

## SVBRESOLVT. I.

*Verum in aliquo casu Religiosus grauatus possit recurrere ad Principem laicum?*

## S V M M A R I V M.

1. *An Religiosus grauatus possit recurrere ad Principem secularem.*
2. *An recursus forma præscribatur à priore ad Prouincialem, &c. & n. 3.*
4. *Portel sententia assertur.*
5. *Quandonam Religiosus recurrent ad Principem secularem nullam censuram possit incurere.*
6. *An ciuium nomine quum de fauore defensionis agitur, clericus sit censendus.*
7. *Doctissimi Malderi opinio adducitur, & n. 8. necnon authoris mens, & n. 9.*
10. *Priores, Guardiani nunquam possunt trahi ad suprema pratoria per viam violentia, ex Salgado.*
11. *An lex Regia non tantum se fundet in prohibitione appellatio. sed & in conseruatione status Religiosi, & n. 12.*
13. *An Princeps supremus tuta conscientia non possit lege sua stabilire, quod causa regularium ad tribunalia secularia deducantur.*
14. *Vbi gubernaculum disciplina contemnitur restat vt religio naufragetur ex Clemente II.*

Sed inquires si superior iste ad quē recedit nimis distet à grauato & iste non habeat modum quo illuc accedat vel ratione expensarum aut infirmitatis. Poteritne recurrere ad Principem sæcularem aut eius supremum consilium, non vt iuridice cohibeat grauantem, qui exemptus est à sua iurisdictione, sed vt auctoritate sua ipsum aduertens moderetur excessus in correctione, & suspendatur mandatum. Respondetur affirmatiuè, quia ius naturalis defensionis illi hoc concedit, et si enim recursus ad tribunalia sæcularia, & ad Principes laicos prohibitus sit Regularibus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, lata à Clemente VIII. in constit. 5. Incipit. *Quoniam subditi.* 23. Nouemb. 1605. vbi ¶ recursus forma præscribitur à Priore ad Prouincialem, Generalem, ad Protectorem, & ad Sanctam sedem, subintelligitur Sacra Congregatio Episcoporum & Regularium. Hoc tamen intelligitur, quum grauamen graue potest sub hac forma repelli, ast quum ob difficultates itineris & expensarum, infirmitatem grauati & similia non potest ius naturalis defensionis habere, licet ad Principem & supremum Tribunal recurrere, non in forma iudicij, sed per modum supplicationis, vt auctoritate sua grauantem iniuste cohibeant. Ita tenent Malderus 12. *quest.* 96. *artic.* 5. §. *quod attinet ad iustam defensionem versic.* 1. & *versic.* 4. Sousa in *Bullam cœna cap.* 15. *disput.* 78. à *num.* 2. Portel. in *additionibus ad dubia regul. verb. appellare* 4 *num.* 3. ibi, ¶ *si Superior ad quem posset recurrere longe distet ita vt non possit* illum adire instante grauamine, vel etiam cœpto & sic iniuste illato arbitrio boni viri, tunc credo posse Religiosum, aut Clericum recurrere ad Principem sæcularem, qualis est Rex, non tanquam ad iudicem competentem, vt sibi succurrat in illo grauamine iniusto tollendo vim sibi factam modo quo licitè potest imperando scilicet, vel suadendo, Prælato, vt vel absteineat à vi iniusta, & grauamen, quod patitur Religiosus releuet, & per hoc ¶ Religiosus recurrens ad Principem sæcularem cum prædictis circumstantiis nullam censuram cœnæ, aut alterius Bullæ incurret, *cap. Regium* 23. *quest.* 5. vbi habetur. *Regium est per vim oppressos à manibus violentorum & calumniantium liberare ac iniurias repellere.* quod locum habet in Religiosis ac viris Ecclesiasticis, qui enim habent ius naturalis defensionis ex vi ipsius iuris, habent etiam illa sine quibus defensio haberi non potest. Vt enim egregiè dicit Episcopus Antuerpiensis Ioannes Malderus, vbi su-

præ, id videtur suadere ratio naturalis & ius defensionis, quod habet Princeps contra omnem vim ciuibus suis illatam, ciuium autem ¶ nomine, quum de fauore defensionis & Patrocinij Regij agitur etiam clericus, (adde tu & Religionis,) censendus est. Hæc ille, quibus conformantur plures & graues Theologi.

Sed procedit sapienter valdè idem qui supra doctissimus Malderus. ¶ *Vti verum non est non posse vnquam occurrere casum iusta defensionis in hac materia pro iudice laico, ita verum quoque non videri tam facile occurrere, vt quidam Iurisperiti volunt; videtur enim remedium istud esse acerbius, quam vt facile admitti debeat, parit enim contemptum Ecclesiastica iurisdictionis, quum nimis facile adhibetur & viam sternit multis abusibus, eoque sensu potest sustineri, quod iste modus defendendi plerumque extra casum, valde magna necessitatis excedat moderamen inculpatae tutelæ, & quod excedat Medicina modum & malagma sit ipso vulnere acerbius.*

Verissima quidem sententia paucis expressa verbis, quæ rigidius exequenda est in Regularibus qui mundo mortui mundanis remediis vti non debent ad suam naturalem defensionem, & ad propalandum grauamen sibi illatum, quod acerbius debet esse illud pati, quum est perniciosum regularem turbare disciplicam, & modum regiminis, quod cum sit bonum commune magis diligi debet, quam visitatio damni proprii non grauis valdè quod patienter sustinere debet quam vulnera Religionis propalare Principibus, qui malum ex illis percipiunt odorem. Vnde iudicibus supremis obsecro ¶ in visceribus Iesu Christi, quod huiusmodi recursus refugiant, & Religiosos recurrentes ad suos Prælatos remittant, & legis peritis peto sub eadem obtestatione ne patrocinentur huiusmodi causas, sed prudenter, suauiter, ipsis intiment obligationem suam; nisi manifestissimum, & grauissimum sit grauamen. Legant attentè Salgado de *protectio. Regia part.* 1. *cap.* 2. *prælud.* 5. à *num.* 10. qui *num.* 21. sic fatur. *Sed tu ne forte decipiaris scias causas Religiosorum quæ fiunt & geruntur per eorum Superiores. ¶ Priores, Guardianos, Rectores, Generales, Prouinciales & similes, quia siue directe, siue indirecte semper tendunt ad correctionem, & Regimen Religiosorum nullo modo possunt trahi ad suprema Prætoria, per viam violentiæ, nec hæctenus visum, nec auditum fuit inter practicos, & expertos Tribunalium, Aduocatos & Senatores huiusmodi personarum causas ad illa exportari per hanc viam imo neque in*



in grauinibus & excessibus super electionibus, nec super aliis rebus quæ ut dixi geruntur inter Religiosos per eorum superiores trahi unquam permissum est, & sic non video quomodo ipse Ceuallos deniari ausus est à tam frequenti, & omnibus Tribunalium etiam minimis officialibus notoria & usitata praxi.

- 11 Et quia † dicta Lex Regia 40. tit. 5. lib. 2. Recopilat. non tantum se fundat in prohibitione appellatio. sed in pace, quiete, & conseruatione status Religiosi cum illius neruus, atque Deus consistat in eo, ut ne facile causa sua extra Religionis ambitum deducantur, ex quo non leuia iurgia ac perturbationes orirentur in grauissimum Religionis detrimentum prout considerant Soto lib. 5. de iustitia quest. 3. artic. 3. Couarr. in practicis cap. 23. num. 6. versic. 8. quum circa hoc dicta lex pateretur aliquam difficultatem, vniuersalis perpetua & firmissima iustissimaque ab usu & praxi recepta consuetudo sufficiens fuit illam legem intelligere, interpretari & declarare quia actus ubi determinatio non apparet abusu & consuetudine informatur, & regulatur ut latissime Mieres de maiorat. 1. p. quest. 48. à num. 71. usque ad 77. sess. decis. 113. à num. 183. tom. 2. Parlado lib. 1. rer. quotid. cap. 1. §. 11. num. 4. Cenedo 9. cano. 45. num. 29. Hactenus doctus vir qui etsi accerrimus sit defensor Regiæ protectionis in Ecclesiasti. ast eam non tueretur in Regularibus respectu suorum Regularium intra Religionem Superioris propter lamentabiles casus quos experientia docuit, ex non obseruantia huius seuerissimæ doctrinæ.

- 13 Quæ adeo mihi certa videtur, ut existimem † Principem supremum turæ conscientia non posse lege sua stabilire, quod causæ Regularium intra claustra degentium, quæ aguntur coram suis Superioribus Regularibus intra Religionem possint per viam violentiæ ad Tribunalia sæcularia deduci, esset enim talis lex contraria paci, quieti & Regimini Regularium & euerfua disciplina Religiosæ, ansamque præberet vagandi Religionis, perturbaretur obedientia debita Superioribus, ut enim, ait Clemens II. cap. 1. de stat. Monach. † ubi gubernaculum disciplina contemnitur restat, ut Religio naufragetur. Verum est quod, quum scandalum timetur turbatio, aut inquietudo pacis Regularis Rex, aut Consilium supremum secreto non in publico consistorio ordinat, aut disponit, quid faciendum ei detinet aliquando ne Generalis, aut visitator Generalis (maximè si naturalis huius Regni non sit) ingrediatur ad visitandum conuentus ex qua visitatione magna iurgia & seditiones oriri solent.

Tom: I I.



RESOLVT. V.

An in Carcere detentus Regularis possit fugere sine licentia, ut vadat ad altiore Superiorem, ut releuet grauamen.

S V M M A R I V M.

1. Carcer est viuorum sepulchrum ex Salgado.
2. Duplex incarceration admittitur.
3. Apud quos incarceration sit iusta.
4. Quid item de incarceratione iniusta.
5. Variorum DD. opiniones, & n. 28.
6. An sit licitum Religioso iuste incarcerato fugere à carcere ut vadat ad superiorem qui eum releuet à pœna, & n. 7.
8. D. Thoma ratio assertur, & n. 9.
10. Annon insit maior obligatio Religiosis obediendi sententiæ lata de carcere quam secularibus.
11. An si quis esset damnatus ad percundum fame si illi esset oblatuſ cibus posset concedere.
12. An superior possit præcipere ut maneat Religiosus in loco quem designauerit & iuste iudicarit.
13. An non liceat Religioso fugere à carcere in quo iuste positus est, & n. 14. & 15.
16. Pœna sunt in duplici differentia ex Caiet. & n. 17. & 18.
19. An damnatus ad carcerem perpetuum vel ad tempus siue regularis siue laicus non potest fugere ante completum tempus.
20. Quæ sententia iusta intelligatur.
21. Carcer perpetuus imbibit exclusionem à fuga, & num. 22.
23. Nauarri mens adducitur.
24. In triremibus miserrimus quisque reus quotidie moritur.
25. Viualdi placitum, necnon authoris iudicium, & n. 26.
27. Triremes sunt veluti quedam perpetua mors.
29. Quid contra statum religiosum videatur, & num. 30.
31. An si Religiosus à Triremi fugiens non teneatur ad Triremes redire, possit iterum capi à religione.

**B**E NE Salgado de Protectio. Regia p. 2. cap. 4. n. 1. dicit quod † carcer est viuorum sepulchrum, qui in omnibus mortui videntur, consummatio viuorum, consolatio inimicorum, & experiētia amicorū, species torture, mortis similitudo, mala mansio, purgatorium huius vitæ locus horribilis

horribilis, tum propter priuationem conuersationis, tum propter squallorem & immunditiam, qua in carceribus reperitur, &c.

- 2 Cæterum, † aut incarceration iusta est, quia debitis solemnitatibus iuris, competente iudice facta, aut in pœnam propter delictum irrogatam sententia iusta seruato iuris ordine, aut est iniusta ex defectu iurisdictionis, aut ratione personæ, aut temporis, aut loci, aut quia non est seruatus iuris ordo, aut ratione causæ, de quibus omnibus Salg. *vbi supr. per ducentos & amplius num. cruditæ*, vt assolet discurrit, & quia potius pertinent ad iudices sæculares, quam ad Regulares ibi videri possunt, apud hos enim † iusta incarceration est, quum datur in pœnam delicti, aut quum inter locutoriè detinetur Religiosus in carcere custoditus, vt causa eius discutatur, & ne fugiat, vnde etiam si ab hac detentione appellet appellatio non habet effectum suspensiuum, sed deuolutiuum dumtaxat, vnde reus in carcere detinetur, donec iudex appellationis, aliud iusserit, vt declarauit Congregatio Concilij, *ad cap. 20. sess. 24. die 16. Octob. 1600.* vt referunt Sellius. *in selectis cap. 30. num. 13.* Barb. *in collect. Apost. decis. collect. 37. num. 19.*
- 4 Igitur † non procedit dubium de incarceratione iniusta, ab hoc enim grauamine iniusto cum graue nimis sit, & valdè pœnale maxime in Religionibus si aliter quis liberari nequit, nisi per fugam & non petita licentia, vt vadat ad Superiorem, qui ipsum releuet, licitum est, si recludatur scandalum, aut alia perturbatio, quæ magis ponderat, quam quod quis ad tempus detineatur, & iniuste incarceratus, quare procedit de carcere iusto, qui vel per sententiam datur ad tempus longum, vel in perpetuum, (quod dari in pœnam delicti posse à iudicibus Ecclesiasticis docent † Innocentius, *cap. qualiter el segundo de accusat. column. penult.* Bernardus Diaz. *cap. 137. verb. ac in perpetuum carcerem.* Bobadilla. *lib. 3. Polit. cap. 15. num. 8.* Azeuedo. *lib. 8. leg. 15. tit. 6. num. 11. & 13.* & praxis sancti officij, & Religionum confirmat) vel infligitur ad causæ decisionem, & ne reus fugiat rursus, aut reipsa delictum commisit, aut cum reipsa innocens est secundum allegata & approbata tanquam nocens damnatur.
- 6 Prima sententia absolutè docet † licitum esse Religioso iuste in carcerato fugere à carcere, vt vadat ad Superiorem altiore, qui ipsum releuet à pœna. Ita Bannez *2. 2. quest. 69. artic. 4. pag. mihi 456.* vbi sic fatur. *Notandum, quod Religiosis non est licitum fugere de carcere, quia illi sponte sua se abdicarunt libertate vagandi, quare non de-*

bent esse melioris conditionis quantum ad hoc, qui sunt in carcere, quam alij Religiosi, sed isti non possunt fugere, ergo nec illi. Hinc 7 excipiunt aliqui nisi fortè ogeretur de periculo vita ipsius Religiosi, tunc enim licitum esset illi fugere, & hoc probat ratio † D. Thom. 8 *in solut. ad 2.* Possumus autem ponere aliam exceptionem quum Religiosus est condemnatus ad perpetuum carcerem, vel ad durissimam pœnam, tunc enim fugere licebit non ad vagandum neque ad relinquendum habitam, sed ad querendum remedium à Superiore Prelato, vel à Summo Pontifice. Ratio huius exceptionis est, quia videtur nimis asperum & inhumanum priuare religiosos recursu ad Supremum Prelatum in tanta angustia constitutos, satis enim 9 erit in fauorem Religionis, & voti solemnis, quod non concedamus illi licentiam vagandi, sed quod teneantur representare se Superiori Prelato, aut Summo Pontifici, vt dictum est. Hæc ille.

In hanc sententiam fatetur Castro Palao, *vbi supra punct. 14. num. 10.* se habere animum propensum, in quam inclinatur Suarez *tom. 4. de Religio. lib. 2. cap. 3. num. 4.* tum quia † non videtur ineffe maior obligatio 10 Religiosis obediendi sententiæ latæ de carcere, quam sæcularibus, simili pœna damnatis, at isti possunt fugere, quia inhumanum esset obligare, vt quis quum possit fugere pœnam illam in se exequi, vt ait D. Thom. *vbi supra.* † si quis esset damnatus 11 ad pereundum fame, si illi esset oblatus cibus posset comedere, quia alias si non sumeret, esset se ipsum occidere. Neque enim votum in religioso maius & strictius vinculum inducit, quam præceptum iudicis, quare Superior etsi possit præcipere, vt non resistam sententiæ, sed illam patiar, at non potest præcipere, non fugiam si possum absque resistantia. Vnde potest quidem † Superior 12 præcipere, vt maneam in loco quem ipse designauerit & iuste iudicauerit argumento, *textus in cap. quorundam. & cap. si Religiosus de electio. in 6.* at non iuste iudicat si ferat sententiam me debere absque fugæ potestate, in carcere & tremibus manere, quia lex humana, nisi, id exprimat non aufert hanc potestatem, sicut non obligat cum manifesto mortis discrimine, nisi exprimat.

Secunda sententia huic ex diametro opposita tenet † non licere Religioso fugere à 13 carcere, in quo iuste positus est, etiam prætextu recurrendi ad Superiorem altiore, si carcer sit impositus ex sententia definitiua iusta. Ita tenet communis sententia Suarez *vbi supra cap. 10. num. 10.* Sayrus *in clau. l. 12. cap. 18. num. 9.* Nauarrus *comm. 4. de Regul. num. 63.* Rodriguez *tom. 2. q. 22. art. 6.* Sanchez *lib. 6. summ. cap. 8. num. 12. &*

16. Castro Palao *vbi supra*. Fundamentum est, quia licet ex præcepto, & lege humana absolute obligari non possit, ad non fugiendum carcerem at ex voto obedientiæ obligari potest, quia ita vouisti obediendi ad sustinendum, quod Superior secundum Regulam, & ius commune canonicum præcipit, & ita præcipere præsumitur quando carcer, aut triremium in pœnam delicti iusta sententia imponitur nisi carcer ita durus & inhumanius sit, vt suum adferat vitæ periculum, quia locus aut nimis humidus, aut nimis frigidus, aut nimis calidus est, carcer enim perpetuus has qualitates non requirit, si tamen re ipsa est innocens, quamuis, nocens secundum allegata & approbata semper fugere potest.

Sed Dominus Caiet. 2.2. *quest. 69. artic. 3.*

14 & 4. Huius verissimæ doctrinæ altum iecit fundamentum §. *ad cuius evidentiam sci-*  
 16 *to* (inquit) *quod † pœna sunt in duplici differ-*  
*rentia quedam sunt ad quam non aliter quis*  
*damnatur nisi vt patitur illatas, vt patet de*  
*morte, mutilatione, flagellis, tortura, & hu-*  
*iusmodi non enim damnatur aliquis vt se occi-*  
*dat, mutilet, torqueat &c. sed vt patitur,*  
*hec sibi illata & de his omnibus eadem est ra-*  
*tio, que de morte vt scilicet damnatus, aut*  
 17 *damnandus ad aliquid horum possit licite fuge-*  
*re, quia non tenetur nisi ad pati. Quedam ve-*  
*ro sunt ad quas sic subeundas aliquis damnatur*  
*vt ipse cooperetur ad eas vt patet de exilio, &*  
*circumscriptione, & pœna pecuniaria, damna-*  
*tur siquidem aliquis, vt eat in exilij locum &*  
*sibi infra præfixos sibi terminos maneat & so-*  
*luat, &c. & ab harum executione non licet se*  
*substrahere post sententiam, quia damnatus est*  
*ad faciendum, ante vero sententiam potest li-*  
*cite fugere, quia scilicet non tenetur facere hoc*  
*est manere in loco vnde sequeretur suum pati,*  
*hoc est damnari, si ex sua absentia damnatio*  
*vitaretur, alioquin omnino teneretur in foro con-*  
*scientiæ subire latam post sententiam. Religiosi*  
 18 *tamen qui à libertate sui motus processui extra*  
*claustra se priuarunt supponentes se per tria vo-*  
*ta Prælati suis, iuste detineantur non possunt*  
*licite extra præfixos sibi terminos fugiendo exi-*  
*re, cum exire non possint non detenti claustrum*  
*sine licentia Prælati. Hactenus Cardinalis*  
*qui valde formaliter ad propositum loqui-*  
*tur.*

19 Ex quibus colligitur ratio petissima cur  
 † damnatus ad carcerem perpetuum vel ad  
 tempus siue Regularis sit, siue laicus non  
 potest fugere, ante completum tempus, quia  
 carcer datus in pœnam ex sententia iusta  
 non est præcise ad pati sed etiam ad facere  
 sine resistantia, sicut est exilium aut pœna  
 pecuniaria, eo autem quod quis post sen-  
 tentiam latam carceris fugiat resistit sen-  
 tentiæ iustæ, quod non licet; sententiam

autem † iustam intelligo eam quæ transit in  
 rem iudicatam, quare Regulari qui in il-  
 lam consensit nullatenus licet à carcere fu-  
 gere, vt vadat ad Superiorem qui ipsum  
 releuet à pœna, cum ista non sit grauamen  
 iniustum; nisi in modo, & loco pœnæ in-  
 iuriam patiat, sed iusta pœna illata pro  
 delicto, quam cum teneatur pati, nequit  
 eam fugere, quod secus est de damnato ad  
 mortem, qui potest fugere, quia solum dam-  
 natus est ad pati mortem, at damnatus iuste  
 ad carcerem perpetuum est sicut damnatus  
 ad exilium, qui extra terminos sibi præ-  
 fixos nequit transilire, & † carcer perpe-  
 tuus imbibit exclusionem, à fuga & pote-  
 statem fugiendi coercet & reprimat, & sic  
 damnatus in sententiam iustam incarcera-  
 tus fugere nequit sine relaxatione senten-  
 tiæ, aut ex tacita, & præsumpta licentia su-  
 perioris, vt recurrat ad eum, qui ea potest  
 relaxare, quod vrgentius currit in Reli-  
 gioso qui ex vi sui status tenetur obedire  
 quum illi præcipitur secundum regulam, &  
 non fit illi grauamen, vnde cum absolute  
 non possit domo egredi sine licentia multo  
 minus à carcere dato ob iustam sententiam  
 ex vi cuius ablata est potentia egrediendi  
 ab inclusione carceris, multo strictiori vin-  
 culo detentus, quam quod non egrediatur  
 à domo & claustro sine licentia.

Verum enim vero cum pœna triremium  
 si exequenda est, vt sonat, & exercetur no-  
 ua sit, non à multis abhinc annis inter re-  
 gulares introducta consuetudine, & priui-  
 legio, sitque à iure communi exorbitans,  
 vt notat † Nauarrus *commentario 3. de regu-*  
 lar. vnde non debet imponi nisi quum ali-  
 ter Regularis puniri nequit ad æqualitatem  
 iuridicam pro delictis commissis; est enim  
 in hac vita abbreviatus infernus, terra tene-  
 brarum, & operta mortis caligine, terra mi-  
 seriarum, & tenebrarum vbi umbra mortis, &  
 in moribus nullus ordo, sed sempiternus  
 horror inhabitat. † In triremibus miserri-  
 mus quisque reus quotidie moritur, & nun-  
 quam finitur, infinita fere discit peccata,  
 quæ postea vix deserit. Quotidie flagella-  
 tur, & sæpe sine culpa, habitat cum turcis,  
 & infidelibus aliisque pessimis hominibus  
 inter quos ordinaria est blasphemia, periuri-  
 um, latrocinium eorumque possunt. Non  
 satiatur pane & aqua semper pluuiis ventis,  
 insanisque expositus procellis, catena liga-  
 tus, pedibusque suspensus, inter vndas abs-  
 que sacramentis, aliaque consolatione des-  
 peratus perit atque tanquam lapis in infer-  
 num descendit, vnde † iure optimo vole-  
 bat Viualdus *tract. de depositio. & de grada-*  
 tio, num. 38. pag. 84. quod si aliquis sibi no-  
 tus aut coniunctus ad triremes esset con-  
 demnandus, vt morte potius puniretur  
 quacunque

quacunque subita naturali quam illa civili, quod etiam adfirmat Bernardus Diaz. *in sua practica cap. 146. num. 3.*

- 26 Cum ergo pœna ista adeo horribilis est & aspera & sit quoddam genus mortis continuam existimo, quod † Regularis iusta sententia ad illam damnatus, cum sit à Religione expulsus ex vi huius sententiæ, (vt vidimus alibi & docent Rodriguez *tom. 2. q. 25. art. 2. Peyrinis de subdito quest. 1. cap. 27. conclus. 2.* quamuis post decretum Urbanum aliter sit dicendum infra) potest tuta conscientia fugere. — Hæc videtur fuisse mens Doctissimi Magistri Bannez *ubi supra*, est tamen contra Sanchez *lib. 6. summa cap. 8. n. 16.* qui quamuis galeotis sæcularibus id licere concedatur, negat tamen id licere Religiosis, sed de vtrisque eadem concludit ratio,
- 27 quia † hoc genus pœnæ est veluti quædam perpetua mors, & quidem acerbissima & paulatinum martyrium omnino inuoluntarium *leg. penult. ff. de regul. iuris*, vnde non damnantur vt ibi voluntarie maneant, sed vt patienter ferant ibi detineri sicut, dum
- 28 quis verberibus damnatur, vt tenent † Corduba, Ludouicus Lopez, Salon, Petrus de Ledesma, Lessius, quos ibi citat Sanchez loquentes de sæcularibus, in quos sententia dum fertur hoc modo intelligitur, ergo dum sententia fertur in Regulares ab eorum Superioribus, nisi exprimat quod à trireribus non discedant, & hoc illis præcipiatur sub præcepto formali obedientiæ, cum respectu regularium pœna trirerium sit exorbitans à iure intelligenda est iuxta communem intelligentiam in sæcularibus, atque ita sicut isti ex vi sententiæ possunt fugere, ita & Regulares.
- 29 His adde valde durum esse & † videtur contra statum Religiosum, quem solemniter professi sunt eos obligare sub mortali vt sint in continuo periculo peccandi, vt sunt huiusmodi homines, rursus esse obligatos ad tot violentas actiones exercendas, contra eam salutem, & supra naturales vires quod secus est de carcere & inclusione perpetua intra claustra, vel in cubiculo, quia vita est
- 30 etsi misera non ita implicita ærumnis corporis & animæ periculis, quare in hac inclusione ita patitur quod solum teneatur agere continuationem passionis & incarcerationis, sicut qui mittitur in exilium solum tenetur agere progressuum motum est qui decapitatur ponere se vt recte fiat supplicium.
- 31 Verum etiam † si Religiosus à trireribus fungies non teneatur ad trireres redire (sicut tenetur redire ad carcerem perpetuum, qui ab illo aufugit (quod secus est in sæculari) potest tamen iterum à Religione capi, vt pœnam adimpleat, quod nisi

capiatur non tenetur ad religionem redire, si prudenter iudicat ipsum non recipiendum, vt communiter fit, quare potest extra Religionem viuere tanquam expulsus, habens tamen animum præparatum ad redeundum semper, quod recipiatur & admittatur iuxta ea quæ dicam alibi & infra.

---

### SVBRESOLVT. I.

*Religiosus incarceratus si prudenter timet mutilationem potest fugere.*

#### S V M M A R I V M.

1. *An Religiosus incarceratus si prudenter timeat damnandum ad mortem, sententia non lata, possit fugere.*

**C**olligitur secundò, ex Doctrina D. Caiet. quod † religiosus incarceratus si prudenter timet damnandum ad mortem, mutilationem, aut tiremium antequam sententia feratur potest fugere & adire Superiorem qui mitius cum eo agat, vel si timet mortem aut mutilationem potest aufugere à carcere, quia non tenetur facere id est in esse in loco vbi est quæritur suum patibulum, aut mutilatio, quia desiderium conferuandi vitam, & membra sua illæsa ita naturale est, vt nullum votum etiam solemne ipsum excludat, etsi possit, quis renuntiare huic iuri, & permanere in loco vbi ex sententia iusta sequatur suum patibulum & mutilatio.

---

### SVBRESOLVT. II.

*Vtrum possit frangere carcerem & vincula?*

#### S V M M A R I V M.

1. *Quum licitum sit Religioso fugere à carcere, an sit licitum vincula frangere.*  
2. *D. Caietani sententia adducitur.*

**C**olligitur tertio, quod † quum licitum est Religioso fugere à carcere licitum etiam est fugam defendere, ita contra Henricum de Gandano. *quodl. 9. art. 71.* docuit D. Caiet. *ubi supra §. ad 3.* vbi sic acutissime loquitur: *Si quis diligenter distinguat inter fugam, vel defensionem, ac inter vim inferre rationabilibus, vel irrationabilibus declinabit in partem oppositam cum enim inter iudicem & damnatum iuste sit ex parte iudicis bellum iustum, constans est quod damnatus non potest se defendere, non resistere pugnando contra eum, sed sicut fugere non est resistere, pugnare aut defendere, sed non tenere se ipsum in hoc loco ita frangere*

2 frangere vincula & carceres, sed absoluere se ipsum à continentia vinculorum & carceris multum quoque refert vim irrationabilium vel rationabilium repellere. Nam illata vis rebus irrationabilibus precise non redundat in auctorem eorum: cuius signum est quod si quis vinculis sibi ab Ecclesiastico iudice impositis violentiam inferat infringendo, non est excommunicatus, & si quis damnatus ut deuoretur à Leone, pugnet cum leone, & leone superato fugiat nulli iniuriam facit. Hac enim attestari  
3 videntur quod si fugere volens vim inferat custodibus, quod iniuste facit, sed si absentibus vel dormientibus eis frangat vincula vel carceres, iudici vel officialibus impudandum est quod tam debilitate ostia firmata vel seræ fabricata sunt ut potuerint à detento frangi. & infra. Hic autem non est questio de damno pretij vinculorum, aut serarum carceris, facile enim dici potest quod effractor soluere tantummodo est paratus, sed est questio an iste actus effractionis reducatur ad fugam, an ad pugnam, nam si se tenet ex parte fuga licitus est, si sapit pugnam illicitus est. Hæc ibi, quæ expresse docuit D. Tho. art. 4. ad 2.

## SVBRESOLVT. III.

*Si sit damnatus ut fame pereat, si offerantur cibi, tenetur comedere?*

## S V M M A R I V M.

1. An si Religiosus damnatus sit ad hoc quod inedia & fame pereat, si illi cibi offerantur, teneatur sub mortali comedere.
2. Cardinalis de Lugo sententia & n. 7.
3. Nolle vti alimento habito est occidere se ipsum ex Caiet.
4. An sententia quod quis fame pereat, ut iusta sit, respiciat solum quod illi alimenta omnia illi subtrahantur, non à quibuscumque sed à custodibus.
5. An etiamsi iudex præcipiat quod nullus condemnato cibos præbeat, si tamen præbet aliquis, et si iste peccet, teneatur reus comedere, & n. 6.
8. An eo ipso quod quis tenetur præcepto naturali ad conseruandam vitam, adhibere medium teneatur.
9. Difficultatis ratio enodatur.
10. An se conformando se sententiæ iustæ ob delictum reipsa patratum possit reus non fugere si velit, & n. 11.

1 **C**olligitur quartò, quod si Religiosus damnatus sit ad hoc quod inedia, & fame moriatur, si illi cibi offerantur tenetur sub mortali comedere, colligitur ex D. Tho. vbi modo & tenet D. Caiet. §. ad octauam, imo si potest fugere tum per fugam

consequatur cibum quo viuat tenetur fugere. Prima pars huius corollarij est contra Lessium lib. 2. de iustitia cap. 19. num. 29. Sotum, Victoriam, & alios, quos citat & sequitur Petrus Nauarra de restit. l. b. 2. à numero. 180. vbi latissime rem discutit, sed Corollarium defendunt cum Caiet. Cardinalis de Lugo † de iustit. & iure disp. 10. à num. 27. 2 et si dicat quod si semel aut iterum cibus offeratur potest licite respui, addit hoc esse verum non solum si quis sit damnatus per sententiam iustam, sed etiam si per violentiam iniustam. Vtrumque additamentum falsum monstrabo infra subresolutione 4. Probatur tamen Corollarij prima pars ratione D. Caiet. quia † nolle vti alimento 3 habito est occidere se ipsum non minus quam gladio se ipsum transfuerberare, nulla autem sententia quæ iusta sit potest damnare ut quis seipsum occidat, est enim contra insitam naturæ inclinationem ad se ipsam conseruandam, quare sicut si quis non comederet taliter quod ex inedia moreretur vere seipsum occideret, & peccaret contra quintum Decalogi præceptum; ergo cum sententia, quod quis seipsum occidat sit iniusta ex motiuo se conformandi sententiæ, quod fame quis pereat non potest respicere cibum oblatum, quia esset idem quod se ipsum fame occidere, quare † sententia, quod quis fame pereat ut iusta sit respicit solum quod illi alimenta omnia illi subtrahantur, non à quibuscumque sed à custodibus, non tamen ut se occidat non comedendo cibos sibi oblatos, quia tenetur eos comedere, imo addo quod † etiamsi 5 iudex præcipiat, ut nullus tali condemnato cibos præbeat, si tamen præbet aliquis, et si iste peccet tenetur tamen reus comedere, quia vitur peccato alterius, ad sui conseruationem ad quam iure naturali obligatur, addo secundo, quod quamuis nullus teneatur tali damnato ministrare alimenta, tanquam in extrema necessitate constituto, quia secundum iustitiæ ordinem in illa constituitur necessitate, & tunc præstantins est se tenere ex parte iustitiæ, quia non obligat præceptum charitatis, ut expresse tenet D. 7 Tho. 2. 2. quæst. 31. art. 2. ad 3. quod egregie enucleat D. Caiet. vbi supra §. ad nonam quæstionem, plura enucleat Eminentissimus Lugo in huius Corollarij partem confirmationem † quamuis non approbem distincio- 8 nem, quam adfert interfumere venenum gladio se transfigere, & non edere cibos sibi oblatos, nam vtrius est eadem moralis actio æqualiter prohibita in quinto præcepto quamuis physice vna sit actio, & altera omissio, sed vtraque est actio moralis habens malitiam homicidij.

Secunda pars corollarij satis colligitur ex dictis

- 8 dictis, quia † eo ipso, quod quis tenetur præcepto naturali ad conseruandam vitam tenetur adhibere medium, quod hic & nunc iudicatur vnicum ad illam conseruandam, quale est in præfenti casu fuga, ex qua potest sequi conseruatio sibi, vt ignis famelicus extinguitur, qui enim potest de facili extinguere ignem sibi applicatum, vt comburatur, vel illum fugere, vel leonem ad se venientem declinare tenetur id facere.
- 9 Quæ doctrina verissima est in duobus casibus, primo si per violentiam iniustam detineatur à iudice Catholico, (& non in odium fidei, vt Martyres detinebantur à Tyranno,) secundo quum, quis re ipsa est innocens, quamuis secundum allegata, probatus sit nocens, tunc enim tenetur fugere ne inedia pereat, quia si potest, & non fugit seipsum occidit permanendo in loco, sicut si nō comedat oblato cibo ad sustentationem sufficientem, verum est, quod † conformando se sententiæ iustæ ob delictum re ipsa patratum potest non fugere si vult, at non potest non comedere si cibus offeratur, quia in hoc vult seipsum occidere, at non fugiendo non seipsum occidit, sed permanet in loco sibi designato ad pati mortem per abstractionem cibi, & sic non infert sibi mortem, sed patitur in quo se conformat iustæ sententiæ latæ ob verum delictum commissum, dixi veram esse doctrinam in his duobus casibus extra quos probabile est, quod non tenetur fugere, sed possit si velit permanere in carcere in quo est fame periturus, quia potest se conformare sententiæ iustæ latæ in perseuerantia carceris.

---

#### SVBRESOLVT. IV.

*Addimenta posita à Cardinali de Lugo, examinantur.*

#### S V M M A R I V M.

1. *An quis damnatus ad mortem per inediam si semel & iterum offeratur cibus possit illum respuere.*
2. *Vitam sibi auferre etiam pro paruo tempore, ita est intrinsece malum, quod nullo sine honestari possit, & n. 3. 4. & 5.*

**E**X quibus iudicium fero de additamentis factis ab Eminentissimo Cardinali de Lugo. Primum erat, quod † iste talis damnatus ad mortem per inediam si semel, aut iterum offeratur cibus potest illum respuere, quia cum semper non possit sustentari, sed tandem occidi debent ablati impostero cibus, dum respuit cibum semel oblatum, aut iterum, non se occidit per talem abstinentiam, sed debiliorem se

reddit, vt postea igne famelico superueniente facilius & breuius absumatur, quod non est intrinsece malum, sicut qui strangulandus est potest per aliquod tempus abstinere, vt factus debilior facilius à carnifice suffocetur, & mors illi non sit ita onerosa. Hæc doctrina mihi nullatenus arridet, quia † vitam sibi auferre, etiam pro paruo tempore, ita est intrinsece malum, quod nullo sine honestari possit, præceptum enim negatiuum non se occidendi semper & pro semper obligat, etiam pro vnico instanti taliter, quod si Deus mihi reuelaret post vnum quadrantem moriturum, non possem à cibo necessario ad vitam illius quadrantis abstinere, quia me ipsum occiderem, & priuarem vitam pro illo paruo tempore, quam teneor pro illo conseruare, quare aliud est me non sumere cibum semel, & iterum oblatum, vt me debiliorem reddam abstinentia illa ex fine aliquo honesto, vel vt caro mortificaretur, vel vt me conformem regulæ, quam sum professus, vel vt mors secutura non sit ita acerbior & mortis angustia corpore debilitato non ita torqueant corpus, vt spiritus liberior sit in actibus virtutum quos validè impediunt corporales dolores, qui ex cibi abstinentia moderantur, & sub hoc motiuo, aut alio honesto nullus dubitat, quod damnatus, vt fame pereat potest repudiare cibum semel, vel iterum oblatum, & in hoc nihil noui dicit Cardinalis, qui bene addit, quod si iste possit clam semper habere cibos non posset illos repudiare, quia se ipsum occideret, aliud si cibus semel, aut iterum oblatum sit sufficiens ne moriatur & viuat aliquo tempore ita vt si non sumat, vita, fame, consumptus, discedat & hinc est punctum difficultatis, in qua dubio procul sinon sumat cibum semel oblatum, sed necessarium ne moriatur, si non sumat, & moriatur se ipsum occidit, & priuat vitam, morte secuta.

---

#### SVBRESOLVT. V.

*Vtrum Superior possit præcipere ne religiosus à carcere fugiat?*

#### S V M M A R I V M.


1. *An Religioso qui commisit delictum possit Superior præcipere ne fugiat.*
2. *Quid iudex non possit præcipere.*
3. *D. Caiet. sententia, necnon authoris iudicium, & num. 5.*
4. *An de facto iuris ordo non habeat quod damnatus ad mortem cogatur sententia quod maneat in carcere, & n. 6. & 7.*
8. *An in sententia sit inhibitum fuga præceptum.*

1 **C**olligitur quintò , quid dicendum sit  
 ad illam grauem difficultatem † an  
 Religiosus qui commisit delictum dignum  
 morte de qua lata est sententia , siue à Tri-  
 bunali S. Officij , siue à Pontifice , siue à suis  
 Superioribus intra Religionem possit illi  
 præcipi ne fugiat à carcere taliter, quod sen-  
 tentia feratur qua condemnetur ad mortem  
 & ad carcerem donec inferatur mors , ne-  
 gant Soto *lib. 5. de iustit. quest. 6. art. 4.* Ludo-  
 uicus Turrianus *disp. 5. 1. n. 5.* quod satis vi-  
 detur insinuare D. Thom. *2. 2. quest. 69. art.*  
*4. ad 2. ibi. nullus ita condemnatur, quod ipse*  
*sibi inferat mortem, sed mortem patiatur*  
*& ideo non tenetur facere, id unde mors sequatur,*  
*quod est manere in loco unde ducatur ad*  
*mortem. Tenetur tamen non resistere agenti quin*  
*patiatur, quod iustum est.* Ex hoc loco recte  
 2 deducitur , quod † iudex non possit id præ-  
 cipere , quia insolitum est hoc præceptum,  
 & contra consuetudinem ferendi senten-  
 tiam mortis , qua non præcipitur nisi quod  
 quis mortem debitam patiatur , non vero  
 quod permaneat in carcere, huiusmodi enim  
 permanentia custodibus & ministris carceris  
 committitur ; esset enim inhumanum  
 quod quis teneatur permanere in loco unde  
 ducendus est ad patibulum, quum possit fu-  
 gere & vitam tueri , est hæc sententia proba-  
 bilis.

Sed probabilior est quam sequuntur alij,  
 posse hoc præceptum imponi , vt condem-  
 natus ad mortem non possit fugere à carce-  
 3 re. ita expresse tenet D. Caiet. † *vbi supra*  
*§. ad secundam dubitationem ibi. Falsum est*  
*quod detentus damnatus ad mortem sit implicite*  
*damnatus ad carcerem. Neque enim ante sen-*  
*tentiam, neque in sententia facta est talis*  
*condemnatio, sed solum custoditur, vt damnan-*  
*dus, vel damnatus ad futuram penam. & in-*  
*fra. Propter, quod si iuris ordo haberet, quod*  
*damnatus ad mortem damnaretur interim quo-*  
*que ad carcerem non possit licite iste fugere,*  
*quia ex damnatione ad carcerem tenetur iste*  
*ibi manere, sicut tenetur aliis iustis sententiis*  
*parere. Neque hoc est damnare eum ad mor-*  
*tem sibi inferendam, sed ad manendum intra*  
*terminos loci illius.*

4 Ex quo liquido constat , quod † de facto  
 iuris ordo non habet , quod damnatus ad  
 mortem cogatur sententia quod maneat in  
 carcere, unde iudex qui sit Principe absolu-  
 to inferior nequit hoc præceptum, ne dam-  
 natus fugiat à carcere, imponere, quia face-  
 ret contra iuris ordinem & hoc solum in-  
 tendebat S. Thom. loco citat. & probat fun-  
 damentum oppositæ sententiæ , & intendit  
 5 D. Caiet. Cæterū existimo, † quod Princeps  
 supremus & absolutus potest sua sententia  
 damnare aliquem ad mortem, & simul im-  
 ponere præceptum , quod non fugiat à car-

cere, si enormitas delicti hoc exposcat, vt si  
 sit crimen læsæ Maiestatis diuinæ , aut hu-  
 manæ, quia Princeps supremus non tenetur  
 seruare ordinem hunc iuris , cum sit supra  
 ius, sicut potest condere legem quæ obliget  
 in conscientia, etiam cum periculo vitæ, vt  
 est communis certa que sententia quamuis  
 communiter leges humanæ cum hoc peri-  
 culo non obligant , ita † potest Princeps su- 6  
 premus præcipere damnato ad mortem, ne  
 fugiat à carcere , quousque mors illi infera-  
 tur, quia ita expedire iudicat pro criminis  
 grauitate , ita similiter potest præcipere , &  
 legem ferre , quæ obliget in conscientia,  
 quod damnatus ad triremes non fugiat , &  
 Papa simile præceptum & legem potest fa-  
 cere, ne Religiosus fugiat à triribus, quã-  
 uis id non possit præcipere Generalis nedū  
 Capitulum generale, sicut non potest præci-  
 pere, quod Religiosus damnatus ad mortem 7  
 non fugiat , quia hoc non habet iuris ordo,  
 & sic intelligenda sunt ea quæ dixi *tom. 2.*  
*Moral. tract. vlt. Resolut. 1. num. 15.* tum præ-  
 cipue, quia locutus sum de Galeotis sæcula-  
 ribus in quos acquisiuit ius Rex, vt illi infer-  
 uiant, quo iure non potest Rex expoliari si-  
 cut nec pœna pecuniaria applicata fisco post  
 sententiam latam, unde in sententia inhibi- 8  
 tum præceptum ne fugiant , de Religiosis  
 ibi non loquebar, nondum enim rem matu-  
 re expenderam sicut modo expendi , quare  
 potius affirmarem Galeotes sæculares posse  
 fugere quam hoc negando , negare quod  
 Religiosi non possint fugere , si hoc exigat  
 consequentia doctrinæ.



## RESOLVT. VI.

*Vtrum Prælati Regularis possit  
 dare licentiam, vt Religiosus  
 professus maneat extra Monaste-  
 rium?*

**R**LVRA sunt discutienda sub hoc titu-  
 lo Resolutionis præsentis, nam aut Re-  
 ligiosus maneret extra Monasterium habitu  
 religionis retento, aut eo dimisso , vel vt in-  
 feruiat alicui beneficio regulari, aut sæcula-  
 ri, & quidem si necessitas sit ; quæ hoc hoc  
 exposcit in parentibus, qui necessitate graui  
 anguntur, iam latè hoc punctum discussi *t. de*  
*congrua p. 1.* agens de congrua Monachorum,  
 nec aliquid alicuius momenti occurrit di-  
 cendum, hæc enim sufficiens est causa siue  
 necessitas ista vrgens antecedit, aut sequatur  
 professionem, an vero sit sufficiens ne-  
 cessitas sororum & nepotum ex fratre, aut  
 sorore infra §. 1. *dub. 2.* discutiunt.

## S. I.

*Discutitur Resolutio de mansione extra  
Conuentum habitu retento.*

## S V M M A R I V M.

1. *Nauarri sensus adfertur.*
2. *An possit Regularis solemniter professus degere extra Conuentum de licentia Superioris toto tempore quo durat causa.*
3. *An potestas supra Religiosum sit penes suum Prælatum.*
4. *An Religiosi propter urgentes necessitates possint extra Conuentum degere.*
5. *An nullus Religiosus possit se conferre extra claustra sine Superioris licentia studiorum causa.*

**E**T quidem certissimum id posse iure communi antiquo, vt † late probat Nauarrus *comment. 2. de Regular. num. 16. & 40. & comm. 4. num. 14. & in Manuali cap. 14. & in consiliis lib. 3. tit. de Regular. consil. 70. 72. & 74.* vbi varia consilia dat circa varios casus de quibus fuit consultus, & in omnibus concludit, quod ex causa vrgenti, id possunt Prælati Regulares maximè Prouincialis, aut Generalis: nam quod Papa id possit etiamnum retento habitu apud omnes est in confesso ( si subsit causa iusta, & rationabilis nam sine illa nec Papa potest, vt supra Resolut. 13. & tenet expressè Peyrin. *tom. de subdito, quest. 1. cap. 23. concl. 3. vers. dixi iusta existente causa*, Marcellus Rodriguez *tom. 1. quest. 43. art. 3.* Hieron. Rodriguez *resol. 123. num. 89.*) & quidem hac existente, † posse Regularè solemniter professum degere extra Conuentum de licentia Superioris toto spatio temporis, quo durat præfata causa, aut alia superuenit, illa finita, siue duret toto tempore vitæ, siue determinato tēpore, tenent Rodriguez vterque *vbi supra Miranda tom. 1. Manualu quest. 32. art. 3. & 4.* Sa emendatus *verb. Religio. num. 53.* Nauarrus *vbi supra Vega p. 2. cap. 86. casu 14.* Suarez *tom. 4. de Religio. tract. 8. lib. 3. cap. 7. à num. 3.* Bellarmin. *in obseruatio. doctrina ad cap. 11. de reformat. sess. 14.* vbi Barb. *in collect. n. 2. & 3.* constat *ex cap. insinuante. qui cleri. vel vuent. cap. nullum. 18. quest. 2. cap. cum Pastoris. 2. quest. 7. cap. placuit el. 1. y el. 2. cap. Monachi el. 1. y el. 2. 16. quest. 1.* in quibus iuribus duo continentur. Primum, quod potestas supra Religiosum est penes suum Prælatum, quia de illo potest disponere rationabiliter. Secundum, quod Monachus ausu nefandissimo, id est sine imperio aut licentia Abbatis non possit, extra claustrum morari, sed tenetur intra claustrum viuere, vnde *cap. insinuante*, dicitur, *quod quis potest aliquam regulam profiteri manens in domo sua, de licentia*

*Prælati*, vnde in Concilio Chalced. quod refert & confirmat Alexander II. *cap. iuxta 16. quest. 1.* expresse additur. *Quod † Religiosi propter urgentes necessitates possunt de licentia Episcopi extra claustra degere*, quod autem tunc poterant Episcopi, quibus tunc temporis erant subditi Regulares hodie ( cum isti ab illis sint exempti ) possunt sui Prælati; vnde *cap. 2. ne cleric. vel Monach. in 6.* dicitur, *quod † nullus Religiosus se conferat ad studia litterarum extra claustra sine licentia Prælati & consensu maioris partis Capituli.* Qui consensus ibi exigitur ad hoc vt vadat ad studia, quare est specialis conditio ad hunc finem, quod si ob alios fines honestos detur licentia, talis consensus capituli non postulatur iure communi.

## S V B R E S O L V T. I.

*Explicatur Decretum Trid. sess. 14. c. 11.  
de reformatione.*

## S V M M A R I V M.

1. *Concilij Trident. mens. & num. 9.*
2. *Qui Religiosi professi possint transferri de vna religione in aliam strictiorem, aut laxiorem legitima licentia obtenta. n. 3. 4.*
4. *Rodriguez sententia adducitur.*
6. *Authoris mens adducitur, & n. 7. & 8.*
10. *An debeat tam recipiens Prælatum, quam receptus subditus habere intentionem virtutalem antecedentem, quod perpetuo profitemens perpetuo maneat in claustro.*
11. *Suarez sententia adducitur. & n. 12.*

**S**Ed circa hanc certam & indubitatam doctrinam sunt aliqua dubia discutenda. Primum, quomodo intelligatur Decretum Trident, *sess. 14. cap. 11. de reform.* sequentis tenoris. *Quia vero Regulares de vno ad alium ordinem translati facile à suo Superiore licentiam standi extra monasterium obtinere solent, ex quo vagandi & apostatandi causa tribuitur. Nemo cuiuscumque ordinis Prælatum, vel superior vigore cuiuscumque facultatis aliquem ad habitum & professionem admittere possit, nisi in ordine ipso ad quem transfertur sub sui Superioris obedientia in claustro perpetuo maneat.* Et imprimis hoc decretum supponit, † religiosos hos professos in vna Religione transferri ad aliam siue strictiorem, siue laxiorem legitima licentia obtenta, vt enim notant Nauarrus *comm. 4. de Regulari, n. 11. & 12.* quem omnino sequitur Thom. Sanchez *lib. 6. in summ. cap. 7. num. 8.* Et vtrumque Barbof. *vbi supra num. 1. & 2.* Azor *p. 1. lib. 12. cap. 14. quest. 12. versic. in Concilio*, ante Concilium Trident. inuenta fuit quædam fraus discolis, & inquietis religiosi



ligiosis satis vsitata illis temporibus ad fugiendam clausuram, & residentiam in con-  
 3 uentu, in quo primam professionem emiserunt, & sic possent libere vagare extra claustra, petebant enim licentiam transeundi ad aliam Religionem, qua acquisita Prælatus ipsum admittebat ad professionem, eo animo & intentione, ut professione emissa licentiam daret habitandi extra claustra, ibique sibi victum & vestitum quæreret, ne molestus esset monasterio secundo, & sic liberabatur à primo, & in claustra secundi nunquam residens vagabatur extra claustra, & hunc abusum Concilium abstulit, non tamen quod Prælatus Regularis posset hunc religiosum translatum mittere extra claustra ad tempus, vel in perpetuum sicut cæteros alios Religiosos ob causas, ob quas dare potest aliis licentiam habitu retento, quare Concilium non introduxit ius nouum; sed coercuit abusum, & fraudem in clausuram exterminauit. Ita citati Authores quibus adiungo vtrumque  
 5 Rodriguez † tom. 1. quest. 53. art. 4. & resolut. 123. num. 88. qui addit quod non obstante hoc decreto Conciliari, quod si tanta est alicuius Religiosi vrgens necessitas ob persecutiones molestas, dissensiones, & inimicitias, quas patitur in sua Religione, & non inueniat monasterium, quod velit eum perpetuo alendum in claustro recipere & talis de eo adsit confidentia, quod tali facultate viuendi extra monasterium bene vteretur non ampla, sed arctata & limitata ad certum locum, vbi facilis possit esse notitia de eius vita, & moribus, adhiberique correctio, tunc enim Prælatus regularis, potest hac intentione mittendi extra claustra Religiosum translatum ad professionem admittere. Neque enim ait Sanchez Religiosis omne salutis medium ocludendum est.

6 Sed ego † huius doctrinæ non vsquequaque assentior, etsi enim Prælatus post professionem possit Religiosum translatum ex causa mittere extra claustra, ut ibi degat sua industria, vel ad negotia Religionis, aut Reip. aut Principis, amicive valde coniuncti, tamen ipsum admittere ea intentione (ut non existente alia causa, nisi ne ipsum in monasterio retineat & congrue sustentet,) ut statim extra claustrum degendi ei licentiam det, etiam addita limitatione Hieronymi Rodriguez nullatenus licitum est, & id est quod prohibet Tridentinum, & in hoc introduxit ius nouum prohibens ne quis recipiatur in Religione cum animo & voluntate non manendi perpetuo intra claustra nisi superior ex causa superueniente dispensauerit, non secus ac non licet religiosum non translatum mittere in perpetuum, aut ad multos annos extra claustra

non subsistente causa rationabili, alias enim latum ostium aperiretur, quod Prælatus mitterent extra claustra Religiosos sub pretextu, quod ipsos non possunt congrue sustentare, & hoc ostium omnino obturat, & claudit, nouo decreto Tridentinum, ne vagandi arripiatur occasio. Quare † Tridentinum exclusit in Prælato recipiente & in translato recepto intentionem non retinendi in claustro in vno, & intentionem non manendi ibi in altero, nisi ex iusta causa à Papa, vel à suo Superiore dispensetur ad manendum extra, ait Bellarm. *vbi supra*. Itaque hanc intentionem non permanendi in claustro, & translatum mittendi extra habitam antecederet ad professionem, ita illicita est, ut ex nullo motiuo possit honestari nisi adsit iusta causa post professionem superueniens, debet enim † tam  
 10 recipiens Prælatus, quam receptus subditus habere intentionem virtuales antecederet, quod perpetuo proficens, perpetuo maneat in claustro, cum qua virtuali non compatitur expressa intentio, quod maneat extra claustra non superueniente causa, quæ doctrina adeo mihi certa est, ut existimem, ab eo non posse tuta conscientia discedi, non enim illa ocluditur salutis remedium religiosi, sed præcluditur via ad malitiam, & occasionem vagandi extra claustra, quod intendit Trident.

Casus etiam quem ponit Nauarrus prorsus est metaphisicus & abstractus, qui non debet enervare vigorem legis conciliaris, nam ut bene † Suarez c. 7. cit. n. 6. vbi egregiam  
 11 tradit & valde prudentem doctrinam, separatio enim Religiosi à suo choro & aliis communitatis exercitiis, & priuatus extra claustra viuendi modus dissonat vitæ Religiosæ, & perfectæ vnioni cum reliquo corpore, malum inducit sæcularibus exemplum & nõ confert ædificationem, plenus est periculis quæ vitare intedit ex vi professionis, vnde licitus non est nisi grauibus, & manifestis causis, & fere necessariis honestetur, quæ omnia simul coincidere fere impossibile est in praxi coadunari, & sic licita non est  
 12 admissio Religiosi ad professionem cum intentione, ut viuat extra claustra, nisi superueniente causa honesta, & rationabili. Vnde Concilium huiusmodi translatum, etiam si sit Canonicus Regularis. incapacem facit habendi beneficia sæcularia, etiam curata, ad quæ alias erat capax, ut dicit Caputaquens p. 1. decis. 85.

## SVBRESOLVT. II.

*Qui possit dare licentiam viuendi extra claustra.*

## S V M M A R I V M.

1. *Quis possit Religiosis solemniter professis facultatem dare habitandi ad multos annos extra claustra, & n. 2.*
3. *An possit Papa dare hanc licentiam.*
4. *Nauarrimensis assertur, necnon Authoris iudicium, & n. 5.*
6. *An non concedatur quod quis possit transire ad Religionem laxiorem.*
7. *Clemens VIII. decretum, & n. 8. 9. & 10.*
11. *Decretum Clementinum & Urbanum ubi non sit receptum.*
12. *An si quis superior præfatam licentiam concederet mortaliter peccaret.*

**D**ubium secundū, † quis possit Religiosis solemniter professis facultatem dare habitandi, siue in vita siue ad multos annos extra claustra, & conuentum: & quidem attendenda sunt statuta, & constitutiones particularium Religionum, quibus Superiores, aut limitantur, aut datur potestas ad hoc de mea Sancta Religione hoc scio, quod † Superior localis nō habet potestatem, vt licentiam concedat, ad vel semel pernoctandū, nisi in casu necessitatis, vel proximi moribundi, quem deserere non expedit, vel alterius negotij in vtilitatem conuentus, & nō est tempus, vt à Prouinciali exoptuletur licentia, quæ ad pernoctandum est illi priuatiue reseruata respectu Præpositorium localium. Igitur dubium procedit, quis possit iure communi hanc facere facultatem habitandi extra conuentum habitu retento ob iustam, & rationabilem causam. Quod possit Papa est indubitabile, sicut & quod Prouincialis, Generalis, Capitulum Prouinciale, aut Generale in quibus residet regendi subditos potestas. Ita Nauarrus *consil. 72. de Regularibus.* de Congregationibus Illustrissim. & Eminentiss. Cardinalium dubitat ibi idem Nauarrus *num. 4. † de Congregat. Concilij* quod non constat, quod possit dare hanc licentiam, nec iure communi, nec particulari, quia solum instituta est ad dubia Concil. Trid. declaranda non ad dispensandum contra Concilia, & Canones imo, ait, quod etsi haberet facultatem, vt ex causa possit dare licentiam hanc retento habitu, non tamen eo dimisso, idem tenent vterque Rodriguez *ubi supra Resol. 123.* & quidem de Congreg. Concilij placet sententia hæc, quod non possit dare licentiam manendi extra claustra nisi necessarius sit Religiosus ipsi Congregationi ad negotiorum sibi commissorum expeditionem, de Congregatione super negotia Regularium existimo, quod † possit dare hanc licentiam manendi extra claustra habitu retento sicut potest Generalis, aut Prouincialis non

tamen sine habita nisi speciali consultatione facta cum sanctissimo, habitum enim suæ professionis dimittere nec Episcopis, nec Cardinalibus permittitur sine speciali Papæ facultate, est enim huius grauissimæ Congregationis limitata in multis casibus potestas, vt constat ex Bulla Sixti V. *de an. 1588. die 23. Martij.* quam refert Quaranta in Summa Bullar. *verb. Congregationes.* vbi † non conceditur, quod possit concedere licentiam transeundi ad Religionem laxiorem, sed solum ad arctiorem, de superioribus localibus existimo iure communi non posse dare hanc licentiam, nisi ex rati habitatione Generalis, aut Prouincialis, est enim res grauissima & multa examinatione digna, & toti Prouinciæ conueniens eius honori, & decori, quare eius arbitrium ad Prouincialem, aut Generalem attinet saltem ex consuetudine introducta.

Sed quamuis, vt dixi hæc ita se habeant iure communi, extant duo decreta Pontificia in contrarium. Primum est † Clementis VIII. *in decretis Reformatio. Regularium editis, die 20. Martij 1601. §. 49. Inuatur ratio, qua sublatis licentiis, ac facultatibus hætenus quibuscunque concessis, degentes extra conuentus claustra, ad ea quamprimum renocentur nec de cætero nisi ex grauissima causa à sede Apostolica probanda huiusmodi facultates concedi possint,* quod Decretum sicut & alia clementina pro reformandis regularibus confirmavit Urbanus VIII. Secundum est factum à Paulo V. *anno 1617. die 23. Decemb.* pro fratribus Minimis, quod notificauit zeloso illius Religionis, id est Procuratori Generali Secretarius Congreg. Regularium. R. D. Vulpius Archiepiscopus, & zelosus toti suo Ordini *die 4. Febr. 1618. ne sub quocumque prætextu detur licentia extra Monasteria domus, Conuentus, vel Collegia suæ Religionis permanendi.*

Fateor huiusmodi Pontificia decreta esse magnæ auctoritatis, & ponderis, illis enim egregiè declaratur quantam perniciem inducant Religioni, imo & sæcularibus scandalum huiusmodi extra claustra & domus permissiones habitationis, & residentia, vnde in multis diocesisibus de Toletana & Hispalensi mihi constat summo animarum zelo & vt vitentur scandala Illustrissimi Præsules suis Vicariis, Parrochis, & Collectoribus, ne subsidium eleemosynarum promissis, aut locum sacrificandi in suis Ecclesiis, præstent, huiusmodi Regularibus extra conuentum degentibus, & sic multos coercuerunt, vt ad postliminium claustrum redirent, ibique inhabitarent, nam extra veluti captiui, extra natium locum posthabita regulari disciplina à Diabolo forsan detinebantur, vt lamentabilis experientia

experientia demonstravit, his præsulibus factis nota, titulo enim quæritandi, & colligendi eleemosynas suis conuentibus toto anno, & multis annis veluti rapaces milui vagantur  
 10 fugientes conuentus habitationem, etsi aliquando veniunt vix summa violentia detinentur etsi aliquantisper ibi morantur, ita sunt malis moribus assueti, vt eos veluti pestiferum contagium fratribus comunicant, inquietant, subleuant & ab obseruãtia diuertunt, quare sanctissime determinat Paul. V. vt sub nullo prætextu huiusmodi licentiæ concedantur, nisi à Summo Pontifice causa examinata.

11 Sed quamuis hoc ita sit (& vtinam Præsules præfatos, omnes alij in Hispania imitentur) existimo † decretum Clementinum, & Urbanum non esse in his Regnis receptum, quare ius commune manet incorrectum, & Regulares cum eadem potestate sicut antea, decretum etiam Pauli V. non extenditur vltra Minimos, quibus solis est intimatum: forsam, quia in illis erat maior excessus in huiusmodi licentiis concedendis, vnde stante  
 12 hoc Paulino decreto, † si quis superior etiam Prouincialis licentiam huiusmodi, ad longum tempus concederet & mortaliter peccaret, & puniri poterit à superiore maiore, pœna arbitraria iuxta tempus scientiæ, subditus tamen etsi aliquis dicat, quod erit tutus in conscientia, ego existimo contrarium, tum quia est sine dispensatione legis in re graui, tum quia in decreto Clem. & Urbano auferitur potestas concedendi huiusmodi licentias.

## SVBRESOLVT. III.

*Vtrum licentia hæc data sine causa, sit valida?*

## S V M M A R I V M.

1. An si superior facultatem manendi extra claustra concedat sine causa valida sit.
2. An Religiosus non possit esse extra claustra sine superioris licentia.
3. An iam superior regularis dispenset in lege.
4. Authoris iudicium, & n. 5.
6. Quid ex doctrina tradita sequatur.
7. An quando militi dubia est belli iustitia possit & debeat obedire Regi præcipienti, vt ad bellum vadat.
8. P. Suarez sententia, & n. 9. 10. & 13.
11. Ratio difficultatis, & n. 12.
14. An si quis sic extra claustra de licentia sine causa concessa, non incurrat pœnas Apostasie aut fugitiui.

1 **D**Vbium tertium est, † an si superior huiusmodi facultatem manendi extra claustra & inter seculares habitandi concedat si

ne causa valida sit licentia & dispensatio, D. Suarez t. 4. de Religio. tr. 8. l. 3. c. 7. n. 9. & 10. dicit, quod si Prælati Regularis hanc licentiam concedit sine causa dispensatio, & licentia nulla est, quia ait & bene, quod inferior non potest dispensare valide in lege Superioris, si non adsit causa rationabilis, sine qua nulla est dispensatio, at quia est lex iuris communis, & consuetudo introducta in statu Religioso, & nunc est in viridi obseruãtia in omnibus Religionibus, vt supra monstratum † est quod Religiosus non sit extra claustra sine licentia Superioris, in quo iure  
 2 & lege dispensatur à Superiore regulari, qui est inferior legislatore illius legis, ergo si ad hoc non est causa legitima, nulla est dispensatio: addit n. 11. quod si talis dispensatio fiat à Summo Põr. si fiat sine causa peccauit quidem Pont. at dispensatio valida erit, & subditus ea vtendo tutus erit in conscientia, quia relaxata est illi obligatio iuris communis. Vnde fit, quod velit nolit Suarez † iam iu-  
 3 perior regularis dispensat in lege semper, quod dat licentiam ad egressum à domo, & ista datur per modum dispensationis, cuius contrarium cõtra Nauarrum dixerat l. 1. c. 6. n. 12. eiusdem tr. 8. l. 4. nam quod egressus sit ad breuem regressum ad claustra, vel ad longum, & ad diuturnum & permanentem mansionem non alterat, aut imminuit obligationem legis superioris, quod Religiosus non egrediatur domo sine licentia, etsi immutet materiæ grauitatem, quare iure optimo amplexatus sum supra Nauarri sententiã.

Igitur ego iuxta principia in superioribus à me posita quæ solidiora sunt, & magis rationi vitæ regularis conformia, † existimo  
 4 quod de egressu à claustro & extra illud permanenti habitatione dispensante superiore etiam Summo Pont. philosophandum est ac de peculio, quia sicut egressus à domo pertinet ad obedientiam, ita peculium ad paupertatem, vnde sicut subditus non est tutus in conscientia si superior etiam Papa cõcedat sine causa facultatem, ad expédendum, ita non est tutus in conscientia si sine causa faciat potestatem habitandi extra claustra, vt  
 5 vtumque enim est contra statum regulare & disciplinam religiosam: quæ nõ est solum de iure humano sed oritur ex vi professionis solemnem viuendi in paupertate & obedientia in claustro, verum est, quod causa ista nõ semper se debet tenere ex parte subditi, sed eam potest habere superior, etsi subdito sit ignota, & sic intelligenda sunt ea quæ dixi  
 6 tom. 2. Morali. tract. 8. digressi. de peculio sect. 10. n. 847. & seqq.

Vnde fit, quod † si Prælati Regularis, 6 aut Summus Pontifex præcipiat alicui Religioso quod habeat peculium, aut quod habitet extra claustra, quamuis ipse in se non  
 f 2 agnoscat

- agnoscat causam, si certo non sciat illam non habere Superiorem, tenetur illi obedire; quia in dubiis semper est obediendum Prælato præcipienti, vt in materia de bello tradunt cum D. Thom. & Caiet. omnes expostores 2. 2. *quest. .... art. ....* quia semper stat indubia Prælati, & Superioris potestas, & in dubiis melior est conditio possidentis; vnde † quando militi dubia est iustitia belli potest, & debet obedire Regi præcipienti, vt ad bellum vadat; quod si non sit mandatum, aut præceptum Superioris, & subdito constet nullam interuenire causam iustam, sed solum vt liberius viuat, & extra claustrum rigorem petit à Prælato licentiam fingendo causam & decipiendo Superiorem; dubio procul non est tutus in conscientia, sed mortaliter peccat tam Superior etiam Papa concedens, quam subditus vtens, vnde iste tenetur ad claustrum regredi, & Superior etiam Papa retractare licentiam; quare actus
- 8 remorsu veritatis † Pater Suarez n. 13. *in fin.* postquam dixit quod est valida licentia data à Pontifice sine aliqua omnino causa, subdit: *Non est autem ita valida quin teneatur semper Pontifex illam reuocare, quia eiusdem rationis & malitia esse videtur eam conseruare cuius fuit condere, & in virtute illius quasi continue contra legem fiat.* & postquam num. 16.
- 9 postquam dixit quod quandiu non reuocatur talis licentia tutus manet in conscientia Religiosus. Iterum remorsus cōscientia veritatis subdit: *Sed licet ex directa obligatione illius legis ita esse videatur, iuxta communem doctrinam non excusatur quis ab aliqua culpa vtendo tali facultate, quia turpis est pars que sine causa legitima discordat à toto, que culpa in aliis legibus humanis reputari solet venialis. Vereor tamen ne in presenti ratione materia sit mortalis, quia separatio à toto corpore in re tam graui sine causa legitima, videtur notabilis deformitas, cuius signum est, quia regulariter scandalum generat, & nonnullam etiam infamiam creat Religioni, præter alia pericula que magis extrinseca sunt.* Hactenus illi, quæ Doctrina veneranda est pro conseruatione, & reformatione status Religiosi.
- 10 Ratio à priori est, quia † licet non sit materia voti esse extra claustra & expendere; nisi vtrumque fiat sine licentia Superioris, tamen cum hæc licentia eximat obligationem voti (cuius signum manifestum est, quia si quis dicat, quod non expendit, nisi nomine Superioris, si tamen sine licentia requisita expendat frangit votum) quæ est de iure diuino, nisi Superior causam rationabilem habeat causam ad dandam licentiam voti obligatio semper subsistit; neque ab illa eximitur vouens, idem enim est quod Superior non habeat causam ad dandam licentiam, & quod subditus sine licentia ex-

pendat, aut extra claustrum habitet, quantum attinet ad forum conscientia in votorum relaxatione, votum enim semper obliget quousque dispensetur, si autem dispensatio fiat sine causa nulla est, & irrita ita obligat ad non expendendum sine licentia, & ad non habitandum extra claustrum reluctantante Superiore, quod si iste sine causa non reluctet, & licentiam det dubio procul votum exerit vires suas in foro animæ. Vnde egregie P. Suar. n. 14. cum Nauar. dicit præceptum (de non habitando extra claustra) postulare licentiam, & voluntatem Prælati; sed etiam iustam causam, & ex secunda parte semper fieri contra præceptum. Secundo dicit ipsum præceptum postulare licentiam, vel voluntatem Prælati, non quamcumque sed validam, seu efficacem ad tollendam præcepti obligationem; quia verba legis intelliguntur secundum ius, & quia ipsa ratio, & iustitia legis hoc postulat, nam hæc licentia nõ postulatur solum vt seruetur debita subordinatio inter subditum, & prælatum, sed maximè vt religiosa clausura, iuxta exigentiam religiosi status illæ sæ seruetur, ad hoc autem necessarium est vt non quæcumque voluntas prælati sufficiat, sed illa quæ valida & efficax est.

Dixi in foro conscientia, quia † si quis sit extra claustra de licentia sine causa concessa & sic inualida, non incurrit pœnas apostatæ, aut fugitiui, quia non recedit à subiectione debita prælati in quo recessu Apostasia, & fuga criminosa completur, iste autem, qui cum dispensatione inualida habitat extra claustra suo prælato subiectus de facto illum recognoscens Superiorem, qui potest illum reuocare ad claustrum, quum voluerit, quod non potest respectu apostatæ, & fugitiui qui excluderunt iugum subiectionis, dicentes *non seruiemus.*

#### SVBRESOLVT. IV.

*Quæ sit causa legitima ad hanc licentiam impertiendam?*

#### SVMMARIVM.

1. *Quæ sit causa legitima vt concedatur religioso professo licentia habitandi extra claustra. & n. 2.*
3. *An maior causa requiratur vt quis monachismum profitetur sit extra claustra, quam vt mendicans religiosus.*

**D**Vbium quartum quæ sit causa legitima vt concedatur religioso professo licentia, vt cū eo dispensetur vt ad lōgū tēpus siue ad vitā habitet extra claustra? in hoc dubio hæc regula assignatur à Doctoribus Nauar-

ro & Suarez, *vbi supra num. 17.* licet huiusmodi causæ sint relictæ prudentis arbitrio, argumento *cap. de causis. §. illis. de offic. deleg. & leg. 1. ff. de iure deliberan.* Cæterum quilibet prudenter arbitrabitur esse causam sufficientem, quodcumque interuenit utilitas Monasterij directa, siue indirecta argumento *cap. Monachi. 16. quest. 1.* vt si est utilitas Patroni Monasterij, aut amici valde ipsius Monasterij, aut Prouinciæ, & Religionis, aut Principis affecti, aut Domini terræ, vbi est situs Conuentus, aut Episcopi ciuitatis, vt illi inseruiat in Officio Visitatoris, Camerarij, & in Ecclesia cantoris, aut Magistri cantus, in vniuersitate, vt aliquam scientiam doceat, vel vt discat litteras Religioso decentes, vt gradus Doctoris, vel Magistri si est in vsu in Religione accipiat, vt matrem, patrem, sorores, nepotes, aut neptes in graui necessitate existentes aliat, & sustentet. Ita Nauarrus *consil. 72. & 74. n. 3. de Regularibus.* Suarez *qui n. 9.* bene addit & prudenter, quod licet in omnibus religionibus requiratur causa, vt Religiosus extra claustra habitet ad longum, vel longissimum tempus, vel ad vitam, tamen † maior causa requiritur, vt qui monachismum proprium proficitur sit extra claustra, quam vt mendicans Religiosus qui non ita arctam clausuram proficitur: & causa quæ est sufficiens, vt iste sit extra Conuentum, potest non esse satis, vt proprie monachus sit, sed nihilominus etiam in mendicantibus grauissima causa necessaria est (ait) & regulariter vrgens necessitas, aut tanta utilitas, vel propriæ Religionis, aut alterius boni communis, vt prudenter censeatur incommoda talis facultas compensari.

## SVBRESOLVT. V.

*Monacho etiam Carthusio sufficiens causa est curare ab infirmitate graui & contagiosa?*

## S V M M A R I V M.

1. An Monacho Carthusiano sit causa sufficiens vt ad aliquod tempus sit extra conuentum, vt curetur à morbo.
2. Gratiani sententia adducitur, nec non multorum DD. & n. 3.
4. An causa recuperandæ sanitatis, etiamsi si eam securam fore adfirment medici non possit extra claustrum esse.
5. An nullus nisi Papa possit dare licentiam vt quis extra Claustrum moretur, sanitatis recuperandæ causa.
6. Authoris iudicium, & n. 7. & 8.
9. Quæ ratione superiores permittant tuta conscientia vt religiosus habet & aliter, infirmus sit per totam vitam extra claustra.

Tom. II.

EX hac regula communiter recepta & sic enucleata colligitur. Primum, quod † etiam Monacho Carthusiano est causa sufficiens, vt ad aliquod tempus sit extra Conuentum & claustrum, vt curetur à graui & contagiosa infirmitate à qua intra claustra curari nequit de consilio prudentis Medici, imo si moraliter certum sit, quod extra conuentum recuperabit sanitatem tenetur superior de consilio discretorum licentiam hanc impertiri. Ita consultus Nauarrus respondit *cons. 70. de Regular.* quod late ibi probat à n. 4. etenim quis iuret non discedere ab aliquo loco non tenetur seruare iuramentum, cuius obseruantia impediret recuperationem sanitatis, vt † expressit Gratianus, §. *2. fina. verb. quisquis 22. q. 4.* ergo idem in nostro casu verum est, quod si sit Carthusius etiamsi sit extra conuentum recuperandæ sanitatis causa, tenetur abstinere à carnibus, quas comedere illi non licet etiam in grauissima infirmitate. Secundo, probatur eadem decisio, quia strictiorem clausuram habent Moniales, quam Carthusiani, & tamen si Monialis patiat infirmitatem sibi soli nociuam, à qua si certo speretur sanatura extra conuentum alias moritura intra, potest exire Monasterium non obstantibus Cõcil. Trid. & Bulla *Pij V. de clausura Monialium.* vt tenet † idem Nauarrus *comm. 4. de Regul. n. 49. Suar. t. 4. de Relig. tr. 8. l. 1. c. 9. n. 9.* & esse probabile tenet & probat *Castr. Pal. t. 3. tr. 115. disp. 4. punct. 9. n. 15.*

Sed ego non assentior, nec huic sententiæ de Monialibus, vt dicam dum de earum residentia strictissima in claustro, nec sententiæ de Carthusiano assentior: existimo enim quod † causæ recuperandæ sanitatis etiamsi eam securam fore adfirment Medici nõ potest extra claustrum esse per aliquod tempus ibique curari, non enim minore rigore obseruant constitutionem de clausura quã de obseruantia à carnibus, tum quia nulla comoditas considerabilis in ordine ad sanitatẽ recuperandam habet Monachus Carthusianus extra quã non habeat intra Conuentum, vnde † nullus nisi Papa potest licentiã dare, vt extra Conuentum moretur causa sanitatis recuperandæ, quare etsi iuramentum non discedendi à loco absolute facto non obliget, quãdo impediret recuperationem sanitatis hoc ideo est, quia dũ fecit iuramentum non intendit se ad hoc obligare, sicut intendit Monachus Carthusianus dum vouet obedientiã iuxta quã obligatur ad clausuram, iuxta suas constitutiones, sicut intendit se obligare ad non comedendas carnes, etiã in vltima infirmitate, quare sicut renuntiat iuri ad recuperandam sanitatem mediis carnibus eius, ita renuntiat iuri quod habet ad eandem sanitatem recuperandam, medio egressu & habitatione extra claustra.

In aliis vero Religionibus, siue Monachalibus, siue Mendicantibus, in quibus ita stricta clausura, & residentia in claustris non proficitur: existimo ¶ esse sufficientem causam, quod medicus prudens, doctus, & timorata conscientia dicat expedire, quod causa recuperanda sanitatis Religiosus exeat per aliquod tempus, inhabitet in domibus secularium vadatque ad natium aëre, inter cognatos, & parentes, quod in aliquibus communitatibus plusquam par est conceditur, vt fugiant Superiores expensas erga infirmos: de quibus ferè nulla habetur cura intra conuētum de qua inhumanitate strictissimam reddent rationem. In aliis vero nimius est rigor qui conformior est regulari disciplina; sed ne quid nimis medium *tenere Beati, medium tenere felices*, vnde existimo quod in Religionibus in quibus obseruantia vigor viget si medicus dicat esse necessarium quod extra claustra Religiosus curetur, vt sanitatem recuperet, tenetur Superior licentiam dare, quia huic iuri non renuntiauit, secus vero quum solum attēditur ad maiorem commoditatem in curatione, vel vt maiori diligentia inferuiatur huic enim renuntiauit ex vi status religiosi, sicut renuntiauit aliis commoditatibus, dum est sanus. Quare capere non possum, ¶ qua ratione Superiores permittant tuta conscientia, vt Religiosus habitualiter infirmus sit per totam vitam extra claustra in sua domo, vt diligentius ibi curetur, cum satius esset, quod paucis vitæ annis priuantur intra claustra, quam, quod per multo viuat extra, renuntiauit enim longiori vitæ extra claustra ex vi status Religiosi.

### SVBRESOLVT. VI.

*An sit sufficiens causa quod Religiosus iuste fuerit damnatus ad trirèmes?*

#### S V M M A R I V M.

1. *An sit sufficiens causa, vt Superior det licentiam habitandi extra claustra retento habitu etiam per totam vitam religioso criminoso.*
2. *Nauarri & aliorum sensus adfertur, n. 3.*
4. *Sixti V. constitutio. & n. 5.*
6. *An si eiekti sint damnati ad trirèmes, nullatenus sint admittendi sint expressa licentia Summi Pontificis.*
7. *An Generalis, aut Prouincialis possit ad consortium regulare admittere religiosum ad trirèmes damnatum.*

1 **C**olligitur secundum, quod test sufficiens causa, vt Superior det licentiam habitandi extra claustra habitu retento, etiam

per totam vitam Religioso criminoso, qui ob sua delicta damnatus ad trirēmum si impleta pœna petit licentiam, vt in aliquo hospitali, vt eremitorio possit degere, & agere vitam solitariam, vel vt inferuiat infirmis, vel artem honestam in domo paterna exerceat, timens prudenter quod si inter confratres in Monasterio inhabitet contumelias & improprietates afficiatur, & sic conturbetur pax communitatis. Ita ¶ ex Nauar. <sup>2</sup> *conf. 64. de Regular. sentiunt Peyrinis tom. 2. de subdito, q. 1. art. 23. vers. ait. Rodrig. tom. 3. q. 53. alter Rodrig. resol. 123. n. 89. quæ doctrina intelligenda est, si iste talis sit damnatus ad trirèmes à S. Officio Inquisitionis, nam si Religio ipsum ad trirēmum damnet, cum sit ex vi sententiæ exclusus à Religione, & habitu regulari in perpetuū spoliatus iste illi restitui nec ad Religionem, & consortium regulare admitti nequit sine expressa licentia Papæ, vt tenent Portel. *verb. eiecere ab ordine, n. 6 & 7. Rodrig. tom. 1. q. 23. art. 5. & q. 30. art. 2. Miranda in manuali, q. vlt. art. 7. & satis doctè tom. 2. q. 7. art. 7. conclus. 2.* est enim restitutio habitus post sententiam diffinitiuam ritè, & rectè latam reseruata Summo Pontifici. Gloss. *cap. ideo et* 1. 2. q. 6. vnde Sixtus V. constit. *speciali edita* 16. August. 1585. incipit: *Cum primum instituit disputationem trium Eminentiss. Cardin. quos constituit, Iulius priuatiuè ad omnes alios etiam ad Congregat. regular. & ad Legatum à latere, qui cognoscerent de causis eiektorū à Religione, quasi horum restitutio ad habitum sibi reseruaret. Hæc autem deputatio mortuo Sixto V. & ipsa expirauit, manet tamen eius potestas in sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium priuatiuè ad omnes alios. Quod si in aliquibus religionibus non petita expressè licentia eiektos emēdato, admittunt Superiores, hoc est, ex consuetudine immemoriali fundata in obligatione qua tenentur eiektos Apostatas, & fugitios inquirere, vt illi si humiliati, correcti, & ad bonam frugum redacti sint recipiant, quod forsan faciunt ex aliquo viuæ vocis oraculo alicui Superiori facto, quamuis hodie eius authenticum testimoniū scriptum non extet: & valde vrget, *cap. vlt. de Regular. vbi statuitur hos eiektos compelli posse, vt iterum redeant ad ordinem, quam certum, etsi Miranda explicet non de eiektionem per sententiam definitiuam, sed de eiektionem verbali, tamen cum textus non distinguat nihil cogit nos ad admittēdā hęc distinctionem. Sed quamuis in simpliciter eiektis ob delicta hoc ita sit, tamen contrarium iudico obseruandum ¶ si eiekti sint damnati sine expressa licentia Summi Pontificis, aut S. Congreg. Ita Hieron. Rodrig. *vbi sup. n. 14. vers. quod intellige.* quod secus est***

est, vt dixi si damnatus est ad triremes ex sent. S. Officij cuius Sanctissimum Tribunal, etsi ob delicta possit damnare Regularem ad triremium, non ipsum per sententiam definitiuam expellit ab ordine, quare † Generalis, aut Prouincialis potest ipsum ad consortium regulare admittere. Hæc Doctrina tradita in hac subresolutione moderanda est & intelligenda iuxta decretum Urbani VIII. de eiectis & eiiciendis, quod infra late explico.

## SVBRESOLVT. VII.

*Vtrum hac licentia possit esse perpetua?*

## S V M M A R I V M.

1. An licentia habitandi extra claustra possit esse perpetua & irreuocabilis, & numero 2.
3. Quid debeant aduertere Prælati regulares.
4. An irreuocabilitas ad duos superiores possit comparari, & n. 5.
6. Quid de licentia habitandi extra claustra veniat dicendum.
7. An omnes Prælati regulares sint subditi Legati & Nuntij Apostolici in terris suæ legationis & nuntiatura.
8. Nullus Prælatus regularis potest reuocare facultatem habitandi extra claustra, ex Portel.
9. Sanchez & Nauarri opiniones adducuntur.
10. Quid veniat notandum, & n. 11.

**D**Vbium quintum, vtrum licentia habitandi extra claustra possit esse perpetua, & irreuocabilis; de perpetuitate certum est quod si subest causa potest dari ad beneplacitum Superioris, ita vt duret per totam vitam, & toto tempore quo durat causa, quæ meo iudicio non est sufficiens ad hanc prolongatam licentiam, quod quis habeat infirmitatem habitalem & pœnosam vt pulmoniam, respirationis defectum, venam fractam in pectore, & similes, hoc enim esset aperire ostium conuentus, & occasionem præbere vt regulares extra claustra habitarent, Religiosi enim ex vi status renuntiarunt iuri prolongandi vitam per habitationem extra Religionis stagnum, extra quod sicut moritur piscis naturaliter ita religiosus ordinarie spiritualiter, quare † Prælati regulares valde hoc debent aduertere vt nisi cum persona valde benemerita de Religione hanc licentiam non concedant ad vitam Religiosi. Dixi Prælati Regulares, quia Summus Pontifex, Legatus à latere, & Nuntius Apostolicus cum præter has causas habeant alia superiora motiua, vt intercessionem Principum, aliquod seruitium parti-

culare factum Ecclesiæ, poterunt hanc licentiam concedere.

De irreuocabilitate maius dubium est, hæc autem ad duos superiores potest comparari ad altiorem simpliciter, & ad Superiores in aliqua Prouincia, & quidem nullus horum potest reuocare licentiam, quam alter Superior concessit, nec ipsi possunt licentiam dare, quam ille non possit reuocare, vtrumque patet ex ratione superioritatis ab omni alio independentis, qualis in hac vita solus est Pontifex Summus, cui cæteri alij superiores Regulares subordinati, & subiecti sunt, quare nullus istorum potest reuocare licentiam Pontificiam & Pontifex quamcumque ab istis datam potest annullare, & proportionali modo est philosophandum de Generali respectu Prouincialis, & istius respectu Prælatorum localium.

Idem dicendum est, de licentia habitandi extra claustra data à Legato à latere, vel Nuntio Apostolico, quam solus Pontifex potest reuocare, & nullus alius etiam Generalis, vt benè consultus respondit Portel p. 3. respons. casu 34. num. 3. omnes enim † Prælati Regulares sunt subditi Legati & Nuntij Apostolici in terris suæ legationis, & Nuntiaturæ, in quibus habent Ordinariam iurisdictionem, & quamuis Generalis extra præfatas terras habitet, & nō sic subditus Legati Papæ, aut Nuntij, tamen cum iste sit independēs à Generali, quod facit vt Legatus Papæ, cui subditur Generalis, iste nequit euertere argumento ex Clement. ne Roma. de elect.

Si vero Generalis, aut Prouincialis hanc facultatem concedat & ista confirmetur à Nuntio, aut Collectore, aut Legato à latere dicit Portel, quod nullus Prælatus Regularis potest reuocare, quia ex confirmatione Apostolica firmitatem accepit immutabile, & extrahitur licentia à potestate, & iurisdictione regulari, quare cum præfata confirmatio dimanet à iurisdictione Pontificia quæ semper durat non est necessaria noua confirmatio à Nuntio, aut Collectore de nouo adueniente, argumento ex his quæ tradit Sanchez † lib. 8. de Matrim. disp. 28. n. 83. vnde Nauarrus consil. 4. de Cleric. non resid. ex cap. super gratia. de offic. deleg. in 6. dicit quod licentia semel data durat etiam post mortem concedentis, de quo ego late tract. de examinat. Synodal.

Verum valde notandum est, † id quod nō enucleauit Portel videlicet, quod si Papa aut Legatus à latere, vel Nuntius, Apostolicus licentiam istam concessam à Generali, Prouinciali, aut Ordinis Protectore confirmant dumtaxat non apponentes pœnas eis, qui contraueniunt etiam si confirmatio sit ex motu proprio, tamen Superiores Ordinis possunt licentiam præfatum reuocare, prout viderint

viderint expedire, quia licet motus proprius tollat vitium subreptionis at non supplet defectum intentionis, quæ in dubio est nolle licentiæ illius naturam variare, quæ talis est vt ad nutum Superioris illam dantis, aut eius Superioris possit reuocari, argumento, ex his quæ docent Felinus *cap. constitutus de rescript. num. 10.* Imola *num. 11.* vnde nisi in  
 11 confirmatione licentiæ, Papa mandet, quod nullus talem licentiam possit reuocare, aut eam ex certa scientia confirmet semper manet reuocabilis à concedente, & idem est si confirmet Legatus à latere, protector, aut Nuntius Apostolicus.

### SVBRESOLVT. VIII.

*Vtrum possit Papa concedere Religioso professo licentiam irreuocabilem manendi extra claustra?*

#### S V M M A R I V M.

1. *An poterit Summus Pontifex concedere Religioso solemniter professo licentiam irreuocabilem, vt habitet extra claustra.*
2. *Quæ licentia detur ex causa, & non per modum remunerationis.*
3. *Quæ licentia sit irreuocabilis.*
4. *An si Religiosus abutatur licentia per se iruocabili male viuendo possit Pontifex ipsum reducere ad claustra.*

1 **S**ed inquires † poterit ne summus Pontifex concedere Religioso solemniter professo qui Religiosus perseueret licentiam irreuocabilem etiam ab ipso summo Papa vt habitet extra claustra, ita vt nō possit ipsum cogere ad claustra redire. Suar. *t. 4. de Relig. lib. 3. cap. 7. num. 18.* secutus Nauarrum *comm. 2. de Regular. num. 16.* negat quia non potest Pontifex eximere subditum ab obedientia sui Prælati, saltem ipsiusmet Pontificis, si autem licentia est irreuocabilis manet Religiosus exemptus ab obedientia Prælati, quod facere nequit Pontifex sicut nec quod habeat Dominium aut proprietatem alicuius rei *cap. cum ad monasterium de statu Monachorum.*

Sed ego aliter dicendum existimo, quia  
 2 † aut hæc licentia datur ex causa, & non per modum remunerationis, & sic semper manet reuocabilis à Pontifice ad quod non requiritur aliud nisi quod sic velit, aut quod cessauerit causa propter quam licentia data est, sicut hæc licentia conceditur à Papa per modum priuilegij remuneratorij ob seruitia, quæ Religiosus exhibuit Ecclesiæ, & S. Sedi Apostolicæ quæ exprimit Pontifex,  
 3 & tunc existimo quod † licentia est irreuocabilis etiam à Papa taliter, quod sine cau-

sa, quæ respiciat bonum commune reuocari, non possit hoc enim est de natura priuilegij remuneratorij, vt communis & certa sententia *ad cap. nouit. de iudiciis*, vbi Felinus *num. 12.* Abbas *concl. 3. lib. 2.* Barthol. *leg. qui semel. ff. de decret. ab ord. faci.* & multi alij, quos citant & secuntur Tiraquel *leg. si vnquam verb. donatione num. 13.* Suarez *de legib. lib. 8. cap. 37. num. 6.* Tho. Delbene *de Parliamentis*, & sic priuilegium remuneratorium per se irreuocabile est quia ipsa ratio remunerationis hoc includit nisi remuneratio sit ex causa supra merita, & seruitia quæ remunerantur, vt bene notat Suarez. Ceterum † si Religiosus abutatur tali licentia per se irreuocabili male & scandalosè viuendo, potest Pontifex ipsum reducere ad claustra, imo si nimis distet à Papa poterit Episcopus ipsum reducere ad claustra ibique custoditum retinere, donec certiozem faciat Pontificem. Imo & Superior Regularis vtens epicheia id ipsum poterit, vnde talis Religiosus etsi habeat licentiam per se irreuocabilem, non manet simpliciter exemptus ab obedientia, quam professus est.

### SVBRESOLVT. IX.

*An Religiosus vnus Religionis qui sit alterius Superior, finito tempore teneatur ad suum Conuentum redire?*

#### S V M M A R I V M.

1. *An Regularis qui de vna Religione egreditur de licentia valida, vt in alia sit Superior, finita Prælatura maneat Religiosus posterioris Conuentus.*
2. *Omnis Abbas est Monachus illius Monasterij cuius est Abbas.*
3. *Nauarri sententia. & num. 4. & 5.*

**D**Vbium sextum † an Regularis vtriusque sexus qui de vna Religione egreditur de licentia valida, vt in alia sit Superior aut Prouincialis, aut localis finita prælatura maneat Religiosus posterioris conuentus an debeat redire ad suum à quo egressus est. Hoc punctum tractat Nauarrus *consil. 64. de Regular.* & responde, absolute, quod manet Religiosus posterioris conuentus. Tum quia trāsllatus legitime perdit omnia iura prioris conuentus *cap. si quis iam translatus 21. q. 2. cap. ne pro cuiuslibet. 16. quest. 1.* Tum quia † omnis Abbas est monachus illius monasterij, cuius est Abbas *cap. final. de Simon.* vnde tacitè, vel expresse eam Religionem profitetur, quia beneficia illius Religionis, aut monasterij confessi nequeunt nisi monachis eiusdem *cap. cum singula §. final. de præb. in 6.* quam doctrinam sequuntur Thomas



mas Sanchez *lib. 7. summa cap. 29. num. 30.*  
Ludouicus Gomez. *tract. expectiuarum n. 69.*  
& alij.

- 3 Cæterum † Nauarri sententiam, ego sic intelligo vt vera sit, & praxi conformis, aut ergo Papa dat facultatem alicui Religiosæ personæ, vt retento habitu suæ primæ Religionis vadat ad conuentum, aut prouinciã, alterius, ibique sit Prouincialis, aut Prior & sic finita prælatura non manet Religiosus talis Prouinciæ, sed eius in quo primo professionem emisit, quia habitus retentio est argumento, quod in prima vocatione persistat, eo ipso quod cum habitu suæ professionis vult, quod sit Superior alterius Religionis dispensat, quod habeat beneficium regulare illius, quo finito habitus ipsius retentio deducit & reducit ad priorem residentiam, nec tacite dicitur professus in alia: vnde quidquid acquirit est suo primo conuentui, argumento ex his quæ docet Rota apud Farinac. *tom. 2. decis. 420.* vnde Monialis multoties intuitu reformationis transfertur ad aliud monasterium, vt ibi sit Abbatissa, aut Priorissa, & finita Prælatura ad postliminium sui cõuentus reuertitur, cuius habitum semper retinuit, quod secus esset si habitum mutasset, tunc enim ex vi officij, & beneficij, quod habet efficitur conuentus, ad quem transfertur nec ad antiquum potest reuerti, sine speciali licentia.

## SVBRESOLVT. X.

*Vtrum Superior Regularis possit facultatem dare Religioso professo vt sit Parrochus?*

## S V M M A R I V M.

1. An non possit Superior regularis facultatem concedere vt Religiosus solemniter professus extra claustra habitet, vt habeat beneficium curatum.
2. Multorum DD. sensus deferuntur.
3. Religiosus an non habeat velle aut nolle.
4. An licentia habitandi extra claustra, vt Religiosus inseruiat beneficio curato, illudque acceptet debeat esse specialis.
5. An non sufficiat licentia specialis concessa regulari vt acceptet prouisionem faciendam de beneficio curato vacante.

<sup>1</sup> **D**Vbium septimum, an † possit Superior Regularis facultatem concedere, vt religiosus solemniter professus extra claustra habitet vt habeat beneficium curatum, & quidem si loquamur de iure communi, siue sit Religiosus Monachus siue mendicans capax est beneficij curati, in quo actu seruiat animarum saluti in ministeriis propriis Par-

rochorum, etsi incapax sit concionandi cū in aliis possit doctrinam docere, instruere, sacramenta, administrare, quibus animarum sibi commissarum curam habeat, ita multis citatis † tenent Thomas Sanchez *l. 7. 2. summ. cap. 29. à num. 35.* Couarr. *cap. 2. de test. num. 3.* Nauarrus *de statu Monacho. consil. 14.* Azor. *tom. 1. lib. 12. cap. 19. quest. 13.* Rodriguez *tom. 3. quest. 13. art. 2.* Lessius *lib. 2. de iust. cap. 41. dub. 12. num. 91.* constat *ex cap. quod Dei timorem. de statu Monacho.* quod optime premunt auctores citati, quare etsi Regulares sint beneficiorum incapaces, si curam non habeant animarum, secus vero si eam habeant, ob animarum salutem, in quam incumbunt, vnde Abbas & Superior localis ( nisi alias sint prohibiti specialibus constitutionibus suarum Religionum ) possunt licentiam concedere, vt extra claustra sint inseruientes beneficio curato, expresse habetur *cap. Religiosi. de electio. in 6.* cuius rationem dat Pontifex, quia † Religiosus non habet velle, aut nolle, vnde ad quodcunque Parrochiale beneficium acceptandum aut impetrandum, ab alio inferiore Pontifice licentia præfata exigitur, & sufficit, potestque Superior eam concedere etiam sine consensu conuentus, vt dicitur in textu. Cæterum † hæc licentia habitandi extra claustra, vt inseruiat beneficio curato illudque acceptet debet esse specialis, postquam prouisio facta est, nam licentia generalis concessa vt quis consentiat quodocunque prouisus, aut electus fuerit ad tale beneficium nõ sufficit, ambitionis, enim vitio viam parat & sic nullius est roboris, & firmitatis, ita expresse *in clementi. fn. de electio vbi Glossa verb. prouisioni.* Cardinal. *ibi quest. 7. num. 11.* Imola *num. 10.* Bonifacius *num. 26.* quos sequens Thomas Sanchez *n. 6.* dicit, quod † non sufficit licentia specialis concessa Regulari, vt acceptet prouisionem faciendam de tali beneficio curato vacante, quia ( inquit ) subest eadem ambitionis ratio, sed in hoc fallitur quia non subest, vt constat, vnde Clemens solum exclusit licentiam generalem ad acceptandum prouisionem, de quocunque beneficio curato de se faciendam, vnde extendenda non est lex ad licentiam specialem de beneficio speciali vacante.

## SVBRESOLVT. XI.

*Vtrum Religiosus indigeat licentia ad acceptandum Summum Pontificatum?*

## S V M M A R I V M.

1. An contra Pontificem canonicè & legitime electum nulla exceptio poni possit.

2. Vnde

2. *Vnde Religiosus solemniter professus non habeat proprium velle aut nolle.*
3. *Authoris mens.*
4. *An si eligibilis esset Religiosus non exemptus ab obedientia Prælati regularis, requiretur licentia Prælati.*
5. *An nulla exceptio nisi hæresis poni possit contra summum Pontificem electum à duobus partibus Cardinalium.*
6. *Quem consensum nequeat habere Religiosus professus.*
7. *An non sit ex iuris fictione quod Religiosus non possit acceptare summam dignitatem sine consensu & licentia saltem tacita sui Prælati.*

1 **S**ed † nunquid Religiosus indigeat licentia ad acceptandum Summum Pontificatum, adfirmat communis Canonistarum sententia secuta Glossam *cap. quam sit. verbo ad ordinandum 18. quæst. 2.* Ita Rodriguez *vbi supra art. 5.* Sa emendatus *verb. Religio n. 63.* Gregorius Lopez *leg. 22. Eglesias tit. 7. p. 1.* Syluester *verb. Religio. 7. quæst. 9.* & multi alij quos citat & sequitur Thomas Sanch. *n. 58.* vbi ipse contrarium sequitur, quia † contra Pontificem canonice & legitime electum nulla exceptio poni potest, nisi hæresis, tum quia Summi Pontificis electio est ipsius confirmatio, & sic ipso facto eximitur à iugo monasticæ professionis, & tandem, quia, 2 quod † Religiosus solemniter professus non habeat proprium velle, aut nolle est ex iuris fictione, consensum enim naturalem habet, qui ad hoc est sufficiens cum reliqua iuris impedimenta sint sublata. 3 Ego vero existimo, quod † licet stante modo electionis Summi Pontificis, quem hodie obseruat Ecclesia, quod non eligatur nisi ex collegio Eminentissimorum Cardinalium cum Regulares ea dignitate fulgentes sint exempti à iugo monasticæ professionis, non indigent licentia Superioris vt acceptent, & consentiant in sui electionem ad 4 summum Pontificatum, si tamen † eligibilis esset Religiosus non exemptus ab obedientia Prælati regularis, puto quod requiratur talis licentia, quam dare tenetur Prælatus, nam quod requiratur non est fictio iuris, vt falsò putat Sanchez, sed dimanat ex voto obedientiæ, à quo eximi nequit nisi consentiente Prælato suo, qui priuari non potest iure, quod acquisiuit ex vi talis voti, vt possit imperare, regere, & gubernare talem religiosum, à quo iure eximitur factus summus Pontifex, vnde nequit habere consensum canonicum sine tali licentia, sicut neque si esset vxoratus, nequiret ingredi Religionem sine consensu & licentia vxoris.

Neque fundamenta opposita firma sunt

non primum, quia etsi *cap. licet de electio. in 6.* dicatur quod † nulla exceptio nisi hæresis possit poni contra summum Pontificem electum, à duobus partibus Cardinalium, est sermo de Pontifice, qui poterat canonicè consentire in sui electionem, consensus enim canonicus est substantialiter requisitus sine quo electio ipso facto euacuatur *cap. Religiosi de electio. in 6.* hunc autem † consensum nequit habere Religiosus professus, ad secundum respondetur, quod etsi electio Pontificis sit ipsius confirmatio, hoc autem intelligitur cum electio est acceptata ab electo, qui eam acceptare nequit, sine sui Prælati consensu ex vi voti obedientiæ, vnde constat ad tertium, quod † non est ex iuris fictione quod Religiosus non possit acceptare summam dignitatem sine consensu, & licentia saltem tacita sui Prælati, sed hoc habet ex vi voti solemnè obedientiæ, à quo absolui non potest. Verum est quod si quis habeat licentiam à Summo Pontifice ad acceptandam quamcunque dignitatem cum hæc licentia non expiret mortuo Pontifice hæc sufficit, sed addit & bene Syluester, quod si Abbas nolit consentire, & necessitas, vel vtilitas suggerit, compelli potest ad cõsentiendum à Collegio scilicet Cardinalium, quod habet plenam potestatem ad constituendum caput visibile Ecclesiæ, vel à Concilio Generali in casu schismatis.

## SVBRESOLVT. XII.

*Vtrum Præpositus nostræ Religionis possit dare licentiam alicui ex nostris vt Parrochiam extra Religionem accipiat?*

### S V M M A R I V M.

1. *Parrochiale beneficium, an non sit proprie prælatio, aut dignitas.*
2. *Ratio ad vitandam Religiosorum ambitionem non eque procedit in Parrochialibus ac in prælaturis, ex Thoma Sanchez.*
3. *Authoris iudicium, & n. 4.*

**S**ed inquires, an Generalis, aut Prouincialis nostræ Religionis possit concedere licentiam, vt Religiosus clericus (qui votum solemnè emittit non acceptandi extra Religionem prælationem aliquam nisi coactus obedientia Summi Pontificis) possit acceptare beneficium curatum cui inseruiens habitet extra Religionem, respondetur, quod alicui videri possit, quod sic, quia † Parrochiale beneficium non est proprie Prælatio, aut dignitas, quia Prælati proprie dicuntur, qui iurisdictionem ordinariam in vtroque foro habent, vt docent Abbas, *cap. cum Ecclesiarum*

*rum num. 2. de offic. ordina. Angel. Syluester Tabiena, Armilla verb. Prælatus n. 1. ex c. 2. de iudiciis. iuncta glossa finæ. Clement. dudum verbo ab olim. de sepultur. Vnde Innocentius & Hostiens. cap. cum Ecclesiar. num. 1. dicunt Parrochos esse large & improprie Prælatos.*

2. Quare † ratio cap. quorundam de electio. ad vitandam Religiosorum ambitionem obuiandumque liibus, vt bene aduertit Thomas Sanchez num. 56. in fine, non æque procedit in Parrochialibus ac in Prælaturis, in quibus est maior ambitio, eo quod multo amplior est iurisdicatio, grauioresque lites in illis acquirendis nascuntur, vnde cum votum solemne sit stricti iuris, de prælaturis, quæ proprie sunt tales intelligi debet.

Sed verius est oppositum, quia votum istud sanctissimum & vitæ regulari valde conforme fiat à nostris ad præcludendam omnem viam ambitioni cuius est capax beneficium Parrochiale extra Religionem, existimo quod † Generalis, nedum Prouincialis potest licentiam concedere quod Religiosus clericus ex nostris extra Religionem beneficium habeat ad vitam extra Religionem, vnde notanter dicitur in forma v<sup>4</sup>uendi prælationem aliquam, vt etiam improprie si sit extra Religionem comprehendat. Vult enim Religio nostra suos clericos liberos esse ab omni ambitione extra Religionem, ad quod adstringit eos voto solemn<sup>4</sup>i, & intra Religionem iuramento circumsepit.

## SVBRESOLVT. XIII.

*Quid de fratre laico Religionis nostræ?*

## S V M M A R I V M.

1. An Generalis poterit aut capitulum generale licentiam facere vt laicus nostræ Religionis obtineat & retineat beneficium Parrochiale.
2. Frater laicus an nequeat transire ad clericatum nisi ex dispensatione capituli generalis, & n. 3.

Sed nunquid si sit aliquis ex numero fratrum laicorum, qui peritus sit lingua latina & aliis necessariis ad beneficium Parrochiale rite & recte obeundum, cum iste in sua professione non emittat præfatum votum solemne de non ambiendo, sicut emittunt clerici † poteritne Generalis, aut capitulum Generale licentiam facere, vt obtineat & retineat beneficium Parrochiale, respondetur, quod ex nostris constitutionibus 4. p. † Frater laicus nequit transire ad clericatum nisi ex dispensatione capituli generalis solius, & præter hoc nulla est pote-

tas in Religione ad id faciendum, eo autem ipso quod laicus ad clericatus ordinem euehatur debet emittere quartum votum solemne sicut omnes clerici emittunt, vnde nequeunt nisi ex dispensatione Apostolica beneficium curatum extra Religionem obtinere vt dixi verius esse. Verum est quod si frater iste laicus antequam inter nos clericus fiat transeat ad aliam Religionem ex mendicantibus, ibique Sacerdos fiat poterit beneficium Parrochiale nedum Episcopale obtinere, & retinere, quia non adstringitur quarto voto de non acceptando, nisi coactus obedientia Summi Pontificis, quo adstringuntur nostri clerici, etiam si ad aliam transeant Religionem vt alibi monstrauimus contra Pasqualigum ex speciali Bulla Urban. VIII. id declarantis.

## SVBRESOLVT. XIV.

*Quid de iure speciali sentiendum.*

## S V M M A R I V M.

1. An nullus Regularis sit hodie capax beneficij curati secularis absque Pontificis dispensatione.
2. Mandosij sententia.
3. Regulares sunt incapaces beneficij simplicis etiam si essent canonici regulares, non autem beneficij curati, ex Conc. & numero 4.
5. Sententia Miranda non admittenda.

Dixi in decisione Resolutionis si loquamur de iure communi, quia hodie (ait Thomas Sanchez num. 71.) nullus † Regularis est capax beneficij curati secularis absque Pontificis dispensatione, quod probat ex declaratione congregationis Concil. Trident. vbi refertur decretum Gregorij XIII. quod non liceat canonicis regularibus, etiã de licentia sui Generalis assumere curam animarum etiam ad tempus, multoque minus beneficium curatum ad tempus absque permisso Summi Pontificis, sed hoc decretum non vrget pro omnibus Regularibus, sed solum pro canonicis Regularibus illis, pro quibus editum est, cum enim sit exorbitans à iure communi, strictè est intelligendum, nec debet extendi ad alios, quam ad illos de quibus specificè, & nominatim loquitur scilicet ad canonicos regulares congregationis Lateranensis, in quibus inuenit Pontifex specialem rationem, quare mihi placet hoc ideo hodie non posse Regulares, quia praxis est in contrarium, & vt † Madosius ait in praxi signaturæ Gratiæ. rit. de dispensationibus Monacho. pro obtinen. benef. hodie non dispensatur cum Regularibus vt obtineant

neant beneficium curatum, siue in titulum siue in commendam; quamuis vt ad tempus curam animarum teneant de licentia Prælati sui, possit illis Ordinarius concedere, quod hodie in Hispania obseruatur.

Totum hoc comprehendit declaratio Concilij ad cap. 10. sess. 14. quæ sic habet.

- 3 † *Regulares sunt incapaces beneficij simplicis etiamsi essent canonici Regulares, non autem beneficij curati, iuxta dispositionem capituli quod Dei timorem de statu Monachorum. Licet non hodie cum obstet Concilium Lateranense ad concordata, ita declaratio, & alia ad cap. 18. sess. 24. dicitur. Necessariam esse hodie dispensationem contra communem opinionem antiquorum Doctorum, quod ita de stylo obseruari con-*
- 4 *suevit.* Vnde fit quod hodie non potest regularis admitti ad communem, etiamsi habeat licentiam sui Prælati, vnde Sacra Congregatio circa Episcoporum & Regularium negotia, in vna Cremonens. die 1. Septembris 1603. determinat in hæc verba. *Canonici Regulares, non obstante cap. quod Dei timorem non admittuntur ad curam Parrochialium Ecclesiarum absque Sedis Apostolica dispositione.* Quam decisionem stylus & praxis ad omnes cuiuscumque ordinis religiosos profes-
- 5 *fos extendit, quare † non admitto sententiam Mirandæ tom. 1. Manualis q. 32. artic. 5. dicens quod Monachus, aut Regularis de licentia sui Superioris potest manere extra claustra vt inseruiat Parrochiali, hoc enim de iure communi verum est vt vidimus, non tamen hodie & Doctissimus Syluester verb. Religio. 7. quæst. 3. & 6. loquitur secundum ius commune, & antiquum.*

## §. II.

*Expenditur Resolutio de mansione extra claustra habitu non retento.*

## S V M M A R I V M.

1. *An Prælati regularis possit dimittere habitum suæ religionis, vt subueniat parentibus.*
2. *Innocentij III. mens assertur, & n. 3. & 4.*
3. *Quod quis non possit sine licentia Papæ habitum dimittere vnde oriatur.*
4. *Ad quid detur Religiosus habitus.*
5. *An dimittere habitum sit virtualis quedam defectio ab obligatione.*
6. *Quid sit obligatio deferendi habitum regularem suæ professionis.*
7. *Quid per Ly temere intelligant Doctores.*
8. *Nunquam habitus à Religioso professo dimittitur sine rationabili causa, quin peccet, ex Syluestro & n. 11.*

1. **C**ertissimum est apud DD. tam Canonicas, quam Theologos, quod † Præ-

latus Regularis etsi Generalis sit, quamuis possit ex causa dare licentiam quod subditus moretur extra claustra, iuxta exigentiam causæ etiam ad longum tempus, vt vidimus §. 1. non tamen potest dare facultatem, vt etiam pro sustentandis parentibus habitum suæ Religionis dimittat, aut omnino occultum ita vt nullatenus appareat, deferat. Ita Canonistæ ad cap. *Deus qui, & cap. clerici de vita & honestat. cleric.* vbi de clericis tractant, quod debeant deferre habitum clericalem proprium suo statui, & Innocentius III. cap. *Deus qui.* determinat † quod Religiosi diuersi habitus missi ad prædicandum ne populi de nouo conuersi scandalizentur debent accipere communem & honestum habitum, vt sint conformes id quod etiam concedit Vrbanus VIII. in Bulla data ad petitionem Regis Catholici quam ad verbum dat tom. 2. de iure indiar. lib. 4. cap. 10. Quare supponunt esse obligationem canonicam legalem, quod Regularis deferat habitum suæ professionis in qua obligatione, vtpote cum dimanet à lege Superioris summi legislatoris nullus inferior potest liberare, quamuis enim Prælati regularis habeat potestatem dispensandi cum suis subditis in iure communi canonico, tamen hæc potestas solum extenditur, ad ea quæ ordinarie, & frequenter accidunt, vnde solum continet eas dispensationes, quæ necessariae sunt ad ordinarium modum gubernandi subditos, qualis non est dimissio proprii habitus, quia rarissime contingit, quod sit necessaria habitus dimissio inter Catholicos, & quod causa quæ sufficit ad hoc quod maneat extra claustra (quod ordinarium est) exigit habitus dimissionem, aut occultationem, quare hoc disquirere supremæ est Pontificiæ potestatis.

Vnde quod † quis non possit sine licentia Papæ habitum dimittere, aut occultare non oritur præcisè ex vi alicuius regulæ particularis, sed est ius quoddam commune status Religiosi, communi sensu & traditione omnium Religionum receptum, quod confirmarunt sacri canones, & Concilia Carthagen. 4. cap. 11. & Tolet. 10. Rationem huius veritatis egregie tradit Pater Suarez tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 1. cap. 5. Quia † habitus religiosus non solum datur ad humanum vsum, sed tanquam insigne & tessera propriæ professionis, eo autem ipso, quod, quis assumit aliquod munus vel statum cum perpetua obligatione sustinendi illud consequenter obligatur ad non deponendum proprium signum, publice institutum & datum ad talem professionem significandam, nam hoc † dimittere est virtualis quedam defectio ab illa obligatione, quæ ex vi status assumpsit. Quæ ratio me quidem

dem iudice adeo efficax est, vt manifeste probet, quod sola diuturna, & ad multum temporis habitus Religiosi extra claustra dimissio sine dispensatione, etiamsi quis velit substantialia status Religiosi seruare, sit omnino prohibita, nisi in casibus, in quibus ad occultandum se & aliis de quibus infra, nam tunc per Epichyam se liberet ab obligatione, vnde Pellizarius in *Manuali t. 1. tr. 5. c. 7. n. 1.*

8 dicit, quod † obligatio deferendi habitum regularem suæ professionis est quasi de iure naturali, ex suppositione, quod quis talem Religionis institutionem solēniter est professus, quare Pontifex sine vrgenti causa nequit dispensare, vt Religiosus professus solēniter habitum suæ professionis dimittat, aut occultet, assumens habitum clericalem sæcularem, vnde *cap. vt periculosa. ne cler. vel Monach. in 6. districtius inhibetur Religiosis tacite, vel expresse professis temere habitum Religionis dimittant.* & Ly *temere.* Doctores ibi explicant sine causa iusta, vt si transiturus esset per loca infidelium, aut infecta hære si, aut ne agnoscat ab inimico & capiatur, vt occidatur, aut iniuste incarceretur, aut expolietur bonis, aut non habeat legitimam dispensationem à Pontifice qui solus eam concedere valet, vnde egregie Syluester

9 *verb. excommunicatio. 9. n. 5. 2. q. 24. vers. 2. nota.* dicit, quod † nunquam habitus à Religioso professus dimittitur sine rationabili causa, quin peccet, quia adeo est annexa ossibus Monachorum, quod in quocunque loco consistentes, siue in lecto quiescentes constanter eo vti debent, vt dicitur, *cap. vidua 21. q. 1. & cap. Sanctimonialis 23. dist. &c.* id autem, quod etiam in lecto quiescentes dicit, intelligi debet iuxta suæ professionis institutum, in aliquibus enim ita rigorosè intelliguntur Concilia & Canones, quod nec in infirmitate etiam

10 *cap. mortali illum deserant, vt PP. Capucini & alij* habent etiam dormientes habitum integrum alij scapularium paruum, sed Religiones clericorum in lecto dormientes, aut infirmi habitum deponunt.

## SVBRESOLVT. XV.

*Quid intelligatur nomine habitus Regularis?*

## S V M M A R I V M.

1. *Quid nomine habitus Regularis veniat intelligendum, & n. 2.*
3. *An materia habitus de rudi in minus rudem vel econtra mutari possit pro consuetudine regionis, & n. 4.*
5. *An possit Capitulum generale statuere, vt omnes religiosi sint uniformes, & n. 6.*

CVM hæc, vt dixi indubia sint apud CDD. quos ob eam rationem non refero, sunt tamen aliqua non iniucunda expedienda. Primum est, † quod intelligatur nomine habitus quem retinere debet Religiosus, tacite, vel expresse professus, siue intra, siue extra claustra inhabitet, & quem deponere non potest sine dispensatione Summi Pontificis, & dico, quod intelligitur habitus ille, quem in forma, colore, materia, & cingulo, quem habet sua Prouincia, aut Religio designatum professus forma, & cingulus variari nequit, vt si est forma clericalis, aut Monachalis, aut diuersi coloris in cappa, & veste, color enim notabiliter mutari nequit, etiam si obseruetur forma, vt albus in nigrum, & è contra, & cingulum si est coriaceum in laneum, aut sericum, etsi est sericus aut laneus in coriaceum (exceptis Episcopis vt mox dicam) materia autem de rudi in minus rudem, & è contra mutari potest pro cōsuetudine regionis, & obseruantia, aut relaxatione permissa, regula, & pro tēperamento Prouinciæ aut penuriæ, quare si in aliqua Religione, (vt contigit in nostra) in sui primordio vsus fuit, quod habitus conficeretur materia rudi, & panno vili, si in omnibus domibus, aut Prouinciis talis pannus non inuenitur, & fere in omnibus inuenitur alia materia etsi delicatior sit (quæ vulgo dicitur *Saya de Gubio & Hispanæ, estamena de Toledo siue de Maillo*, vbi inuenitur inquam conuersa est materia antiqua Hispanæ. *Sayal & pro Regno Neapoli. Segrino*) hic enim erat pannus vilis quo induebamur à principio, vt referunt *Barbosa Apost. decis. collect. 170. n. 6. Aldana. in compend. Cano. Resol. lib. 1. tit. 19. n. 45.* † potest capitulum generale statuere, vt omnes Religiosi vniformes sint, quantum fieri possit, quod habitus sub eadem tamen omnino forma conficiantur, sic disposuit capitulum generale nostrum *ann. 1618.* pro Italis, & Hispanis, vnde fit quod si quis, ex nostris sit de licentia superioris extra claustra, & mutet formam habitus nostri, etsi retineat materiam vere mutat, & dimittit habitum v. g. habet pallium, & vestem ex materia qua omnes alij nostri, mutat tamen manicarum apertionem in forma rotunda, & eas facit sicut clericus sæcularis similiter cingulum ex corio, mutat in laneum, aut sericum, dubio procul non retinet habitum, excōmunicationem *vt periculosa cit.* incurrit, & præsumitur hanc mutationem facere animo vagandi & occultandi se Ordinario & aliis iudicibus suis, cum sic vestitus vti sæcularis, in forma vix dignoscetur Regularis, de diuersitate habitus diuersarum Religionum plura inuenies in *Barbosa vbi supra in indice verb. habitus.*

## SVBRESOLVT. XVI.

*Vtrum Regularis factus Episcopus, possit tuta conscientia habitum sua religionis dimittere?*

## S V M M A R I V M.

1. *An Religiosus professus factus Episcopus possit Episcopatum tota conscientia retinere dimisso habitu.*
2. *Soto opinio addecitur, & n. 3.*
4. *Necnon D. Thomæ & Caiet. & numero 6.*
5. *Clementis VII. concessio Episcopis regularibus, & n. 8. & 9.*
7. *An Canonici Regulares creati Episcopi possint dimittere proprium habitum & uti habitu clericali.*
10. *An Summus Pontifex teneatur deferre saltem colorem sui habitus quem Religiosus gestabat.*
11. *An cum Summus Pontifex manet obligatus ad continentiam & paupertatem, maneat obligatus ad ferendum habitum sua religionis, & n. 12.*

**D**Vbium secundum, † an Religiosus professus factus Episcopus possit Episcopatum tuta conscientia retinere dimisso habitu suæ Religionis, sed teneatur illum conseruare communis & certa sententia est tam Antiquorum quam Modernorū, quod sic. Ita Sanchez *lib. 6. Summ. cap. 6. n. 22.* vbi sic fatur. *de habitu regulari illum gestare tenetur debito legali, religiosus creatus Episcopus, nec potest super illum vestibus Episcopalibus indui, quia hæc obligatio non ex Regula prescripto, sed iure Canonico & consuetudine communiter recepta oritur. Neque hoc eius officio obstat & est veluti quoddam signum obligationis ad vota regularia, quibus adstrictus est, constat ex cap. penult. de vit. & honest. cleric. vbi cum de vestibus Episcopalibus quas induere debet Episcopus sic dicitur, nisi monachi fuerint, quos oportet ferre vestem monachalem pro qua sententia refert plurimos ex Canonistis & Theologis, et si Soto *lib. vlti. de Instit. quest. vlt. artic. vlti. concl. 5.* dicat apud Italos id non*

2 *seruari, ait enim. † Cum talis Episcopus (Religiosus) habitum Religionis ex iure non debeat nisi Summus sit Pontifex adeo huiusmodi monachales cæremonie ipsum non didicent, ut eius*

3 *habitum decorent in Italia quidem vbi monachi ad quemcumque pauperem Episcopatum assumuntur habitum, vel prorsus abiciunt, vel alia figura incrustant, omnes monasticas cæremonias cum eo deponunt, quia Itali non dignantur in habitu monachali videre: quæ*

4 *quidem pestis ad alias iam nationes irrepsit, & ita de Caiet. iudicium sumpsit, tamen si non*

*pro se qui etiam Cardinalis cum habitu monachali semper religiosissime vixit. Hactenus Soto.*

Hinc fit, quod † Summus Pontifex Clemens VIII. in *Rituale Romano reformato* de eius ordine concessit Episcopis Regularibus, vt retento colore habitus suæ Religionis possint se conformare cum Episcopis secularibus in forma seu figura illius, & ita seruetur modo in praxi, non tamen cogit Pontifex, vt hæc mutatio fiat, alias male facerent Religiosissimi Episcopi, & Archiepiscopi ex Religionibus assumpti, portantes habitum in forma & colore regularem, quod valde temerario diceretur, quare Pontifex solum dat facultatem, vt mutant formam non tamen inducit obligationem, tenentur tamen seruare colorem habitus regularis, qui in signum obligationis ad tria vota quibus manent adstricti, vt expresse ait † D. Thom. 2. 2. *quest. 185. art. 8. 6 in corp.* Caiet. vero ibi nihil dicit de habitu, sed de aliis cæremoniis, vt bibere sedendo, & cum duabus manibus, habere socium &c. Hæc obligatio portandi habitum suæ Religionis comprehendit etiam Eminentissimos Cardinales, vt statuit Gregorius XIV. *constit. 9.* incipit *Sanctissimus 26. Aprilis 1591.* qui illis concessit, vt birretum rubrum in signum Cardinalitiæ dignitatis deferant.

Verum est, quod † Canonici Regulares creati Episcopi possunt dimittere proprium habitum, & uti habitu clericali, vt illis concessit *Leo X. constit. 34.* in ordine huius Pontificis & etiam Religiosi clerici, vt Theatini, Iesuitæ & nostri dum assumuntur ad Episcopalem, aut Cardinalitiam dignitatem induunt habitum ordinarium Episcoporum, & Cardinalium etiam quoad colorem, nam *cap. penult. de vita & honestat. Cleric. & Clemens VIII. in Rituali* loquuntur de Regularibus cuculatis. Clerici enim cum habitum clericalem deferant cum aliquali differentia in forma & in materia magis vili, quæ non deceat Episcopos, & Cardinales, ideo illis permittitur habitu Episcopali, & Cardinalitio vti etiam in colore, non tamen tenentur ipso vti, sed possunt suo regulari vti, et si ex pretiosiori materia, vti decet: birretum tamen rubrum tenentur portare Cardinales in signum dignitatis Cardinalitiæ, & galeorum cum serico viridi circumfibrato si sit Episcopus, habitum clericalem regularem non tenentur ex tacita dispensatione Pontificis.

Sed numquid † Summus Pont. teneatur id deferre saltem colorem sui habitus quem Religiosus gestabat, negat vt vidimus Soto, ast D. Thom. contrarium docet ex principio indubitato,

indubitato, quod statuit in artic. 5. cit. quod si, quæ sunt in regularibus observantibus quæ non impediunt Pontificale officium, sed magis valeant ad perfectionis custodiam sicut est continentia, paupertas & alia huiusmodi, ad hæc remanet religiosus etiam factus Episcopus obligatus, & per consequens ad portandum habitum suæ Religionis, qui est obligationis signum. Quare † cum Summus Pontifex manet obligatus ad continentiam & paupertatem, per consequens obligatus manet ad portandum habitum suæ religionis, qui est obligationis signum nisi secum ex causa dispense sicut dispensare potest cum aliis, & eo ipso, quod non portet censetur dispensare ex causa, quod autem possit habitum regularem ordinarie portare mihi indubium est, imo erit signum specialis virtutis, & humilitatis quæ bene compatitur cum Summo Pontificatu sicut compatiebatur cum persona Christi composita Deus & homo, qui humiliavit semetipsum habitu inuentus, ut homo cum aliis esset in forma Dei.

## SVBRESOLVT. XVII.

*Virum Episcopus Regularis si non portat habitum suæ Religionis incidat in excommunicationem?*

## S V M M A R I V M.

1. An Episcopus qui ex monachismo assumptus est ad Episcopalem & Cardinalitiam dignitatem qui saltem colorem sui habitus non portat, incidat in excommunicationem.
2. Bonifacij sententia.
3. Unde Regularis factus Episcopus teneatur deferre habitum.
4. Multorum DD. opiniones adducuntur, n. 5.
6. Episcopus Regularis qui sine Pontificia dispensatione saltem tacita signum religiositatis suæ, siue consistat in forma siue in colore, incurrit excommunicationem, & n. 7.
8. An Episcopus sit obligatus ad portandum habitum suæ religionis, qui est obligationis signum.
9. Unde secundò excommunicationem incurrat Episcopus, & n. 10.
11. Imola opinio assertur.
12. An Religiosus professus tacitè vel expressè dimittendo, aut omnino occultando temerè habitum religiosum, sit apostata.
13. An Episcopus Regularis etsi sit absolutus ab obedientia Prælatorum regularium, religionis, non sit exemptus ab obedientia summi Prælati regularis, & n. 14.
15. Ad difficultatem responsum, & n. 16.
17. An si quis dimisso proprio habitu religionis in qua est professus, alterius religionis habitum assumeret incidere in excommunicationem, & n. 18.

19. Sanchez, & D. Antonin. sententia adducuntur.
20. An dimissio proprii habitus in Episcopis regularibus sit aliqua causa vivendi licentiosus.

**D**Vbium tertium, † an Episcopus qui ex monachismo assumptus est ad Episcopalem & Cardinalitiam dignitatem qui saltem colorem sui habitus non portat, incidat in excommunicationem, cap. ut periculosa ne cleric. vel Monachi. in 6. latam contra Religiosos professos habitum dimittentes. Negant recentiores communiter Pellizarius ubi supra n. 36. 37. Gordonus l. 6. q. 5. n. 141. Sanctarellus de Apostasia cap. 1. n. 15. Bonaciotom. 3. de cens. disp. 2. q. 8. punct. 6. Sanchez l. 6. Sum. cap. 6. n. 23. Manuel Rodriguez tom. 2. q. 58. art. 3. alter Rodriguez Resol. 60. num. 4. Azor p. 1. lib. 12. cap. 7. quest. 4. & primus inter modernos, qui eam inuexit, fuit Couarr. cap. 1. n. 18. de testam. qui non audet eam intrepide docere, sed oppositam dubiam esse dicit, & ex antiquis Bonifacius † Clement. 1. §. rursus n. 33. & 34. de stat. Mona. fuit primus qui sententiam hanc docuit, fundantur, quia cap. periculosa citat. solum loquitur de Monachis sub obedientia Abbatis existentibus, à qua liberi sunt Episcopi Regulares, vnde textus dat rationem ne detur monachis occasio vagandi dimisso habitu, eo quod à nemine cognoscerentur, quæ ratio non currit in Episcopo regulari, utpote qui induens Episcopalem habitum minus aptus erit ad vagandum. Secundò, quia, ut arguit Pellizarius, quod † Regularis factus Episcopus teneatur deferre habitum est, ex cap. penult. de vit. & honest. cleric. in quo nulla fulminatur censura, sicut fit in cap. ut periculosa in quo non est sermo de Episcopis, sed de puris monachis sub obedientia Abbatis & multiplicari non debent censura, sine vrgenti fundamento non est improbabilis hæc sententia. Sed opposita mihi videtur omnino tenenda, quam docuerunt omnes antiqui (vno excepto Bonifacio) qui hoc punctum tetigere. † Imola. Clem. 1. cit. de stat. Monach. n. 17. vbi Cardinalis quest. 9. Surdus de aliment. tit. 8. privileg. 79. n. 10. Riminal. conf. 6. n. 7. vol. 1. Pacianus consil. 132. n. 42. volum. 2. Maiolus l. 2. de Irregular. c. 1. n. 13. Cucus l. 3. inst. tit. 1. n. 157. Iason citatus à Sanch. Syluester verb. Relig. 7. n. 11. q. 11. & Azor ubi supra dicit non esse ab hac opinione recedendum eo quod sit communis, ne non adheratur, (ut refert idem Sanch. sed ego in loco quæ citat non inveni,) vnde egregie Henriq. l. 10. de Sacram. Ordin. c. 33. in fi. dixit hanc habitus dimissionem esse apostasiam, quod verissimum di-

etum iam enucleo.

- 6 Igitur existimo † Episcopum Regularem, qui sine Pontificia dispensatione saltem tacita signum Religiositatis suæ, siue consistat in forma, siue in colore, incurrere excommunicationem duplici ex capite latam *in cap. ut periculosa*, contra temere dimittentes habitum suæ professionis, temere autem dimittit qui mortaliter peccat dimittendo, atqui Religiosus professus, factus Episcopus, qui sine privilegio, & dispensatione saltem colorem sui habitus non portat mortaliter peccat, ut tenent Pellizarius, & alij contrariæ sententiæ, ergo incurrit excommunicationem, consequentia probatur, quia *cap. ut periculosa* etsi loquatur de Monachis qui ordinariè sunt sub obedientia Prælati, ut auferatur eis occasio vagandi, tamen hæc non fuit adæquata ratio decisionis, sed ne quis auferat signum protestationis obligationis status religiosi, quam Religiosus professus habet, unde D. Thom. *ubi supra*, ex eo quod quis emisit votum continentis, paupertatis &c. ad quæ manet etiam si sit Episcopus obligatus colligit dicens † *& per consequens ad portandum habitum suæ Religionis, qui est obligationis signum*, quare hæc absque dubio est adæquata & motiua ratio decisionis, quæ cum currat etiam in Episcopo, manifestum videtur, quod si dimittat signum obligationis suæ sine dispensatione Papæ incurrit præfatam excommunicationem latam, *cap. ut periculosa*.
- 7 Secundo † excommunicationem incurrit Episcopus qui sine dispensatione saltem tacita dimittit signum sibi destinatum à Papa, ut est illius Superior latam contra apostatas, non quidem à Religione solum à qua est assumptus sub cuius obedientia iam non existit, sed apostata à statu Religioso, cuius signum protestationis & habitum temerarie, quia propria autoritate, (ut ait Glossa *ad cap. ut periculosa in casus formatione*.) dimittit. Probatur, quia qui etsi portet habitum Religiosum ita tamen celatum & occultum, ut à nullo iudicetur esse Religiosus, est apostata & incurrit excommunicationem ipso facto latam contra apostatas, ut multis probat Sanchez *lib. 6. Summ. c. 8. n. 6*; & adducit triginta grauissimos Doctores ex Canonistis & Theologis, unde † Imola *Clem. 2. n. 31. de vit. & honest. Cleric.* dicit sic determinatum Bononiæ Mandosius etiam *de signatura gratie verb. licentia vero*. licentia non obtenta dicit sic decisum à Sacra Rota, & tenet D. Caiet. *in Summ. verb. excomm. cap. 61.* ergo multo magis qui habitum dimittit, sicut si esset signum destinatum, quod portent Hebræi, vel Mauri morâtes Catholicos sub pœnis grauibus, qui illud signum omitit, aut occultat, ita ut nullatenus videatur,

pœnas latas incurrit.

Declaratur amplius quia, quod † Religio- 12  
sus professus tacite, vel expresse dimittendo, aut omnino occultando temere habitum religiosum sit apostata & ut talis iudicetur, non prouenit ex iure aliquo particulari alicuius Religionis, sed ex iure communi Canonico, ut est omnino certum & supra probauimus, quare ideo est apostata, quia temerarie dimittit habitum ex qua temeraria dimissione, aut occultatione in praxi protestatur se nolle subiici obligationi status religiosi, quam protestatur per habitum, quam protestationem debet facere ex iure Canonico, & imperio Pontificio, Episcopus enim † Regularis etsi sit absolu- 13  
tus ab obedientia Prælatorum regularium religionis, tamen non est exemptus ab obedientia Summi Prælati Regularis, Papæ, cui ex vi voti solemniter emissi in professione tenetur obedire quatenus Religiosus, & non solum quatenus Episcopus, & fidelis, per dimissionem autem habitus temerariam, id est propria autoritate factam protestatur se nolle subiici Papæ, ut supremo superiori 14  
Regulari, & sic vere est apostata, sicut ille qui temerarie dimittit habitum existens sub obedientia Abbatis in omnium sententia, apostata iudicatur, quæ ratio apud me magnas habet vires, & ex ea eneruata manent fundamenta contraria.

Ad primum respondetur, quod *cap. ut periculosa* loquitur † de omnibus religiosis ta- 15  
cite, vel expresse professis existentibus sub obedientia quam solemniter sunt professi, inter quos continentur Episcopi Regulares, qui continentur sub obedientia regulati Summi Pontificis, qui vel non peccant mortaliter per temerariam habitus dimissionem, vel si mortaliter peccant excommunicationem apostatarum incurrunt, prius nullus negat, & ita omnes debent fateri, secundum, sicut etsi Pontifex Bonifacius loquatur de habitus dimissione non solum in- 16  
currit, qui temerarie dimittit, sed qui temerarie occultat, ut vidimus, & quamuis legislator det rationem ne *detur occasio vagandi Religiosis habitu dimisso eo quod à nemine cognoscerentur, & sic liberius diuagarent*, tamen hæc, ut dixi non est ratio motiua huius decisionis, sed quæ consequitur ad rationem motiuam, quæ fuit ne dimittatur habitus, quæ est protestatio obligationis status religiosi, si enim † quis dimisso proprio habitu 17  
religionis in qua est professus alium habitum religiosum alterius Religionis, ut se occultaret assumeret, dubio procul incideret in excommunicationem huius capitis, & tamen non haberet liberam vagandi facultatem, unde euidens est, quod ratio motiua non est ne detur occasio vagandi, etsi ordinarie



rie hoc sequatur ad rationem motuam quam intulimus.

- 18 Vtrumque manifeste constat in Religioso professo, qui est extra claustra inseruiens beneficio curato, quod nullatenus subiicitur Prælati Religionis qui eximitur ab obedientia suorum Prælatorum *c. in Parrochia* 16. q. 1. sed manet subiectus Episcopo qui de cætero erit suus Abbas, vt est cõmunis certaque sententia, & tamen si deponat habitum temere suæ Religionis incurrit excommunicationem, *cap. vt periculosa*, vt tenet ipse Sanchez *lib. 6. Summa. cap. 6. num. 36. ex D. Antoni. 3. p. tit. 16. cap. 5.* & est indubitatum quamuis toto tempore, quo est Parochus in nullo sit sub obedientia Prælati, idem etiam dico si Religiosus fiat Abbas, aut Prior habens propriam Diocesim nulli Episcopo subiectam, sed in ea gaudens plena iurisdictione, quasi Episcopali iste enim etsi non sit sub obedientia suorum Prælatorum, si habitum suæ Religionis dimittat dubio procul incidet in præfatam excommunicationem & tamen ex hoc non datur illi proxima occasio vagandi.
- 20 Præterquam, quod † dimissio proprii habitus in Episcopis Regularibus est aliqua causa viuendi licentiosius, ex quo constat, ad secundum, quod est Pellizarij, quod quamuis, *in cap. penult. de vit. & honest. cler.* solum præcipiatur, quod Monachus factus Episcopus deferat proprium habitum, ibique non imponatur censura aliqua, tamen declaratur obligatio declarationis habitus Religiosi, vt non incurratur pœna Apostasiæ, quam imponit *cap. vt periculosa* contra temere dimittentes signum protestationem suæ obligationis.

### SVBRESOLVT. XVIII.

*Vtrum Religiosi professi Societatis Iesu si dimittant habitum incurrant præfatam excommunicationem?*

#### S V M M A R I V M.

1. An Religiosi professi Societatis dimittendo habitum incurrant excommunicationem.
2. Lex pœnalis quomodo sit extendenda.
3. Ratio difficultatis assertur, & n. 4. & 5.
6. Professus Societatis mortaliter peccat temere dimittens habitum.
7. An S. P. Ignatius suos professos nudos habitu religioso non liquerit.
8. Patres Theatini in Italia similes Patribus Societatis, & in quo ab iis distinguantur.
9. An si scholares Societatis qui solum emittunt tria vota simplicia post biennium temere dimittant habitum incurrant excommunicationem latam in *cap. 22. periculosa*.

Tom. II.

D Vbi quartum est, † an Religiosi professi Societatis Iesu incurrant excommunicationem latam in præfato *cap. vt periculosa*, contra temere dimittentes Religionem, negant Thomas Sanchez *c. 7. cit. n. 70.* Pellizarius *ubi supra n. 8.* quod sequuntur alij alij viri docti eiusdem Societatis. Fundamentum est, quia Bonifacius VIII. loquitur de Religiosis, qui habent proprium habitum, qualem non habet Societas Iesu, sed vtitur habitu cõmuni accommodato vsui patriæ, in qua degunt eius alumni, vt habetur *p. 6. constit. cap. 2. §. 15.* vnde cum † lex pœnalis non sit extendenda, neque ob identitatem, nec ob maioritatem rationis, sed debeat explicari iuxta verborum proprietatem, quibus exprimitur, eam non extendendo à casu expresso ad nõ expressum, cumque præfata excommunicatio sit lata contra temere dimittentes habitum suæ Religionis, sequitur non extendi ad Religiosos Societatis, vtpote non habentes peculiarem habitum, quod dici possit, suæ Religionis.

Cæterum hæc sententia singularis mihi videtur, & nulla pollens probabilitate practica. Ratio est euidens, † quia licet professi Societatis non habeant habitum regularem, determinatæ formæ, aut materiæ pro omnibus Prouinciis in quas late diffusa est religio, sed vtantur habitu accommodato Religionibus, & Regnis, quas inhabitant, cæterum in qualibet Regione Regno, aut Prouincia habent aliquod signum protestationis suæ vocationis, & status religiosi quem profitentur per quod distinguantur ab aliis Regularibus, & à clericis sæcularibus illius Prouinciæ, aut Regni, quod experientia constat & ipsimet dicunt, neque enim par est vt à clericis sæcularibus in habitu siue aliquali forma, aut materia non discernantur, vt de facto discreti sunt, & cognoscuntur; ergo si hoc signum discretium, quale quale ipsum fuerit aliquis professus Societatis temere, aut omnino occultet, aut dimittat, induens se ac si esset clericus sæcularis illius Religionis, aut Prouinciæ, ita vt omnes ipsum sæcularem agnoscant, dubio procul incidit in præfatam excommunicationem non secus, ac alij religiosi cum ex talis habitus occultatione, aut dimissione adsit occasio libere vagandi non minus ipsis quam aliis.

Tum etiam, † quia licet S. Ignatius non determinauerit specialem formam, aut materiam habitus suorum professorum, sed dicat quod vtantur habitu communi accommodato vsui patriæ in qua degunt, tamen habitus iste communis debet esse accommodatus vsui religioso in illa regione, aut Prouincia, vt fiat habitus religiosus discretus à sæculari,

vt significatius vocationis suæ; quis enim cordatus dicet quod Patres Societatis professi, possint absque excommunicationis incurso lata in præfato, *cap. vagari* dimisso eo habitu quo vtuntur in aliqua Prouincia, & quod alij Regulares eam incurrant, numquid est illis minus periculosa occasio vagandi quam aliis?

6 Tertio, quia vt ipse Pellizarius dicit n. 10. & bene † Professus Societatis temere dimittens habitum mortaliter peccat, quia facit contra ius quasi naturale, & ius generale status Religiosi, vt persistant in sua vocatione & consequenter in habitu suæ vocationis, ergo habent habitum suæ vocationis, ergo hunc dimittentes incurrunt præfatum censuram, hæc vltima consequentia euidens est, quia Pontifex ideo excommunicat temere dimittentes habitum suæ vocationis, & Religionis (hic enim idem sunt habitus vocationis & Religionis,) nec habitu dimisso, sit occasio vagandi & se occultandi ad licentiosius viuendum.

7 Fundamenta etiam opposita futilia sunt, & nullius efficaciam. Neque enim † S. P. Ignatius suos professos nudos habitu religioso reliquit, etsi ad certam formam eos non coarctarit, vnde qui habitu, & veste religiosa sibi à fundatore relicta, qualis qualis illa fuerit se temere spoliaret distincte continetur in lege pœnali lata in *cap. vt periculosa*, & contrarium dicere prorsus caret fundamento nisi quis dicat S. Fundatorem suis filiis reliquisse vestes omnino indistinctas, & non discretas à vestibus clericorum sæcularium, quod nullus adfirmavit, vnde fit

8 quod cum † Patres Theatini in Italia in forma & materia habitus non distinguantur à Patribus Societatis, nisi quod illi portant calligas albas, eas omittere est omittere suum proprium habitum, quare si temerariè eas dimittant incidunt in præfatum excommunicationem.

9 Maius dubium est, † an si scholares Societatis, qui solum emittunt tria vota simplicia post biennium temere dimittant habitum incurrant excommunicationem latam in *cap. vt periculosa citat.* Respondetur, quod non, quia etsi sint ex indulto Apostolico verè Religiosi tamen non sunt verè professi tacite, vel expresse, & Pontifex loquitur de Religiosis *quancumque Religionem tacite vel expresse professis*, quare sine tacita vel expressa professione non incurrunt hæc excommunicatio, nisi sit speciale priuilegium quo comprehendantur, qui vota dumtaxat simplicia emittunt sine professione tacita, vel expressa.

## SVBRESOLVT. XIX.

*Vtrum Religiosi militares hanc excommunicationem incurrant?*

## S V M M A R I V M.

1. Duplex genus Religiosorum ordinum militarium admittitur, & n. 2.
3. An equites militares etsi sint verè persone Ecclesiastica, non sint verè & propriè Religiosi.
4. Equites S. Ioannis verè & propriè sunt Religiosi.
5. Qui equites non sint propriè Religiosi, & num. 6.
7. Qui equites habeant aliam vestem ablatam ex lino intra claustra, & n. 8.

**D**Vbium quintum, de Religiosis ordinum militarium quorum est duplex genus, alterum equitum qui suis propriis domibus habitant, alterum clericorum qui dicuntur Freiles & cõuentualiter viuunt: & quidem de equitibus cum *ex Bulla Sixti V. edita ann. 1588. incipit. cum sacro sanctam Dei Ecclesiam.* sit concessum & declaratum quod possint ordinariè vti vestibus sæcularibus communibus, quibus affixa sit crux in sui statuti forma, & habeant numisma in quo sit eadem crux sculpta, si eam portent excommunicationem huius capituli euidunt, quod nisi crucem vesti affixam, aut numisma eiusdem crucis pendens portent, cum hic sit proprius habitus suæ Religionis sibi designatus, à Pontifice, excommunicationem huius capituli incurrunt, si tacite vel expresse sint professi, ita Manuel Rodriguez *tom. 2. quæst. 76. art. 2.* quem sequitur Pellizarius n. 11. ait enim quod sunt veri Religiosi habentes proprium habitum, quare non est ratio cur eximantur à pœna lata contra Religiosos temere non deferentes habitum suæ Religionis.

Sed ego existimo iuxta dicta *tom. de congrua p. 1. lib. 2. Resolut. ....* quod † equites Militares, etsi sint verè persone Ecclesiasticæ non sunt verè & propriè Religiosi, quod senserunt multi & graues doctores secuti vtrumque Thomam, vnde non incurrunt hanc excommunicationem temere dimittentes habitum suum, quia Bonifac. VIII. loquitur de veris & propriis Religiosis, *tacite vel expresse professis* & equites isti etsi emittant solemnem professionem, qua constituitur persona pertinens ad Ecclesiam militantem, tamen non constituitur verus & proprius Religiosus, excipio equites S. Ioannis, isti enim † verè & propriè Religiosi cum tria vota solemnia absoluta emittant castitatis absolutæ, paupertatis, & obedientiam,

tiæ, quare si crucem albam vesti affixam, aut numisma eiusdem crucis non portent excommunicationem istam incurrunt, ut pote temere dimittentes habitum sibi designatum. Adde quod alij equites, qui iuxta meum utriusque Thomæ placitum, non sunt proprie religiosi; si crucem affixam aut numisma eiusdem temere dimittant & non portent aut omnino occultent, ita ut nullatenus possit dignosci graviter peccant quia non deferunt tesseram & insigne protestationum suæ professionis, vocationis, & designationis ad militiam suam, non secus ac clericus qui temere dimittit habitum clericalem.

6 De altero genere Religiosorum militarium, qui intra claustra inhabitant, à quibus non diuertunt sine licentia habentes clericales vestes, quibus affixa est crux suæ vocationis, nec portant eiusdem numisma quod equitibus solum conceditur, certum est quod si dimittant temere, aut omnino occultent præfatam crucem etiam si sint extra claustra inferuientes beneficio, aut legitime occupati aut de suorum Superiorum licentia ex causa iusta, incurrunt excommunicationem istam, quia crux ista est signum distinctum, & protestatum suæ Religionis & huius proprium habitum, & sic communiter dicitur *habito de Santiago. habito de Alcantara, &c.*

7 Intra claustra tamen habent aliam vestem albam ex lino, quæ dicitur *Tiraldete*, & est propria residentie claustrali, quam vestem siue in choro, siue extra in refectorio portant, sunt enim canonici Regulares, quorum habitum proprium assignant Gauntus in *Manuali Episcoporum verbo canonici Regulares num. 1.* Ioannes Maria Nouario *Lucerna eodem verb.* dicentes sic declarasse Sacram Rituum Congreg. die 28. Augusti 1628. Rochetum quem clerici militares minus amplum ex materia magis rudi, quàm alij canonici Regulares, Lateranenses enim ex bysso tenuissima Rochetum portant ubique, ut notat Tapia in *authentic. ingressi verb. Monasteria cap. 2. n. 5. C. de sacros. Eccles.*

## SVBRESOLVT. XX.

*Utrum clerici militares incurrant, si Rochetum dimittant?*

## S V M M A R I V M.

1. An si clerici militares intra claustra, & in communitate viuentes, si temere dimittant rochetum excommunicationem incurrant, & n. 2.
3. Authoris iudicium, nec Sanchez sententia assertur, & n. 4. & 5.

6. An Rochetus non sit habitus immutabilis.

Sed modo est dubium singulare si an si Clerici militares intra claustra claustraliter & in communitate viuentes si temere dimittant Rochetum *Tiraldete*, excommunicationem hanc incurrant latam contra temere habitum dimittentes? & quidem quod canonici Regulares, qui semper & ubique siue intra siue extra claustra Rochetum album portant tanquam suæ vocationis tesseram, & signum protestatiuum, si illum temere dimittant intra claustra secularibus visendos, præbentes in omnium sententia excommunicationem istam incurrunt, si tamen non se præbeant visendos secularibus communiter, sed solum temere habitum dimittant, etsi aliqui dicant non incurrere hanc excommunicationem, quia si intra claustra maneat non est occasio vagandi, quam sententiam probabilem iudicat Pellizarius *num. 20.* Secutus aliquos quos citat Sanctarellus *de Apostasia cap. 1. num. 18.* sequitur Sayrus *de censuris lib. 3. c. 33. n. 14.* ego vero contra sententiam sentio, quia *cap. vi periculosa* fertur excommunicatio contra temere dimittentes habitum, & etiam si sit intra claustra hæc temeraria habitus dimissio affert potestatem vagandi, quam præcludit Põtifex sub censura, quod bene probat Sanchez *lib. 6. summ. cap. 8. n. 61.* quamuis ego contra ipsum existimem quod Religiosus carcere inclusus, ita ut non habeat proximam occasionem vagandi, & se oculis extraneorum videndum præbendi, etiam si habitum dimittat, & secularem induat ad solatium suæ incarcerationis non incurrere hanc excommunicationem contra temere dimittentes, quia hæc dimissio etsi non vacet culpa, at non ita temeraria est ut mereatur tam grauem pœnam, & afflictio non est addenda tam grauis afflictio, qualem inducit excommunicatio maior, dixi ad solatium aut aliud motiuum releuans à pœnalitate carceris, quia si dimittat in odium religionis, aut in contemptum habitus incurrer absque dubio, etsi non habeat proximam occasionem vagandi, quia stricte in carcere includitur.

Cæterum quamuis hoc verum sit loquendo de dimissione temeraria Rocheti, quem semper & ubique portant canonici Regulares tamen aliter iudico de *Tiraldete* & Rocheto clericorum militarium, existimo enim quod si quis illum dimittat intra claustra non incurrit hanc excommunicationem latam contra temere dimittentes habitum, quamuis si scandalum possit generare, peccet dimittens. Ratio meæ Resolutionis est, quia hic Rochetus non est habitus immu-

tabilis, & infixus ossibus & sic non est signum immutabile suæ vocationis, & Religionis, sed solum residentie claustralis, quare eius dimissio non est de qua loquitur Pontifex & cum sumus in materia odiosa & pœnali, stricte loquendum & interpretandum de habitu, quod semper est ubi portandum saltem quoad colorem, vt diximus de Episcopis regularibus.

### SVBRESOLVT. XXI.

*An sit temeraria habitus dimissio, si habitans extra claustrum licite, illum dimittat, aut occultet?*

#### S V M M A R I V M.

1. *An habitus dimissio sit temeraria si religiosus professus exiens ad seruiendum beneficio, habitum dimittat aut occultet de licentia sui Prælatis, & num. 2.*

**D**Vbium sextum, † an sit temeraria habitus dimissio si Religiosus professus exiens ad seruiendum beneficio aut ad succurrendum parçibus habitum dimittat aut occultet (ita vt cognosci non valeat Religiosus) de licentia sui Prælatis Prouincialis, aut Generalis. Pellizarius *vbi supra num. 39.* affirmat secutus Sanchez *lib. 6. summ. cap. 6. num. 36.* Ratio est quia etiamsi beneficium sit pleno iure subiectum Episcopo, tamen Religiosus non absoluitur, aut eximitur ab obseruantis suæ regulæ, & ab obligationibus quas omnibus Religiosis imponit ius commune, nisi in his, quæ non compatiantur cum exercitio officij beneficij, & sustentatione parentum, cum his autem bene compatitur habitus suæ Religionis portatio, ergo quantum ad hoc eodẽ modo est discurrendum de Religioso manente extra, ac intra claustra etiam de licentia Superioris; cum in vtroque æque currant rationes legis canonicæ, qua manet ligatus regularis Beneficiarius, aut extra claustra degens ad leuamen parentũ (nisi dispensetur à Papa quod fit habitu non retento, etenim finita parentum necessitate, & renuntiato beneficio, tenetur ad Religionem se reducere & ad viuendum intra claustra, nisi adsit Pontificia indulgentia.

### SVBRESOLVT. XXII.

*Vtrum talis Regularis possit habitum occultum portare.*

#### S V M M A R I V M.

1. *An religiosus exiens ad seruiendum beneficio*

*possit de licentia prælatis habitum Religionis suæ occultum portare.*

2. *Variarum DD. opiniones, & numer. 3. & 4. & 5.*

6. *Quid nomine testamenti ab usurario intelligatur.*

7. *An si non subsit causa rationalis vt habitus ad tempus occultus deferatur nequeat superior dare licentiam.*

8. *Authoris iudicium, & n. 9. & 10.*

11. *Quæ non sit temeraria habitus dimissio.*

12. *Quid de missionariis veniat notandum, & num. 13.*

14. *An si aliquis Religiosus professus habita licentia à suo Prælato ad eundi Indiam vel aliõ si habitum dimittit, incurrat excommunicationem.*

**D**Vbium septimum est an iste de quo in immediata subresolutione sumus locuti possit de licentia sui prælatis habitum suæ Religionis occultum portare ita vt, etsi interius habitum portet exterius tamen à nullo iudicetur Religiosus; de hoc dubio nullum vidi in terminis terminantibus disputantem, duo solum asserunt Doctores. Primum, quod solus Papa potest dispensare in *cap. vt periculosa cit.* Secundum, quod est dubium inter ipsos an Religiosus, qui retinens proprium habitum interius, occultat ita vt à nullo possit Religiosus iudicari, incurrat præfatam excommunicationem latam contra dimittentes habitum, quidam dicunt quod non incurrit, quia non est idem occultare habitum & illud temere dimittere & lex pœnalis in toto verborum rigore est accipienda, ita probabile iudicant † Sayrus *lib. 3. de cens. cap. 33. n. 9. & 10.* Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 1. cap. 5. num. 12.* alij probabilius dicunt incurrere. Ita Domin. Caiet. in *summ. verbo excommunicatio cap. 61. vbi rem egregie sic perstringit. Si absconditus portetur habitus varia est DD. opinio, mihi tamen videtur consideranda qualitas occultationis & distinguendum inter habitum sic occultatum vt reputetur communiter à conseruatiuis cum eo, 3 qui cum aliter non nouerunt, non religiosus, & sic incurret hunc canonem, quia licet non dimittat materialiter vestem, quæ est habitus, dimittit tamen formaliter habitum suæ Religionis, quia dimittit ipsum vt habitum quo discerni possit vt Religiosus talis Religionis, & confirmatur hoc ex textu; tum quia occultatus omnino habitus non subtrahit materiam vagandi ex quo sic incedit superius vt non Religiosus, & infra num. 3. vel habitum sic occultatum vt tamen à conuersantibus quamuis non ab omnibus prætereuntibus videatur, quod Religiosus sit talis Religionis, & sic non incurrit hunc canonem 4 quia nec materialiter nec formaliter suæ Religionis habitum dimittit ex toto, quamuis secundum*

*dum quid aliquantulum dimittere dici potest.*

5 Quæ Caiet. doctrina vera est & conformis textui *cap. ut periculosa*, cuius medulla est, quod quis non dimittat habitum ut vitetur occasio vagandi, ac si non esset Religiosus, quæ non vitatur si quis exterius Religiosus non appareat siue dimittatur habitus, siue occultetur, & quamvis textus solum exprimat habitus dimissionem, intelligitur de dimissione externa, quæ videtur, & qua quis externe iudicatur à videntibus religiosus talis religionis, arg. *ex cap. quam de usuris in 6.* ubi † nomine testamenti facti ab usurario intelligitur codicillus, & donatio causa mortis, ut certa sententia docet, quia in his currit, adæquate ratio motiva legis, quæ facile eludi possit nisi ad ea etiam extenderetur.

7 Ex quibus liquet dubij propositi decisio, nam † si non subsit causa rationabilis ut habitus ad tempus occultus deferatur, nequit Superior regularis licentiam præstare suo subdito ad habitum occultandum, quia ius commune contrarium ut vidimus, decernit, dixi ad tempus, quia per totam vitam nullus nisi Papa potest id concedere, sicut solus ipse potest dare licentiam, quod, quis sit extra claustra ob beneficium, aut parentum sustentationem habitu non retento, ita ut non iudicetur à videntibus religiosus.

8 Quod si quis retento interiori habitu religionis suæ, alterius religionis externum habitum induat, mihi † videtur non incurere excommunicationem huius canonis, quia omnino non dimittit habitum religionis suæ cum interiori illum conferuet, & alias religiosus iudicatur à videntibus, & prætereuntibus, & sic vitatur occasio vagandi, cum non euadat manus iudicis, qui videns ipsum religiosum, etsi probe non esse professum illius religionis, cuius habitum externum defert, tamen ex habitu interno quem videbit ad suum proprium ordinem tenetur remittere, non solum quod deponat habitum assumptum. Dominus autem Caiet. loquitur quando assumpto habitu alterius religionis, suæ habitum etiam interiori dimittit.

10 Dixi † nisi subsit causa rationabilis, ut si quis fiat missionarius ad Turcas, Synas, Iaponios, aliosve infideles inter quos tuto nisi dimisso habitu Christianorum, nedum religioso seminatio Euangelij, tuto fieri nequit, tunc eo ipso quod missionarius fiat à Sacra Congreg. de propaganda fide (quæ sibi reseruat ad huiusmodi infideles mittere operarios in Euangelicam messem) potest mutare habitum, & religiosum dimittere suæ religionis, & alium alterius ordinis non ita inuisi illis gentibus assumere, absque inuisione huius canonis, quia † non est temera-

raria habitus dimissio, sed potius prudens executi Pontificis voluntate, quod etiam licebit, si quis vadat ad hæreticos de licentia sui Superioris, & eos reducat ad ouile Petri & Ecclesiam Catholicam Romanam. Adde primū id quod velim notatum à missionariis, † quod si sine notabili incommodo, aut persecutionis periculo interiori occultum habitum religionis quam sunt professi portent, est enim caracteristica proprietatis, qua signatus est ex vi professionis solemnem, quam à se reuicere irreligiosum est, cum caracteristicus habitus sit memoriale præsens obligationis suæ regulæ, Portatio enim habitus suæ religionis eo modo quo non sit impeditium maioris boni fundatur in natura professionis solemnem huius religionis, prout distinctæ ab alia, quare professio huius Religionis semper exigit portare habitum sibi proprium publicum, vel occultum prout ratio & occurrentia exposcit.

14 Adde secundum, quod si aliquis religiosus professus habita licentia à suo Prælate adeūdi ad Indiam vel aliò si habitum dimittat, temere dimittit & incurrit excommunicationem *cap. ut periculosa*, quia licet non vagetur cum de licentia sui prælati non resideat in claustro, sed recto tramite adit quo ire est licentiatus, tamen eo ipso quod temere habitum dimittit ita ut religiosus à circumstantibus & prætereuntibus extra suū conuentum degens non iudicetur, est temerarius habitus desertor, & ex vi huius desertionis materiam proximam vagandi & non residendi assumit, & sic reus est huius canonis, qui præcipit residentiam & clausuram regularem ratione habitus religiosi, ratione cuius residere in sua religione tenetur.



## RESOLVT. VII.

*Vtrum solemniter professus possit reclamare ut non resideat in Religione?*

### S V M M A R I V M.

1. An qui inualidè est professus solemniter in aliqua religione possit dum reclamare de nullitate professionis à monasterio discedere, & num. 2. & 3.
4. Ratio difficultatis affertur. & n. 5.
6. An Prælati Regularis possit dimittere reum quem scit nulliter professum.
7. An non teneatur superior fidem dare dicenti fide professionem emississe, & n. 8. & 9.

10. *Authoris mens adfertur, & n. 11. & 12. & n. 17.*
13. *An liceat superior fide professum dimittere & num. 14.*
15. *An Superior dimittens dicentem se nulliter esse professum, procedat tanquam iudex, & n. 16.*
17. *Qua reuelationes à Pontifice sint approbande tanquam suspecta, & numero 18. & 19.*
20. *An si Religiosus anceps an professione vere vel fide emisit, Superior possit illum occultè dimittere.*
21. *An item possit religiosus dubius de professione vera vel ficta fugere, & numero 22. & 23.*
24. *Quaecumque actio exterior deliberata secundum naturam suam assert agendi intentionem, ex Dom. de Soto, & n. 25. & 26.*
27. *Sanchez opinio admittitur, & n. 34.*
28. *An religiosus sciens professionem esse nullam possit fugere.*
29. *D. Caietani sensus adducitur, & num. 30. 31. & 32.*
33. *An data sententia ab Ecclesia quod quis est professus & cogitur in religione residere, nequeat tuta conscientia aufugere.*
35. *Quid veniat colligendum ex doctrina tradita, & n. 36.*
37. *Gibellini exemplum affertur.*
38. *Quid bonum commune exigat.*
39. *An teneatur religiosus nulliter professus obedire iudici precipienti ut redeat.*

**S**ENSUS est an † qui inualide est professus solemniter in aliqua religione, possit dum reclamare de nullitate professionis à monasterio discedere, & habitum suae religionis dimittere, hoc dubium multipliciter potest intelligi & est valde necessarium ad praxim, primò, si quis sciat certo se non esse religiosum, quia non habuit voluntatem profitendi. Secundò, quia habuit sed coactam timore cadente in constantem virum. Tertiò, multis aliis modis potest esse inualida professio, vel absolute, vel in aliqua religione ob speciale statutum irritans si non habeat tale vel tale requisitum quod statutum sit confirmatum à Sede Apostolica absolute, tamen est nulla professio, ex defectu integri nouitiatus legitimæ ætatis, legitimi sexus, legitimi Prælati admittentis professionem & aliis modis. Quartò, aut potest id probare testibus aut protestatione prius facta aut non potest. Quintò, aut reclamare, ante quinquennium & ante ipsum habitum remittit, & fugam arripit, aut transacto quinquennio.

<sup>2</sup> In hoc grauissimo dubio, duo sunt certa & indubitata inter omnes scribentes, & Catholicos DD. Primum, quoad forum

poli & conscientiae. Secundum, quoad forum fori & iudicij externi. Igitur si quis certo sciat & euidenter agnoscat suam professionem in rei veritate nullam esse ex defectu alicuius requisiti essentialiter, siue ob aliquod impedimentum irritans, ex speciali statuto suae religionis confirmato à Sede Apostolica idque non possit probare, vel ob infamiam quae toti familiae, & agnationi suae superueniat, ut si sit ex sanguine infecto oriundus, non expediat, imo peccet id probando, iste talis certus de nullitate suae professionis & impotens eam in iudicio probare, potest tuta conscientia secluso scandalo habitum dimittere, & à religione aufugere, etsi alicubi securus sit quod non capiatur à Religione, poterit in aliam proficisci, vel in saeculo manere ordine sacro insigniri & valide matrimonium contrahere, tuerique se vi, & vi armata se defendendo non capiatur à sua religione quae praesumit esse vere professum, si secludamus scandalum aut sententiam Ecclesiae. Ratio est perspicua, quia cum iste non sit vere professus nullis votis solemnibus adstrictus liber est ab omni iugo religionis, quare licite se defendit, quia tuetur suam libertatem, quamuis Religio secundum allegata & probata ius etiam habeat illum capiendi, & sic per accidens datur bellum iustum ex vtraque parte, quia religio tuetur ius quod rationabiliter praesumit habere & professus libertatem suam, quam re ipsa scit habere, non secus ac seruus qui sine titulo bona fide possidetur à Domino potest fugere ut libertatem, si coram iudice nequit eam consequi, similiter, & qui matrimonium in facie Ecclesiae contraxit, sed sine consensu requisito potest uxorem relinquere, & alibi alium sibi conuenientem statum adsumere, legendi sunt de hoc puncto Layman. lib. 4. tract. 5. cap. 5. num. 7. & 8. Suarez tom. 4. de Relig. tract. 7. lib. 7. cap. 3. à num. 2. Sanchez lib. 7. de Matrimon. 5 disp. 37. à n. 3. Gibelinus de clausura disquisit. 2. cap. 2. à num. 54. secuti Nauar. tom. 4. de regular. num. 77. idem docent Azor. p. 1. l. 12. cap. 4. quest. ultim. Lessius lib. 2. de instit. cap. 41. num. 63. Villalobos 2. p. summ. tract. 35. diff. 25. num. 7. & 8. Portel. in dubiis verb. professionis nulla reclamatio num. 44. Spino in speculo testam gloss. 12. à num. 62. Beja lib. 4. Responsio casu. 18. Rodriguez tom. 3. quest. 17. art. 15. 16. & 17. & multi alij quos citat Barbosa in remiss. ad sess. 25. Trid. cap. 19. de Regular.

Addit Pellizarius † in suo Manuali tracta-  
tu 3. cap. 5. sect. 2. num. 54. Quod † Prælati  
Regularis potest occulte dimittere eum quæ  
scit nulliter professum fuisse & non ratifi-  
casse, non secus ac Soto lib. 5. de instit. q. 4.  
art. 2. dicit quod iudex conscius de innocen-  
tia

tia eius, qui secundum allegata & probata potest ei occulte facere copiam fugiendi à carcere, ut fugiat, quia si superior scit talem nulliter professum nulli facit iniuriam, si occulte dimittat, habitu regulari deposito, cuius depositio in hoc casu temeraria non est, sed conformis iuri, quo possidet libertatem, nec adstrictus est ad residendum in claustris cum non ligetur obedientiæ voto. Ita etiam Thomas Sanchez *vbi supra* *7 num. 13.* addens *num. 14.* quod † non tenetur superior fidem dare dicenti fecte professionem emisisse, quia non est maior ratio cur potius tunc credendum sit ei, quam antea dum se promittere simulabat, quod verum est etiam si iuret se fecte professionem emisisse ut bene D. Caiet. 2. 2. *quest. 88. art. 1. ante finem*, vbi Aragon. *fol. mihi 96. §. conc. 1.* Valentia. *disp. 6. quest. 6. punct. 1. §. ad probationem*, unde etiam non tenetur superior credere dicenti se intra quinquennium non ratificasse professionem suam unde concludit Sanchez id quidem pro foro externo in vtroque casu est verissimum, & regulariter loquendo, idem est secundum non liceat superiori hunc in foro conscientiæ dimittere. *At si reuera attentis circumstantiis prudentissimus quisque, morali certitudine conuinceret illum veritatem asserere, dicendo se fecte professum, aut non ratificasse professionem, posset utique superior illi credere, ac dicto remedio uti eiciendo illum clam cessante omni scandalo, quia in his rebus metaphysica certitudo est impossibilis.* Hæc ille.

10 Sed ego † hanc additionem sale condendam esse iudico, maxime quando agitur de regressu à statu religioso ad statum sæcularem omnino liberum in quo & matrimonio iungi quis potest, quamuis enim dum quis certo scit libere non consensisse, aut ætatem requisitam à iure non habuisse, aut habere aliquod impedimentum irritans, & sic certo & indubitabiliter professionem esse nullam ante quinquennium possit auferre, & alibi sæculare vitam agere & statutum matrimonij assumere, ut dicebam cum communi & certa sententia. At superior nequit tuta conscientia illum, qui fecte adseuerat, se professionem emisisse, & sic non esse professum illum eicere, aut licite licentiam dare, ut habitum dimittat, & sæcularem agat vitam possitque statum quem maluerit eligere, quantumuis superior immediatus prudentissimus sit, & expertissimus (imo existimo quod nec Papa id præstare quit) Ratio est manifesta, quia licet dum præcedit protestatio coram testibus, superiori constare possit talem non habuisse consensum, aut ex alio capite sibi certo constat habere impedimentum irritans, ut quia defectum puritatis sanguinis requisiti ex statuto con-

firmato à Papa; at quum nihil horum adest sed solum attestatio etiam cum iuramento & quibuscunque aliis probantibus, non adfuisse consensum in professione neque illum professionem aliquando fecisse, aut ratificasse, dubio procul nequit superior illum occulte dimittere, tanquam liberum ab obligatione votorum, quamuis re ipsa liber sit, quia id sibi certo moraliter non constat (sicut potest constare iudici quod accusatus de homicidio & secundum allegata est probatus reus, sit re ipsa innocens, quia potest euidenter scire esse innocentem, vel quia dum factum est homicidium iudex vidit occisorem esse alium, vel quia secum erat qui probatus est reus) cum sit actus mere internus, & tenetur superior præsumere consensisse nisi exterius probetur contrarium, aut euidenter constet non consensisse ex circumstantiis quod implicat ita certo moraliter constare, quod † liceat superiori taliter professum liberum dimittere, cum teneatur in sua gubernatione tueri iura religionis, dū sibi euidenter non constat ea iura re ipsa non habere Religionem, alias si huic dicenti fecte professionem emisisse dummodo id non probet testibus aut scriptura authentica, & protestatione licitum est fidem adhibere ostiū valde perniciosum aperitur ut multi dicant fecte professionem emisisse, & sic multis adhibitis circumstantiis, quas Dæmon suggeret, & adducet in probationem, quod non consensit, quod utique dicere omnis prudens formidabit, cum multa sequantur inconuenientia contra bonos mores & praxim Ecclesiæ, quam nobis sancte propinarunt sacri canones & Conclia.

15 Urgetur quia † Superior iste dimittens hunc qui nulliter se professionem emisisse dicit, aut procedit tanquam iudex, & hoc esse nequit, quia non habet iuridicas probationes, sed solum scientiam particularem & iudex procedit secundum allegata & probata, aut procedit tanquam particularis persona, & neque hoc affirmare quit, quia si bi nequit certo moraliter constare fecte istū professionem emisisse, aut eam non ratificasse, imo semper præsumitur maxime post quinquennium ratificasse, tum etiam sibi certo moraliter constat professionem emisisse ex prolatione verborum, & scriptura publica, ex qua certum acquisiuit ius religio quæ possessionem habet talis religiosi quare nisi sibi certo moraliter constet præsumptionem esse falsam, nequit religionem expoliare sua possessione, & iure, quia nulla certitudo moralis potest esse tanta quæ magis præponderet, quam certa & euidentis possessio, quam ex vi professionis externæ habet religio.

17 Quam doctrinam adeo veram existimo

& vt talem practicandam ad occlusionem  
 huius ostij perniciosi religiosus vtriusque  
 sexus, quod etiam si religiosus adserat se  
 reuelationem habuisse, quod professio sua  
 nulla fuit, aut similiter Superior, etiam si  
 Sanctissimus sit, & virtutis insignis simili-  
 ter adserueret similem reuelationem habuisse  
 18 se, tales reuelationes nisi à Pontifice † ap-  
 probentur tanquam suspectas & dæmonia-  
 cas esse reiiciendas, reprobandas, explo-  
 dendas, non secus ac si dicat se habuisse re-  
 uelationes quod Deus sibi dispensat quod  
 matrimonium contrahat non obstante voto  
 solenni castitatis vt iam olim contra quos-  
 dam sanctum & determinatum est à sancto  
 Officio; si enim reuelatio ista semper præ-  
 sumitur diabolica & illi nitens, nullus solem-  
 niter professus potest matrimonium inire  
 nec superior potest ad hoc ipsum dimittere  
 quamuis similis reuelatio illi facta sit vt det  
 præfatam licentiam, quamuis talis reuelatio  
 talibus circumstantiis vestiatur à dæmone  
 transfigurato in Angelum lucis, quod videat-  
 ur moraliter certa diuina, quia semper ha-  
 bet imbibitum venenum quod sit contra le-  
 gem vniuersalem Ecclesiæ, & sic tali reue-  
 lationi vt suspectæ est renitendum, ita re-  
 uelationi factæ quod iste non sit professus,  
 19 quod si reuelationi factæ de nullitate profes-  
 sionis non est præbendus assensus, quam-  
 uis taliter sit facta, quod moraliter certa vi-  
 deatur nisi à supremo Magistro Ecclesiæ ap-  
 probetur, nec illi nitens potest superior di-  
 mittere liberum Religiosum, multo minus  
 potest esse illi moraliter certum, quod talis  
 religiosus, fide promissionem emisit, aut quod  
 eam non ratificauerit ablata fictione, & sic  
 nullo modo potest occulte ipsum liberum  
 dimittere, sic respondi consultus ab Emi-  
 nentissimo Dard. D. Domino meo Pimentel.  
 ann. 1641. in casu de quadam moniali,  
 & placuit multis viris doctis & piis, totum  
 hoc confirmatur egregia doctrina D. Caiet.  
 2. 2. quæst. 88. art. 1. §. scito secundo vers. in ter-  
 tio autem modo, quam infra adducam.

20 Addo ego quod † si religiosus anceps &  
 dubius est pro vtraque parte an vere vel  
 fide professionem emisit, nec superior  
 potest ipsum occulte dimittere liberum, quia  
 vt bene Sanchez num. 13. in fine, iniuriosus  
 esset religioni spolians eam in dubio posses-  
 sione sua quia iuxta regulam iuris in dubiis  
 melior est conditio possidentis, & in hoc dubio  
 religio bona fide ab initio possidet, quare  
 in possessorio semper stat ius pro ipsa à quò  
 21 eam denudare iniustum est, sed † an re-  
 ligiosus ipse qui dubius & anceps est an fide  
 professionem emisit, possit fugam cape-  
 re, & liberum se iudicare à votis solemnibus,  
 & sic à residentia in Religione, non  
 tractant in speciali authores, & ratio dubij

est quia communis sententia asserit dubius  
 an emisit votum de recitando officium B.  
 V. aut ieiunandi feria sexta, non ligatur vo- 22  
 to, quia melior est conditio possidentis suã  
 libertatem, ergo qui dubius est an habuerit  
 intentionem ad vouendum tria vota solem-  
 nia liber erit ab eorum nexibus, & sic vt li-  
 ber poterit aufugere, & alium statum sibi  
 conuenientem adsumere.

Sed hoc non obstante mihi certissimum, 23  
 quod † dubius an fide promissionem emi-  
 serit à religione fugere & libere adsumere  
 alium statum nisi expresse dū vouit & pro-  
 fessionem emisit habuerit voluntatem non  
 vouendi aut promittendi interius quod ex-  
 terius profitetur. Ita Dominicus de Soto l. 8.  
 de iustit. & iur. quæst. 1. art. 7. §. contra hac duo.  
 cuius rationem egregiam reddit his verbis,  
 quia † quæcumque actio exterior deliberata secū 24  
 natura sua affert agendi intentionem, & ideo  
 nisi per formalem negationem mentis excluda-  
 tur semper intelligitur vna concurrere cum actio-  
 ne. Intentio vouendi semper in externa profes-  
 sione includitur dummodo & aduertenter fiat,  
 & qui vouit non illam peculiariter & expresse  
 mente remoueat. Hæc ille. Ergo dubius an ha-  
 buerit intentionem profitendi vere profes- 25  
 sus est ex vi professionis externæ, cui ex na-  
 tura rei est connexa intentio vouendi, qua-  
 re si sibi non constat hanc intentionem ex-  
 presse reuocasse semper ista censenda est in-  
 terfuisse, & quidem si dubium circa inten-  
 tionem profitendi sufficeret vt quis possideret  
 suam libertatem, & in foro interno non esse  
 professus mille absurda sequerentur & scan-  
 dala, neque enim propter hoc dubium reli-  
 gio quæ possidet etiam occulte spoliari po-  
 test, sicut nec coniux dubitans an habuerit 26  
 voluntatem contrahendi cum alio potest ip-  
 sum deserere, & aleri coniungi, aut religio-  
 nem profiteri, sed tenentur deponere dubium,  
 & stare contractui inito, & qui dubitat an  
 res quam alius possidet sit sua, nequit occul-  
 te eam rapere aut vti occulta recompen-  
 satione. Legendus est † omnino Sanchez l. 7. 27  
 de Matrim. disp. 37. num. 12. & quidem si du-  
 bium hoc sufficeret vt quis liberaretur ab  
 statu religiosi & matrimonij quotidie matri-  
 monia dissoluerentur, Sacerdotes fierent lai-  
 ci, & contractus omnes in conscientia re-  
 scindi possent, & breuiter vniuersa non  
 solum Ecclesiastica, sed humana conuersatio  
 destrueretur vt alicubi ad simile propo-  
 situm dicit D. Caiet. quare non est par ra-  
 tio de illo qui est dubius an emisit votum  
 interius, iste enim possidet libertatem, quia  
 nullam actionem fecit ex qua ex natura rei  
 esset obligatus, ad seruandum votum, &  
 possidet libertatem, & exemptus est à voti  
 obligatione, quia dubius est de illa.

Dixi superius quod † ille qui certo scit suã 28  
 professionem



professionem esse nullam posse si aliter nequit probare nullitatem fugere & fungi sua libertate, quia in rei veritate nullam habet in foro animæ obligationem nisi interueniat, aut scandalum, aut sententia Ecclesiæ, quia si hæc intersint etsi non teneatur quis perseuerare ratione voti, quia hoc nullum est, tenetur tamen aliis titulis. Hæc est, sententia Dom. Caiet. 2. 2. *quæst. 88. artic. 1. §. scito.* † vbi eam egregie his verbis confirmat. *versic. in tertio autem modo. Cum quis profitetur, aut vouet sola voce sine animo promittendi ratio & vinculum voti secundum veritatem non inuenitur, unde non est ibi votum, sed voti fictio. Quia tamen homo videt que foris sunt, & secundum ea que foris aguntur Ecclesiæ iudicium est, & debet esse coram Ecclesia, est ibi votum, sicut cum aliquis suscipit ordinem Sacerdotij ab Episcopo secundum Ecclesiæ ritum, quamuis suscipiens non intendat suscipere, sed simulare se suscipere apud Ecclesiam est sacerdos & habendus & tractandus, ut sacerdos, licet in veritate non sit sacerdos. Unde Ecclesia cogit omnes huiusmodi ad reddendum vota sua que distinxerunt labia sua. Et licet sic vouens non teneatur ad obseruandum promissum ratione voti, tenetur tamen ratione Ecclesiæ & scandali, Ecclesiæ quidem, quia fraus & dolus nulli debet patrocinari in in præiudicium vnus personæ multo minus in præiudicium Ecclesiæ. Constat autem, quod*

31 *si quis promittit alicui coram testibus vtile aliquid, quod siue habuerit animum promittendi, siue non cogitur à iudice humano obseruare. Si quis igitur profitetur ministris Ecclesiæ, aut vouet coram aliis, siue habuerit animum, siue non cogendus est implere, quod dixit: alioquin nullus posset cogi ad seruanda promissa, quia semper ignoramus animum promittentis, etsi ipsi non credendum est quum promisit, quomodo ei credendum erit dicendo se non verè promississe, quare tunc magis mendax quam nunc? & ex his patet, quod non est credendum ab Ecclesia iuranti, se non esse professum animo profitendi, nisi ostendat sufficientia indicia, violentiæ,*

32 *aut huiusmodi, sicut non est credendum alteri coniugum iuranti, quod non animo coniugij, coniugium subiit. Hactenus ibi, & plura alia egregie quæ subdit.*

Ex qua doctrina Eminentissima, & quæ nucleum veritatis aperuit, colligitur primò, quod data sententia ab Ecclesia, quod

33 † quis est professus & cogitur in religione residere nequit tuta conscientia aufugere & habitum dimittere, aliumve statum adsumere, sed tenetur residere in claustris & Religione, & ad hoc cogi debet, nec Superior potest ipsum occulte liberum di-

Tom. II.

mittere, quia sententia iusta est, & quilibet tenetur in conscientia iustæ sententiæ parere, maxime quando ex eius obedientiæ executione non sequitur peccatum. ( Legatur Sanchez † *lib. 7. de Matrimon. 34 disput. 100.* vbi de sententia nullitatis matrimonij carnalis, à quo valet argumentum ad spirituale per professionem solemnem) etiamsi fundetur in præsumptione, donec probationibus positis in contrarium, sententia euanescat, quia sic petit bonum commune ad vitanda inconuenientia, vnde si Religiosus professus fictè, aut sacerdos fictè suscipiens sacerdotium in foro externo probatus est sacerdos, aut Religiosus etsi matrimonium ducat tanquam suspectus in fide puniendus est, iuxta Pontificum decreta, nec potest allegare, quod fictè professus est, aut sacerdotium suscepit.

Colligitur secundò, † quod si iste qui 35 fictè professus est aufugiens interminata excommunicatione à iudice competenti, vt compareat ad reddendum facti sui rationem, & vt in religione resideat, quouisque constet iuridice nullitas suæ professionis, & ligatur censura, & tenetur sub mortali obedire iudici, est contra Gibellinum, *vbi supra numer. 58. & 59.* Ratio est perspicua, quia licet ante præceptum liber sit huiusmodi nulliter professus, nec 36 teneatur ad Religionem redire, quia securus, quod professio irrita est, tamen cum alter contrahentium, scilicet religio iuste possideat, & bona fide iuste in fauorem illius præcipit iudex, quod præceptum non fundatur proxime in præsumptione, vt falsò putat Gibellinus, sed in possessione bonæ fidei, quam habet religio, quæ spoliari non debet iure possessorio suo, sed illi restitui debet religiosus, qui attentate aufugit, vnde præceptum, vt seipsum restituat, iustissimum est, & sic illi obedire tenetur, sicut † in exemplo, 37 quod adducit Gibellinus, si ego rem meam, quam alius bona fide possedit ab eo accipiam iste alius à iudice allegans possessionem bonæ fidei, petat rei possessæ restitutionem sibi faciendam, & iudex præcipiat restitui, ego teneor sub mortali iudici obedire, & rem meam possessori bonæ fidei reddere, etsi interminetur excommunicatio illa ligor non solum in foro externo, sed interno, quia non obedio præcepto iusto, quod proxime fit de restitutione in possessionem, quæ re ipsa est bona fide concepta; hoc enim † exigit bonum 38 commune, & pax publica tam Ecclesiastica, quam civilis, iuxta quam iure ipso diuino & naturali melior est conditio possiden

h

possidentis, quæ semper est ponenda, maxime, quum non fouetur peccatum, quod si non possum probare rem esse meam etsi possum occulta compensatione vti quanti valet res, tamen teneor rem possessori restituere, quia iustum est præceptum & sententia de restitutione, nec possum illi in conscientia non parere, & sic

38 † tenetur religiosus nulliter professus obedire iudici præcipienti, vt redeat, nec absolui potest si non redeat, sicut si non restituat rem suam ab altero bona fide possessam si iudex id præcipiat, quamuis Religiosus iste non teneatur obedire Superiori præcipienti, vt redeat, quia votum obedientiæ reipsa non est, sicut si habeat causas nullitatis, quas facile probare potest, non tenetur obedire Superiori suo, præcipienti, vt adueniat, & eas in iudicio producat, bene tamen si ad petitionem Religionis, id iudex præcipiat.



## RESOLVT. VIII.

*Quinquennium à Tridentino concessum post professionem ad reclamandum de nullitate enodatur.*

### S V M M A R I V M.

- I. Concilij Tridentini decretum, de quinquennio concessio ad reclamandum post professionem de nullitate, & numero 2. necnon Concilij Rhemensis, & numero 3.

**I** **ERTVM** est, apud DD. † quoad forum fori & externum, id quod determinauit Trident. *sess. 25. cap. 19. de Regular.* vbi sic decernitur. *Quicumque Regularis pretendat se per vim & metum ingressum esse Religionem, aut etiam dicat ante aetatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velitque habitum dimittere, quacunque de causa, aut etiam cum habitu discedere, sine licentia Superiorum, non audiatur nisi intra quinquennium tantum à die professionis, & tunc non aliter nisi causas quas pretenderit deduxerit coram Superiore & Ordinario. Quod si antea habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandum quamcumque causam admittatur, sed ad monasterium redire cogatur, & tanquam Apostata puniatur, interim vero nullo priuilegio suæ Religionis inuetur. Hactenus sacrum Concilium.*

Decretum hoc sanctissimum, & utilissimum & bonum commune totius religiosi status, illius qui quietam & pacificam gubernationem respiciens ab omnibus Catholicis iudicatur, vt pote à Patribus in Spiritu Sancto legitime congregatis digestum, & perfectum illud enucleant & variis obseruationibus exornant ferè omnes Doctores, qui de statu Religiosi vtriusque sexus, varios edidere tractatus, ego vero illud extricabo variis adnotationibus partim ex ipsis, partim iuxta nostra principia moralia deductis, maiore breuitate qua potuero, & res grauissima & valde necessaria ad cogendos nunc Regulares, vt in suis Religionibus quas semel verbis deliberatis, coram hominibus, & Angelis elegerunt, resideant, & claustraliter viuant, ne sub præfensa professionis fictione, vagi sint, & regularem rigorem fugiant, & euagandi licentiam sibi assumant, vt † ait

3 Concilium Remense (sub Carolo Magno Vulfano Archiepiscopo Præsidente anno 813.) *cap. 25. Monachi pleniter consilium habeant, qualiter Deo militare animasque eorum melius valeant custodire, ne occasionem querant vagandi & inter ipsos propter hoc locus tentandi detur Diabolo, & Concilium Maldense cap. 57. strictissime iubet Monachis in claustris residentiam, quam confirmauit Trident. sess. 25. cap. 4. de Regularib.* quam vt fugiant varia moluntur machinamenta, & eo deuenit, vt fingant se finxisse professionem suam, vt licentiam vagandi & alium statum assumendi nanciscantur, quam sanctissime & utilissime hoc decreto præstringit Tridentinum maximo cum emolumento animarum, & Religionum pacifico regimine.

## SVBRESOLVT. I.

*De conditionibus requisitis à Tridentino ad reclamandum.*

### S V M M A R I V M.

1. Concilium Tridentinum tres condiciones posuit vt quis religiosus professus solemniter, sine professione expressa siue tacita possit reclamare, etiam intra quinquennium, & numero tertio & quarto.
2. Quæ habitus dimissio non sit temeraria.
5. An iniudicatus debeat manere religiosus nullitatem suæ Professionis intendens probare, & num. 6.
7. Si Religiosus intra quinquennium habitum dimiserit,

*dimiserit, nullatenus ad allegandum quacumque ex causa admittatur, sed ad monasterium redire cogatur, & tanquam apostata puniatur, ex Conc. Trid. & numer. 8. & 9.*

10. *Quæ leges non fundentur in præsumptione, sed sint dispositivæ obligantes in conscientia post sententiam iudicis.*

1. **I**gitur noto primum † Concilium tres conditiones posuisse, ut quis Religiosus professus solemniter siue professione expressa, siue tacita (neque enim tacitam exclusit Sancta Synodus si fiat post annum notitatus & impleto anno decimo sexto, ut est certa sententia, & notat Sanchez infra adducendus) possit reclamare, etiam intra quinquennium. Prima, ne ante reclamationem habitum dimittat, aut deponat, quam conditionem ego ut iacet intelligo, ut dum causas nullitatis inducit coram Ordinario, aut alio Superiore nullo modo audiat nisi habitu retento, quod si ante causarum iuridicam inductionem coram iudice competente, quem si adire nequit nisi habitum dimittat, ad se occultandum, & itinerandum, ut compareat, quod impedit Superior immediatus, potest habitum dimittere, quia † hæc habitus dimissio non est temeraria quam solum excludit Concilium, cum iste utatur iure suo, cæterum in huius prosecutione coram Ordinario necessario debet habitum reassumere, at aliter non est audiendus, quia Monasterio restituendus est, & non restituitur nisi habitu reassumpto.
3. Secunda conditio est, † ut causas nullitatis inducat in Tribunali Ordinarij in quo simul debet esse Superior religiosi, & uterque tanquam iudex, ita ut vnus sine alio nequeat sententiam ferre, quia utrique delegata est causa à Concilio, imo primo loco nominat Superiorem quam Ordinarium utpote cum sit exempta ab Ordinario & adhuc subiecta suo Prælato regulari, atque ita necessaria horum coniunctio, quod si vnus repugnet & nolit assistere iudicio sententia non valet, ita habetur, *cap. cum sam. cap. prudentiam. §. adicimus de offic. deleg.* quod si ab utroque simul inceptum est iudicium de nullitate & aliter irrationabiliter nequeat interesse, potest vnus sententiam ferre ne iudicium irritum sit cum damno partis, *cap. 7. de iudiciis, leg. ubi acceptum est, ff. de iudiciis,* & decisum esse à Sacra Congregatione Concilij tenet ex Amandariz Bordonus *Resolut. 27.* quod si vnus istorum etiam iuridice citatus nolit assistere inceptio iudicij de nullitate quid
5. faciendum, neque enim † iniudicatus de-

bet manere Religiosus nullitatem suæ professionis probare intendens, existimo, quod ille qui nolit potest subdelegare alteri, quia est delegatio facta à Principe, quæ admittit subdelegationem, ut tenet communis sententia viriusque Iuris peritorum, quod si nolit subdelegare & absque fundamento resistat assistere iudicio, & puniendus est & arguendus & vnus solus potest. Ita Barbosa *ad cap. prudentiam. §. adicimus. 10.* ex multis quos citat in principio textus, quod si discordent, causa deferenda est ad Superiorem illorum.

Tertia conditio requisita à Tridentino, ut reclamatio fiat intra spatium quinquennij à die professionis, & addit Concilium, quod † *etiam intra quinquennium si habitum dimiserit nullatenus ad allegandum, quacumque ex causa admittatur, sed ad monasterium redire cogatur & tanquam Apostata puniatur,* quæ conditio duas habet limitationes. Primam, quod hæc habitus dimissio sit temeraria, & absque iure & ratione facta, hæc enim talem pœnam meretur, sed secundam limitationem magis enucleat primam, quod quamvis temeraria habitus dimissio mereatur Apostatæ pœnam, cæterum ex æquo & bono non meretur, quod non audiat habitu reassumpto, quia crudele est, & inhumanum propter habitus temerariam dimissionem aliquem priuare iure, quod habet, ad reclamandum, quamvis enim id possit Ecclesia statuere, tamen si id non exprimit, non statuit, maxime, quia Concilium ita rigide loquitur consulens spolio temerarie facto Religioni, & iura omnia clamant non esse audiendum in principali, donec ad pristinam possessionem spoliatus restituatur, etiam si vnus obolus restituendus supersit. Ita DD. *ad cap. 1. & 2. de restit. spoliatorum.* legendi sunt Guierrez *lib. 1. Canon. 99. cap. 34.* Nauarrus *tom. 1. cons. tit. de restit. spoliatorum.* Salgado *de Protec. Reg. lib. 3. cap. 14. numer. 125.* Perez. *lib. 4. noua Recopil. tit. 13. leg. 3. & 4.* & alij quos isti citant, leges enim † istæ, ut supra dicebam non fundantur in præsumptione, sed sunt dispositivæ obligantes in conscientia post sententiam iudicis etiam si restitui mandetur res propria, quam alius bona fide possidet, ut possidet Religio religiosum professum, iste autem restituto per reassumptionem habitus, æquitas dicat, ut de principali & iure, quod habet nullitatis professionis suæ audiatur.

## SVBRESOLVT. II.

*Religio non potest reclamare ad probandam nullitatem professionis alicuius Religiosi.*

## S V M M A R I V M.

1. *An Religio non possit, imo teneatur non reclamare coram Ordinario ad probationem nullitatis professionis alicuius Religiosi.*
2. *Sanchez sententia adfertur.*
3. *Reclamatio ad declarandum professionem irritam coram quibus debeat fieri.*
4. *Nullitas professionis à quonam declaranda veniat.*
5. *Ratio difficultatis adfertur, & n. 6.*
7. *Qua ratione Religio non habeat ius reclamandi coram Ordinario.*

**N**Oto secundum contra Pellizarium *tract. 3. cap. 5. num. 51.* secutum Bordonum *Resol. 2. 2. num. 6. 8. & 10.* quod † Religio non potest, imo tenetur non reclamare coram Ordinario ad reiiciendum religiosum professum nulliter ob speciale impedimentum irritans, quod est in Religione ex speciali statuto confirmato à Papa, ut quod sit sanguinis impuri, vel infirmitatem specialem incurabilem, vel propter delicta de quibus est in sæculo diffamatus, & hoc siue ante elapsum, siue post elapsum quinquennium, sed reclamatio debet fieri coram Generali, aut Prouinciali ad quos priuatiuè, quantum ad Ordinarium pertinet, dimissio. Ita tenent Nauarrus *lib. 3. consil. tit. de Regular. consil. 26. num. 13. & consil. 87. num. 3.* Rodrig. *tom. 3. quest. 17. art. 9.* Miranda *tom. 1. quest. 52. artic. 2.* Zacharias Giraldus *in quadam informatione facta anno 1610.* quam ut ait Peyrinis *de subdito quest. 1. artic. 25. §. 3.* confirmauit Rota Romana.

2 † Sanchez *lib. 7. de Matrimonio disput. 37. num. 32.* & quidem quantum ad diffamatos de criminibus, etiamsi non sint accusati, sed solum iuridicè notati, & inquisiti, speciali priuilegio, (quod refert Rodriguez *ubi supra*) id concessit Leo *ann. 1516. die 15. Martij* & incipit. *cum sicut nobis, Fratribus, Minoribus, quo, & nos gaudemus, quare † reclamatio ad declarandam irritam hanc professionem, siue reclamatur ipse professus, siue aliquis alius debet fieri coram præfatis Superioribus, & nullatenus coram Ordinario nec Prælatus potest cogi, ut causam nullitatis determinet coram ipso Ordinario, aut eius Vicario.* Ratio est, quia cum Concilium nouum ius in hoc decreto statuatur solum intelligitur de reclamatione nullitatis professionis in personis habilibus, non vero de

alias inhabilibus, ex speciali statuto confirmato à Papa † nullitas professionis horum 4 declaranda venit à Superiore præfato, qui etiam transactis multis quinquenniis, potest id declarare & à religione dimittere, utpote inhabilem ad profitendum in ea sicut & ipse professus, etiam transactis his quinquenniis potest, & debet coram eodem solo Superiore reclamare.

Si vero nullitas professionis oriatur ex aliis causis, quas certo scit Religio & eas probare potest, ut quia non fuit ætas sufficiens, aut quia professus protestationem fecit se non habere animum profitendi, † 5 difficultas est, an Religio ipsa possit reclamare coram Ordinario, ut declaretur nullitas huius professionis, vel quia professus discolus est & pessimæ vitæ, aut quia inhabilis est Religioni, adfirmant Pellizarius & Bordonus, quia *in correlatiuis est eadem dispositio in utroque, nisi lex aliter disponat in vno ac in altero leg. fin. D. de accept.* nec enim debet esse peior conditio Religionis ac est Religiosi; sed hæc doctrina inaudita est in iure, & vsque ad Bordonum nullus eam docuit. Concilium enim solum statuit reclamationem in Religioso non in Religione, quare etsi ista possit dimittere, quem iuridice sibi constat, non esse professum, etsi iste probet verè professum esse non est ius Religioni ad ipsum dimittendum, potest enim dicere professionem ratificasse, & id adfirmare iuramento cui fides omnino est adhibenda, cum sit in profectum animæ suæ, & sic † Religio non ha- 7 bet ius reclamandi coram Ordinario, à quo est omnino exempta, nec potest, se in hoc iudicio illi subdi, quis enim æquo animo ferat, quod Pia Mater Religio eum, quem filium suum se profitetur, reclamet, ut abiiciatur ab vberibus suis, certè quidem æquitas naturalis id abhorret.

## SVBRESOLVT. III.

*Scholares Societatis non possunt uti decreto Tridentino.*

## S V M M A R I V M.

1. *An Scholares Societatis qui post biennium tria solum emittunt vota simplicia, non possunt uti decreto Tridentini.*
2. *Ratio difficultatis affertur, necnon Authoris iudicium, & n. 3.*

**N**Oto tertium contra eundem Pellizarium *num. 34.* † Scholares Societatis, qui post biennium tria dumtaxat emittunt vota simplicia, non posse uti decreto Tridentini

dentini nec in illis currere quinquennium statutum, ad reclamandum, sed posse etiam post ipsam reclamare, non quidem coram Ordinario, & Superiore, sed solum coram Superiore. Ratio est perspicua, quia Concilium loquitur de vere Regularibus verè professis, scholares autem isti etsi sint verè Regulares & Religiosi vti sæpius dictum est à me, at non sunt verè professi, sed ex causa libera dimittuntur à Patre Generali ad seculum à quo exierunt, ergo evidens est, quod illos non comprehendit decretum, nisi illis datum sit aliquod indultum, à S. Apostol. quod ignoro, † existimo tamen decretum comprehendere Religiosos Ordinum Malarum, vtriusque sexus, qui etsi non sint aliqui eorum in toto rigore Religiosi, tamen verè professionem solemnem emittunt, moniales vero horum ordinum cum castitatem absolutam voueant, in rigore sunt Religiosæ, sicut & Equites Hierosolymitani.

## SVBRESOLVT. IV.

*Virum decretum hoc obliget in conscientia?*

## S V M M A R I V M.

1. Decretum Trid. de reclamando de nullitate professionis dupliciter venit intelligendum.
2. An solum sit fundamentum in presumptione, quod transacto quinquennio professio libere sit ratificata.
3. Ratio difficultatis assertur.
4. Patris Thoma Sanchez sententia adfertur.
5. Iuuenis vi proficens anno transacto nequit resilire, sed in clericatu permaneat.
6. An sit durissimum cogere liberum hominem nec religioni verè obligatum, ut transacto quinquennio maneat perpetuo in religione.
7. Conc. ex silentio per quinquennium solum presumat ratificationem prioris professionis.
8. Authoris mens adfertur, n. 15. 16. 36. 56. 57. 58. & 59.
9. Quid professio solemnis includat.
10. An votum simplex non dirimat matrimonium.
11. An Prælati regularis possit irritare vota sui subditi.
12. An Episcopus etiamsi sit Summus Pontifex, non habeat potestatem dominatiuam ad irritandum vota fidelium, in quos habet iurisdictionem.
13. Vnde immobilitas residentia regularis in religione dimanet, ex Basil. Legionens.
14. Quæ donatio sit adæquata ratio immobilis residentia in religione.
17. D. Thoma opinio assertur, & numer. 18. & 19.
20. Duplex donatio admittitur, & n. 21.
22. An scholæ Societatis etsi emissionem trium votorum simplicium sui faciant corporis & anima donationem Prælati, possit Generalis donationem dimittere.
23. An nullitas professionis possit ex multiplici capite dimanere.
24. An qui fidei contraxit & professionem solemnem emisit iure natura teneatur etiam ante quinquennium vere profiteri.
25. Suarez opinio admittitur, n. 26. & 27. nec non Legionens. & n. 28.
29. An dum fidei proficens dicit vouere & teneatur naturali iure ea vera facere ex vi verborum dilucide & serio prolatorum, & n. 30.
31. In quo decreto Conc. Trident. non fundetur in presumptione iuris & à iure, & n. 32. & 33.
34. An etsi nullum sit votum factum sed fictum, qui fidei contraxit teneatur in conscientia fictionem amouere, & n. 35.
37. Quid de illo qui pretendit se per vim & metum aut ante ætatem debitam professionem emisisse.
38. An ille qui liber extitit ad reclamandum & voluntarie non reclamauit, non requirat quinquennium ad ratificandum virtualiter suam professionem.
39. Quæ protestatio sit quedam reclamatio.
40. An in professione solemnè sit vera traditio & donatio verbis externis expressè facta religioni, & n. 41.
42. Monachum aut paternam deuotionem aut propriam professio facit ex Conc. Tolet. IV.
43. Gregor. XI. sententia.
44. Quæ leges non fundentur in presumptione.
45. An ab oblatione expressè facta à parentibus & acceptata iuridicè à religione nequeat retrocedi, & n. 46.
47. An Concilium assignauit quinquennium quo præscribatur ius ad resiliendum in proficiente.
48. Couarruie sententia adducitur.
49. An lex de præscribendo intra certum tempus à legislatore præfixum teneat non solum in foro externo, sed & in interno, & n. 50. & 51.
52. In quo fundetur decretum quinquennij, quod post illud non possit quis reclamare, & n. 53.
54. Lex non fundatur in presumptione nisi legislator id exprimat verbis vel ratione data in lege, & n. 55.

60. An qui coactè & sine etate sufficienti expressam professionem fecit si oblata coactione reclamandi, non reclamet ficta maneat professio, & n. 61.
62. An nulla humana potestas possit statuere, quod transacto quinquennio quis sit vere professus sine suo consensu, & numer. 63. & 64.
65. An maior libertas non requiratur ad profectendum in Religione quam ad contrahendum matrimonium.
66. Quæ lex utrumque forum respiciat.
67. Aliud est quod lex præsumat aliquem adimplere obligationem suam & non peccare contra eam.
68. An si quis liber extiterit ad reclamandum intra quinquennium si hoc transacto quinquennio non reclamet, debeat manere in monachatu, n. 69. & 70.
71. Difficultas diluitur, n. 72. & 73.
74. Patris Thomæ Sanchez opinio adfertur.
75. An obligatio perseverandi in religione ita sit ardua, ut potestatem legis humana excedat, n. 76. & 77.
78. An non sit magis ardua obligatio seruitij diuini quam humani.
79. D. Ioannis de Solorzano sententia adducitur.
80. Quid de seruis adscriptitiis veniat notandum.
81. Augustini mens adfertur.
82. Quid item de filiis impuberibus oblatis à parentibus monasterij veniat dicendum, num. 83.
84. An quis possit voluntate Principis & Concilij, cum id expedit bono communi religionis obligari in conscientia, ut non recedat à religione, n. 85.
86. In donatione filij non adiunguntur tria vota substantialia etiam implicite, ex Suarez, n. 87.
88. In Ecclesia fuisse consuetudinem, ut qui impuberes offerebantur à parentibus, perpetuò manerent diuino seruitio mancipati, negat idem Suarez.
89. Petri Cardinalis Damiani sententia, n. 99. & 100.
90. Concilij Vuormacensis mens.
91. An sola parentum voluntate qua filios impuberes offerebant, ipsa formalis obligatio ex Ecclesia approbatione, erat virtualis solemnis professio religionis.
92. An virtute legis Ecclesiastica non possit quis obligari quod religio præscribat in personam, quæ professione expressa se diuino cultui dicauit, n. 93.
94. An vita religiosa & perfectionis schola sit aspera, n. 95.
96. D. Thomæ mens adducitur, n. 97. 98.
101. Concilium annum integrum probationis requirit.

102. An quinquennio transacto, nec vis, nec deceptio, nec metus cadens in constantem virum, defectusve etatis consensum inficiant.
103. Professio religiosa est de Concilio dumtaxat ex Suarez.
104. Nullus actus perfectionis cadens sub consilio est qui in aliquo euentu non cadat sub præcepto quasi de necessitate salutis, ex August.
105. Concilij decretum.
106. An transacto quinquennio iam sit quis ligatus præcepto perseverandi in religione.
107. An Concilium possit præcipere, quod transacto quinquennio, quis teneatur professionem emittere, & numero 108. & 109.

**N**Oto quartum, quod † decretum hoc<sup>1</sup> Sanctissimum Tridentini, partim est dispositiuum obligans in conscientia, partim vult Sanchez *infra* citandus, quod fundetur in præsumptione iuris, & à iure, quod intra hoc quinquennium ratificata est professio, quæ inualida, & irrita fuit à principio. Igitur in præfato decreto plura statuuntur. Primum, quod si iste, qui reclamare vult habitum dimiserit nullatenus audiatur, nisi reassumpto habitu, secundum quod ad monasterium redire cogatur, & tanquam apostata puniatur, & interim nullo priuilegio suæ religionis iuuetur. Tertium, quod non audiatur nisi intra quinquennium tantum à die professionis. Quartum, quod causas, quas prætenderit coram Superiore suo & Ordinario deducat, & coram utroque libellum offerat. Igitur de tertio est præsens dubium, an illo Concilium disposuerit, an † solum sit<sup>2</sup> fundamentum in præsumptione, quod transacto quinquennio professio libere sit ratificata, nam aliis tribus Concilium disponere, mihi omnino certum est, ita quod iudex nequeat istum audire nisi restituto habitu, Religio possideat, sicut antea similiter tenetur ad monasterium redire, ipsum cogere licet dum lis agitur cum suo habitu possit alibi constituere, similiter obligatur Religiosus causam agere coram Ordinario, & Superiore suo aliter in conscientia tutus non erit si aliter feratur sententia. Quare † difficultas est,<sup>3</sup> an si intra quinquennium non reclamauerit isto transacto, si liber est ad reclamandum possit tuta conscientia reclamare, quia Concilium se fundauit in præsumptione iuris & à iure, quod transacto quinquennio professionem suam ratificauerit, an vero Concilium disposuerit, quod transacto quinquennio ipsam ratificet velit nolit, ut dicitur *cap. vidua, de Regularibus*, quæ se sponte actibus professorum inseruit.

- 4 Pater Thomas Sanchez † apud me venerandæ authoritatis scriptor satis probabiliter tuetur decretum Concilij, quantum ad hoc punctum fundari in præsumptione ac proinde si inualide professus non ratificauit professionem, nunquam quocunque tempore transacto est verus in foro conscientie religiosus, sed solum in foro externo præsumptus, citat Nauarrum *lib. 3. consilior. consil. 22. num. 5. & consil. 89. num. 6. & 7. & comm. 4. de Regular. n. penult. Henriq. lib. 1. 1. de matrim. cap. 6. n. fin. & cap. 9. n. 8. in comm. litter. S. Emanuel Sa. verb. Religio. num. 71. Suarez infra citandus probat primò, quia nullum est verbum in Trident. decreto, quod forum conscientie respiciat solum dicit, quod non audiatur neque ad allegandum causam admittatur nisi intra quinquennium. Secundo, quia *cap. 2.* dicitur † quod inuenis vi proficens anno transacto nequit resilire, sed in clericatu id est monachatu permaneat, & tamen ibi inducitur professionis ratificatio ex mora annua, præsumpta quidem, & sic caput hoc in præsumptione fundatur, vt tradunt ibi canonistæ. Tertio, quia † res durissima est cogere liberum hominem, nec religioni vere obligatum, & id quidem aliquando absque sua culpa, vt transacto quinquennio maneat perpetuo in religione omni prorsus audientia ac defensione denegata contra leges vetantes perpetuam liberi hominis obligationem ad manendum alicubi, vel ad subeundum onus nimis libertati aduersum, & cõtra rationem naturalem cui illæ leges nituntur *leg. Titio. §. Titio centum D. de cond. & demonstr. leg. 1. §. qua oneranda, & leg. 2. fine. D. quarum rerum actio.**
- 7 Quare † Concil. ex illo silentio per quinquennium solum præsumit ratificationem prioris professionis *cap. ad id de sponsal. cap. is qui fidem. eod.*

- 8 Sed quamuis hæc sententia satis probabilis sit: at † ego probabiliorem & securiorem oppositam iudico, quod Concilium in hoc puncto non præsumptiue, sed dispositiue loquatur, obligans in conscientia illum qui cum libere posset reclamare intra quinquennium non reclamauit, & transacto quinquennio nullatenus possit reclamare sed eo ipso, quod quinquennium transiit, tenetur ratificare professionem, ex quacunque causa intra quinquennium nouerit irritam esse. Vt hoc recte percipiatur & intentum Concilij hoc esse appareat, suppono primum, quod in professione solemnium non solum est votorum promissio facta Deo, sed etiam donatio sui religioni facta: itaque † professio solemnium vtrumque includit, & donationem personæ factam externa voce religioni, ex qua donatione nascitur potestas donatiua & iurisdictio in religiosum, & promissionem
- 9

votorum, quæ Deo fit principaliter actibus voluntatis. Hæc est expressa sententia D. Thom. 2. 2. *quest. 88. art. 7.* & Domini Caiet. *ibi. §. quantum vero. versiculo. oportet. & versic. patet secundo*, quod antea dixeret S. Doctor in 4. *dist. 38. quest. 1. artic. 3. questiuic. 2. & 3.* estque apud omnes scholasticos antiquos certum axioma, quod † votum simplex non dirimit matrimonium, quia in illo non fit traditio personæ, neque traditur in alterius possessionem, & dominium, secus vero votum solemne, quia isto persona traditur alteri tanquam Domino, & possessori veluti Dominus est respectu micipij, ita D. Thom. *questiuic. cit. & quodlib. 3. art. 8.* & plures quos ad facietatem refert Doctissimus Basilius Legion. *lib. 7. de Matrim. cap. 5. 6. & 7.* Henriquez *lib. 2. de matrim. cap. 3. & 4.* Valentia. 2. 2. *disp. 5. quest. 6. punct. 5.* Azor *p. 1. lib. 12. cap. 6. quest. 6.* Salas *de legibus disp. 8. sect. 17. num. 18.*

Idque manifesta ratione confirmatur, quia vt est omnium concors, & vnanimis sententia † Prælati regularis potest irritare vota sui subditi, at vt quis irritare ea possit debet in omnibus actionibus liberis habere potestatem dominatiuam, ex qua dimanat potestas irritandi, ideo enim Episcopus nõ potest irritare vota suorum clericorum, in quos etsi habeat iurisdictionem non tamen potestatem dominatiuam, ideo autem † Episcopus etiam si sit summus Pontifex non habet hanc potestatem dominatiuam ad irritandum vota fidelium in quos habet iurisdictionem, quia illi non faciunt specialem promissionem in religione illi obediendi, ergo votum obedientie religiosæ solemne præter rationem voti obedientie, quod sit simplex extra Religionem factum, habet specialem donationem sui, quam facit prælato, qui est loco Dei, & eam accipit, ex eaque Prælati, accipit potestatem dominatiuam in subditos.

Verum enim vero antequam hinc discedam nõ possum non carpere præfatum Doctissimum Basilium Legionensem qui *lib. 7. cit. cap. 6.* in ea est sententia † quod immobilitas residentie Regularis in Religione non dimanat, ex votis solemnibus emissis in professione, sed ex præfata donatione, quam, quis facit sui religioni, hæc enim † donatio est adæquata ratio immobilis residentie in religione non promissio votorum solemnium quæ solum fit Deo, non homini sicut donatio fit homini non Deo, non homini enim solum ex vi huius donationis & traditionis confertur denuo potestas dominatiua & non Deo qui incapax est noui & aduentitij dominij. Sed miror † hominem vere sapientem vsque ad miraculum ita turpiter errasse in re omnibus scholasticis antiquis quos

quos ipse adducit notissima etsi enim propria donatio & collatio dominij denua & ius seruitutis, quod de nouo confertur non fiat Deo, sed homini, quod donatio simul cum traditione rei donatæ immobilis est, tamen ex hoc præcisè non habet irreuocabilem immobilitatem, cum possit donatarius rem donatam etiam postquam accepit donationem, & rem in suo dominio tenens, iterum eam reddere donanti, & dominium illius abiicere, vt est lumine naturæ notum, si enim quis mihi donauit seruum cuius possessionem habeo, possum iterum donanti illum reddere.

Quare vt donatio, quæ fit homini in religiosa professione omnino immobilis perseveret, vt de facto perseverat in religione, religiosi solemniter professi alia radix inuestiganda & assignanda est quam ÷ assignauit D. Thom. *quest. 88. artic. 7. & 11.* quia scilicet hæc donatio fit in professione solemnī, cuius solemnitas attenditur secundum aliquid spirituale, quod ad Deum pertineat, id est secundum spiritualem consecrationem quæ ex institutione Apostolorum adhibetur in professione certæ regulæ ex qua doctrina colligit *art. 11. in corpore*, vbi sic ait.

*18 Sicut supra dictum est & habetur Leuit. cap. vltim. illud quod semel sanctificatum est Domino non potest in alios usus commutari. Non enim potest facere aliquis Ecclesie Prælatus vt id quod est sanctificatum sanctificationem amittat etiam in rebus inanimatis puta, quod calix consecratus desinat esse consecratus, si maneat integer. Vnde multo minus potest hoc facere Prælatus vt homo Deo consecratus cum diu viuit, consecratus esse desistat, solemnitas enim voti consistit in quadam consecratione vt dictum est art. 7. & ideo non potest fieri per aliquem Prælatum Ecclesie, vt ille, qui votum solenne emisit desistat ab eo, ad quod est consecratus, & sic Papa non potest facere, quod ille, qui est professus religionem non sit religiosus, licet quidam Iurista ignorantèr contrarium dicant.* Hæc ibi.

Ex quo fit, quod cum donatio quam sui facit, qui professionem emittit qua transfert dominium sui in Prælatum non sit consecratio, quia ÷ hæc respicit Deum, & illa hominè sui subiicitur ex donatione præcisè non est immobilis status religiosi omnimoda immobilitate, sed ex consecratione, qua quis ex votis solemnibus, quibus ex Apostolorum institutione homo mancipatur consecratiue in Religione Deo, qui immobilis est ab intrinseco, & ex tali consecratione oritur quod nullus Prælatus etiam Papa, possit donationem sibi factam, ab illo

*21* qui solemniter proficitur dissoluere, sicut solemnitas matrimonij carnalis consummati non potest aliquis etiam Papa dissoluere, vt bene P. Thom. *artic. 7.* imo vt ego existi-

mo idem est iudicium de matrimonio rato non consummato, quia solemnitas ista non adhibetur, nisi quum aliquis mancipatur totaliter alicui rei: & totalis mancipatio consistit in hac consecratione Deo facta, qua existente regredi est impossibile: quare ÷ Scholares Societatis, etsi emissionem trium *22* votorum simplicium sui faciant corporis & animæ donationem Prælato, quia tamen hæc donatio non est consecratione & solemnitate firmata, potest Generalis donationem dimittere, & religiosum liberum à votis emissis excludere à Religione, quod nequit facere in illis, qui solemniter sunt professi.

Suppono secundum, quod ÷ nullitas professionis ex multiplici capite potest dimanare. Primò, quia, quis etiam si verba professionis proferat, tamen animo ficto, & non habens intentionem profitendi. Secundò, si vi & violentia coactus sit ad profitendum, quare etsi habuerit consensum, tamen coactum aut vi, aut metu cadente in constantem virum. Tertiò, quia non habent ætatem taxatam à iure ad valide profitendum, & nihilominus professionem emisit, aut sciens ætatis sufficientis defectum, aut eam ignorans inuincibiliter. Igitur ÷ qui fictè *23* contraxit, & professionem solemnem emisit iure naturæ tenetur etiam ante quinquennium verè profiteri, quod adeo mihi certum est, vt iudicem cum Legionensi, *lib. 2. de matrim. c. 5. num. 5.* oppositum omni probabilitate carere: quia vt ait Petrus de Ledesma *quest. 45. de matr. art. 4. dub. 1. §. in hac difficultate.* est omnino indubitatum, & quamuis isti loquantur de matrimonio carnali, at est omnino eadem ratio in professione, quæ est matrimonium spirituale de quo dicere, quod fictè professionem emittens non tenetur vere profiteri, est omnino falsum, vt bene idem Legionens. *num. 11.* ÷ sequutus Suar. *tom. 2. de Relig. lib. 1. de voto* *26* *cap. 3. num. 25.* vbi sic loquitur. Satis ad nostrum propositum de intelligentia Trident. Decreti. *Potest Ecclesia cum huiusmodi votum ad eius votum deducitur obligare ad votum seruandum, & vouens tenebitur parere non quidem ratione voti, sed ob iustum Ecclesie præceptum. Quod si aliter non potest bene & licitè implere, quod præcipitur nisi mutando animum, & nono vere promittendo ad id poterit consequenter obligari, quod non est inconueniens quia licet voti emissio per se loquendo tantum sit sub consilio nihilominus per accidens potest quis ad illud obligari propter vitandam *27* nouam culpam, præsertim supposita priori culpa, & fictione, addo etiam secluso præcepto Superioris, & Ecclesie posse oriri obligationem ad implendum aliquid fictè promissum ob iniuriam ea occasione illatam.*



Rationem huius verissimæ doctrinæ nobis obtulit Legionensis, *ubi supra*, ex Soto <sup>28</sup> *lib. 7. de Iustitia, loco cit.* ex naturali obligatione, qua quis tenetur efficiendi verba assertiva de præsentī vera sicut tenetur facere vera promissione de futuro, neque enim potest quis efficere, quod non sit indecens, & turpis coram Deo cordis duplicitas, verbis aliquid de præsentī affirmando, & aliud in corde retinendo hoc enim manifestè mendacium est, & valde perniciosum alteri contrahenti scilicet Religioni, <sup>29</sup> quare † dum fictè profitens dicit vouere, &c. tenetur naturali iure ea vera facere, ex vi verborum, dilucidè, & serio prolatorum, profert enim verbâque ex sua institutione non ad simulandum, sed ad exprimendum conceptus internos sunt destinata; quare in professione cum sit contractus publicus, nullatenus licita est mentalis restrictio, aut æquiuocatio, amphybologiâve, vt latè monstrauit *tom. de vero Martyrio fidei, tract. ultim. & tom. 2. Moral. tract. de hac materia speciali,* <sup>30</sup> contra Raynaudum, & Lessium mentales restrictiones. Quare fictè profitens tenetur & virtute veracitatis, & fidelitatis, & iustitiæ veram facere professionem suam abiiciendo fictionem, & ponendo verum consensum, sicut dicit Pater Suarez *ubi supra*, est omnino certum. Clericus voluntariè suscipiens sacrum ordinem sine animo vouendi continentiam, nihilominus obligatur ex præcepto Ecclesiæ, & ratione iniuriæ illatæ Clero, & sacro ordini supposito statu, & consuetudine Ecclesiæ tenetur mutare voluntatem & votum castitatis emitte-  
<sup>31</sup> re, ergo cum fictè profitens, & statui religioso, & religioni in qua fictè profitetur iniuriam inferat, tenetur fictionem abiicere, & vere profiteri.

His suppositis valde vrgenter probatur † sacrum Concilium Trident, in Decreto Sanctissimo relato non fundari in præsumptione iuris, & à iure, sed verè deposuisse quod si intra quinquennium, si professus liber steterit ad reclamandum de nullitate suæ professionis, ex quacumque causa fuerit nulla non reclamet, vterius non audiat, sed manere in Religione cogatur, in qua tenetur professionem suam ratificare.

<sup>32</sup> Probatur, quia in Concilio non est verbum ex quo efficaciter colligatur tale Decretum fundari in præsumptione, quando autem ita fundatur lex id innuitur à Legislatore *cap. is qui. & cap. ad id de sponsalib.* ly enim non audiatur, & ly ad allegandum quamcumque causam non admittatur, non denotant fundari in præsumptione, imo potius clarè denotant dispositionem, quod in vtroque foro <sup>33</sup> tenetur in Religione, manere, & obligationem, qua iste tenetur ratificare profes-

sionem, à qua nullatenus absolui vult Concilium transacto quinquennio, eo ipso, quod cum liber extiterit intra quinquennium ad reclamandum, si non reclamauit virtualiter consensit professioni expressæ, quam emisit.

Hoc autem ita esse ex multis capitibus comprobatur: Primò, de illo qui fictè dolo & fraude professus est † etsi, vt aiebat D. <sup>34</sup> Caiet. *ubi supra*, nullum sit votum factum sed fictum, at *vt supra* posui in secunda suppositione qui fictè contraxit tenetur in conscientia fictionem amouere, & verum consensum ponere vt dicebam, de Clerico, qui ordinem sacrum accepit fictè sine animo se obligandi, & vouendi castitatem, quam tenetur vouere ex vi ordinis. Similiter, qui fictè contraxit cum aliqua tenetur fictionem amouere & vere contrahere, vt <sup>35</sup> esse indubitatum & cōtrarium carere probabilitate supra dicebam, si enim non est obligatio iustitiæ ad hoc faciendum, & opposita sententia probabilis est latissima aperitur via hominibus sceleratis ad accipiendas sæpe scēmas, si semel sibi persuaserint non teneri ad vere contrahendum, & Religiosis discipulis ad decipiendas Religiones si non tenentur ad vere profitendum, & abiiciendam fictionem, dolo & fraude factam, sed posse libere aufugere, à Religione, & statum sibi conuenientem, etiam si sit matrimonium adsumere, quod cedit in magnam iniuriam & detrimentum status Religiosi, quem expressè professus est, & dilucidè protestatus coram testibus, vnde de isto, qui professus est fictè, dolo & fraude † mihi indubium est, quod Concilium non loquitur, sed vt certum supponit teneri ab vere profitendum siue ante, siue post quinquennium, nec aliquis potest eum <sup>36</sup> absolvere, nisi id faciat.

Quare Concilium loquitur de illo † qui <sup>37</sup> præterdit se per vim & metum, aut ante ætatem debitam professionem emisisse, iste enim si intra quinquennium liber extitit ad reclamandum & voluntarie non reclamauit, sed libere profecutus est in religione actus & exercitia professorum exercens, dubio procul ille non solum præsumitur ratificasse professionem expressam quam emisit, sed re ipsa eam confirmauit & ratificauit donationem quam sui fecit religioni, & sic residere in ea tenetur tanquam vere professus, quod declarat Tridentinum ita esse seruandum & vere esse professum, & in conscientia obligatum ad statum religiosum, quare nullatenus audiendus de nullitate, transacto quinquennio; quamuis enim † ille qui <sup>38</sup> liber extitit ad reclamandum & voluntarie non reclamauit non requirat quinquenniū ad ratificandum virtualiter suam professionem,

nem, sed illico ac liber extitit ad reclamandum & voluntarie non reclamauit, & actibus professorum se immiscuit ( non præcedente protestatione iuridica, de nullitate) 39 quæ † protestatio quædam reclamatio est ( vt ait Rota *in quadam decisione infra adducenda* ) iam vere professus euasit & velit nolit habitum regularem debet habere *cap. vidua de Regular.* & per consequens residere in religione, tamē Concilium quinquenniū assignauit, ad iustificandam suam dispositionem, qua obligatur quis in vtroque foro perseverare in religione, qui licet aliqua ex his causis nullam emiserit professionem si liber extitit ad reclamandum non reclamauit voluntarie & non impeditus virtualiter eam ratificauit, & nequit in vtroque foro à religione resilire.

Hæc ratio me conuincit, quia tamen opinio contraria valde inualuit, vltius nostra solidanda est & confirmanda. Primò, quia 40 vt supra suppositione prima vidimus † in professione solemni, est vera traditio, & donatio verbis externis expresse facta religioni, quam Prælati acceptauit, nomine Dei, & suæ religionis, quare donatarius bona fide processit, si autem donans non habuit liberam voluntatem donandi, nec habuit ætatem sufficientem requisitam à iure, 41 eo ipso, quod liber extitit & ætatem consecutus est, & non reclamat, nec resistit habet virtualem consensum donandi & donatio ipsa consolidatur, & in foro conscientie rescindi nequit, in hoc principio fundatur prisca illa patrum, & Antiquorum iurium sententia, quæ statuit vt si quis puer à parentibus fuerit oblatus Monasterio, ex vi huius oblationis tenetur perpetuo in monachatu persistere, nec ab eo statu possit resilire. Ita Concil. Tolet. I V. c. 49. ibi. † *Monachum aut paterna deuotio aut propria professio facit. Quidquid horum fuerit allegatum tenebit proinde ad mundum reuerti intercludimus, & omnem ad seculum interdiciamus regressum.* Similia habentur in Concil. Tolet. X. canon. 6. & in *Vuormacensi ann. 868. sub Adriano II. cano. 22. & 23.* vnde Greg. XI. *epist. 14. ad Bonifacium*, Germaniæ Apostolum qui sub his 43 verbis Pontifici difficultatem proposuit. † *Si Pater vel mater filium vel filiam intra septa Monasterij in infantia annis sub regulari tradiderint disciplina. Virum liceat eis postquam pubertatis annos impleuerint egredi & matrimonio copulari? cui respondet Pontifex, hoc omnino deuitamus, quia nefas est vt oblati Deo à parentibus filiis voluptatis fræna laxentur.*

Idem statuit Alexander III. in *Appendice Concil. Lateranens.* sub ipso celebrati ( obit autem Pontifex *ann. 1185.* in quo hæc consuetudo erat in Ecclesia, sed abrogata à Trident. *sess. 25. de Regular. cap. 17. & 18. vt*

Deo liberius præstetur obsequium ) *part. 5. cap. 10.* atqui † huiusmodi leges non fundantur in præsumptione, sed sunt dispositiue obligantes filium oblatum in infantia annis ad perseverandum in religione, & ratam habendi voluntatem parentum ipsum offerentium, vt bene colligit Legionensis *lib. 7. de matrim. cap. 5. num. 14.* ex Concilio Aquigranens. sub Paschali. I. *ann. 817. cano. 36.* quæ obligatio non ex alio capite iustificatur, & ligat nisi quia ante annos pubertatis voluntas expressa parentum censetur voluntas virtualis filiorum, vnde, quod parentes de ipsis volunt expresse disponere ipsi virtualiter consentire dicuntur, vnde ab oblatione expresse facta à parentibus, & acceptata iuridice à Religione nequeunt ipsi retrocedere, & sic in conscientia tenebantur in religione perseverare, etiam dum veniunt ad annos pubertatis ( sicut & pupilli tenentur stare donationibus factis iuridice, à suis tutoribus, nec possunt retrocedere, dum ad annos pubertatis accedunt ) ergo pari modo religiosus, qui coacte vel ob defectum ætatis requisitæ nulliter est professus, si ætate completa, & coactione oblata liber est ad reclamandum, & intra quinquennium non reclamat, nec antea iuridice protestatus est suam nullitatem virtualiter consentit professioni expressæ, quam emisit, nec transacto quinquennio potest in vtroque foro resilire, & hoc est quod dubio procul statuit Trident. in suo decreto, quare vere disponit non præsumit declarans hunc virtualem consensum esse ratificationem religiosæ solemnis professionis, respiciens pacem, communitatem, & bonum spirituale professi, ad vitanda scandala, lites & dissensiones.

Secundò, probatur † Concilium assignauit hoc quinquennium, quo præscribatur ius ad resiliendum à professione in proficiente, & religio acquirat ius in professum, vt teneatur in religione permanere, quod ius fundetur in virtuali voluntate eius, qui intra tale tempus non reclamat, in hac enim voluntate virtuali proprii dominij fundatur lex præscriptionis, qua possessor bonæ fidei in vtroque foro rem præscriptam sibi retinet, adeo quod eius proprius Dominus transacto tempore ad præscribendum præfixo, nequeat rem propriam, etiam occulta recompensatione usurpare, vt contra Medinam *C. de restit.* tenent omnes fere scribentes quod manifestissime docuit vir ille Doctissimus Couarru. *tom. 1. in relect. ad regulam possessor. p. 3. num. 1. ibi. † Lex iusta quæ vsucapioni vim dedit eam quæ induxerit consensum habet tacitum omnium subditorum, qui quidem consensus tacitus sufficiens est, vt virtute legis iusta dominium ab vno in alterum absque*

que consensu expresso transferatur. Hoc ille, quo nihil illustrius ad præfens.

Ex quo colligit plura valde vtilia ad alias materias in illa 3 part. Resolutionis. Vt quod  
 49 † lex de præscribendo intra certum tempus à Legislatore præfixum teneat non solum in foro externo, sed in interno; ita latissimè §. 2. n. 2. etsi enim Legislatores in hoc respiciat fines externos, & vitationem litium, pacem Reip. & vt sint certa rerum dominia, & punitionem negligentia prioris Domini; quæ omnia finem politicum, & externum concernunt, & si ea parte qua negligentia prioris Domini, punitur lex ista fundetur in præsumptione quod fuerit negligens, tamen ea parte qua respicit pacem publicam, & ad vitandas lites lex dispositiua est, obligans in conscientia subditos, etiam si diligentissimi sint: quia etsi in aliquibus casibus, & in aliquo tempore rationes istæ, & motiua legislatoris deficient, nisi in vniuersum deficient: Ratio legis & motiuum legislatoris cum vniuersale sit in finem vniuersalem tendens legem ipsam ac per consequens eius obligationem in conscientia omnino inuiolatam & incolumen conseruat, vt vniuersos liget, etiam si  
 51 per accidens in aliquo particulari deficiat, hoc enim principium mihi manifestum est in omni lege tam humana, quam diuina, quod non currit in lege quæ fundatur à Legislatore in præsumptione, hæc enim lex etsi iusta sit, tamen ratione materiae de qua fertur non est intentio legislatoris, quod in foro animæ, & interiori liget, quum veritas excludit præsumptionem in qua lex fundatur.  
 52 Ast † decretum quinquennij, quod post illud non possit quis reclamare contra possessionem, quam bona fide habet Religio de persona quæ expressam professionem emisit fundatur in voluntate illa virtuali, qua cum liber extiterit ad reclamandum, nullam fuisse donationem sui factam  
 53 in professione, non reclamauit, & sic præscribit Religio transacto quinquennio, & sic cum lex ista iusta sit, in foro interiori, nedum exteriori potest reclamare, & ius quod habebat ad suam libertatem amisit, nec tuta conscientia potest illud recuperare.

Totus iste discursus confirmatur: Primò,  
 54 Doctrina valde notanda; quia † lex non fundatur in præsumptione, nisi legislator id exprimat verbis, vel ratione data in lege, si enim id nõ exprimat, etsi inductus sit aliquibus præsumptionibus in legem ferendam, tamen non fundauit legem in præsumptione, sed in dispositione in ordine ad bonum commune consequendum, vel malum commune vitandum, quare, etsi præsumptio, quæ induxit legislatorem in ali-

quo casu deficiat particulari, lex tamen ipsa obligat in conscientia, sub mortali, vel veniali ratione materiae, quia lex non exerit  
 55 vires obligandi, ex præsumptione Principis, sed ex dispositione quam facit ob bonum commune consequendum, vel malum commune vitandum, vt pax publica consequatur, vt vitentur lites & similia, quare in fere omnibus exemplis quæ adducit Illustrissimus Archiepiscopus Hispalensis D.D. Fr. Petrus de Tapia lib. 4. catena aurea Moralibus, art. 3. ego existimo † leges illas obligare in conscientia etiam si deficiat præsumptio in particulari, inter quæ secundum exemplum est de quinquennio Trident. & quidem si quum legislator non expressit, quod legē fert ex præsumptione potest lex in præsumptione fundari, magnum ostium aperitur, & non parum perniciosum, vt quisque dicat ad fugiendam vim legis, quæ fundatur in præsumptione, qua cessante, non ligat, quod me quidem iudice magnum est inconueniens cum motiuum Principis  
 57 raro sit præsumptio, sed bonum commune, vel malum commune vitandum, quod semper immutabile perseverat, sic lex Pontificia quod sollicitans ad turpia in confessione obligat sollicitatum ad denuntiandum, etiam si sibi constet sollicitatum bene sentire de fide, si alias est aliquo modo diffamatus, vt late probaui tom. 1. Moral. tract. 4. à num. 734. quia quamuis Pontifices dicant se non posse in animum inducere,  
 58 quod bene de Sacramentis sentiant qui Sacramentis abutuntur, quare tanquam suspectos de fide eos subiiciunt tribunali sancti Officij, quia Pontifices, etsi inducti sint in præsumptione, tamen moti præsumptione non sunt, sed ob bonum animarum penitentium, ne tradantur in manus diaboli in eorum perniciem eos grauiorum peccatorum mole onerando pro pane scorpionem tribuendo, & similia motiua, quæ exprimunt. Quare etiam si sollicitans sciat sollicitationem (si alia aliquando diffamatus est)  
 59 rectè sentire de fide, & passione ductum sollicitatione, tenetur in conscientia renuntiare.

Secundò, quia, qui coacte & sine ætate sufficienti expressam professionem fecit, si ablata coactione, & metu graui liber constituitur vt reclamet, cum possit absque legitimo impedimento reclamare, si voluntarie non reclamatur, & expresse non vult ratificare professionem suam ficta manet professio, & fictus religiosus dolo & fraude, & sic ex iustitia, ex fidelitate, & ex veracitate tenetur professionem ratificare, nec absolui potest si non ratificet, tenetur enim fictionem amouere, quam si non amoueat transacto quinquennio amisit ius, quod habebat

- bebat ad reclamandum, & velit nolit manere tenetur in religione, quæ tamquam donataria personæ religiosi præscripsit in iure, quod habebat circa illâ personam, quæ virtualiter in hoc consensit, ex vi legis iustæ lata à Concilio; & in pœnam iniustæ fictionis, hoc statuit Concilium vt lites vitentur, pax monastica conseruetur, & certæ atque immutabiles sint professiones, vitentur scandala, disciplina regularis non relaxetur ab his qui prætendunt se eximere à iugo religionis.
- 61 Confirmatur tertio, quia licet † nulla humana potestas possit statuere, quod transacto quinquennio, quis sit vere professus sine suo consensu, & voluntate, sicut non potest facere quod quis contrahat matrimonium sine suo libero & non coacto consensu. Cæterum potest facere Concilium Trident. aut quod sufficiat voluntas virtualis, quam quis habet manendi in religione, & ratificanda professione expressa, quam fecit eo ipso quod cum liber sit, & non impeditus ad reclamandum non reclamauit, quod si perseverans per quinquennium non reclamans habens tamen voluntatem non ratificandi professionem, potest Concilium obligare, vt perpetuo maneat in religione, animum profitendi habeat, tum in pœnam talis fictionis contra religionem, cui iniuriam infert, sicut potest Ecclesia cogere cõiugem ex cuius licentia alter professus est, cum in sæculo nequit propter incontinentiæ periculum commorari, & similiter vt
- 62 est communis certaque sententia, consensus ad contrahendum potest extorqueri per metum iuste illatum, quia is qui cogitur iuste ad contrahendum non est rationabiliter inuitus, quandoquidem iure cogitur, & ille non parendo recedit à iure, & æquitate. *cap. 1. & 2. de Adulter. & cap. ex litteris el. 2. de sponsal.* atqui non requiritur maior libertas † ad profitendum in religione, quam ad contrahendum matrimonium, quare Concilium iuste statuit, quod ratificet professionem, qui transacto quinquennio non reclamauit, cum liber & non impeditus esset ad reclamandum, quare dubioprocul tenetur ad ratificandum, nec potest libere fugere, & alium statum sibi adsumere.
- Nec fundamenta opposita aliquid probant, facillime enim ex dictis euanescent,
- 63 respondetur ad primum, quod † imo potius cum sit lex iusta, & non fundetur in præsumptione forum vtrumque respicit, ad secundum respondetur, quod illud quod *cap. si quis cit.* statuitur intra annum, Concilium statuit intra quinquennium & Conciliū Moguntinum celebratum *ann. 813.* sub imperatore Carolo dicit quod qui per vim monachus factus est, & intra annum non reclama-
- uerit in monachatu permaneat, vbi clare dispositiue loquitur, & in foro animarum quæuis enim glossa ibi, & alij Canonistæ dicant quod iste talis si potest reclamare & non reclamat ex mora temporis præsumitur consentire; non ideo lex ipsa & canon fundatur in præsumptione, & sicut aliæ leges quæ fundatæ in præsumptione, si adsit veritas præsumptio cessat, & lex non obligat in conscientia, aliud enim est † quod lex præsumat, aliquem adimplere obligationem suam, & non peccare contra eam, quia omnis fere lex secum habet præsumptionem, quod non interueniat peccatum, & nõ ideo fundatur in præsumptione: ita Conciliū Moguntinum si quis † liber extiterit ad reclamandum intra annum à die professionis expressæ, & Trident. intra quinquennium, si his terminis præfixis transactis non reclamet in Monachatu maneat, & nullatenus audiatur, nec ad allegandum quamcunque causam admittatur, quia præsumitur istum satisfecisse obligationi suæ, qua tenetur fictionem suæ professionis auferre, & consentire professioni expressæ, quam emisit, si non reclamet intra quinquennium, in quo liber existat & coactio inducta per vim & metum est ablata, qua ablata Conciliū Trident. nouo iure quinquennium dat & Moguntinum annum vt quis deliberet, an debeat reclamare & verbis expressis, quibus professionem emisit resistere, ipso autē termino præfixo adimpleto, non est liber ad resistendum & reclamandum, sed tenetur verba expressa, quibus sui donationem fecit, & contractum onerosum vltro citroque obligantem celebravit cum religione, verâ facere, qui ad id tenetur ex iustitia, veracitate, & fidelitate, quam obligationem adimplere præsumunt Cõcilia & Canones non tamen fundantur in præsumptione, sed disponunt quod sit talis obligatio post quinquennium, ex vi cuius obligationis nec licite potest aufugere, nec valide statum matrimonij adsumere, quia ex vi huiusmodi decreti, qui intra quinquennium non reclamat, non est sui Dominus, sed seruus religionis.
- Ad tertium responderetur, quod † illud non est durum sed maxime rationabile, & ad bonum commune, pacem religionum, & ad lites vitandas, & scandala auferenda, & vt personarum Regularium dominium, & possessiones, quas habet religio certæ sint & non litigiosæ, sicut non est durum, quod, quis etsi diligentissimus fuerit in inueniendo rem suam, & sic nullam negligentiam commiserit in ea acquirenda, nihilominus ipso irrito expresse, transacto tempore præfixo ad præscriptionem, rem amittat, & in alium dominium transferat, ita

vt in foro conscientia Dominus antiquior, non possit recuperare; quod multo magis conuincit quam ex negligentia, aut malitia noluit, recuperare, sicut facit ille, qui cum intra quinquennium possit recuperare suam libertatem reclamando, quod si non reclamet eam amittit, & tenetur in conscientia eam non sibi assumere, sed manere in Religione, in eaque perseverare, leges autem ibi allatae loquuntur absolute, & vt sic loquar in sensu diuiso, non  
 73 præsupposita aliqua causa, & sine motiuo speciali legislatoris ob commune bonum, quale interuenit in præsentiarum, præsupponitur enim expressa professio per emissionem trium votorum solemnium & traditionem factam Religioni quæ bona fide possidet libertatem professi, à qua transacto quinquennio non vult legislator ob bonum publicum Religionis, quod spoliatur Religio, quare Pater Thomas Sanchez  
 74 *disp. 37. cit. num. 6. in fine.* † dicit qui hanc partem tueretur nihil absurdum diceret aut probabilitate destitutum, & ego viris doctis communicati adducta fundamenta quæ summe illis placuere & valde probabilem & securam dixere sententiam.

Neque ea quæ Pater Suarez adducit *tom. 3. de religio. lib. 7. de professio. inualida cap. 5. per totum*, contra meam sententiam robustiora sunt his quæ hucusque diluimus, & omnino falsum est quod dicit *num. 5.* quod † hæc obligatio perseverandi in Religione ita ardua & difficilis est, vt potestatem legis humanæ excedat, vnde fieri non potest vt virtute legis humanæ, quod religio præscriptione tanti temporis acquirat ius, & dominium in talem personam, quæ ex vi illius obligetur, vel ad ratificandam professionem, vel saltem manere in obsequium Religionis perpetuo, quod est grauissimum onus multum repugnans humanæ libertati,  
 75 quæ adeo naturalis est, vt sine grauissima causa tolli non potest, vnde fieri nequit, eo quod circa personam liberam propria non est præscriptio, ita vt aliquis fiat seruus, vel alieni iuris, quia semper resistit propria & libera voluntas talis personæ, & sic nullus fit seruus præscriptione, & si dum est seruus possit præscriptione à seruitute liberari. *leg. 2. C. de præscript.* Vnde solum in pœnam potest quis subiici alicui, vt sit seruus, at in præsentem non est tanta culpa non reclamare, intra quinquennium, vt talis, & tanta pœna, & obligatio imponatur,  
 76 cum enim Concilium solum dicat non *audiatur*, & ad *allegandum non admittatur*, tamen denegat actionem ad reclamandum, non vero imponit nouam obligationem in conscientia.

Sed vt dixi non sunt hæc tanti pondus

vt à vera dimoueat Concilij intelligentia, & imprimis † non est magis ardua obligatio  
 78 seruitij diuini, quam obligatio seruitij humani, atqui seruitutem humanæ iustissime introducta est à iure gentium & ciuili, etiam si præcedat culpa & contra libertatem humanam iustissime introducta est consuetudo, & præscriptio, ergo idem potuit facere Trident. ob bonum commune Religionis, & ad vitandas lites, & pacem in disciplina Ecclesiastica conseruandam, & gubernatio regularis fiat vt oportet, minor huius discursus mihi constitutissima est, cuius probationem latissimam & efficacissimam mihi obtulit † vir omnigena eruditione plenus Doctissimus D. Ioannes de Solorzano *tom. 2. de iure Indiar. lib. 1. cap. 3.* vbi de seruis adscriptitiis, & *cap. 4.* vbi de seruitio personali Indorum, serui enim adscriptitij ita erant, obligati à non recedendo à fundis, quibus † adscripti erant de legis  
 79 aut magistratus alicuius auctoritate, vel triginta annorum præscriptione, vel ratione originis recedere non valerent, eorumque culturæ inferuire compellerentur, & ad nullum officium, militiam, vel ministerium, aspirare non possent. Ita habetur *leg. omnes profugi. 8. leg. colonos 11. leg. lib. 20. C. de Agrico. & censitis*, quas leges pluribus exornat perdoctus Doctor, id quod de colonis adfirmat Augustinus † *lib. 10. de Tri-*  
 80 *uit. c. 1.* & de Parabolanis, qui deputati erant publica auctoritate seruitio Hospitalium Ecclesiarum & xenodochiorum, qui tanquam adscriptitij residebant ibi & à seruitio ægrorum recedere nequibant *leg. Parabolani leg. placet C. de Episcopis & clericis.* Vnde est glossa celebris *cap. 2. verb. dicatur. de iudicis.* deducit ex textu quod ex tempore seruitus acquiritur.

In hac doctrina videtur absque dubio fundari quod *supra* diximus & probauimus † de filiis impuberibus oblatis à paren-  
 81 tibus, Monasteriis, à quibus recedere nequibant nec alium statum in sæculo adsumere, aut ad aliam religionem transire, sed illi cui oblatus est à parentibus adscriptus erat, & sicut adscriptitij ciuiles glebæ adhærebant, immobiliter, & partes fundi dicebantur. *l. quem admodum l. cum satis. C. de Agrico. & censit. l. 11.* ita isti oblatis ita adhærebant Monasterio, vt ab illo in tota vita discedere quirent, sed in eo residere tenebantur, in quo iure se fundauit Pontifex dum sententiam tulit *in lite inter Cistercienses & Cluniacenses*, determinans  
 82 Robertum D. Bernardi nepotem, etiam si in ordine Cisterciensi primo fuerit professus quam in Cluniacensi, quia tamen prius parentes Roberti ipsum cum fundo obtulerant Cluniacensi, illi restitui mandat, quia professio facta in Cisterciensi nõ potuit rescindere  
 83 oblationem

oblationem factam à parentibus ordini Cluniacensi, & dum Robertus professionem fecit in Cisterciensi furtum sui fecit Cluniacensibus, & sic restitui illis fuit necessarium: argumento manifesto, ex leg. cum satis. leg. presenti. §. cum autem. C. de his qui ad Ecclesiam confugiunt. vbi dicitur idem de adscriptitiis, & colonis, qui recedunt à gleba, cui adhærent immobiliter.

- Hoc argumentum, adeo est evidens ad  
 84 probandum, quod † quis potest voluntate Principis & Concilij, quum id expedit bono communi Religionis, & status religiosi obligari in conscientia, vt non recedat à Religione, quod non videam quid, quod satisfaciatur, responderi potest. Nam multo maiorem potestatem, & altius dominium habet Princeps in Vassallos, & Pontifex in fideles, quam Pater in filios impuberes, qui sicut etiam si habeant vsum rationis filij potest illos sic tradere Religioni, vt perpetuo maneant mancipati diuino seruitio, à quo nullatenus possunt recedere, nec alium statum valide adsumere, nec à Religione cui sunt oblato, aufugere, vnde Suarez tom. 3. de Religioso. lib. 6. de professione Relig. cap. 3. num. 11. sic fatur, Verum  
 86 quidem est † in donatione filij, non adiungi tria vota substantialia etiam implicite, & consequenter illam non fuisse veram professionem. Habuisse tamen nihilominus vim professionis, quoad traditionem, seu donationem, qua per illam fit, ita vt ex vi illius acquireret Monasterium verum dominium in infantem, & infans maneret postea obligatus ex iustitia ad seruiendum Monasterio, ideoque nec posset iuste, nec permetteretur retrocedere, sicut si Pater  
 87 proprium filium vendidisset, aut donasset, vere maneret seruus, & teneretur postea seruitutem seruare. Vnde sic oblatus à Parentibus non esset quidem in rigore Religiosus quoad perfectionis statum, sed largo modo posset dici Monachus, quia est vere traditus, & in illa traditione diuino obsequio mancipatus, quod videtur confirmare illa sententia prolata à Pontifice in causa Roberti, nam fortasse ob eam rem non est permissus transire ad aliam Religionem. Verum licet hac sententia hoc modo explicata probabilis sit, &c.

- Quæ doctrina verissima est à qua postea  
 88 recedit Suarez negans † fuisse in Ecclesia consuetudinem, vt qui impuberes offerebantur à parentibus perpetuo manerent diuino seruitio mancipati. In quo opponitur toti antiquitati Ecclesiasticæ, vt supra vidimus, & hoc negare manifesta est ignorantia Historiæ, aut si non est ignorantia est illius contemptus, vt suas opiniones tueantur. Vnde Petrus Cardinalis Damianus opusculo 16. Quæ est inuectio in Episcopum Monachos ad seculum reuocantem, cap. 5.

postquam plura Conciliorum Decreta, quæ nos attulimus ad id probandum attulit, dicit: † Nam de tam perspicuis Sanctorum Patrum dictu ambigere quid est aliud quam micantium astrorum globis oppositum apertis oculis nihil videre. Et quidem quod oblato à parentibus perpetuo deberent habitu religioso in Religione permanere. De his enim † Concilium Vuormacense can. 22. Igitur  
 90 non liceat eis susceptum habitum unquam deserere, sed conuicti quod aliquando tonsuram, aut religiosam vestem habuerint in Religionis cultu habituque velint nolint permanere cogantur: & D. Isidorus citatus ab Smaragdo in Regulam Sanctam, & à Gratiano, cap. quicumque 20. quest. 1. Quicumque (ait) à parentibus in Monasterio fuerit deligatus, non erit se ibi perpetuo permansurum, & probat exemplo Samuelis qui ablactatus, oblatus Domino perpetuo in templo permansit. Isidorum sequutum est Concilium Tiburicense, cap. 6. legendi sunt Doctissimi, & valde eruditi viri Illustrissimus Anton. Perez in cap. 39. Regula Sancta. & Dominus Benedictus Haëftenio lib. 8. disq. Monastic. tract. 5. disquis. 5. quare † sola parentum vo-  
 91 luntate qua filios suos impuberes offerebant, ipsa formalis oblatio ex Ecclesiæ approbatione erat virtualis solemnis professio Religionis, sicut qui baptizatur ex voluntate Ecclesiæ, qua vult baptizari, votum solemnem emittit seruandi legem Christianam, ea autem quæ adducit in contrarium facillimo negotio diluit Benedictus, vbi supra. Legatur, nam testimonium quod adducit ex Marcello, apocryphum, quia non ponitur in Decreto, sed est palea.

Ex quibus nullo negotio euanescent ea quæ supra adducebamus ex eodem Suarez falsum enim est, quod † virtute legis Ecclesiasticæ non possit, quis obligari, quod Religio præscribat ius in personam, quæ professione expressa se diuino cultui dicauit. Vtique potest vt de seruitute adscriptitia dicebamus, præualet enim voluntas Ecclesiæ resistentiæ particulari, quia ista attendit bonum proprium, illa bonum vniuersale Ecclesiæ, statum religiosum cuius cura tuetur, & vtilitatem regularis disciplinæ, vnde iure statuit, quod, qui in libertate positus ad reclamandum intra quinquennium non reclamatur, illo transacto teneatur in conscientia in Religione persistere, ita vt in conscientia reclamare non possit. Iudicans Concilium  
 93 sufficientem voluntatem esse ad confirmandam professionem, quod cum posset reclamare non reclamauit, quia consensus, etsi coactus, etsi per metum elicitus verus consensus est, & semper perseuerat virtualiter, quare ablata violentia, & metu ratione cuius reddebatur professio irrita, si

si non reclamatur intra quinquennium, vult Concilium, & disponit, quod ex vi illius professio confirmatur, non secus ac voluntas virtualis filij oblatis, ex voluntate Parentum sufficiens erat, ad professionem, vt manifestè monstratum est.

- 94 Quod autem † vita Religiosa, & perfectionis schola aspera sit, & difficilis, quare valde crudele videtur ad illam habendam, & profitendam cogere, nisi valde voluntarie, & spontanee debet amplecti fateor id esse verum in sensu diuiso, & seclusa omni exteriori obligatione, sicut matrimonium carnale adeo liberum est, vt secundum se ad illud nemo potest cogi, at supposita aliqua obligatione, quis iuste cogitur à iudice competente ad matrimonium contrahendum, nam libertate qua se iniecit in priorem obligationem, libertas ipsa perit, & sic cogi potest ad consentiendum, ita vt ex iustitia teneatur consentire, vt de illo qui fide contraxit matrimonium, cogitur in vtroque foro vere consentire, vt tenet † D. Th. in 4. dist. 27. quest. 1. art. 2. questiuic. 4. ad 1. & infr. notat. 8. amplius edisseram, cumque lex iustissima Trident. disponat quod qui liber ad reclamandum existens non reclamatur intra quinquennium non audiatur nec ad allegandum causam nullitatis admittatur, sed cogatur in Religione manere & profiteri, hoc est ratificare suam professionem, eo ipso, quod liberè non reclamauit omittens allegare coram iudicibus designatis causas nullitatis, hac ipsa omissione voluntaria libertatem ad dimittendam religionem amisit, & sic iuste cogitur à Tridentino, vt in conscientia & ex iustitia teneatur ratificare ob grauissima inconuenientia, quæ in gubernio regulari possunt sequi, si iste talis non sit professus, & tamen vt professus habeatur, & ipse in omnibus actibus professorum se ingerat, in electionibus, tam actiue, quam passiuè in admissione ad religionem, in contractibus communitatis, in Prælaturis ad quas potest eligi, in licentia administrandi sacramenta, quæ omnia etsi valida sint per *leg. Barbarius, ff. de offic. Prætoris*, tamen Concilium non iudicat sanum & rectum quod in rebus tanti ponderis, & quæ iura Canonica, quæ principaliter respiciunt bonum spirituale, magna ex parte euertunt; reguletur disciplina regularis iis iuris ciuilibus fictionibus, imo potius conuenientius est, & in vita regulari necessarium, quod veritas attendatur, quare Decretum Concilij dispositiuum est, & non solum fundatum in præsumptione: etsi enim inducat necessitatem aliquam, sed non absolutam & simpliciter, sed ex præsupposito aliquo, & hæc necessitas po-

test induci, imo vt ait Aug. epist. 45. ad *Armentarium, & Paulinam. Felix est necessitas, quæ ad meliora transmittit.*

Quam doctrinam adeo veram existimauit Petrus Cardinalis Damianus quod in præfato opusculo 16. cap. 9. sic concludat opusculum, † *Sed quoniam ex quadra-* 99  
*tis argumentationum nostrarum lapidibus inexpugnabile munimen erexitur, constans est, vt hoc in ipsius calce opusculi quædam syllogismi clauis firmiter obseremus. Omnes namque qui Monastica professionis habitum susceperunt, aut spontaneo iudicio sunt conuersi, aut* 100  
*vi coacti, aut suasoria calliditate decepti, qui autem sponte conuersi sunt, vel sub probatione ad monasterium veniunt vel postposita probationis difficultate prorumpunt, sed iam superioris posita multiplici canonum auctoritate firmatum est, vt quicumque aut sponte conuersi sunt aut coacti, aut etiam decepti, siue probati sint, siue non probati, excepto si uxoris consensum & promissionem non habuerunt omnes perseuerare in eo quem acceperunt Monachico ordine omnimodis compellantur, concludatur ergo necesse est, vt omnes qui Monachica professionis habitum susceperunt exceptis his qui absque uxoria permissione, & promissione conuersi sunt, quocumque alio modo ad hoc propositum venerint in eo quem ceperunt ordine compellendi sunt omni modo permanere. Hæc ibi Eminentissimus Cardinalis; qui vt ex discursu totius opusculi (vt discurrenti patebit) loquitur non solum in foro externo, sed in foro interno & conscientia, id enim constat ex cap. 6. in fine. iuncto capitibus anterioribus.*

Verum est quod huic Doctrinæ Tridentinum limitationes adnexuit, quia † Concilium annum integrum probationis requirit *sess. 25. de Regular. cap. 15.* vbi & ætatem decernit, quod sit annus 16. expletus, quæ non requirit Damianus, rursus vt illi qui coacti sunt vi, metu, aut deceptione, vel ante annum 16. expletum sunt professi quinquennium assignat *cap. 19.* vt causas nullitatis professionis suæ allegent, in qua purificetur consensus requisitus ad profitendum † quo quinquennio transacto, nec vis, 101  
nec deceptio, nec metus cadens in constantem virum, defectusve ætatis consensum inficiunt, sed præcipit quod maneat in religione adstrictus in conscientia à qua sine peccato iniustitiæ recedere nequit, & huius intentum Concilij est quod tanto ante tempore probauit Damianus.

Minus obstat id quod dicit Suarez, quod † professio religiosa est de consilio dumtaxat, & sic nunquam potest ab Ecclesia præcipi, hoc autem omnino falsum est absolute prolatum, quia ieiunium est opus super- 103  
erogatio

erogationis & consilij, vt ait D. Thom. 2. 2. *quest. 147. art. 3. ad 1.* & tamen conueniens fuit, quod Ecclesia præciperet ieiunium. Similiter *quest. 124. artic. 3. ad 1.* dicit quod licet martyrium sit opus supererogationis, & consilij, tamen aliquando est sub præcepto, cuius rationem dat ex Aug. *lib. de adulter. coniug. cap. 13.* asserente, quod † nullus actus perfectionis cadens sub consilio est, qui in aliquo euentu nõ cadat sub præcepto, quasi de necessitate salutis, & sic contingit in præsentī decreto, ratione cuius id quod ante erat de consilio transacto quinquennio, fit de præcepto, & obligat sub mortali, quod præceptum imponere conueniens fuit bono communi, & statui religioso; vnde † Concilium hoc decreto statuit, quod, & si quis, vi, aut metu coactus professionem emisit, etiamsi metus, aut vis cessauerit, paulo post emissam professionem, nihilominus habeat quinquennium in quo non obligetur ad reclamandum statim, sed intra ipsum quinquennium intra quod non obligat præceptum; quod tempus præfixit ad deliberandum an expediat sibi reclamare, ast † transacto quinquennio iam est ligatus præcepto perseverandi in religione, & eo transacto ex vi huius decreti & præcepti ratificata est manetque verus religiosus, & solemniter professus, à quo statu, nec Pontifex potest ipsum liberare iuxta veriore S. D. sententiam, nec ipse religiosus in conscientia potest reclamare.

Tota mea sententia quod Concilium, in hoc decreto disponat, & nõ solum præsumat probatur hoc manifesto discursu, quia † Concilium potest sic præcipere quod transacto quinquennio, quis teneatur professionem emittere, & sic ob impedimentum intrinsecum non possit reclamare, quia tenetur in conscientia profiteri, ergo cum ita conueniat sic disposuit, antecedens manifeste probatur, quia professio est contractus inter eum, qui profitetur, & religionem, vltro citroque obligans; vnde ex parte vtriusque contrahentis æqualis libertas exigitur taliter, quod si religio coacta, aut vi & metu impulsā contrahat, nulla est professio atqui Concilium, & Sedes Apostolica potest cogere religionem præcepto suo vt illum quem alias constat, nulliter professionem emisisse, si vult iterum denuo profiteri teneatur, in conscientia ipsum admittere, ergo potest maiori titulo ob bonum commune religiosi status præcipere, quod transacto quinquennio ille qui nulliter professus est, professionem ex corde emittat antecedens constat ex Bulla Urbana edita anno 1531. die 2. Aprilis, incipit. *Religiosos viros*, vbi mandat Superioribus vt ad nouam professionem admittant illi qui nul-

liter sunt professi, ex eo, quod annum nouitiatus non peregerunt in designatis domibus, & notat egregie Laurentius de Peyrinis tom. 3. *privileg. cap. 12. S. noto. 1. in paruis. pag. 320.*

## SVBRESOLVT. V.

Quando incipiat hoc quinquennium?

## S V M M A R I V M.

1. Quod quinquennium incipiat à die qua quis liber existit à coactione & metu, vt possit liber proclamare & allegare causas probantes nullitatem suæ professionis?
2. An cum tempus est præfixum in odium negligentie nõ currat ignorantia & impedito?
3. Quod quinquennium numeretur à die professionis tantum? ex Conc. & n. 4.
5. Authoris iudicium, nec non multorum aliorum, & num. 6. & 22.
7. An professio sit nulla cum metus grauis influit in illam, & sic de eius ratificatione.
8. Bellarmini sensus adducitur, & num. 9.
10. An licet professio expresse ratificetur à religioso ignorante nullitatem prioris professionis non validetur.
11. S. Doctoris ratio assertur.
12. An si toto quinquennio duret ignorantia nullitatis, vis, metus aut coactio, iure ipso diuino, & natura non ratificetur professio.
13. Quæ ratificatio à radice infecta dimanare dicatur.
14. An transacto quinquennio à die professionis in iudicio externo præsumatur quod quis non ignoret nullitatem.
15. Variorum DD. opiniones asseruntur.
16. Quod decretum sit latum in fauorem status religiosi.
17. Quid contra Suarez veniat aduertendum, & num. 18. & 19.
20. Concilij mens adducitur.
21. Quod quinquennium debeat computari de momento in momentum.
23. Professio tacita fundatur in præsumptione, ex Rota.
24. An donatio sui ipsius quæ fit in professione tacita fundetur in præsumptione, & numero 25.
26. D. Caietani sententia assertur, & n. 27.
28. Quod quinquennium non debeat numerari à die in qua quis sciuit professionem suam esse nullam? & n. 29. 30. & 31.
32. Quæ doctrina Rota, Declarationes Cardinalium, & Decretum Urbani intelligantur in foro externo & fori, non in interno, & poli.
33. Aliud est approbare seu ratificare, & aliud credere esse validum, ex Caiet. & n. 34.



35. *An in foro conscientie non ratificetur votum pro supposita ignorantia nullitatis, & num. 36.*
37. *Nihil magis contrarium consensui quam error, & num. 38.*
39. *An quod nullum est ab initio, ratificari non possit perseverante ignorantia nullitatis.*
40. *Difficultatis duplex ratio adfertur.*
41. *Pontifex concedit Commissario Bullæ Cruciatæ quod possit dispensare cum iis qui ignoranter in gradu prohibito contraxere.*
42. *Decreta Congregat. & Urbani VIII. solum vim habent in foro externo.*
43. *Duplex professio tacita admittitur.*
44. *Quæ professio tacita semper fundetur in præsumptione.*
45. *An transacto quinquennio in quo quis potest liberè reclamare teneatur in conscientia ad perseverandum in religione & tacite profiteri, & n. 46.*
47. *An voluntas coacta sit voluntas.*
48. *Thomæ Sanchez sensus, & n. 49.*
50. *Ratio difficultatis enodatur, & n. 51. & 52.*

**N**Oto quintum, circa huiusmodi Trident. decretum, quod incipit hoc quinquennium à die qua quis liber existit à coactione, & metu ut possit liberè proclamare & allegare causas probantes nullitatem suæ professionis, contrarium sentit Pater Thom. Sanchez *de matr. lib. 7. disp. 37. à n. 19.* qui mordicus tenet quod hoc quinquennium incipit à die professionis, à qua transacto quinquennio, non potest professus iure ordinario reclamare de nullitate, potest tamen remedio extraordinario restitutionis in integrum, quam concedit summus Pontifex quod satis neruose probat, & consequenter ad doctrinam quod quinquennium incipit à die professionis, sitque continuum, quod probat primò, quia † quum tempus est præfixum in odium negligentiae, non currit ignorantia, & impedito, at secus est quum non præfigitur in odium negligentiae, sed in favorem alterius, ut multi, quos ibi citat docent, inter quos sunt Coar. *cap. 3. de testam. n. 4.* Gutierr. *lib. 2. pract. quest. 91. n. 4.* Syluest. *verb. Beneficium. 2. n. 6. quest. 7.* at Conciliū, nec verbum ponit quo insinuetur, quod decretum fertur in odium negligentiae professi, sed solum in favorem religiosi status, ergo: Secundò, quia † Concilium expressè dicit, quod hoc quinquennium numeretur à die professionis tantum, ubi particula *tantum*, valde est ponderanda, cum sit exclusiva, ita affirmans id quod ponit, quod excludat omnes alios casus præter expressum *leg. ob as. Cod. de prædiis minor. cap. cum Ecclesia Sutrina. de causa possessionis*: unde cum non fuerit necessaria ea particula, dum eam ponit Trid. est cum mysterio, &

est quasi repetitio, & maior declaratio eiusdem; unde quinquennium numerandum est à die professionis, proceditque contra ignorantem, & impeditum quocumque impedimento facti, alias non obviaretur litibus, nec tranquillitas religionis obtineretur, quod fuit motium in edendo decreto.

Sed quod dixi † certius est, & longè probabilius quod quinquennium debet incipi numerari ab illa die in qua quis liber est, ut possit reclamare, etsi transacto hoc quinquennio non reclamat incipit obligatio ad ratificandam professionem, ita ut inconuenientia non possit retrocedere, sed tenetur ex iustitia professionem ratificare. Ita tenent Rota apud Buratum *decis. 205. numer. 3.* apud Farinac. *tom. 2. decis. 705.* coram Vualdo in una Toletana *professio. 25. Maij 1615. n. 4.* ubi egregiam dat rationem: quia metus ab initio illatus influit in omnes actus subsequentes, & remouet consensum ab actu, ut *decis. 1166. coram Seraphino in una Neapolit. professio. Nauarr. conf. 6. n. 2.* de iis quæ metu, &c. Rebuff. *conf. 68. num. 2. 2.* Hæc ibi. Cum enim iuxta sententiam Sanchez, Concilium concedat quinquennium, ad reclamandum & prohibet eo transacto reclamare, quia præsumit quod ratificatam professionem, aut, ut ego existimo, quia præcipit eam ratificari cum fuerit regulari quinquennium ad liberè proclamandum, & sic in pœnam liberæ omissionis in ratam, & quæ bono communi, & paci Religionis conuenit non differri, præcipit, quod intra Religionem maneat, atqui durante metu, coactione, aut ignorantia facti, non habet locum talis præsumptio, quia sicut † professio est nulla, quum metus grauis, aut coactio influit in illam, ita ratificatio nulla est, quia ex eodem metu dimanat, cum metus, ut ait Rota *ab initio illatus influit in omnes actus subsequentes*, & sic etiam ommissio reclamationis ob eandem rationem voluntaria, & libera non est, & sic eam non respicit Concilium suo Decreto: quare nostram sententiam docent Zerola in *praxi. part. 1. verb. Professio. §. 1.* Flaminius *de resignat. lib. 13. questio. 5. num. 45.* Spino. in *speculo testament. gloss. 12. num. 62.* Azor. *part. 1. lib. 12. cap. 4. quest. 10.* Beja. *part. 4. casu 14.* Vterque Rodriguez Antiquior. *tom. 3. quest. 16. artic. 16.* Junior. *resolut. 101. num. 68.* Villabobos *2. part. summ. tract. 35. diff. 25. num. 8.* Portel. *verb. Professio. n. 2.* optime Pasqualig. *tom. 1. variar. dec. 432.* Bellarm. *ad cap. 17. Trid. in obseruatio doctrinae verb. à die professionis*: † qui sic fatur, *intelligatur currere tempus istud à die cessantis metus, & ita censuit declarandum esse hunc Canonē sacra Congregatio. Sed iterum in Congregatione proposito dubio, an Monialis per*

*vim & metum ingressa qua infra tempus quinquennij non reclamauit, possit hodie post quinquennium audiri, ex quo usque hodie causa, vis, metusue, qua cessante reclamatur, & post multa ad utramque partem maior pars Illustrissimorum declarauit, ex hoc textu neminem post quinquennium esse audiendum ne detur*  
 9 *causa scandali, verum in casu proposito, & in aliis particularibus consulendum esse S. D. N. qui pro sua prudentia occurrentibus necessitatibus providebit, sub die 21. August. ann. 1572.*  
 Rota autem in vna Neapolit. pro Monialibus de Lofredo, coram Orano, contrarium docuit. Hæc Bellarm. quod vltimum Congreg. decretum quomodo sit intelligendum post authorum citationem subiiciam.

Idem quod Rota Romana quæ nobis fundamentum præbuit huius resolutionis tenent omnes illi, qui adfirmant, quod † licet professio expressè ratificetur à religioso ignorante nullitatem prioris professionis, nō validatur etiam per plures actus exercitos quos exercent viri professi, quod eleganter dicit Glossa de eo qui duxit in matr. verb. *inscia. ibi, in primo consensu videtur perdurare, & non alium approbare*, quam sequuntur ibi fere omnes Canonistæ cuius egregiam rationem dat † subtilis Doctor in 4. dist. 35. q. vnic. §. *respōdeo*, quia non consentit nouo cōsensu, sed tantum agit in virtute prioris consensus, quæ ratio demonstratiua est, quam tradit etiam D. Caiet. 2. 2. *quæst. 189. artic. 5. versic. & ideo*. idem docent multi quos larga manu refert Salgado de *supplicat. ad Sanctissimum, part. 1. cap. 3. §. unico, à num. 28.* ergo si toto quinquennio imo multis post annis durat ignorantia nullitatis, vis, metus, aut  
 12 *coactio iure ipso naturæ, & diuino non ratificatur professio, nec est nouus consensus* (qui nequit esse ex natura rei sine noua cognitione qua proponatur obiectum cum omni industria, vt liber sit consensus,) sed tantum agit in virtute prioris cōsensu absque culpa, & commissione voluntaria ratificationis. Quare etsi ordinibus sacris initietur, & Superior eligatur, aut ipse eligat, semper huiusmodi actus dimanant à metu, vel ignorantia ab initio existente, & sic nul-  
 13 *latenus ratificant vere & libere: quia † hæc ratificatio à radice infecta dimanat. Quare si hoc constat iudici non indiget Regularis restitutione in integrum, & remedio extraordinario, sed iuris ordinarium remedium illi debet concedere, & ipsum allegantem causas nullitatis audire.*

14 *Cæterum, quia † transacto quinquennio à die professionis in iudicio externo præsumitur, quod quis non ignoret nullitatem, vel excluso metu, aut violentia nō ratificarit professionem libere, maxime si non fecit protestationem violentiæ illatæ (quæ est*

quædam reclamatio, vt dicebat Rota *decis. illæ apud Farinac. 705.*) ideo, vt ait decretum Congregat. supra allatum dicit consulendum esse S. D. N. qui prudentia sua providebit, & in integrum restituet, vt possit audiri, & sic ad maiorem securitatem fori externi. Vnde vt bene notant † Portel. 15  
*in dubiis regular. verb. profess. null. reclamatio, num. 44. §. circa quod. Hieronym. Rodriguez ubi supra, num. 71. Barbof. in Collect. ad c. 19. Trident. sess. cit. num. 10. & 11. in praxi absoluetur, vt transacto quinquennio impetretur rescriptum à Papa sine quo neque Superior, nec Episcopus potest audire reclamationem, & sententia lata nulla censetur, nisi alias ex protestationibus constat, semper durasse causam nullitatis, quod valde considerandum est, nam tunc, non requiritur rescriptum Apostolicum.*

Neque fundamenta opposita aliud probant: Ad primum responderetur, quod licet verum sit, quod † hoc decretum sit latum 16  
 in fauorem status religiosi, tamen intelligitur, quod sit potens ad exercendas suas vires, quum potest præsumi ratificata professio, at non potest præsumi ratificata, quum toto quinquennio probatur impedimentum ex quo dimanauit nullitas professionis, perseverare, quia ipso stante non præsumitur non consensus, sed agitur in virtute prioris, vt dicebant Glossa, & Doctor subtilis.

Vnum † obiter aduerto contra Sanchez 17  
 qui ex eo dicit quod Decretum Tridentini non est dispositiuum, sed solum fundatur in præsumptione, quia ibi solum denegatur actio, quia solum dicitur ibi, *non audiatur, neque ad allegandum quamcunque causam admittatur*: vnde in foro conscientiæ remanet ius religioso ad suam libertatem recuperandam, hoc inquam falsum est: quia quū ob bonum publicum, & ad vitandas lites, 18  
 & quam reipub. conseruandam denegatur actio non remanet ius in illo, qui ob hos fines denegatur actio etiam illi concedi debeat restitutio in integrum ex causa iustæ, & probabilis ignorantæ, id constat in præscriptione decennaria, aut vigenaria, imo & quadragenaria in quibus, etsi solum leges ciuiles denegent actionem rem propriam repetendi, vt constat *ex leg. final. C. de fundis patrimonialibus, lib. 11. & l. omnes. 4. C. de præscript. Trig. aut Quadrag. & DD. ad Rubricam de Vscapionibus, lib. 41. ff. tit. 3. &* 19  
 tamen in conscientia obligat ius de præscriptione, ergo quamuis Tridentinum solum denegat actionem in iudicio externo transacto quinquennio eius, tamen Decretum obligat in conscientia.

Ad secundum responderetur, quod † Concilium loquitur à die professionis, præsumpta 20  
 præ

ptæ iuris & à iure, quæ non est, quum durat metus, vis, coactio, ignorantia, & quidem non video quomodo magis præcludatur, ostium litibus & inquietudini regulari si quinquennium currit ignorantia & impedito à die ipsa professionis, quam si non ab illo numeretur ut nos dicimus, si ut dicit Sanchez debeat concedi ei restitutio in integrum, hac enim concessa eadem regiminis Regularis oriuntur inquietudines, pullulant lites, imo multiplicantur. Vnum aduerto cum Bonacina *disp. de clausur. quæst. 2. punct. 10. num. 2.* quod † quinquennium hoc debet computari *de momento in momentum*, sicut annus decimus sextus professionis quæ doctrina verum tenet tam in mea sententia, quam in contraria, quod quinquennium incipit à die professionis etiam impedito & ignorantia.

22 Noto etiam † singularem doctrinam Rotæ apud Farin. *tom. 2. decis. 579. coram Vualdo anno 1614. die 18. Aprilis in vna Mitens. Profess. num. 5.* ex sententia Abbatis *cap. Prælatum num. 14. de his quæ vi met. caus. Finit post Innocentium, quod licet ad infirmandam expressam professionem, non sufficiat motus reuerentialis, sed debet esse talis, qui cadat in constantem virum, tamen secus est ad elidendam præsumptionem professionis ex gestatione habitus, cum vna præsumptio aliam tollat leg. Diuus. D. de integr. restit. cap. ex litteris. de præsump. & notatur cap. transmissa qui filij sint legit.* Hæc Rota, ex qua doctrina sequitur, quod quinquennium determinatum à Concilio, etsi istud non derogauerit professioni tacitæ, tamen non intelligitur quod sit præceptum quod transacto quinquennio ille qui tacite est professus in conscientia possit reclamare & aufugere: si reipsa non consensit ratio

23 est, quia ut ait Rota † professio tacita fundatur in præsumptione, ut expresse habetur *cap. 1. versic. si vero. de Regular. in 6. ibi. si per annum habitum gestauerit, ex tunc religionem assumptam præsumitur veraciter esse professus, quæ præsumptio etsi sit iuris, & à iure clement. fin. de Regular.* Cæterum euanescit ex veritate constante, & † donatio sui ipsius quæ fit in professione tacita etiam fundatur in præsumptione, quare si ista euanescit prorsus corrumpit ædificium professionis solemnem tacitæ, nec Concilium præcipit quod post quinquennium tacite professus non audiatur aut quod professionem emittat, sicut vult in professione expressa,

25 in qua verbis expressis fecit donationem sui monasterio, quam donationem si existens liber per quinquennium non reclamatur, aut aufugit, qui professus est vult Concilium, quod ratam habeat & validam, iuste ipsum cogens, & sic consentiendum sicut præcipit & obligat in conscientia, quod ille, qui fiet

expresse tamen promissit, si acceptata est promissio, quod qui promissit adimpleat promissum ut egregie dicebat † D. Caiet. 26  
2.2. quæst. 88. art. 1. §. ad huius evidentiam. *versic. constat, quod si quis promissit alicui coram testibus utile aliquid, quod siue habuerit animum promittendi siue non cogitur à iudice humano obseruare. Igitur quis profitetur ministris Ecclesie aut vouet coram aliis si habuerit animum siue non cogendus est implere quod dixit, alias nullus posset cogi ad seruandum promissa, quia semper ignoramus animum profitentis.* Hæc 27  
ibi, quod autem facere potest iudex cogens quod quis impleat quod exterius expresse promissit, & tenetur in conscientia obedire sententiæ, ut est indubitatum apud omnes id fecit Tridentinum in præfato decreto cogens & obligans in conscientia, quod transacto quinquennio in quo quis non reclamauit teneatur obseruare promissum Deo & religioni.

Aduerto etiam id quod valde est notandum pro utroque foro, quod adnotauit Rota. *in vna Meten. professio. 2. Iunij 1636. coram Camillo, quod † quinquennium hoc non debet numerari à die in qua quis sciuit professionem suam esse nullam, sic enim fantur DD. in præfata decis. num. 11. nec obstat quod ad ratificandam professionem requiratur, quod quis sciuerit nullitatem professionis, aliter vero ex permanentia in monasterio non censetur inducta ratificatio professionis. Caiet. 2.2. q. 189. arc. 5. versic. & ideo si aliquis. Nauarrus conf. 28. num. 7. & conf. 89. num. 3. de Regul. & in Manuali cap. 12. num. 71. & in puncto de Moniali in ciuitate Metensi, quod non censeatur ratificare professionem siue scientia dictæ nullitatis Rota decis. 179. num. 7. & decis. 397. num. 5. p. 4. Recentiorum, quia prædictam doctrinam uti non tutam Sacra Congregatio Cardinalium non amplectitur, sed potius contrarium pluries declarauit, veluti die 13. Ianuarij 1583. & die 20. Augusti 1621. in vna Roman. professionis. 30  
Quæ opinio Sacre Congreg. nititur autoritate text. in cap. 1. de Regular. in 6. in quo non obstante nullitate professionis præcedentis disponitur induci tacitam professionem absque eo quod requiratur aliquam scientiam dictæ nullitatis, & confirmatur sumpto argumento ex matrimonio carnali in quo ignorantia impediendi illud dirimentis non inuvalidat ipsum matrimonium si sequatur actus & inducatur præsumptio matrimonij, ut post Anchar. Sotum & alios tenet Thomas Sanchez de matrim. lib. 2. disp. 27. num. 2. vers. 5. & num. 9.*

Et infert num. 16. *Quibus accedit Decretum Concilij Trid. sess. 25. de Regular. cap. 19. in quo prohibetur agere de nullitate professionis post quinquennium computandum in expressa professione à die quo quis illam emittit, & c. quam doctrinam SS. D. N. Urbanus VIII. confirmauit*

noiffimè ad effrenandam facilitatem conuolandi ad sæculum, dum decreuit sub die 18. Decembr. 1635. declarando decreta S. M. Clement. VIII. ut Regulares contra eorundem formam professi allegantes propterea nullitatem professionis, non possunt post lapsum quinquennium à die professionis audiri, &c.

- 32 Verum enim vero † hanc doctrinam Rotæ & declarationes Cardinalium ac decretum Vrbanum intelligo in foro externo & fori, non interno & poli, nam si quis habet ignorantiam inuincibilem nullitatis, siue matrimonij carnalis, siue spiritualis contracti in professione, per quinquaginta annos nõ ratificat matrimonium, aut professionem in foro conscientia, quum hæc nullitatis ignorantia non præsumatur, & hoc est, quod
- 33 dicit D. Caiet. loco citato ibi, & scito quod † aliud est approbare, seu ratificare, & aliud est credere esse validum, & propterea habere intentionem adimplendi, nam approbare & ratificare ad actum spectat voluntatis, quæ quis vult nunc, quod olim voluit, credere autem esse validum spectat ad intellectum. Intendere autem exequi, quia præsumitur validum licet spectet ad voluntatem nihil tamen facit ad ipsum votum, sed solum ad executionem voti quam respicit: & ideo si aliquis ante pubertatem simplici voto vouit, & postea in legitima & libera etate considerans suum votum absolute illud esse validum intendens millies illud adimplere non propterea coram Deo illud ratificauit, aut approbavit, quamuis, ut ante dixerat de voto solemnii professionis facto ante pubertatem, quod si non irritetur à parentibus, quum puer est legitima etatis non potest amplius irritari, quia præsumitur ratificatum in etate legitima non reclamando, sed perseverando in Religione, Ecclesia enim ad quam spectat iudicium de voto solemnii rationabiliter sic præsumit, quibus verbis totam intelligentiam
- 35 comprehendit, & quod † in foro conscientia non ratificatur votum pro supposita ignorantia inuincibilis nullitatis, & quod in voto solemnii, cuius iudicium ad Ecclesiam pertinet hæc præsumit præsumptione iuris & à iure, quod adfuit talis ignorantia, & sic in foro externo cogit in Religione perseverare.
- 36 Et quidem, quod durante errore & ignorantia inuincibili nullitatis prioris professionis in quam consensit quis ignorans causas nullitatis, illius numquam in foro conscientia etiã millies ratificet, verè ratificare, & approbare mihi indubium est, ex doctrina certa quam tradunt DD. dum disputant de ratificatione matrimonij carnalis nullius, quod coniux ignorans nullitatem nunquam ratificat, aut confirmat, quod latè probat tanquam multo probabilius Thomas Sanchez multis citatis ex Canonistis Theologis, &

Summistis idem sentientibus lib. 2. de Matr. disp. 36. num. 3. & 4. Probatur manifestè, quia † nihil magis contrarium consensui, quam error, leg. si per errorem, ff. de iurisdic. omn. iudic. leg. nihil consensui, ff. de regul. iur. cuius iuris ratio perspicua est, quia nihil volitum, quin præcognitum, vnde nisi præcedat cognitio obiecti in quod consentitur, consensus nullus est, ergo si quis ignorantia inuincibili ductus nullitatis huius, ratificet & confirmet in incognitum fertur, & sic erga illud consentire nequit ratificans, & confirmans, quod ab initio fuit nullum: ignorans enim nullitatem matrimonij, aut professionis dum eam ratificat & confirmat, siue tacite per facta, siue expresse per verba, non intendit denuo matrimonium inire, aut profiteri, sed supponens ex ignorantia nullitatis illud esse validum ipsum ratificat & confirmat, & sic semper apud Deum non ratificatur, aut confirmatur votum, quia actus non operantur ultra agentium intentionem, leg. non omnes, ff. si certum petatur. Vnde in iure indubitatum est, quod † quod nullum est ab initio ratificari non potest, perseverante ignorantia nullitatis, cap. ad dissolnendum de desponsati. impub. Glossa ibi, verb. accusari. Hostiens. cap. dilectus vers. contrario. de sponsal. & ibi multi Canonistæ.

Huius veritatis † duplex ratio est, prima assignatur à Glossa cap. 1. de eo qui duxit vers. inscia. quia in primo consensu qui nullus fuit videtur perdurare & non alium approbare, secunda traditur ab Scoto in 4. dist. 35. quest. vnica §. respondeo. si impedimentum non exprimat perfonæ inscia, ipsa in copula carnali sequenti non consentit nouo consensu, qui nullus fuit, & illum videtur approbare etenim ignorantia antecedens omnino tollit voluntarium, quare illa perseverante, voluntarius consensus non subsistit. Vnde † Pontifex concedit Commissario Bullæ Cruciatæ, ut possit dispensare cum iis, qui ignoranter in gradu prohibito contraxere, Prius tamen (ait Papa) altero impedimento ignorante de nullitate prioris consensus certificato, ergo evidens est, quod ignorantia nullitatis, siue matrimonij, siue professionis solemnii ipsam nequit in foro conscientia ratificare, & confirmare. Vnde † decreta Congregat. & Urbani VIII. solum vim habent in foro externo in quo præcipiunt, quod exceptio ignorantia nullitatis non admittatur transacto quinquennio numerando à die professionis. Legatur Suarez tom. 3. de Relig. lib. 7. cap. 4. n. 6.

Vt autem omnia hæc dicta rectius concipiantur, notandum est, † duplicem esse professionem tacitam, vnam quæ est post professionem nullam expresse emissam, alteram, quæ non sequitur professionem

nem expressam, sed inducitur ex eo, quod transacto anno nouitiatus, quis facit actus proprios professorum, & in hac tacita professione quinquennium numeratur, à die qua quis actus professorum incepit exercere, inter quas duas tacitas professiones est latum discrimen valde notandum, nam

44 † hæc secunda tacita professio semper fundatur in præsumptione & quodcūque tempus transeat, à die in quo incepit exercere actus professorum probabile est, vt ait Rota, potest reclamare & probare nullitatem talis tacitæ professionis & admitti debet exceptio metus, aut coactionis, etiam transacto quinquennio à die in qua exercuit actus professorum numerando, de his enim non videtur loqui Trident. vt supra dicebam Trident. sess. 25. de Regular. cap. 19. sed tantum de professione expressa & de tacita ad illam secuta ex vi dispositionis nouæ, quam

45 inducit, quod † transacto quinquennio in quo quis potest libere reclamare, teneatur in conscientia ad perseverandum in Religione, & tacite profiteri ex vi professionis expressæ, quam emisit cuius virtus semper perseverat, etsi impedita ad exercendas vires suæ obligationis ratione coactionis, aut metus, quo impedimento ablato, si intra

46 quinquennium non reclametur vires suas exerit professio illa & sua obligatione adstringit, ratione donationis expressæ quam profitens fecit Religioni, quam declarat Concilium obligare in conscientia, transacto hoc quinquennio, nam si non reclamatur probans donationem esse nullam: ipsemet huic pœnæ se subiecit, leg. Imperatores ff. de iure fisci & leg. 15. tit. 13. par. 2. & qui vult antecedens vult necessario consequens, leg. illud ff. de acquirend. hered. voluntas enim † coacta voluntas est, c. merito. 15. q. 1. vnde ablata coactione quæ libertatem impediēbat, eadē voluntas quæ antea fuit coacta libera euadet, & quæ ratione coactionis non obligabat iam obligat libertate acquisita, ad quod præfigit Trident. quinquennium à die ablati impedimenti, quod transacto obligat professio expressa in conscientia, non quia requiratur expressa voluntas denuo profitendi, sed sufficit virtualis, quæ manet ex vi prioris voluntatis, etsi coactæ, quæ influit ablata coactione, eo ipso quod per quinquennium non vult cum possit reclamare,

48 iuxta doctrinam † Thomæ Sanchez vbi supra n. 12. vers. ad 5. vbi agit de illo qui ignoranter de nullitate matrimonium contraxit, illud ratificat tacite & virtualiter, etiam si non fiat certior nullitatis, pro qua citat plures num. 2. & re ipsa est valde probabile. Cuius rationem dat, quia licet ille non intendat formaliter nouum inire matrimonium, intendit tamen virtute, in eo enim actu quo hanc

vult in uxorem sicut iuxta cap. vnicum de despons. impub. in 6. cum impuberes contrahunt matrimonium, licet formaliter intendant matrimonium, virtute tamen intendunt sponsalia, quia si actus non valet eo modo quo agitur debet ex tacita contrahentium mente valere eo modo quo potest, (quæ doctrina in vtroque foro procedit, vt bene vidit ipse Thomas Sanchez lib. 1. disp. 21. num. 2. multis citat.) Sic in meo casu cum ea verba, vel copula sufficerent ad denuo contrahendum matrimonium, nec possint valere pro actus præteriti ratificatione, cum is nullus fuerit, valebunt eo modo quo possint, ex virtuali intentione nimirum ad contrahendum denuo matrimonium. Hactenus ibi.

Ex qua doctrina † lux noua oritur nouo 50 nostro dictamini, quia si virtualis intentio valet ad de nouo contrahendum matrimonium, & ad contrahenda vera sponsalia in foro conscientia, cur non valebit ad de nouo profitendum post quinquennium à die libertatis à coactione & metu, nam voluntas illa non reclamandi toto isto quinquennio est virtualis consensus de nouo profitendi, & hoc declarat Concilium in suo de 51 creto statuens, quod hac intentione virtuali teneat in conscientia professio solemnns, quamuis quis habeat expressam intentionem, non profitendi denuo, quia hæc non elidit donationem quam semel fecit sui, Religioni, eo ipso, quod cum spatio quinquennij quum possit elidere, non elidit, ex quo clare colligitur, quod illa expressa non profitendi intentio efficax non fuit, sed 52 virtualis illa intentio non reclamandi, cum sine impedimento aliquo potuerit reclamare, & non reclamans non impeditus virtualiter consentit in primum actum.

## SVBRESOLVT. VI.

In quo casu non possit Pontifex concedere restitutionem post quinquennium?

## S V M M A R I V M.

1. Pontifex nequit concedere priuilegium & remedium extraordinarium restitutionis in integrum post quinquennium.
2. D. Thoma sensus adducitur.

NOTO sextò circa idem Trident. quod Niuxta sententiam, quod sit dispositiuum & non solum fundatum in præsumptione, quod si dilabatur quinquennium à die in qua potuit quis reclamare † nequit Pontifex concedere priuilegium & remedium extraordinarium restitutionis in integrum, quia transacto hoc quinquennio iam iste est verè & propriè solemniter professus

fessus in vtroque foro, vt explicatum relinquo, ergo iste nequit quærere remedium ad se liberandum à professione solemnī, nec Pontifex potest illud concedere dispensando, quia nequit dispensare in votis emissis in professione solemnī, vt multoties dixi cum D. Thom. † & communi eius schola *ex textu in cap. cum ad Monasterium de statu Monacho.* bene verum est, quod si quinquennium numeretur à die professionis, vt in foro externo numeratur, vt dicit Urbanus VIII. & Sacra Congregatio Concilij, vt *suprà* ex Rota adduxi, quod transacto hoc quinquennio potest Pontifex priuilegium restitutionis in integrum concedere.

### SVBRESOLVT. VII.

*Decretum Tridentinum non comprehendit eos qui perpetuo sunt inhabiles.*

#### S V M M A R I V M.

1. *Quod decretum Trident. non comprehendat eos qui perpetuo sunt inhabiles?*
2. *Qui perpetuo inhabiles non solum possint reclamare, quocumque tempore elapso post emissam professionem, sed teneantur à religione exire?*
3. *An etiam si fundetur decretum in præsumptione, talis præsumptio iuris & à iure non sit in perpetuo inhabilibus.*
4. *Concilij mens assertur.*
5. *Ratio difficultatis diluitur, & n. 6.*

**N**Oto septimò, quod vt *suprà* not. 2. dixi † hoc decretum Trident. siue fundetur in præsumptione, vt vult Sanchez, siue fundetur in dispositione, quam nouo iure inducit Sancta Synodus, nullatenus comprehendit eos, qui perpetuo sunt inhabiles ad professionem valide faciendam, quia non habent eas qualitates, quas regula confirmata à Summo Pontifice exigit ad validitatem contractus professionis, aut quas Sedes Apostolica speciali Bulla cum clausula irritante *si secus fiat.* qui autem sint isti, tractant Sanchez *l. 7. disp. 37. n. 30. & 32.* Suarez *t. 3. de Relig. lib. 7. cap. 4. à n. 7.* quare † huiusmodi perpetuo inhabiles aliquo impedimento, quod tollere non est in sua potestate, quia statutum est à iure, non solum possunt reclamare, quocumque tempore elapso, post emissam professionem, sed tenentur à Religione exire nisi dispensationem habeant ab eo, qui dispensare potest, vnde isti audiendi sunt quocumque tempore non restricto ad quinquennium, nec enim Concilium de his perpetuo inhabilibus loquitur. Vnde † etiam si fundetur decretum in præsumptione, talis præsumptio iuris, & à iure, non

est in istis perpetuo inhabilibus, quia ius ipsum eos inhabiles reddit, si tamen decretum est dispositiuum eos non comprehendit, quia incapaces sunt profitendi, quare nisi capaces reddantur dispensatione tacita, vel expressa, neque tacite, neque expresse possunt valide profiteri, quæ professionis nullitas tolli nequit, & de nouo emitti professio solo consensu Religiosi. Vnde † Concilium solum loquitur expresse quum professio prætenditur nulla ex defectu ætatis, aut fuit nulla, quia coacta vi, & metu, & quamuis addat non esse audiendum si velit quacumque ex causa habitum dimittere. *Ly quacumque ex causa* solum distribuit circa subiecta capacia ex iure ad profitendum post quinquennium: de his enim loquitur Trident. quod sua intentione & decreto non comprehendit incapaces ad profitendum incapacitate iuridica, isti enim extra decretum diuagantur, *leg. vt gradatim. 11. vers. et si liga. ff. de muner. & honor.* quod bene probant Iason *leg. 2. §. Prætor n. 4. ff. qui satisf. dar.* Ludouicus Gomez ad *Regul. de Trien. q. 2. & ad Regul. de annali. q. 3. vers. non obstante.* quos citat & bene Sanchez. *ubi suprà* n. 32. & † ratio est, quia cum ius & Bulla Apostol. in fauorem Religionis hos perpetuo inhabiles, ad professionem faciat, si transacto quinquennio non possent expelli & probare professionem nullitatis, cogeretur religio eos retinere cum magno ipsius detrimento & aliorum scandalo, & pacis regularis turbatione, tum insuper, quia per Concilium iuris correctio induceretur, quæ nunquam est præsumenda nisi exprimatur.

Verum est, quod † si Religio præsumat talem Religiosum malitiosè velle probare se inhabilem esse, haberi, quia impedimentum ratione cuius fit à iure incapax professionis tacitæ, vel expressæ, sciatque Religio, dolo, & fraude id perficere, vt fugiat religiosam vitam, vt de quodam fui consultus anno elapso, quod tunc transacto quinquennio nequit illum audire, quia dolus & fraus nulli patrocinari debent, & iste re ipsa non est inhabilis, quare intra Concilij decreti terminos continetur & sic cogi debet ad permanendum in religione, & sic respondi & placuit viris doctis.

### SVBRESOLVT. VIII.

*Qui fingit consensum non est audiendus vlllo tempore.*

#### S V M M A R I V M.

1. *An quando quis fictè & malitiosè professionem emisit, nec post quinquennium nec ante quinquennium possit reclamare.*

2. *Ratio*

2. Ratio difficultatis assertur, & numer. 3. & 4.
5. Sanchez sententia.
6. An damnum illatum fœminæ matrimonio fœtè contrario sit omnino irreparabile ex vi contractus initi inter utrumque coniugem.
7. Legionens. sensus admittitur.
8. Religio potius ordinatur in bonum proficientis quam econtra.
9. Promissio acceptata iure naturæ ex iustitia & fidelitate parit obligationem utriusque virtutis.
10. An ille qui vi, fraude & dolo aliquem professum eduxit à religione, ipsum in fugam & apostasiam inducens, teneatur ex iustitia dolum & fraudem depellere, & num. 11.
11. An privilegium quinquennij non proffit his qui fœtè profitentur sine vi, aut coactione, & n. 13. & 14.
15. Authoris iudicium.

**N**Oto octavo, quod † quando quis fœtè & malitiosè professionem emisit verba externa quæ alij proferunt dum profitentur, dicens, sed fingendo consensum, iste nullatenus, nec post quinquennium, nec ante quinquennium potest reclamare, nec illi conceditur privilegium quinquennij, sed statim ac professionem emittunt tenentur sub mortali professionem suam vero consensu facere, vel præteritæ novum consensum iniungere, adeo quod absolui nequeat nisi consensum adhibeat statim, nec video quomodo hoc negetur à viris doctis *ut supra* dicebam, quos sequitur Thomas Sanchez

2 n. 39. Ratio est perspicua, † quia, ut ait D. Thom. in 4. dist. 27. q. 2. art. 2. q. 4. ad 1. & sequitur Thomas ipse lib. 1. de Matrim. disp. 11. n. 5. dicens esse verissimum & Petrus de Soto lect. 3. de Matrim. §. primum agitur. dicit esse indubitatum, & Petrus de Ledesma quest. 45. de Matrim. art. 4. dub. 1. dicit contrarium esse improbable, idem docent Legionensis lib. 2. de Matrim. cap. 3. Dicastillus disp. 1. de Matrim. dub. 14. & de iust. & iure

3 lib. 2. tract. 2. disp. 7. dub. 9. & 10. ille qui fœtè contraxit cum aliqua etiam si sit disparis conditionis, in utroque foro tenetur verum adhibere consensum & fictionem mutare, tum ratione damni irrecuperabilis, quod accrescit fœminæ, tum ex vi & natura contractus initi *dome tibi, ut tu des te mihi*, qui contractus cum sit verus ex parte vnius contrahentis, alter debet ex iustitia verum illum facere, ius enim naturæ hanc qualitatem in-

4 ter contrahentes exigit, quod principium mihi indubium est, & latè confirmant Legionensis, & Dicastillus, adeo quod etiam si fœmina remittat omnem iniuriam sibi fa-

etiam ex damno secutam non possit remittere indissolubilitatem matrimonij, & sic vir fœtè consentiens tenetur fictionem abicere, & verè consentire, ergo ille qui fœtè professionem emisit, cum in ea teneatur contractus inter profitentem & Religionem, quæ cum in suum gremium admittit, cum Religio ipsum verè acceptauerit & se obligavit, ipse tenetur iure naturæ ex vi mutui contractus fictionem abicere, & verum consensum præbere, quod adeo verum est, quod etsi Religio velit non possit contractum dissolvere, quia ex vi illius indissolubile fit vinculum professionis solemnis, cuius cognitio pertinet ad solam sedem Apostolicam.

Quare profus evanidum est, quod respondet Sanchez † *disp. illa 11. n. 11.* quod fœtè contrahens solum ratione damni illati fœminæ tenetur verum consensum adhibere, non vero ex vi contractus initi ultro citroque obligantis, matrimonium etiam est in utriusque coniugis favorem, at Religio potius ordinatur in bonum profitentis quam econtra, vnde non videtur graue inferre damnum fœtè profitens si verum consensum non eliciat, utrumque quidem dictum profus inutile est, nam † damnum 6 illatum fœminæ matrimonio fœtè contracto omnino irreparabile & inevitabile est ex vi contractus initi inter utrumque coniugem, nam defectus ille veri consensu omnino est per se occultus, quamvis fœtè contrahens dicat aliis se fœtè consenturum, nam illi tenentur non adhibere fidem, dum vident serio matrimonium inire, & Ecclesia semper iudicabit verum fuisse matrimonium, quare si consummatum est illud nequit dissolvere, & sic ex vi talis contractus iure naturæ sequitur damnum fœminæ, si vir fœtè consentiat, & viro si fœmina fictum adhibeat consensum. Legatur Legionensis *ubi supra* n. 7. & 8. † qui optime advertit † damnum hoc ex fœtè matrimonio ortum non esse, quod ipsam agnovit, aut defloravit, hoc enim reparabile est multis modis, sed damnum, quod omnino irreparabile est quod fœmina, aut vir qui fœtè consentit est deceptus tenetur vivente altero innuptus manere, nisi vel alter ad Religionem evolet si matrimonium est ratum dumtaxat, vel Pontifex ipsum matrimonium diluat, quod potest facere iuxta probabilem sententiam.

Secundum etiam profus futile est, quod enim † Religio potius ordinetur in bonum 8 profitentis, quam econtra hoc non obstat quominus fiat verus contractus ultro citroque obligans utrumque contrahentem, & sic debet fieri in bonum Religionis, cui tanquam servus profitens dicatur, & Religio

- ex vi præfati contractus ius donatum acquirat in professum, cuius opera iure dominij potest exigere, & ipse tenetur præstare, vt omnes Catholici fatentur, quare quis cordatus negauit, graue damnum inferri Religioni si proficens fidei sui donationem faciat illi, quum ipsa verè consentit, & absque fictione? Certè quidem hoc argumentum conuincit, si enim † promissio acceptata iure naturæ ex iustitia & fidelitate parit obligationem vtriusque virtutis, etiam si interius quis fidei promittat, quia hoc exigit bonum politicum, & humanum commercium, quod sine fraude, & fictione debet celebrari, quanto magis id erit verissimum in religiosa professione, in qua quis se donat Religioni in obsequium Dei, & propriam perfectionem. Quare sicut † ille qui vi, fraude, & dolo aliquem professum eduxit à Religione ipsum in fugam & apostasiam inducens tenetur ex iustitia dolum & fraudem depellere, ipsumque persuadere, vt ad Religionem reuertatur, cui iniuriam intulit, imo ad id etiam tenetur ex iustitia si precibus, aut consilio ad id inducat, ita ille qui fidei professionem emisit, tenetur ex iustitia & fidelitate fictionem amouere & veram emittere professionem, neque antequam verum consensum eliciat, potest sacramentaliter absolui etiam si habeat propositum consentiendi, hoc enim non sufficit cum ita facile possit consensus verus elici, ac elicitur propositum consentiendi, & qui proponit, & non consentit, in hoc casu propositum verum non est, sed fictum & ad expiscandam absolutionem.
- 12 Ex quo colligitur, quod † privilegium quinquennij non prodest, vt dicebam his qui fidei profitentur sine vi & coactione, quia isti statim tenentur verum consensum elicere, & verum contractum perficere absque mora, non dico quinquennij, sed neque vnus horæ quadrantis, quia eo ipso, quod confiteatur tenetur, vt ritè id faciat consensum præbere verum. Cæterum sicut ille qui mortaliter peccauit non tenetur statim, aut contritionem elicere, aut confiteri, posset quis dicere, quod iste non tenetur statim consensum præbere, sed fallitur, quia obligatio iustitiæ statim obligat, ad refarciendum damnum illatum, ac quis commode potest, sicut hic fidei proficens potest consensum præbere, quod secus est de illo qui fidei contraxit matrimonium, si enim non est consummatum, sed tantum ratum habet spatium bimestre, vt deliberet, an sit capienda religio in quo bimestri, non tenetur verum consensum emittere, quia non tenetur consummare matrimonium, idem posset quis dicere de fidei proficiente si vult à Papa impetrari indulgentiam, vt

ad aliam religionem transeat, tempore enim in quo negotiatur hæc licentia non videtur obligari ad verum consensum respectu religionis in qua primo professus est eliciendum. Sed † non assentior, quia licentia est incerta, & quod in alia Religione sit fidei professus non conducit ad eam expiscandam, imo retardabit, tum etiam quia Religio semper habet ius, vt iste verè consentiat in suum contractum, propter quod iudico probabilius, quod etiam intra bimestre ille qui contraxit fidei matrimonium teneatur consentire, quia hoc non impedit, quominus possit intra præfatum tempus ad Religionem auolare.

### SVBRESOLVT. IX.

*Vt quis confirmet suam professionem non requiritur annus alter Nouitiatus.*

#### S V M M A R I V M.

1. Quod quinquennium non præfigatur à Trid. taxatiue vt quis possit ratificare professionem irritam ex defectu.
2. An requiratur annus nouitiatus præmitti ad professionem.
3. D. Antonini & Syluestri sensus, & numero 4.
5. Quis propriè non sit nouitius.
6. Trid. irritauit professionem factam ante 16. annum completum non tamen probauit, num. 7. & 8.

**N**Oto nonum, hoc quinquennium non præfigi à Trid. taxatiue, vt quis possit ratificare professionem irritam ex aliquo defectu ex annumeratis, sed vt diximus datur, vt quis possit reclamare liber existens ad reclamandum, potest namque iste nulliter professus statim ac se liberum & solutum ab impedimentis vidit professionem suam validam efficere absque eo, quod alterum annum nouitiatus incipiat, sed peracto anno nouitiatus etiã in illo integro duret impedimentum, siue sit temporale, siue sit perpetuum hoc ablato, siue quia ipso facto cessauit, vt defectus ætatis, metus grauis & coactio, siue quia dispensatum est à potente dispensare, potest professionem veram perficere, tum quia iuxta Trident. sess. 25. de Regul. cap. 5. iuncto cap. ad Apostolicam extra de Regular. ideo † requiritur annus nouitiatus præmitti ad professionem, vt faueret Monasterio & ipsi Religioso, illi vt mores Religiosi experiretur, huic autem, vt austeritatum Religionis experientiam sumeret, an possit illas in vita supportare, vtrumque consequitur etiam si professio irrita sit ex quocunque impedimento, & sic non



non exigitur nouus nouitiatus, quâuis enim attento iure communi, vt tenent D. Antoninus 3. part. lib. 16. cap. 13. §. 2. Syluester verb. Religio. 2. quæst. 12. num. 12. ibi. *Vtrum intrare possint pueri, vel puella in anno pubertatis? & dico quo sic: etiam parentibus prohibentibus 20. q. 2. cap. puella, sed oportet quod tales annum compleuerint, puer scilicet, 14. & puella 12. cap. ad nostram de Regular. in textu, & in glossa, neque in hoc malitia supplet ætatem, vt expresse notatur: 20. quæst. 1. in summa itidem Ioan. Andr. in clem. eos de Regular. Quod autem dixit Raymundus sufficere, si malitia supplet ætatem, cap. postulasti. de Regular. verum fuit suo tempore, quando summam fecit, & currebat prior compilatio Decretorum, sed hodie verba illa de ipsa Decretali, Postulasti subtracta sunt, & idem glossa, ibi: Huius veræ doctrinæ rationem reddit idem Syluester verb. Religio. 5. n. 1. q. 1. licet ante annos pubertatis oblati à parentibus, vel alias quis possit habitum Religionis suscipere, tamen † propriè non est nouitius, quia non potest experiri, quid sit castitas, nec malitia supplet ætatem, vt supra Religio. 2. §. 12. & sic patet, quo tempore possit quis esse nouitius, quia in 15. anno inchoante masculus, & fœmina in 13. quia non potest aliquis ingredi, nisi completa pubertate. Ita tenet Ioan. Andr. cap. beneficium, de Regul. in 6.*

Quam determinationem iuris communis non correxit Tridentin. sess. 25. de Regular. cap. 15. † solum enim irritauit professionem factam ante 16. annum completum non tamen prohibuit, quod annus nouitiatus non valeret inceptus immediatè post pubertatem completam, hac enim completa valide quis ingreditur nouitiatus annum, qui integer debet esse antequam  
7 valida emittatur professio, verum est, quod professio non sit valida, tamen si post annum 16. completum nouitiatus anni 14. vsque ad 15. non est necessarius, sed solum ab anno 15. vsque ad 16. deseruit tamen ad hoc annus nouitiatus à 14. completo in viro, & à 12. completo in fœmina: quod si professio sit inualida, quia facta est ante annum 16. completum, vt reiteretur professio, non est necessarius alius annus nouitiatus, vel ad hoc, quod si professio fuit nulla, quia ab anno pubertatis vsque ad professionem inualidam ex defectu ætatis; non fuit annus integer nouitiatus, vt professio reiteretur valide sufficit supplere, quod defuit anno nouitiatus antequam professio emittatur, quæ omnia notanda sunt pro casuum occurrentia.

Tom II.

## SVBRESOLVT. X.

*An requiratur nouus consensus ex parte Religionis?*

### S V M M A R I V M.

1. *An cum professio fuit inualida, vel ex metu graui, aut coactione vt reualidetur requiratur nouus consensus?*
2. *Summus Pontif. quam professionem accipiet?*
3. *Si professio sit nulla quid requiratur.*
4. *Authoris iudicium. & n. 5.*
6. *Multorum DD. sensus afferuntur. & n. 7.*
8. *De noua Religionis admissione quid veniat dicendum?*
9. *Quum annus nouitiatus non est completus, quod requiratur? & n. 10.*
11. *Quod Religio ignoret prioris professionis nullitatem vnde se habeat?*
12. *An aqutitas non exposcat, quod sufficiat tacitus consensus ex parte profitentis, & non sufficiat tacita acceptatio ex parte religionis, & num. 13. & 14.*
15. *Ratio difficultatis affertur. & n. 16.*

**S**ed aduertendum, quod † cum professio fuit inualida, vel ex metu graui, aut coactione, vt reualidetur non requiritur nouus consensus, aut acceptatio Religionis, ita Thomas Sanchez disp. 37. citat. n. 60. & 61. etsi dicat contrarium esse probabile, quod ego existimo in praxi non habere probabilitatem quum profitens est habilis alias, quia consensus Religionis semper perseuerat, nec est iam in potestate Religionis illum reuocare cum sit consensus Sedis Apostolicæ, quem nullus reuocare quit, Sedes enim Apostolica medio Superiore Regulari consentit, & acceptat professionem, Summus enim † Pontifex tanquam Supremus Religionum Generalis accipit professionem, quæ acceptatio semper perseuerat sicut Ecclesia offert sacrificium medio Sacerdote, qui nequit applicationem Ecclesiæ reiicere, nec licitè, nec valide, vt alibi probaui contra Cardinal. de Lugo, & sic solum desideratur consensus, & renouatio ex parte profitentis, quo adueniente professio omnino valida est, nec potest aliquo modo reuocari.

Si vero † professio sit nulla, quia subiectum erat perpetuo incapax & inhabile ex speciali statuto confirmato à Sede Apostolica; maior difficultas est an requiratur noua acceptatio, nouusque consensus Religionis si professus nulliter, indulto Apostolico habilitetur ad profitendum, dicit Thom. Sanchez probabile esse & tutum in praxi, quod non requiratur noua acceptatio  
K Religionis

Religionis, sed sufficit quod inhabilis factus habilis de nouo consentiat in suam professionem, sed † ego contrarium existimo verissimum, nec video quomodo sententia Sanchez in praxi sit secuta, nisi dum quis impetratur indultum à Pontifice petat etiam, quod ipse Summus Pontifex immediate acceptet suam professionem, nisi enim hoc non faciat Summus Pontifex, non acceptat professionem solemnem nisi media Religione in qua emittitur professio. Ratio est perspicua, quia quum subiectum est incapax non solum eius vota non accepit Religio, & donationem, sui quam facit verum eiicit, & excretur, ergo etiam si dispensetur & fiat habilis indulto Apostolico, nisi Religio acceptet, & consentiat de nouo quamuis adsit consensus profitentis non fit contractus mutuus, vltro citroque obligans Religionem, est enim vtriusque consensus inualidus, quia super inhabilem materiam & incapacem cecidit, id autem quod inualidum fuit non potest virtualiter permanere; quare melius esset Thomæ Sanchez quod in hac sententia persisteret quam docuit *lib. 2. de matrim. disp. 35.* & quidem loquens de matrim. carnali † tenent vterque Thomas S. Doctor in *4. dist. 40. q. vnic. art. 4. ad 6. Caiet. in summ. verb. Matrimonium §. contractus matrimo. vers. tertium cap. Scotus in 4. dist. 35. q. vnic. §. Respondeo, primus consensus, & vix inuenietur qui contrarium loquendo de impedimento, & incapacitate perpetua, de qua ego loquor, de isto enim non solum requirunt aliqui, nouam acceptationem Religionis, sed etiam nouum nouitiatum, ita Nauarrus *consil. 5. de Regular. n. 17. & 19. Rodriguez tom. 2. summe cap. 5. num. 2. Palacios in 4. dist. 27. disp. 2. in fine,* quod de nouitiatu non admitto (quamuis sit valde probabile quod requiratur, quia requiritur consensus religionis ad receptionem nouitij, qui non intelligitur validus, si est circa subiectum perpetuo incapax, at † de noua religionis iuxta vniuscuiusque formam admissione omnino certum iudico, quamnis non requirantur cæremoniæ illæ, quæ ex cæremoniali cuiuscunque communitatis fieri in professione, decernuntur.*

Quando enim † subiectum est incapax & inhabile ad tempus, vt ex defectu ætatis, aut quia annus integer nouitiatu non est peractus, & completus, non est facile determinare, an requiratur noua acceptatio Religionis, sed in his existimo, quod non requiratur expressa acceptatio noua Religionis, vt professio reualidetur, sed sufficit tacita, quamuis enim prior consensus Religionis inualidus fuerit, & iste nullatenus maneat, vtpote habitus circa subiectum inhabile, & sic deseruire, nequit

eius virtus ad hoc vt reualidetur professio irrita, tamen quum impedimentum, est temporale, 'ablato isto, vel temporis decursu, vel ipsius temporis complemento, vel facta diligentia temporali quæ deficiebat, eo ipso quod talis Religiosus, expressè consentiat interius, & Religio ipsum videat incedere habitu professorum: & eorum actus iuridicos exercere, tacite consentit, & acceptat professum in suum gremium, quia † quod Religio ignoret nullitatem prioris professionis concomitanter se habet ad consensum sicut se habet dum quis ex metu graui professionem emittit, quæ nulla fuit, vt autem Religio tacite dicatur denuo consentire, necessarium non est quod certior fiat prioris nullitatis, vt bene considerant Nauarrus *consil. 35. de Regular. num. 3. & consil. 46. num. 2. Graffis. 1. p. decisio. lib. 3. cap. 5. num. 24.* argumento ex *cap. significatum extra de Regul. & cap. 1. eodem in 6. & ex Decreto Trid. cap. 19. sess. 25. de Regular.* in quibus locis, per delationem habitus professorum spatio vnus anni, vt vult ius antiquum vel quinquennij, vt vult Trident. vere ratificatur professio, etiam si Religio expressam acceptationem non habeat nouam, est sit ignara nullitatis professionis, nec enim † æquitas exposcit, quod sufficiat tacitus consensus ex parte profitentis, & non sufficiat tacita acceptatio ex parte Religionis; quamuis ista non requirat quinquennium, vt dicatur tacite consentire sicut requiritur ex parte profitentis religio enim semper est exposita ad hanc tacitam voluntatem, tanquam mater quæ censetur admittere eum; quem semel admisit eo ipso quod iste velit validare consensum se illi incorporandi, & mediante isto, consensus tacitus Religionis dicitur Papa huiusmodi consensum acceptare ob pacem, & quietem Religiosorum.

Quod secus est quum impedimentum est perpetuum, vel ex Bullis Apostolicis, vel ex statuto alicuius Religionis confirmato à Sedis Apostolica, quamuis enim, qui occulte est ex sacrilego thoro natus, aut ex sanguine infecto natus (quin aliquibus Religionibus ex indulto Sedis Apost. nulliter profitentur, illisque fit notificatio ante professionem de hoc) dispensationem occultam, & inscia Religione huius impedimenti acquirat, si illam non facit manifestam Superiori & Capitulo (si huius consensus requiritur) non reualidatur professio, quia Religio nunquam expresse nedum tacite consentit (& Pontifex nisi in exprimat, dicitur consentire nisi media religione vt supra dicebam) ratio est manifesta † quia Religio neque expressè, neque tacitè dicitur consentire, & aliquem acceptare ad suum

16 suum gremium, nisi iuxta suam Regulam, & constitutiones confirmatas à Papa, atqui istæ semper excludunt istum impeditum, & incapacem ratione impedimenti, quod cum perpetuo duret, perpetuo excluditur cum eius dispensatio omnino sit incognita Religioni; ergo, vt ista denuo acceptet, etiam tacitè necessarium est eam dispensationem agnoscere, nisi Pontifex vtens dominio alto, & plenitudine potestatis, dicat in dispensatione, quod ipse immediatè professionem acceptat occultè, sicut occultè dispensat.

SVBRESOLVT. XI.

*Inhabilis perpetuo, nec in articulo mortis potest valde profiteri.*

S V M M A R I V M.

1. *Inhabilis perpetuo siue transacto anno, vel annis nouitiatus dimittitur. & n. 2.*

1 **E**X dictis in hac nona notatione colligitur: Primò, bene † nostram Religionem dimittere eum qui transacto anno, vel annis nouitiatus (ita vt inter nos nullatenus resideat) religiosus effectus est, siue per professionem solemnem siue per tria vota simplicia, vt in societate, illum tanquam non professum inter nos declarans propter impedimentum perpetuum quod habet, quod illi notificatur ante professionem, quare etsi occultè habeat à Pontifice dispensationem huius impedimenti, si eam non manifestat Religioni, ista cum in suum gremium nunquam admittit nec tacitè, nec expressè, quamuis decurrant multi anni, adeo quod nec in articulo mortis possit veram perficere professionem, sicut, qui est in articulo mortis contrahere nequit post Trident. sine parocho, & testibus, ex quocunque motiuo, quia sine illis subiectum est inhabile ad contrahendum, quæ inhabilitas nullius temporis lapsu excluditur.

SVBRESOLVT. VII.

*Qualiter transiens ad aliam religionem debeat facere nouitiatum?*

S V M M A R I V M.

1. *An transiens ad aliam religionem siue laxiorem siue strictiorem, aut æqualem debeat facere integrum nouitiatus annum.*
2. *Variorum Authorum opiniones adducuntur. & n. 3.*
4. *Tempus quo quis debet esse nouitius, regulariter totus annus debet esse, ex Syluestro.*

Tom. II.

& num. 5.

6. *Professionem emittens verè Monachus est censendus. & num. 7.*

8. *Correctio iuris an sit valde odiosa. & n. 9. & 10.*

11. *Quid de scholaribus societatis veniat dicendum. & num. 12.*

**C**olligitur secundo, quod seclusis constitutionibus Regularium à Sede Apostolica confirmatis, aut speciali aliqua Bulla † (sicut fuit Urbani VIII. edita in fauorem Fratrum excalceatorum SS. Triados, in qua statuitur, quod si frater eiusdem Religionis non excalceatus ad ipsos excalceatos transeat debeat facere annu nouitiatus) aut speciali decreto Congreg. quantum est ex iure communi & Concl. Trid. Dum quis professus vnus Religionis transit ad aliam siue laxiorem de licentia Papæ, siue strictiorem, siue æqualem non est necessarium quod faciat in Religione ad quam fit transitus integrum annum nouitiatus, sed hoc relinquitur arbitrio Superioris ipsum recipientis, vt experiatur mores, & aptitudinem recepti, contrarium sensit Sanch. † *disp. 37. cit. n. 47. vers. eius tamen doctrinam*, quæ sequitur Pellizar. *tom. 2. tract. 10. c. 5. n. 54.* sed nostram tenet Sorbus in *Compend. privilegior. verb. Nouitius, §. sed an requiratur integer annus.* Ratio quæ me mouet est, quia tam ius commune, *cap. Gundisaluuus 17. q. 2. cap. ad Apostolicam extra de Regularib. & cap. non solum eod. in 6.* quam nouum Tridentin. *sess. 25. de Regular. cap. 5.* Loquuntur de his qui de sæculo ad religiosam vitam ducendam conuolant, quibus nulla inest experientia austeritatum Religionis, nec isti qualitatibus ingredientis. Quare annus integer nouitiatus inducitur ad experimentum capiendum, atqui iam est professus in aliqua Religione, iam expertus est Religiosi status austeritates, & quid sit castitas, & obedientia & paupertas in quibus consistit austeritas substantialis vitæ religiosæ, quæ est ratio propter quam in iure communi dicebam supra cum Syluestro, quod anno nouitiatus non incipit ante annos pubertatis completos, quam ætatem malitia non supplet, & sic ex nullo iure communi colligitur, quod Religiosus solemniter professus transiens ad aliam Religionem teneatur, vt professio in ea valida sit, annum integrum nouitiatus in ea facere.

Totum hoc confirmo ex singulari doctrina Syluestri *verb. Religio. quest. 3. num. 3.* vbi agens de tempore † quo quis debet esse nouitius, dicit quod anno toto regulariter, *cap. Gonsaluuus 17. quest. 1. cap. ad Apostolicam. de Regular. & subdit, quia tamen hoc datur in fauorem nouitij, & Religionis,*

5 *ut se mutuo experiantur, si non itij & prelati cum suo conuentu accedat consensus ante annum profiteri potest, & professio tenet dicto cap. ad Apostolicam imo profiteri potest in ipso ingressu, etiam habitu non suscepto ut supra Religio. 3. §. 3. Hæc ille, & quidem Innocentius III. rescribens Archiepiscopo Pisano in præfato cap. ad Apostolicam, expresse dicit quod huic favori concessio Religioni, & ei qui professionem emittit, potest tam ipse quam Religio renuntiare, & sic tenebit professio, ut ait Pontifex & † professionem emittens vere monachus est censendus, quia (ait) multa fieri prohibentur, quasi facta fuerint obtinebunt roboris firmitatem & rationem dat glossa ibi, quia de communi consensu potest vterque renuntiare iuri suo cum sit singulare & personale beneficium, cap. gratum de officio delegat. leg. si quis. C. de pactis. secus si esset commune beneficium & favore omnium introductum*

7 *cap. si diligenti de foro compet.*

Et quamuis Concilium Trident. sess. 25. de Regular. cap. 15. hoc fecerit beneficium commune, cui non potest renuntiare, ut notat Bellarmin. ibi in additionibus num. 4. & sic corrigatur ius commune, tamen † cum correctio iuris sit omnino limitanda, est enim valde odiosa cap. cum expediat. de electio. in 6. leg. unica, Cod. de inoffic. dotibus, Concilium intelligendum venit de professione facta, de eo, qui de sæculo ad Reli-

gionem venit, non de illo qui de vna religione transit ad aliam, iste enim vere professio-  
nem emittet, si tam Religio quam ipsi fa-  
uori de anno integro probationis nuntient,  
cū alias Religio possit habere notitiam sub-  
iecti, & istud asperitatum accidentalium, reli-  
giosi status in illa communitate, sic consul-  
tus respondi Eminentissimo D.D. meo Car-  
dinali Pimentel vnde iste nec intra nec po-  
stea quinquennium ob non perfectum an-  
num nouitiatus in ea Religione ad quam  
transit potest reclamare, de nullitate suæ  
professionis.

In hac doctrina posset alicui videri non  
comprehendi † scholares Societatis qui post  
biennium tria vota religiosa simplicia ta-  
men emittunt, isti enim non sunt totaliter  
experti austeritates voti solemnem castitatis,  
paupertatis, & obedientiæ cum expulsi ad  
sæculum liber euadant, matrimonium con-  
trahant, & intra Religionem viuentes do-  
minium bonorum suorum retineant, & sic  
substantiales votorum austeritates non sunt  
totaliter experti, vnde si transeant ad aliam  
Religionem in qua solemnem professionem  
sunt emissuri, videtur quod debeant perfec-  
re integrum annum nouitiatus non secus ac  
ille, qui in sæculo emisit tria vota simplicia  
castitatis paupertatis & obedientiæ alicui,  
sed de hoc alij iudicent, ego enim meum  
non explico dictamen.

## FINIS LIBRI SECVNDI.



## LIBER TERTIVS,

De residentia Matrimoniali qualiter commutari possit in  
residentiam Monachalem.

**N**ON est extra intentum diuagare, hu-  
iusmodi tractatum assumere, matri-  
monij enim natura strictam exigit residen-  
tiam coniugum ad inuicem, non solum in  
eadem ciuitate, & domo, sed in eodem tho-  
ro coniugali ad rectam filiorum educatio-  
nem, & ut domus & familia recte, ut oportet  
gubernetur, hæc autem residentia tollitur,  
aut per hoc quod vnus ab alio absens  
fiat, quoad habitationem, & consortium, vel  
sine iudicis sententia diuortij ob iustas cau-  
sas, sed voluntarie vel præcedente sententia  
iusta diuortij, aut tollitur hæc residentia per  
hoc quod vnus Religionem solemniter pro-  
fiteatur, aut sacris ordinibus initietur, quod  
fieri potest transeundo ad Religionem intra  
bimestre à matrimonio contracto ex iuris

canonici indulgentia, aut quia Pontifex dis-  
pēsat in matrimonio rato, aut quia consum-  
mato matrimonio vnus de consensu, & licē-  
tia spontanea alterius religionem profitetur  
quare in his euentibus & multis aliis viden-  
dum est, quid obliget præceptum matrimo-  
nialis residentia, quod diuinum esse & natu-  
rale certū est, cum dicatur in Euāgelio, quod  
Deus coniunxit, homo non separet, quare ex vi  
huius diuini præcepti vir tenetur residere  
cum vxore & ista cū viro, adeo quod nisi ob  
adulteriū, aut aliā causam honestā à vincu-  
lo huius residentia vxoratos & coniuges nul-  
lus absoluere queat; hæc enim residentia na-  
scitur necessario ex, vi contractus matrimo-  
nij; prius tamen ut id quod diximus de in-  
telligentia quinquennij plenius confirme-  
tur

eur agendum, quando tollatur huius residentiae obligatio per professionem solemnem factam ex consensu alterius coniugis.



RESOLVT. I.

*Qualis debeat esse licentia coniugis, ut quis licite possit cum alio non residere; sed Religionem ingredi, & profiteri.*

**R**E C T E V T affolent tractant hoc punctum Thomas Sanchez lib. 7. de matr. disp. 32. & P. Magister Basilius Legionensis lib. 7. de matrim. cap. 11. & 12. quia tamen titulus resolutionis, & de ingressu ad habitum, & nouitiatum, & de professione solemni inquirat, & sint diuersae circa vtrumque difficultates sigillatim sunt discutien-  
da, & examinanda.

§. I.

*De licentia ad Nouitiatum ingressum.*

S V M M A R I V M.

1. Duplex licentia ad nouitiatum ingressum admittitur, & n. 2. 3. & 4.
5. An vt licentia coniugis manentis in saeculo, vt alter secum non resideat in religione, non sit necessarium quod sit in scriptis.
6. An religio sciens aliquem esse coniugem matrimonij consummati nequeat eum recipere, & num. 7.

**D**Vplex licentia potest considerari, vt ingressus ad nouitiatum coniugis matrimonij consummati licite subsistat & valide. Prima est Ordinarij & Episcopi ipsius ingredientis, & haec licet aliquando in aliqua Prouincia fuerit requisita ad professionem solemnem, vt dicam §. sequenti, tamen ad nouitiatum ingressum, neque vt licite neque vt valide fiat requiritur, quia existente alterius coniugis licentia est sufficienter liber consensus religionis recipientis, & nouitij ingredientis, neque est aliqua vel leuis insinuatio in iure Canonico, quod requiratur talis licentia Diocesani, vt ingressus iste licitus sit, & validus, quare non est exquirenda haec licentia, vt licite possit coniux nouitiatum ingredi, & cum altero non residere.

Secunda licentia est ipsius coniugis permanentis in saeculo, & quidem omnino certum requiri, vt licite fiat ingressus in hoc omnes quotquot scripsere conspirant: quia receptio ad nouitiatum directe opponi-

Tom. 11.

tur cum vsu matrimonij, siquidem vt ait Paulus *uir sui corporis potestatem non habet, sed mulier, &c.* Vnde quilibet ius strictum iustitiae habet vt debitum exigit ab alio, qui tenetur reddere, quod constare nequit cum ingressu ad nouitiatum in Religione peragendum, nam toto ipsius tempore durante contra voluntatem priuatur vsu sui iuris, ille, qui manet in saeculo, vnde aliter nequit nouitiatum licite ingredi ad ipsum peragendum in Religione sine licentia manentis in saeculo; nec ipsum religio potest licite admittere ob causam ratione. Adde id esse verum etiam retento habito nouitij, nouitiatum peragat extra Religionem, quia omnino indecens est, quod qui ingreditur religionem, ad experiendas difficultates, quae sunt in obseruantia castitatis, vacet in anno nouitiatu congressui matrimoniali, ita vt reddat debitum coniugi petenti, iste enim nouitiatu proculdubio inualidus est ex ratione text. cap. ad Apostolicam extra. de regular. & Concil. Trid. sess. 25. de regul. c. 15. in quo omnes conueniunt verum est, quod licentia ista coniugis manentis in saeculo, vt alter secum non resideat in Religione non est necessariam, quod sit in scriptis, vel quod sit expressa, sufficit in voce, & tacita, vt quis iudicetur iuri suo renuntiare, vt in similibus casibus tenet certa sententia cum in iure idem sit tacitum & expressum, quantum ad actus rectitudinem moralem. Caterum existimo, quod Religio si sciat talem esse coniugem consummati matrimonij nequit licite ipsum recipere ad annum nouitiatu, nisi sibi moraliter certo constet de licentia alterius manentis in saeculo, quia actus receptionis iuridicus est, & vt iuridica fiat iuridice debet constare de licentia requisita, vt honeste fiat actus, ne exponatur religio periculo faciendi iniustitiam alteri coniugi; Dixi si sciat, nam si ignoret vxoratum esse, quem recipit nulla iniuria fit nec est periculum, quod eam committat, quia ignorat statum recepti, at statim ac sciat tenetur inquirere de licentia.

S V B R E S O L V T. I.

*Vtrum licentia coniugis sit necessaria vt valide fiat nouitiatu?*

S V M M A R I V M.

1. An licentia coniugis sit necessaria vt annus nouitiatu valide fiat.
1. An professio sine licentia alterius coniugis sit valida ex natura rei.
3. Nullum est matrimonium quod non sit coram Parrocho & testibus.
4. An si alter coniux non consensit tacite, vel expresse

*expressè receptio non sit valida.*

5. *Professio facta sine licentia coniugis inu-  
alida est, non solum iure Ecclesiastico, sed  
ex natura rei.*
6. *An si Prælati aliquem reciperet sine Ca-  
pituli consensu ad nouitiatum, nouitiatum  
esset inualidus.*
7. *Receptio ad humanum experimentum in  
Religione iuridica non fuit.*
8. *Ex natura rei, & naturali iure receptio  
viri ad Nouitiatum sine licentia uxoris  
nulla est, & n. 9.*
10. *Vbi Ratio motiua sacrorum Canonum, &  
Trid. ad requirendum Nouitiatum annum  
fundetur.*
11. *Sanchez sententia assertur.*

**G**rauior difficultas est, an ꝑ hæc licentia alterius coniugis sit necessaria, vt annus nouitiatum valide fiat taliter, quod etiam si vxor, v. g. contradicit ingressui ad nouitiatum sit sufficiens ad hoc, quod si mulier consentiat possit sine alio nouitiatu professionem validam emittere: Negant Suarez tom. 3. de Religio. lib. 5. cap. 4. num. 10. & 11. Sanchez disp. 37. *sepius cit. quest. ult. num. 70.* Perez disp. 58. de matr. sect. 1. num. 6. Probatur, quia neque ex natura rei, neque ex aliquo iure Canonico, siue antiquo, siue nouo Trid. requiritur hæc licentia ad validitatem nouitiatum, quod non requiratur ex natura rei patet, quia ibi interuenit verus consensus Religionis & intrantis ipsam, & interuenit experimentum ex vtraque parte quod requirit Pontifex, cap. ad Apostolicam. de Regul. cum etiam quia potest esse actio iniuriosa ex natura rei: & tamen ex natura rei valida, multa enim prohibentur fieri quæ facta tenent & sunt valida, professio enim ꝑ sine licentia alterius coniugis valida est ex natura rei, nisi irritasset ius Canonicum, cum in iure Canonico nullus sit textus, in quo declaretur hæc receptio sine licentia coniugis irrita, semper erit valida, vnde cum Pontifices, aut ius aliquam receptionem indebitè factam, volunt esse inualidam, id exprimunt, vt fecit Sixtus V. in Bulla contra illegitimos, si autem non adest expressio, receptio valida est. & verum fundat nouitiatum, quare superueniente consensu alterius coniugis professio erit valida sine necessitate peragendi alium nouitiatum: hic enim exigitur à Trident. *vbi supra*, in fauorem Religionis, vt futuri religiosi agnoscat mores, & iste experiatur austeritates, quæ est ratio motiua huius Decreti; quæ in isto adæquante exercetur, etiam si nouitiatum peregerit sine licentia uxoris, sicut idem Trid. sess. 24. cap. 1. de matrim. statuit ꝑ nullum esse matrimonium, quod non sit coram Parocho & testibus, & tamen

si factum coram eisdem, nullum tamen ob impedimentum occultum, vt ratificetur non exigitur præsentia Parochi & testium, vt ostendit Sanchez lib. 2. de matrim. disp. 37. num. 3. & 7. quia finis & ratio motiua Trid. solum fuit quod Ecclesiæ constaret de matrimonio & vitarentur grauissima inconuenientia, quæ ex matrimoniis clandestinis quotidie emergebant.

Sed ego existimo verisimilium, quod si ꝑ alter coniugis non consentit tacite, vel expressè receptio non est valida, & sic nec annus nouitiatum valide transigitur, nisi à die qua Religio scit tacite, vel expressè alterum coniugem consensum præbuisse. Hoc mihi persuadeo tali discursu. Quia quod receptio ista sit irrita non prouenit ex eo quod subiectum est incapax professionis sine licentia uxoris ad eam emittendam, quia tunc etsi esset incapax ad professionem non esset incapax, vt reciperetur ad annum nouitiatum, quo transacto si licentia adueniret uxoris professionem validam efficeret. Sed prouenit ex eo quod talis receptio est iniusta, tam ex parte iniustæ receptionis, quam ex parte rei receptæ, siquidem aufertur inuito coniuge, id quod suum est vsus scilicet matrimonij ob eandem rationem, & non ob aliam ꝑ professio facta sine licentia coniugis inualida est, non solum iure Ecclesiastico, sed ex natura rei, vt infra dicam. Atqui ꝑ receptio iniusta rei alienæ 5 omni iure est inualida, siquidem recipiens tenetur in conscientia eam reddere vero Domino. Vnde annus nouitiatum peractus non prius habita licentia iuridicus non est, nec sufficiens, vt etiam cum licentia professio emittatur, non secus ac si Prælati sine consensu Capituli (vbi consensus esse, exigitur) ꝑ reciperet aliquem ad nouitiatum iste nouitiatum inualidus esset, & vt professionem emitteret alium annum deberet peragere, vt valide profiteretur quod ita certum est, vt nullus sit in hoc DD. dissensus. Sicut si quis ex deuotione intra monasterium per annum ducere vitam religiosam; vt illius asperitates experiretur, & vt Religio mores ipsius agnosceret, iste talis, vt professionem emitteret alium annum iuridicum nouitiatum integrum deberet peragere, alias professio nulla esset, quia ꝑ receptio ad humanum experimentum in Religione iuridica non fuit, & de consensu Capituli. Atqui non minus requiritur, imo multo magis licentia coniugis ad ingressum nouitiatum, ergo sine illa inualidus erit, & vt professio sit valida denuo debet incipi nouitiatum, & cum licentia uxoris noua receptio; quia prior profus fuit inualida, Sic respondi consultus, & amplexata est mea consultatio, anno 1644. Hispali.

Neque fundamenta opposita firmata sunt, responderetur, enim quod † ex natura rei, & naturali iure receptio ista sine licentia vxoris nulla est, & veluti furtum rei alienæ invito Domino; cuius rei receptio iuridice inualida est, & ab instanti receptionis obligat restitutio quod conuenit in præfenti, non enim interuenit consensus iuridicus vtriusque contrahentis, non secus ac dum minor contrahit sine autoritate iudicis inualidus est contractus, quamuis vterque contrahens consentiat, rursus id quod dicunt iura, & Trid. quod annus nouitiatus datur ad experimentum capiendum, & hoc experimentum captum fit etiam si vxor licentiam non det, friuolum est nam etiam in illo, qui admittitur sine licentia capituli, hoc experimentum est factum, similiter in illo qui deuotionis causa per aliquot annos vitam monasticam inter monachos agit, & tamen in vtroque casu requiritur annus nouitiatus iuridicus qualis non est sine receptione iuridica, & non est talis, quæ fit sine licentia alterius coniugis.

Vnde † ratio motiua Sacrorum canonum & Trident. ad requirendum annum nouitiatus non est precisè, vt sumatur humanum experimentum, tum à religione de moribus quam à futuro religioso de vitæ religiosæ austeritatibus, sumpto hoc materialiter, quia hoc experimentum aliunde potest haberi, sed debet solemniter, & iuridice hoc experimentum sumi, non particulariter sicut antiquitus non per quamlibet traductionem in domum sponsalia transibant in matrimonium, sed hæc debebat esse solemnis † vt bene Sanchez lib. 2. de matrim. disp. 37. num. 14. in fine ex Lopez p. 2. in tract. cap. 37. in fine, sic non quodlibet experimentum sat est iuxta Sacrorum canonum & Trident. mentem, sed illud quod fit in nouitiatu iuridico per receptionem validam, quæ non est quum constat non esse legitimam, & legitima non est non præeunte coniugis licentia tacita, vel expressa.

## SUBRESOLVT. II.

*Vtrum coniux qui debet licentiam ad nouitiatum, possit illam reuocare?*

### SUMMARIUM.

1. An si coniux licentiam præstet ad nouitiatus ingressum intra ipsius spatium possit illam reuocare, & num. 2.
3. Authoris mens adducitur.
4. Renunciatio liberè facta, sicut & donatio parit obligationem iustitiæ.
5. An si vxor de facto licentiam reuocet, valida sit reuocatio, & n. 6.

7. Quando non possit vxor licentiam reuocare!
8. Quæ donatio aut licentia non possit reuocari nisi in damnum tertij?
9. Quanam acceptatio pariat obligationem iustitiæ.
10. An non teneatur dare consensum ad professionem emittendam.
11. An si coniux dedit licentiam alteri, vt religionem ad annum nouitiatus faciendum & licentia non sit executâ, possit reuocari.
12. An si vterque coniux mutuam sibi licentiam concedant ingrediendi religionem ad annum nouitiatus peragendum, & iam sint ingressi, & iuridice recepti à religione, neuter possit alteri valide reuocare licentiam.

Sed est aliud dubium non minus graue † an si coniux licentiam præstet ad nouitiatus ingressum intra ipsius spatium possit illam reuocare? Adfirmat Martinus Perez disp. cit. sect. 1. num. 3. etiam si coniux ingressus fuerit nouitiatum, & habitum religiosum induerit ex receptione iuridica religionis, quia coniux dans licentiam ad huiusmodi ingressum non se priuauit dominio in corpus alterius, quare huius usum potest repetere, & licentiam reuocare, & toto anno probationis sui coniugis considerare, an sibi expediat perpetuo, sine coniuge vivere, quare sicut qui ingressus est nouitiatum potest exire & tenetur ad coniugem redire, ergo etiam alter qui licentiam dedit poterit reuocare, neque enim qui licentiam concedit tenetur eam non reuocare, vt in superioribus, qui subdito licentiam dant ad expendendum, si expensa non est facta potest illam reuocare, vel si expensa facta est in parte potest reuocare licentiam ne ultra procedat.

Sed ego † aliter verius, & solidius discuro, aut enim coniux dat licentiam ad ingressum nouitiatus, ex vi cuius religio alterum coniugem recipit, & habitum illi dedit regularem, & sic nisi graui existente causa, & mutatis notabiliter circumstantiis, eam nullatenus potest reuocare, etsi nouitiatus possit egredi, & religio ipsum dimittere. Ratio est perspicua, quid ex vi huius licentiæ coniux manens in sæculo renuntiavit iuri suo quod habebat ad petendum debitum, quam renuntiationem acceptauit, tam nouitiatus ipse, quam religio, vnde ex iustitia tenetur stare renuntiationi, quia † renuntiatio liberè facta, sicut & donatio parit obligationem iustitiæ, & hæc licentia est quædam tacita donatio sui iuris facta ipsi coniugi, & religioni, quare religio acquisiuit ius sicut & coniux contra alterum coniugem

iugem sumendi experimentum humanum, an expediat in Religione manere, quare coniux, qui dedit licentiam eam licite reuocare nequit quamuis nouitius possit licite exire, & ad priorem statum redire, & coniux, qui licentiam dedit tenetur ipsum admittere.

5 Existimo secundo † probabile esse, quod si de facto reuocat, valida est reuocatio & potest coram iudice suum consortem petere, & iudex tenebitur eum dare, & cogere, vt ad priorem coniugem reuertatur, hoc constat, quia si coniux ex licentia alterius votum simplex emitrat castitatis, si coniux qui licentia dedit sine causa irritet, valet irritatio quamuis peccet sic irritando. Ita loquendo de voto castitatis facto de licentia coniugis, tenet multis citatis Thomas Sanchez *lib. 9. de Matrimon. disp. 40. nu. 12.* cuius rationem dat, quia quamuis coniux licentiam dederit, vel ad vouendum, vel ad ingressum nouitiatus, sitque iam alter coniux Deo deuotus, & consignatus ad eius seruitium, tamen semper manet dominium ad debitum coniugalem petendum, ergo quamuis sine causa graui licite non possit reuocare licentiam, aut votum irritare, tamen valide reuocabit, & irritabit, sicut si quis voto aliquam rem Deo consecrauit valide eam alienat & dat alteri etsi illicite.

7 Existimo tertio, probabilius est, † quod nec valide potest reuocare licentiam, ( nisi rebus notabiliter mutatis, ) ad ingressum nouitiatus, si iam Religio ipsum iuridice recepit & ipse coniux licentiatus habitum induit regularem. Ratio quæ mouet est, quia etsi votum castitatis emissum cum licentia mariti possit ipse maritus valide irritare, vt tenet communis sententia, quia obligatio voti pendet potestate dominatiua viri, & ex vi illius nulli tertio est ius acquisitum, cæterum cum ex licentia, ius est acquisitum tertio, nequit ille, qui dat licentiam ad aliquid, ipsam reuocare iure ordinario, sicut si vir licentiam det vxori, vt aliquam rem pretiosam donet facta donatione, & acceptata, nequit † huiusmodi donatio reuocari, aut licentia, quia est in damnum tertij, quod acceptatione acquisiuit ius iustitiæ ad rem donatam, atqui coniux ex vi licentiæ alterius coniugis ingressus est religionem ad nouitiatum peragendum, ad quem, ipsa religio iuridice recepit illum. Ergo iam coniux nequit licentiam valide reuocare, sed nouitiatus valide perficietur ipso repugnante, quare si accedat consensus ad profutendum nõ indiget nouo nouitiatu, si quidem ex vi prioris licentiæ tam coniux, quam religio acceperunt renuntiationem iuris ad petendum, quæ † acceptatio peperit obligationem iustitiæ, quæ impedit re-

uocationem licentiæ datæ ad primum ingressum verum est, † quod non tenetur dare consensum ad professionem emittendam, ad quam requiritur diuersa licentia, quæ non continetur necessario in priori, ad primum ingressum, sicut nec voluntas ingrediendi ad annum probationis, non est necessario continens voluntatem profutendi.

Existimo quarto, quod † si coniux dedit licentiam alteri, vt religionem ingrediatur ad annum nouitiatus faciendum, & hæc licentia non sit executata potest reuocari, quia ex vi licentiæ datæ ille qui dat, non amittit ius ad ipsam reuocandam, sed re integra reuocari potest, at si iam executata est licentia ad primum ingressum, vt diximus reuocari nequit & sic non tenetur toto anno nouitiatus residere cum altero coniuge, sed liber existit, vt toto anno sit in Religione, etiam repugnante altero coniuge.

Existimo quinto, † si vterque coniux mutua licentiam sibi concedant ingrediendi Religionem, ad annum nouitiatus peragendum, & iam sint ingressi, & iuridice recepti à Religione, neuter potest alteri valide reuocare licentiam, tum ob rationem dictam, quia iam renuntiavit iuri suo vnusquisque, & est acceptata renuntiatio, tum etiam, quia eo ipso, quod mutuo sibi concessere licentiam communi consensu adest inter ipsos pactum, & virtute conuenit inter ipsos, vt vterque renunciaret iuri reuocandi, sicut dum communi consensu vterque vouet castitatem, adest pactum, quod renuntiet vnusquisque iuri petendi & reddendi & irritandi votum, vt bene Aragon. 2. 2. *quest. 88. artic. 8. fol. 1021.* Sotus *lib. 7. de Iustit. quest. 3. artic. 1. versic. an vero.* & alij communiter docent.

### SUBRESOLVT. III.

*Vtrum si coniux de licentia alterius voueat castitatem possit votum hoc irritare?*

#### SUMMARIUM.

1. An si mulier de licentia mariti vouit castitatem non possit illud irritare totum semel emissum.
2. Petri Lombardi sententia adfertur, necnon Frat. Gratiani, & n. 3.
4. An ex vi licentiæ datæ à coniuge ad vouendam continentiam, renuntiauerit iuri suo, & n. 5. & 6.
7. Thomæ Sanchez opinio affertur, & n. 8.
9. An respectu voti continentie non habeat vir potestatem dominatiuam respectu mulieris, quam non habeat mulier respectu mariti.



10. *An semel data licentia de voto continentia faciendo, isto facto non sit in potestate viri illud reuocare, & n. 11.*

12. *Ratio difficultatis assertur.*

1 **E**T propter eandem rationem iudico, quod si mulier de licentia mariti vouit castitatem non potest illud irritare votum semel emissum, illatio est contra Sanchez l. 9. de Matrim. disp. 40. n. 17. eam tamen expresserunt D. Thom. in 4. dist. 32. in exposit. Litter. Magistri. D. Bonauent. ibi n. 4. B. Albertus Magnus art. 6. & ferè omnes Scholastici antiqui similiter & veteres Summistæ. Syluester votum. 5. q. 2. Tabienna Matrimonium 1. §. 4. D. Antonin. 3. p. tit. 1. cap. 22. §. 3. qui longè grauiores & classiciores sunt, quam ij, quos pro se adducit Sanchez, quare eorum placitum amplectendum, vt longè probabilius, & tutius, quod primo expressit Magister Petrus Lombardus præfata dist. 32. c. 3. ubi hanc dat rationem quia fundamentum 2 est huius sententiæ, † *ex his (inquit) apparet, quod vir, vel mulier continentiam Deo offerre non potest sine communi consensu, nec alter alteri debitum negare debet. Si vero quilibet eorum alterum suo iure absoluerit, ad præteritam seruitutem, nunquid reuocare poterit?* & respondet, quod non ubi vir concedit vouere continentiam & ante votum prohibet implere, quare post factum votum nequit, ad præteritam seruitutem reuocare ex licentia data ipsam à suo iure absoluit.

3 Hanc Magistri Petri Lombardi rationem expressius dedit eius Frater Gratianus, cap. manifestum 11. (quod est Augustini quæst. 59. super numeros) 33. quæst. 5. his verbis, *ex præmissis auctoritatibus apparet, quod continentia vota, nec mulier sine consensu viri, nec vir sine consensu mulieris Deo reddere potest. Si autem de consensu alterius eorum ab altero promissa fuerit: etsi postmodum in irritum deducere voluerit, qui permisit non tamen valet: quia in debito coniugij æque mulier habet potestatem viri, sicut & vir mulieris: atque ideo, si quilibet eorum alterum à suo iure absolueret ad præteritam seruitutem ipsum reuocare non poterit, quia vero in cæteris, vir est caput mulieris, & mulier corpus viri, ita vota abstinentia viro permittente mulier potest promittere, vt tamen eodem prohibente re promissa, non valeat adimplere, & hoc, vt diximus propter conditionem seruitutis qua viro in omnibus debet subesse.* Hactenus Gratianus.

4 Qui manifestam rationem huius verissimæ sententiæ assignat, quia videlicet † ex vi licentiæ datæ à coniuge ad vouendam continentiam renunciauit iuri suo, quod habebat, ne alter votum faciat ne matrimonium illi onerosam esset, nam qui vouet non potest petere, etsi possit reddere, & one-

rosam valdè esset semper petere, vt bene contemplatus est, D. Thom. in 4. distinct. 32. quæst. 1. art. 4. ad 3. ista autem renunciatio acceptata est à coniuge, & sic manifestum est, quod coniux dans licentiam ad vouendam continentiam cum alterum à suo iure absoluerit, ad præteritam seruitutem ipsum reuocare non poterit præfatum votum irritans, quod secus est de aliis votis factis à muliere etiam si sit Religionis, soluto matrimonio etiam si facta sint cum licentia mariti, quia constante matrimonio mulier propter conditionem seruitutis in omnibus debet esse viro subiecta, de quo alias. Imo addo, satis probabile esse, quod ille qui ex consensu & licentia alterius coniugis vouit continentiam, & acceptat renunciationem sic se à iure alterius absolutum videt, nequit renuntiare huic acceptationi ex vi cuius validè vouit, quia iam Deo dicauit & sacravit petitionem debiti independentem à reuocatione, & sic sub votum eam vouit, quare nequit eam dependentem facere, à reuocatione alterius renuntiandò acceptationem renuntiationis sibi factæ, à coniuge dante licentiam, quod si renuntiet & sacrilegium committit & mutat materiam voti, quod nequit validè facere hoc est, quod dixit Gratianus in fin. causæ 33. *Vota conscientia, ita alterius permissu ab altero valent offerri, quod post promissionem non valent in irritum adduci,* quæ verba malè citantur à Sanchez n. 16. ac si esset Ambrosij.

Nec fundamentum Patris Thomæ Sanchez hanc verissimam sententiam conquirit, dicit enim, quod quamuis, † vir non sit Dominus materiæ promissæ ex eius facultate & licentia, est tamen dominus illius actus liberi quo vxor tempore subiectionis se obligauit voto illo, hic enim actus nouam infert obligationem, quam mulier antea non habebat, ad quam impediendam vir tanquam caput mulieris habet potestatem dominatiuam, sicut Superior respectu subditorum, quod dominium non renunciauit per licentiam datam, sed potest votum ipsum irritare, quamuis, quia dedit licentiam, id licite sine causa vrgenti facere nequit.

Verum enim vero hoc fundamentum ex quo plura educit Thomas Sanchez profus futile est, & in primis cum mulier non habeat potestatem dominatiuam in virum, si iste de licentia vxoris voueat continentiam vxor ipsum reuocare nequibit, & sic saltem in hoc verissima est sententia D. Thom. Deinde, quia † respectu voti continentia non habet vir potestatem dominatiuam respectu mulieris, quam non habeat mulier respectu mariti, cum in dando debito, & in petendo æquales sint ambo coniuges, & quili

quilibet debet votum de non petendo facere de licentia alterius, quare respectu debiti reddendi, aut petendi, vir non est caput mulieris in quo non sit mulier caput viri cum ambo sint æquales, quantum ad hoc, & tam subiecta est mulier viro, quam vir mulieri iuxta Apostolum 1. ad Corinth. 7. afferentem, quod *vir non habet potestatem sui corporis, sed vxor, & è contra vxor non habet potestatem sui corporis, sed vir*, quare † semel data licentia de voto continentia faciendo isto, factum non est in potestate viri illud reuocare, aut irritare, neque est in potestate dominatiua viri actus ille, quo ex licentia sua mulier vouit continentiam, sed quod mulier sicut & vir non possint vouere continentiam, sine licentia alterius, quæ prouenit ex speciali iure, quod vnusquisque mutuo habet in corpus alterius, ad debitum petendum, & reddendum, & vnusquisque etiam habet ius, ne matrimonium onerosum nimis sit, vt alter se obliget voto, ad non petendum, esset graue onus, vt alter teneretur semper petere, cui oneri renuntiat per licentiam, quam dat ad vouendum, & ita euidens est, quod actus liber quo alter coniux vouet continentiam non cadit sub potestate dominatiua viri, & sic illud votum, valide nequit irritare.

12 Ex dictis † clarè constat solutio fundamenti Martini Perez, respondetur enim, quod eo ipso, quod coniux dedit licentiam ad ingressum nouitiatus, eam concessit, & abdicauit à se ius ad petendum debitum, iuxta naturam anni nouitiatus, quæ est, quod nouitius potest exire, & Religio ipsum expellere, at cum renuntiatio iuris petendi, sit facta ex vi licentia (eam cum sit acceptata ab alio coniuge, & Religione) nequit reuocari ab eo, qui concessit.

### §. II.

*De licentia requisita, vt coniux absens sit à residentia Maritali per solemnem professionem.*

ET quidem omnino certum est, quod Equum coniuges mutuo resident in thoro casto & absque delicto, quod vnus nequit sine alterius licentia tacita, vel expressa validam professionem emittere in aliqua Religione approbata est determinata in iure Canonico, c. placet cap. quidam de conuersat. coniug. & apud Patres ex Ecclesie traditione omnino indubitatum. Legatur Petrus Damianus, opuscul. 16. cap. 8. & 9. & ratio est perspicua, quia neuter coniux est dominus sui corporis, sed alter alterius. Vnde nequit se tradere Religioni, sine licentia sui consortis si resident in ca-

sto thoro & absque delicto in illum commissio.

## SVBRESOLVT. IV.

*Virum hæc professio sine licentia coniugis sit irrita ex natura rei.*

### S V M M A R I V M.

1. *An professio sine coniugis licentia sit irrita, ex natura rei, vel solum lege Ecclesiastica.*
2. *An si coniux sine licentia alterius solemnem professionem emittat, ex natura rei valeat professio.*
3. *Authoris iudicium affertur, & num. 4. 5. 9. & 10.*
6. *An ex natura rei matrimonium consummatum dirimat professionem.*
7. *Votum continentia factum sine licentia utriusque coniugis tacita, vel expressa est ex natura rei nullum, & numero 8.*

Sed, † an hæc professio sit irrita ex natura rei, an verò solum lege Ecclesiastica dubium est, Perez. *ubi supra sect. 3. n. 5.* ex lege, dumtaxat Ecclesiastica irritam esse affirmat, sicut professio serui non est irrita iure naturæ, sed ex lege iustitiæ suspendi debet, quantum ad actuale exercitium in iis quæ iure Domini repugnant, quare si aliquatenus consequatur libertatem, professio exerit vires ad ipsum, in iis, quæ ad religiosi status exercitia pertinet. Vnde talis seruus matrimonium ducere nequit & ex vi voti paupertatis incapax est dominij. Ita † coniux si sine licentia alterius solemnem professionem emittet ex natura rei, valet professio & professionis vinculum immutabile perseuerat, quo stante non defraudatur iuri alterius, quia isto viuente vinculum professionis obligationem suam quantum, ad exercitium non facit, vnde manet professio valida, quamuis professionis exercitia viuente & inuito altero coniuge, exequi non possint in Religione.

Sed hanc sententiam, vt nouitate plenam prorsus falsam existimo, † & nullo modo admittendam, sed quod hæc professio sit omnino inualida ex natura rei & iure naturæ certo adfirmandum. Ratio est perspicua, quia iure naturæ ex vi contractus matrimonij, vterque coniux facit sui corporis traditionem, cuius alter habet veram potestatem dominatiuam, vt ait Paulus 1. ad Corinth. 7. ergo eiusdem corporis traditio solemnem, nequit fieri Religioni per professionem solemnem, in qua trado solum, quod est meum, nec valide possum trade-

re, quod est alienum, pertinens ad alterius potestatem sicut nequeo validè ex natura rei tradere æquū, quod est alienum, sed hæc traditio ex natura rei nulla est, & irrita, quod secus est de seruo, iste enim ad statum mutandum, siue matrimonij, siue Religionis & validè contrahendum non dependet à voluntate Domini, sed isto invito valide contrahet matrimonium, in quo sui corporis tradit dominium vxori, *vt infra* latius Resolut... explico. † Vnde ex vi seruitutis non abdicauit ex natura rei potestatem tradendi corpus suum alteri ex vi status matrimonij & professionis, & sic potest tradere Religioni cum illa ineundo matrimonium spirituale quo ligatur quantum ad essentialia, potest tamen extrahi à Domino à Religione, vt sibi inseruiat, quia ad hoc habet ius iustitiæ, quia seruus non est totaliter Domini nisi quantum ad vsum, aut coniugatus matrimonio consummato, nequit ex natura rei se totaliter tradere Deo, qualis traditur per professionem solemnem, & sic † ex natura rei matrimonium consummatum dirimit professionem solemnem, quia taliter coniugatus ex natura sui status, & coniugij, nequit alium statum adsumere, sine licentia coniugis sine qua non habet potestatem corpus suum alteri tradendi, sicut habet seruus, non obstante seruitute, cuius vinculum ex natura rei non est insolubile, sed multis modis solui potest, aut redemptione, aut manumissione, & similibus.

7 Confirmatur totum hoc, quia † votum continentia (quatenus continet non reddere, nec petere) factum sine licentia alterius coniugis, tacita, vel expressa est ex natura rei nullum, quia de re illicita, vt expresse tenent D. Thom. *in 4. dist. 32. quest. 1. art. 4. ibi. Non potest vnus sine consensu alterius continentiam vouere, et si voueret peccat, nec debet seruare votum, sed agere penitentiam de malo voto facto.* cuius egregiam dedit August. *rationem epist. 45. ad Armentarium, Riparium, & Paulinum.* agens de votis factis continentia à coniugatis sine consensu coniugis, quia *Deus non exigit si quis ex alieno aliquid vouerit, sed potius usurpare vetat alienum est enim votum de re illicita, quia de alieno.* ergo multo magis ex natura rei nulla erit professio tribus votis solemnibus (castitatis, &c. comprehensa, quia votum castitatis emissum est in religiosa solemnè professione imbibit obligationem nõ petendi, nec reddendi debitum, vt certum est, ex Ecclesiæ traditione, ergo dubitari nequit, quod si professio solemnè irritat matrimonium ex natura rei, quod istud similiter ex natura rei irritet professionem. Imo addo, quod et si professio ex natura rei non irritet matrimonium, quia iuxta aliquos Papa potest dif-

pensare in voto solemnè castitatis, (quod ego non sequor,) sed D. Thom. qui contrarium me docuit, tamen existimo, quod matrimonium consummatum ex natura rei irritat votum solemnè castitatis, & per consequens professionem solemnem, quia hoc includit non petere debitum coniugale, & sic votum solemnè emissum in professione, vt pote de <sup>10</sup> illicita si fiat sine licentia alterius coniugis est prorsus irritum ex natura rei, de quo legendus est, Dominus Caietanus 2. 2. qu. 88. *art. 8. dub. 2. §. ad obiectionem, & §. ad eius euidenciam,* in quibus egregias, vt assolet adducit doctrinas.

## SVBRESOLVT. V.

*Votum Castitatis factum in professione ista, nullum est & irritum ex natura rei.*

## S V M M A R I V M.

1. *An cum professio inualida sit & nulla ex natura rei, votum castitatis in ea emissum sit nullum, & n. 2.*
3. *An qui proficetur nullam faciat promissionem in tali Religione, ex Martino, & numer. 4.*
5. *Celestini III. doctrina assertur, & n. 6.*
7. *Necnon Legionens. & n. 9. 10. & 11.*
8. *An de voto stabilitatis in Religione & de voto castitatis eodem modo sit philosophandum.*

EX quibus inferitur contra eundem Perez. *num. 9.* quod † cum professio ista inualida sit & nulla ex natura rei votum castitatis in ea emissum etiam irritum non solum quoad petendum, sed etiam, quoad reddendum. Ita docuit Basilus Legionens. *l. 9. de Matrim. cap. 11. n. 3. & 4.* Ratio est perspicua, quia in professione solemnè fundamentum votorum quæ in ea emittuntur, est traditio solemnè, quæ seipsum Religioni huic tradit, in qua tria solemnè Deo facit, atqui traditio illa nulla fuit ex natura rei, ergo vota quæ in illa fundantur, ruunt & irrita euanescent, quod manifestè constat, nam iste inualide profitens solemnè non manet cum voto simplici Religionis, ita vt teneatur mortuo coniuge Religionem ingredi, & tamen currit eadem omnino ratio, ac de voto Castitatis, quia sicut votuens solemnè castitatem se obligat, ad id quod potest, & ita manet votum simplex, ita vouens solemnè religionem se obligat, ad id quod potest & sic manet votum simplex Religionis, & idem esset iudicium de voto paupertatis, quod maneret simplex, sicut est in Societate Iesu.

Id autem quod respondet Martinus  
 3 friuolum est, dicit enim quod † qui profite-  
 tur non facit vllam promissionem in tali re-  
 ligione, & ideo si de facto non ingreditur  
 ob nullitatem professionis, non potest in eo  
 manere talis promissio, quæ ab intrinseca  
 voluntate, non dimanauit, & ab intrinseco  
 non potest imponi, at facit formalem pro-  
 missionem Castitatis, à qua promissione au-  
 fertur solemnitas stante nullitate professio-  
 nis, ipsa tamen castitatis promissio valida  
 retinetur ab Ecclesia *cap. quidam cap. pla-*  
*cet de conuersione coniugatorum*, quod non fa-  
 cit de aliis votis paupertatis, & obedientiæ;  
 verum enim vero hoc profus est inane  
 & ex propria fantasia dictum, quis vnquam  
 4 negabit quod faciens solemnem professio-  
 nem non faciat votum formale implicitum  
 tamen in tribus votis solemnibus, religionis  
 in qua profitetur, non enim emittit tria vo-  
 ta extra religionem, sed inrra religionem  
 in qua promittit stabilitatem suam quam in  
 multis religionibus expressè promittunt,  
 quare si aliquod votum manet simplex stan-  
 te nullitate professionis ( etiam si expressè  
 non promittatur stabilitas in religione de  
 qua dicam *lib. 4. de filiatione monastica*) ne-  
 cessario manet in illo votum simplex reli-  
 gionis, quod formaliter implicite contine-  
 batur in voto castitatis, quod manifeste do-  
 cet Cœlestinus III. *cap. placet de conuers. con-*  
 5 *ing. vbi nulla existente professione mulie-*  
*ris, quæ credens mortuum maritum habi-*  
*tum religionis assumpsit, & ipso reuerso de*  
*monasterio educa est, dubitatur vbi an post*  
*obitum viri sit ad regularem obseruantiam*  
*compellenda, & respondet Papa, quod redi-*  
*re ad seculum non erat in eius potestate mariti,*  
*& ideo quantum ad ipsam votum tenuit quod*  
*post viri obitū tenere non desit. vbi glossa verb.*  
 6 *non cogendam, quod hic non fuit votum so-*  
*lemne, quia non habuit licentiam viri, vnde*  
*non compellitur redire ad monasterium, & sic*  
*addit Pontifex. Congruentius ad salutem vt*  
*ad monasterium redeat vbi bona ducta intente*  
*professionem fecit & habitum religionis ac-*  
*cepit. Vbi manifestum est Papam non so-*  
 lum loqui de voto castitatis emisso in pro-  
 fessione, sed de voto permanendi in reli-  
 gione, & stabilitatis in eadem, quantum est  
 7 ex parte sua, sicut votum castitatis cum ob-  
 ligat semper ad non exigendum, si enim solū  
 fecisset votum simplex castitatis de nō exi-  
 gendo liberum esset ei ad seculum redire,  
 quod non esse in sua potestate, ait Pontifex er-  
 go ex eo quod in professione fecit votum  
 permanendi & perseuerandi in Religione,  
 quod cum irrita sit professio manet in ratio-  
 ne voti simplicis religionis, quod expressit  
 8 glossa *cap. quidam de conuers. coniugatorū verb.*  
*non tenetur, id est, non debet ab Ecclesia com-*

li, ipse tamen peccat si non perficit quod vouit  
 ex quo impedimentum cessauit argumento 17.  
*quæst. 2. cap. nos nouimus*, quare † de voto  
 stabilitatis in religione, & de voto castitatis  
 eodem modo est philosophandum, cum er-  
 go iste sic professus non teneatur voto per-  
 manendi in religione, nec in communi, nec  
 in particulari sicut declerauit Sacra Congr.  
 de illo qui ante debitam ætatem professus  
 est, vt refert Basilius Legionens. *vbi supra n. 6.*  
 ita non tenetur voto castitatis emisso in pro-  
 fessione nulla.

Quare pro omnibus egregie ad præfatos  
 textus respondet Legionensis † *num. 4. Ponti-*  
*ficem loqui ex presumptione quadam & vt tu-*  
*tiorem partem eligat, presumit enim illum ha-*  
*buisse dum emisit professionem voluntatem se ob-*  
*ligandi eo modo quo posset, & quia se obligare*  
*potest non obstante vinculo, & vsu matrimony*  
*ad non petendum debitum, dicit saltem hanc*  
*partem illum seruare debere, at si cui de inten-*  
*tione costaret non esset illo adstrictus voto coram*  
*Deo. Hæc ille, quod ego etiam dico de voto*  
 stabilitatis in religione quod vere emittitur  
 in religione, verum enim vero, quia tam  
 votum castitatis quam stabilitatis, & perse- 10  
 uerantiæ in religione fundantur in validita-  
 te professionis, quæ est quasi explicatiua ob-  
 ligationis, nisi enim professionem, quis  
 emitteret prudenter ex vi præsentis dispo-  
 sitionis non velit se obligare votis emissis in  
 illa, consequitur, quod destructa validita-  
 te professionis, cætera quæ in illa fundantur  
 euerti & corruui. Cæterum cum in foro ex-  
 terno, & presumptione maneat iste obligatus  
 votis simplicibus castitatis, & perseue- 11  
 rantæ in religione ( vouet enim statum im-  
 mutabilem in illa dum solēniter profitetur,  
 status enim immutabilis, sine perseuerantia  
 non concipitur ) etsi valide contrahat ma-  
 trimonium mortuo coniuge, illicite ta-  
 men.

## SVBRESOLVT. VI.

*Votum continentia votum factum sine licentia  
 coniugis validum est.*

### S V M M A R I V M.

1. *An si vnus coniux sine licentia alterius vo-*  
*tum castitatis emittat hoc votum vali-*  
*dum sit.*
2. *Qua regula iuris procedat in materia voti,*  
*& n. 3.*
4. *Quod ex traditis sequatur.*
5. *An votum de non peccando absolutè emittat-*  
*tur sub vna ratione indiuisibili.*
6. *Authoris iudicium adducitur.*
7. *D. Thomæ sensus assertur, nec non multorum*  
*aliorum, & num. 8.*

9. *An in potestate vouentis coniugis non sit non petere, & n. 10.*

- 1 **I**nfertur secundum quod si extra casum professionis inualidæ sit sermo † si vnus coniux sine licentia alterius votum castitatis emittat hoc votum validum est & obligat ad non exigendum debitum, hoc egregie probat Thomas Sanchez *ubi supra lib. 9. disput. 35. num. 25.* secutus Syluestrum *verb. votum 4. questionib. 2. dicto. 4.* Nauarrum *in summa capit. 12. numer. 60.* Sotum *lib. 7. de iust. quest. 3. art. 1. versic. quod si contra arguas Paludanum in 4. dist. 32. quest. 2. art. 1. n. 14.* & multos alios quos citat. Fundamentum posuit Syluester *ubi supra ex Panormit. cap. 2.*
- 2 *quidam de conuers. coniug.* quia etiam † in materia voti procedit illa Regula iuris. *Si non valet quod ago ut ago, valeat ut, valere potest.* in qua se fundauit Pontifex Alexander III. ad Archiepiscopum Pisanum *cap. quidam cit. præsumens quod qui inuita vxore professionem emisit, et si non possit cogi ad monasterium reuertere mortua vxore, cæterum non potest licite mortua prima, aliam vxorem*
- 3 *accipere promisit enim (ait Papa) se non exigere debitum, quod in eius potestate erat, & ideo quoad hoc votum tenuit, non reddere autem non erat in eius, sed mulieris potestate.*
- Ex quibus fumitur argumentum, quia
- 4 † vnus coniux sine alterius consensu extra professionem Religionis vouet castitatem, vult se obligare ad id quod potest, & dare Deo absolute id quod est in eius potestate non vero, quod suum non est, & ex iustitia ad alterius pertinet potestatem, quamuis hoc possit cadere sub castitate promissa, si alter consentiat, tamen si non consentiat nequit votum facere de alieno. Vnde necessario ex vi voti huiusmodi castitatis, cum à nullo alio fundamento pendeat, nec sit alteri rei adnexum, quæ non subsistat, sed solum ex voluntate vouentis absolute castitatem ad omnes eos actus se extendit obligatio, qui à solo vouente pendent independenter omnino ab alio, quod non currit in voto facto de non peccando absolute, quod nullum est & irritum, quia de re impossibili, vt bene Sanchez *ubi supra*, nam † votum hoc de non peccando absolute emittitur sub vna ratione indiuisibili quatenus dissonat rationi, at votum castitatis actus eius respicit in indiuiduo, quare si quis actus est de materia quæ non est in mea potestate votum non tenet, tenet tamen quantum ad alios qui cadunt in mea solum voluntate, quantum ad eorum materiam, & sic vtile per inutile non vitiatur, nisi vouens expresse velit se obligare ad quod potest maneatque obligatus ad quod non cadit sub eius potestate.

Tom. II.

Dixi ( id quod valde est notandum) quod hoc votum obligat ad non exigendum, & non dixi, quod non obligat ad non petendum, nam vere ad non petendum non obligat, quia hoc non est absolute in eius potestate, & sic nisi de consensu alterius non potest id vouere. Ita expresse D. Tho. *in 4. dist. 32. q. 1. art. 4. ad 3. † Quidam dicunt quod vnus absque consensu alterius potest vouere quod non petat debitum, non autem quod non reddat, quia in primo est vterque sui iuris, sed non in secundo, sed quia si alter nunquam peteret debitum, ex hoc alteri matrimonium onerosum redderetur, dum oporteret, vnum semper confusionem debiti petendi subire, ideo alij probabilius dicunt, quod neutrum potest vnus absque consensu alterius vouere.* Hæc ibi quam doctrinam D. Tho. non vidit Thomas Sanchez, quam si vidisset non impugnaret † Doctissimum Nauarrum *ubi supra* quem sequitur Henriquez *lib. 12. de matrim. cap. 2. num. 9. in commen. litter. Z.* asserentem Pontifices in textibus citatis non dixisse non petitionem debiti, sed exactionem illius, quæ compulsionem denotat ex sui impositione *leg. exigere ff. de iudiciis*, vbi in præfatis textibus *cap. placet & cap. quidam, de exactione.* Loquuntur expresse non de petitione, vtcunque amicabiliter & humiliter in gratiam alterius ne matrimonium illi sit onerosum † quare in potestate vouentis coniugis non est non petere, quia hoc semper est cum damno alterius, cui esset onerosum matrimonium si semper deberet petere, quare solum est in potestate coniugis vouentis non petere exigendo & compellendo ex vi iuris & dominij, quod habet in corpus alterius, vt reddat, & ad hoc valet votum ( vt ait Pontifex ) *vt scilicet non petat exigendo*, etenim votum est de non petendo quum licite poterat petere, & non potest licite non petere, quum ex non petitione perpetua, matrimonium sit alteri onerosum, dum semper deberet petere, quod vergit in damnum, non paruum ipsius, confusionem scilicet, quam parit perpetua petitio, quæ omnia valde consideranda sunt à prudenti confessario.

## SVBRESOLVT. VII.

*Vtrum qui sine licentia coniugis professionem emisit possit à Religione fugere?*

### S V M M A R I V M.

1. *An professus qui ob defectum licentia alterius coniugis inualidam emisit professionem, possit altero non repetente propria auctoritate fugere, & numero 3.*

2. *Qua*

2. *Quæ confessio fieri non debeat nisi ex consensu & voluntate communi.*
4. *Authoris iudicium, & n. 11. 12. 25. & 26.*
5. *An si coniux sit certus quod sua confessio sit irrita, quod alter non consenserit tuto possit habitum dimittere.*
6. *Dispositio Conciliaris non est purè pœnalis, & num. 7.*
8. *An confessus teneatur in conscientia si potest probare nullitatem suæ professionis.*
9. *Patris Suarez mens assertur, & n. 10.*
13. *Ecclesia patitur iniuriam dum spoliatur possessione suâ, & n. 14.*
15. *An iste qui potest iuridicè probare nullitatem suæ professionis, si aufugiat teneatur in conscientia ad redeundum.*
16. *An si coniux qui licentiam præstare debebat mortuus est, & ille qui professionem emisit sine eius licentia probare potest nullitatem, nisi possit aufugere valeat, & n. 17.*
18. *An transacto quinquennio possit coniux qui in seculo mansit repetere alterum qui sine suo consensu professionem emisit.*
19. *An coniux in seculo manens toto vitæ spatio dissimulauit cum posset reclamare, an rata censeatur facta confessio sine licentia, & n. 22. 23. 27. & 28.*
20. *Sanchez & multorum aliorum sententiæ adducuntur, & n. 21.*
24. *An si vir de consensu uxoris fuerit ingressus, non constet quod hic fuerit expressus consensus, sed tacitus.*
29. *An cum semper præsumptio duret donatio sit irrenocabilis.*
30. *An dissimulatio uxoris faciat quod maritus prudenter iudicet quod consentit cum posset reclamare, & n. 1.*
32. *An Religio nequeat expellere eum qui dissimulante uxore professionem emisit.*
33. *An si intra bimestre alter coniux religionem ingrediatur, ibique secundum ius professionem emittat, dissoluatur matrimonium.*

**I**nfertur tertium decisio illius dubij, † an confessus qui ob defectum licentiæ alterius coniugis inualidam emisit professionem, possit altero non repetente, propria authoritate à Religione fugere & habitum deserere sine eo, quod iudicis competentis sententia nulla declaretur confessio, vt suo coniugi resideat. Pater Thomas Sanchez *l. cit. disp. 34. n. 15.* adfirmat, tum quia talis confessus est obligatus lege iustitiæ ad seipsum restituendum alteri coniugi & quandiu hæc restitutio non fit est raptor rei alienæ. Vnde *cap. accedens de conuers. coniugat. & cap. notificasti 33. q. 5.* hoc factum sine iudicis decreto non reprehenditur & *cap. vna sola ead. cau. & 9.* dicitur, quod † talis confessio fieri non de-

bet nisi ex consensu & voluntate communi, quod si aliter fiat magis est corrigenda temeritas, quàm soluenda promissio, ex quibus verbis Glossa *verb. corrigenda. & cap. notificasti. cit. verb. cum festinatione.* sententiam Sanchez sequitur.

Martinus Perez. *ubi supra n. 15.* Basilius *lib. 9. de Matrim. c. 11. n. 8.* Castro Palao *t. 5. tr. 16. disp. 2. §. 4. n. 3.* & plures alij censent † istum confessum sine consensu alterius coniugis, non posse propria authoritate habitum dimittere, & ad uxorem diuertere, & simul cum eo resideat, quia publico instrumento constat talem esse confessum, & sic constare debet publico iudicio de nullitate professionis. Vnde in *Trid. sess. 25. de Regular. cap. 19.* statuitur, vt ex quacumque causa velit habitum dimittere qui confessus est, res examinetur coram Prælato & Ordinario. id quod nos latè discussimus anteriori libro, ergo iste de quo loquimur, nequit propria authoritate habitum dimittere & ad residendum cum consorte diuertere.

Sed ego aliter incedo † meo discursu, aut enim coniux, qui licentiam non dedit viuit, aut est mortuus, etsi mortuus cum possit confessus reclamare quinquennium trāsiit, aut nō, rursus, aut confessus certus est, quod coniux non solum consensum non prætulit, sed expresse dissensit, & contra dixit ne à sua cohabitatione & residetia discederet, at hoc nequit probare, aut habet sufficientem probationem, amplius coniux expressum consensum non præbuit, aut dissimulauit.

Igitur † si coniux certus est, quod sua confessio est irrita & inualida, quia alter non præbuit consensum, tuto potest habitum dimittere, & ad residendum cum uxore diuertere, secluso scandalo, quia re ipsa, confessus non est & reddit alteri, quod suum est, imò ad hoc tenetur si sine scandalo id faciat, & hoc videntur velle Authores primæ opinionis, si tamen id potest probare, nequit propria authoritate id perficere, sed iudicis competentis iudicio publico. Ita Pater Suarez *t. 3. de Religio. lib. 7. cap. 3. n. 11.* & id probant quæ adduximus pro secunda sententia, quamuis enim Trident. non ponat expresse aliquod præceptum, quod hoc modo procedatur in recedendo à Religione, qui nulliter confessus est, tamen † depositio conciliaris, non est purè pœnalis, sed præceptiua cum materia sit grauissima & pœna ita grauis non imponitur, nisi graue peccatum esset eam legem transgredi, quod in legibus Ecclesiasticis manifestum. Legislator enim Ecclesiasticus prius attendit forum interius, quam exterius & hoc propter illud; & quidem pietati Ecclesiæ congruum, quod si quis potest licite aufugere à Religione, quia re ipsa confessio sua irrita est, quod propter talē fugam licitam priuet illum omnibus priuilegiis

legiis & favoribus Religiosis, quare cum valde pertineat ad bonum publicum, vt quod quum aliquis bona fide possidet etsi sit alterius non possit verus Dominus propria autoritate licite vsurpare, hæc enim vsurpatione indebito modo facta infert per se scandalum, & perturbationem Reipub. & boni communis, quod per se est dissonum rationi contra ius possessorium, quod habet Religio ac per consequens contra iustitiam.

8 Vnde iste † publice professus tenetur in conscientia si potest probare nullitatem suæ professionis id facere coram iudicibus competentibus, neque id potest facere propria autoritate, quod si faciat nequit in conscientia vti priuilegiis Religionis, à qua fugit, tum quia Concilium cum illis priuat, tum quia reipsa non est professus illius Religionis à cuius possessione per fugam se liberat, & sic nec ratione professionis potest illis frui, sicut potest ille qui coram iudice probat nullitatem toto tempore litis vsque ad sententiam diffinitiuam.

Quod si iste coniux nulliter professus & potens probare nullitatem probatione iuridica hac sprete aufugit, & ad residendum cum suo consorte diuertit à religione. Pater

9 Suarez n. 12. dicit, quod † iste quamuis male in hoc fecerit non tenetur ad religionem redire, quia professio nulla est, & Concilium solum dicit, quod non audiatur, sed cogatur in Religione permanere, non vero, quod ipse teneatur redire, tum etiam, quia si quæ culpa commissa est solum fuit quantum ad modum recedendi, à religione, non vero quantum ad substantiam, & ita non est obligatio in conscientia ad se restituendum Re-

10 ligioni. Vnde quamuis iste iubeatur redire sub excommunicationis pœna, & declaratur, vt contumax excommunicatus non obligatur in conscientia, nec ligatur cœsura, nisi quoad exterius, hoc enim præceptum fundatur in præsumptione, & ex illa dimanauit, & sic cum rei veritas non subsistat non obligat.

Ego tamen existimo in specie huius dubij  
11 † quod licet iste qui potest probare nullitatem suæ professionis, si aufugiat non teneatur redire ad religionem & illi se restituere ratione rei acceptæ, nec ratione modi quo se absentat scilicet occultè: at tenetur ex aliis capitibus primò, quia iniuste aufert à religione possessionem, quam habet bona fide suæ personæ, cum possit iuridicè probare nullitatem & ad hoc tenetur ex vi iustitiæ legalis, ne possessor bonæ fidei spoliatur possessione sua, & sic tenetur in conscientia attentatum restituere, ne perturbetur pax publica. Deinde, quia cum iste publice sit professus, & non constet publice non habuisse consensum alterius coniugis, ergo ex vi hu-

ius actionis fugitiuæ sequitur publicum scandalum, maxime si cū altero cōiuge resideat, & sic tenetur cum possit publice probare nullitatem professionis. Deinde, quia † Ec-  
13 clesia patitur iniuriam dum spoliatur possessione sua, ergo iuste præcipit restitutionem spoliij sui, ergo tenetur spoliatus in conscientia eam facere & si non faciat dubio procul censuris ligatur, quia non obedit iusto Ecclesiæ præcepto, quod non fundatur in præsumptione, sed est dispositiuum ne ad libitum spoliatur Ecclesia, non enim minus læditur iustitia dum quis spoliatur possessione bonæ fidei, quam dum spoliatur re cuius habet dominium, nam verè est etiam dominus possessione, quare si spoliatus potest iuridicè probare rem esse suam, vt publice eam accipiat tenetur in conscientia id facere, si autem non potest id probare, vt valet occulta recompensatione, non tamen publica ablatione. Quare iudico, quod † iste, qui potest iuridicè probare nullitatem suæ profes-  
14 sionis, si aufugiat tenetur in conscientia ad redeundum, vt publico iudicio probet se nō esse professum, & quod Religio non iuste possidet, & quovsque hoc faciat absolui nequit, si liberè & absque incommodo graui id præstare valet.

Si vero † coniux qui licentiam præstare  
15 debet mortuus est, & ille qui professionem emisit sine eius licentia probare potest nullitatem, & sic dicendum, vt modo dicebam, si autem non potest aufugere valet intra quinquennium, quia non tenetur intra illud ratificare professionem si vero quinquennium transiit in quo liberè potuit, vel aufugere, vel reclamare & id non fecit, iam profiteri tenetur iuxta dicta dum de quinquennio Trident. esset sermo, quod magis  
16 Resol. sequent. comprobabo.

Si tamen coniux cuius licentiã debet ha-  
17 bere alter, vt validam emittat professionem, viuit, & per quinquennium non reclamauit, nec petiit restitutionem coniugis cum liberè possit petere aliquis posset dicere, quod tacite consensit & sic si aliter ratificet professionem valida erit, nec potest alter iam repetere iure ordinario, sed iure restitutionis in integrum allegando ignorantiam, aut aliud, vt beneficium restitutionis in integrum detur, quia si transacto quinquennio ex Trident. cœsetur profiteri, qui cum possit reclamare, nō reclamauit, ita cœsetur coniux, qui potuit repetere, cōsentire, si nō repetat, sed verius est, quod etiã † transacto quinquennio potest  
18 coniux qui in sæculo mansit repetere alterum qui sine suo consensu professionem emisit, quia ius suum semper manet illæsum, & potestas quam habet in corpus alterius, & lex Tridentini solum obligat professum, qui per quinquennium  
19 potuit

potuit libere reclamare', & non fecit, quare dissimulatio per quinquennium alterius qui in sæculo mansit, non arguit tacitum consensum, & licentiam siue coniux relictus in sæculo ignorauerit ius, siue ipsum sciuerit, vt bene Syluester. *Matrimonium*. 8. q. 12. *dict.* 4. Calderinus *cap.* 1. *de conuers. coniug.* & ibi Abbas *num.* 7. & 8. quos citat & sequitur Sanchez *lib.* 7. *disp.* 35. *num.* 13. quia sola ad tempus dissimulatio non est licentia, & licentia requiritur, vt coniux iure priuetur.

19 Cæterum † cum coniux in sæculo manens, toto vitæ spatio dissimulauit cum posset reclamare, an rata censeatur professio facta sine licentia, ita vt non possit habitum deserere & aliud matrimonium valide inire? Thomas Sanchez *vbi modo n.* 15. existimat, quod nisi noua adsit ratificatio, non est valida professio facta, quia si semel professio fuit irrita, non videtur qualiter consensu illo tacito ratificetur, sicut nec validatur, etiamsi accedat consensus expressus coniugis manentis in sæculo, vt ipse latè probat *disp.* 34. *n.* 16.

Sed ego contrarium prorsus verius & securius iudico, sic enim sensere ferè omnes antiqui, quos Sanchez refert † *num.* 13. & 15. Nauarrus *lib.* 3. *consilior. tit. de conuers. coniug. consil.* 3. *nu.* 4. Henriquez *lib.* 12. *de Matrim. cap.* 15. *num.* 10. Rodriguez *tom.* 1. *Summ. cap.* 239. *num.* 3. Vega *tom.* 2. *cap.* 34. *casu* 104. qui loquuntur quum adest consensus expressus manentis in sæculo & quantum ad hoc idem est consensus expressus, & verus tacitus. Hoc probant Authores ij,

20 ex *cap. consuluit. de conuers. coniug.* vbi Clemens III. id videtur decidere, sed non videtur efficax, quia, vt notat Glossa *in tertia formatione casus.* & verbo *dirimendum* ibi. *Ille professus est licentia uxoris data ante professionem.* Ratione ergo efficaci probatur, quia

21 eo ipso, quod † mulier tam in professione emittenda quam in reliquo vitæ spatio non reclamauit, nec ostendit dissensum, cum posset eo ipso, quod toto tempore vitæ dissimulauit, censeatur à principio tacitum consensum præbuisse, quem irreuocabiliter confirmauit morte sua in qua non declarauit dissensisse, & sic est licentia tacita, quæ retrahitur in vi cuius traditio quam coniux fecit sui Prælato & Religioni firmatur & irreuocabilis redditur, etsi enim ante

22 mortem coniugis vera fuerit re ipsa professio ex vi tacitæ licentiæ ( quæ idem operatur ac expressa quantum validitatem professionis sicut professio tacita eandem inducit obligationem ac expressa ) tamen, quia tacita, & non cognita poterat in foro externo coniux relictus in sæculo repetere coniugem suum, tamen illo mortuo & non

declarante, quod dissensit professioni factæ, iam etiam in foro externo omnino irreuocabilis manet, & omnino confirmata relinquitur morte coniugis, & ad hoc potest deservire decisio textus *in cap. consuluit.* In quo etsi vt notat glossa † vir 24 de consensu vxoris fuerit ingressus, tamen non constat, quod hic consensus fuerit expressus, sed tacitus, quia ipsa ingressum non repugnauit, sed dissimulauit in qua dissimulatione stetit vsque ad mortem, & vir per moram & amplius fuit ante vxoris mortem, & Pontifex dicit, quod iste talis tenetur stare in Religione, vt professus, & quod validè nequit contrahere matrimonium, & quidem hunc esse huius decisionis genuinum sensum mihi persuasum habeo, † ex eo, quod in textu nihil dicitur de consensu vxoris, etsi antea, licentiam ipsius expressam, aut consensum vir habuisset, non esset locus occultationi, quia indubitatum erat in iure, quod vir de licentia vxoris expressa si profiteatur tacitè, vel expressè professio valida est, nec potest sic professus, 26 etiam mortua vxore habitum dimittere, & matrimonium contrahere, *cap. cum sis cap. significauit. de conuers. coniug.* quare consultatio fuit, quum non erat licentia expressa, ad profitendum, sed ad summum, ad primum ingressum, vt vult glossa citata & ad professionem tacitam fuit consensus tacitus per dissimulationem vxoris, quem confirmauit morte sua, quem sensum omnes recipiunt, vt bene aduertit Barbosa *ibi num.* 3. antiquioribus ferè omnibus citatis, quibus adiungit Brunellum *de sponsalibus conclus.* 30. *num.* 9. Azorium *part.* 1. *lib.* 12. *cap.* 1. *quest.* 6.

Ad fundamentum Sanchez respondetur, 27 quod † si quis professus est non actualiter repugnante vxore, sed dissimulante, & sciente maritum professionem emittere non contradixit talis professio, nec manet eius obligatio suspensa, sed est valida & rata, tamen non est omnino irreuocabilis auctoritate iudicis, si transacto aliquo tempore mulier reclamet & petat maritum suum in quo casu reuocatur professio, & donatio 28 quam vir fecit suæ personæ Religioni, nam vir præsumit & benè, quod dum vidente & sciente vxore cuius est, se dat Religioni, quia non contradicit cum possit, quod consentit in tali traditione & donatione sui, vnde quousque veritas clarescat, quod non consentit, quia repugnat semper professio valida & subsistens est, habet tamen imbibitam conditionem nisi mulier repugnet, quare ablato impedimento repugnantia mortua vxore omnino inualida redditur professio, quare † sepe, quod talis 29 præsumptio durat donatio est irreuocabilis,



at perpetuo durat mortua vxore, quia nequit iam præsumptio illa euanescere, sed facta est veritas. Vnde taliter professus tenetur & obligatur tribus votis Religionis sicut & cæteri.

Ex quo fit, id multo magis verum esse, si aliquis dissimulante vxore professionem emittat & vxor postea expresse consentiat, quod iste consensus expressus omnino irrevocabilem & validam reddit professionem. Ita Glossa *cap. mulier el. 1. 33. q. 5.* vbi Turrecremata *num. 1.* Henriquez *cap. vxoratus n. 8. de conuers. coniug.* & alij, quos supra dedi est contra eundem Thomam Sanchez *lib. 7. cit. disp. 34. num. 16.* ratio est supra data, quia † dissimulatio vxoris facit, quod maritus prudenter iudicet, quod consentit, cum posset reclamare, vnde quovsque expresse dissentiat præsumit, quod det consensum, vt se tradat Religionis, quare se valide tradit professione etiam non omnino irrevocabiliter, quia mulier potest contradicere, quod si non contradicit, sed expresse consentit donatio & professio omnino consolidantur sine nouo consensu viri, sed ex vi prioris, quo ipse manet adstrictus quovsque mulier contradicat & repetat, quod si repetat & non consentiat euanescit professio, quæ ex parte viri fundabatur in præsumptione orta ex dissimulatione vxoris, & quo vsque mulier dissentiat veram inducit obligationem obseruandi tria vota substantia, sicut scholares Societ. vere obligatur tribus votis simplicibus eos quovsque Pater Generalis, excludat, & repugnet quod sint in Societate.

32 Vnde fit quod † religio nequit expellere eum qui dissimulante vxore professionem emisit, quia ex parte professi, & religionis omnino irrevocabilis est professio, nisi mulier repetat & expresse dissentiat, quod totum constat in matrimonio rato, & non consummato, quod ab instanti in quo finiuntur verba, quibus explicatur mutuus contrahentium consensus, inuariabilis est & indissolubilis contractus ex natura rei, ita vt nec Pontifex vt infra Resol. dicam, dissolueret nequeat, & tamen † si intra bimestre alter coniux religionem ingrediatur ibique secundum ius professionem emittat dissoluitur, & antea nec eius obligatio contractus manebat in suspenso, nec erat proprie conditionalis, quod si bimestre transeat sine nouo consensu & voluntate contrahentium, omnino fit irrevocabile & indissolubile etiam per ingressum religionis, ita fit in specie præsentis dubij & anterioris.

\* \* \*

## SVBRESOLVT. VIII.

Quid dicendum quando coniux sint aliqua licentia est professus, si qui mansit in seculo adulterium commisit?

## S V M M A R I V M.

1. Quid veniat dicendum quando coniux qui professus est sine coniugis alterius licentia expressa vel tacita, et si coniux qui in seculo mansit adulterium commisit.
2. An cum vnus coniux sine alterius licentia professionem emisit, sit inualida professio.
3. Si à monasterio probetur adulterij exceptio, an non sit liberum professo exire, & numer. 4.
5. An si professus se obligauit quantum potuit & totum quod suum est dedit monasterio, dederit etiam actionem ad excipiendum contra adulterium.
6. An professus etsi ciuilitate iuxta decreta Pontificum sine licentia vxoris nulliter professionem emisit, & naturaliter quantum potuit se obligauit religioni in conscientia teneatur illi seruare, quod donauit.
7. An qui inuita vxore professionem emisit coactus sit ad eam redire.
8. An in donatione quam professus sui fecit in professione monasterij id tradat, quod fuit in eius potestate.
9. Conuentus statim atque adulterium fuit commissum plenum ius adquisiuit in professum.
10. Sanchez sensus adfertur, & num. 11. & 12.
13. Necnon authoris mens, & numero decimo-tertio.
14. Ratio difficultatis asseritur.
15. An si professio fuit nulla iura & actiones mancant apud professum, & numero 16.
18. An coniux relictus in seculo qui adulterium commisit si hoc sit, occultum professo, potest in foro conscientie renouare alterum, qui sine eius licentia est professus.
19. Multorum DD. opiniones asseruntur, & num. 20. & 21.
23. An iniuria adulterij sit facta antequam innocens eam agnoscat, & num. 24. & 25.
26. An si vir sine licentia vxoris professus inualide manens in seculo adulterium commisit quod professus nouit possit à religione exire.
27. An si postquam vir dimisit vxorem propter adulterium ante professionem ipse adulterium

*terium commisit professio valida non fit nisi mulier consentiat, & num. 28.*

**I**nfertur ultimo, quid dicendum quando  
 1 **†** coniux, qui professus est sine coniugis alterius licentia tacita, vel expressa si coniux qui mansit in sæculo adulterium commisit & quidem si qui professionem emisit caste vixit, & adulter non fuit ante illam, qui tamen in sæculo mansit adulterium commisit ante professionem, & in hac specie professio valida est cum non fuerit facta in alterius præiudicium, qui per adulterium priuatus est iure petendi debitum, quod secus est si professus ante professionem adulter exitit, quia compensantur delicta, & vterque coniux æquales existunt, & per vnus delictum ius alterius ipso facto recompensatur, quare  
 2 superest dubium **†** quum vnus coniux sine alterius licentia professionem emisit & sic est inualida, an si manens in sæculo adulterium committat possit religionem relinquere, & ad sæculum redire & condonans adulterio iniuriam cum illo cohabitare & residere simul? & quidem ipse non tenetur exire, sed liberè potest permanere, non excipiendo contra adulterium, & liberè potest exire excipiendo, si exceptionem probet, quod si ipse non excipiat, sed monasterium,  
 3 aliqui existimant, quod **†** si à monasterio probetur adulterij exceptio non est liberum professio exire, quia etsi professio fuerit nulla absolutè, at cum fuerit verus contractus factus cum monasterio, quod habet priuilegium minorum obligat in præiudicium professi eo modo quo obligari potest, argumento *ex his que docent DD. Instit. de auctor. tuto. leg. contra iuris ff. de pactis.* & nostri Regnicolæ *leg. 17. tit. 16. p. 6. & leg. 4. tit. 11. part. 5.* contractum pupilli, aut minoris absque curatoris auctoritate celebratum, non valere nisi in eius fauorem, & in quantum illi est proficuum, vnde minorum contractus ciuilitè sint nulli facti sine licentia requisita, tamen minor potest illi stare, si sibi utile iudicetur, & alter contrahens tenetur in conscientia illi stare, & non rescindere eum. Ita in præsentem videtur dicendum,  
 5 **†** quod professus se obligauit, quantum potuit, & totum, quod suum est dedit monasterio & sic dedit etiam actionem ad excipiendum contra adulterium, quare si probetur exceptio monasterio nequit iste coniux libere exire, & confirmatur ex alia doctrina, quam sequitur ipse Sanchez *lib. 6. de Matrim. disp. 38. à num. 21.* pro qua multos citat dicens esse communiorè & probabiliorè, quod pupillus & minor contrahentes sine licentia & auctoritate requisita à iure, etsi non obligentur ciuilitè, obligantur naturaliter & in foro conscientia,

quam sententiam multis egregiè probat, ergo **†** iste professus, etsi ciuilitè iuxta decreta Pontificum sine licentia vxoris nulliter professionem emisit, & naturaliter, quantum potuit se obligauit Religioni & in conscientia tenetur illi seruare, quod donauit, nam in professione dedit Religioni totum, quod suum erat & poterat dare, argumento *ex cap. quidam de conuers. coniugat.* vbi dicitur, quod **†** qui inuita vxore professionem 7 emisit coactus est ad eam redire, sed ulterius non potest vxorem accipere, promisit se non exigere debitum, quod in eius potestate erat, & ideo quoad hoc votum tenuit, ex quibus efficax valdè sumitur argumentum, quia non petere, quod erat in potestate professi fuit materia voti, quod tenuit, quantum ad hoc, quia hoc erat in potestate professi, ergo in 8 donatione & traditione, quam sui fecit in professione monasterij id tradit, quod fuit in eius potestate, quale est ius, quod habet coniux professus, ad excipiendum de adultero, quare in conscientia obligatur ad standum Monasterio si excipiat, quia Monasterium habet ius ad excipiendum contra adulterium, etsi exceptio probetur, nequit licitè fugere à religione, quia contentus statim ac adulterium commissum est plenum ius acquisiuit in professum, & ita iste resilire nequit, sed tenetur in conscientia stare contractui in quo naturaliter se obligauit, quantum potuit. Hæc sententia valdè probabilis est, quam tenent Glossa *cap. veniens verb. sponte de conuers. coniug.* quam sequuntur ferè omnes antiquiores Canonistæ, quos citat Sanchez, & pro se nullum adducit nisi glossam eandem, in eodem *cap. veniens*, quæ dicit, **†** quod si vir exiens à monasterio nolit 10 excipere poterit iniuriam vxori condonare, & sic cum ea habitare & residere, in quo (ait Sanchez,) Glossa palinodiam recantauit, sed fallitur, quia glossa loquitur in casu textus, in quo mulier fuit decepta, & sic votum ex toto non tenuit hoc est, quod monasterium acquisiuit, quia impeditum est propter mulieris deceptionem, & ita etiam si contradicat monasterium potest vir remit- 11 tere iniuriam adulterij, quia ipsam dum intrauit monasterium vir decipit, & in priori loco loquitur glossa, quum coniux manens in sæculo non fuit deceptus, sed non concessit licentiam, & adulterium commisit, & eius repetitio exceptione adulterij facta à monasterio elidi potest, quod maximum fundamentum habet in decisione *cap. veniens*, vbi dicit Pontifex, *mandamus quatenus si ita est prædictum Laurentium in monasterio, quod intrauit perseuerare liberè permittatis*, vbi si mandat Pontifex non relin- 12 quit in libera potestate monasterij, aut professi, quod perseueret in monasterio quare  
 1y

- ly *permittatis*, idem est quod recipiatis, & ly *liberè*, idem quod sine offensione.
- 13 Sed quamuis vt dixi hæc sententia & propter Authorum auctoritatem & antiquitatem, & propter fundamenta à me posita valde sit probabilis, tamen opposita probabilior est, hodie, quod non obstante, quod monasterium contradicat, & excipiat vxori fornicationem, nihilominus potest vir exire à monasterio & iniuriam remittere vxori adulteræ, & illi cohabitare, & in eodem lecto cum ipsa residere. Ita Thomas Sanchez *lib. cit. disp. 36. num. 3.* Barbosa *in collectan. ad præfatum cap. veniens num. 4.* Ratio est, † quia illa professio fuit inualida, etsi enim in foro conscientie professionem emittens & voto simplici continentie, & religionis sit adstrictus, tamen hæc vota non obligant ne valide possit remittere iniuriam sibi factam, quia professio in quantum solemnis nulla fuit, quare monasterium non acquisiuit ius ad remittendam iniuriam, quia solum per professionem solemnem validam ius acquirit monasterium iurium, &
- 15 actionum professi; si autem † professio fuit nulla iura & actiones manent apud professum utpote cum solum per solemnem professionem reddatur illorum incapax quare nec monasterium iure potest excipere, cum non habeat ius ad excipiendum, sed qui nulliter est professus, verum est quod ita ratione voti simplicis religionis peccauit remittendo iniuriam cū possit non remittere,
- 16 & sic votum implere, tamen semel remissa nequit religionem ingredi viuente vxore, ista tamen mortua tenetur, vnde ea quæ pro sententia altera allata sunt soluta manent.
- 17 Sed addendum primo quod † cum coniux professionem emittens deceperit Religionem in pœnam deceptionis, posse tunc professum cogi ad standum professioni, & quod vxori non remittat, & condonet iniuriam adulterij. Ita Thomas Sanchez *disp. 36. cit. num. 3. in fine* sicut *disp. 34. eiusdem libri 7.* dicit quod si quis decipiat religionem tacens esse coniugatum si accedat consensus vxoris, & nolit ratificare professionem potest religio cogere in foro externo vt ratificet *cap. 1. de eo qui duxit in matrimonium, &c.* Sed vtrumque debet fieri lata sententia iudicis competentis, nam ante eam non obligatur ad ratificandum.
- 18 Addendum secundò, † quod coniux relictus in sæculo qui adulterium commisit si hoc sit occultum professio, potest in foro conscientie reuocare alterum qui sine eius licentia est professus. Ita Bartholom. à S. Fausto. *in Thesauro Religios. lib. 3. quest. 89.* Sanchez *dem atrim. lib. 7. disp. 36. num. 1.* Barb. *in Collect. ad cap. veniens cit. num. 2.* Sed hoc additamentum non est vsquequaque firmum
- imo oppositum mihi firmiter videtur, scilicet, quod adulter etiam si occultissimum, sit delictum quamuis possit petere debitum vt omnes fatentur, at non potest exigere, & qui reuocat professum exigit, ad quod non habet ius adulter, etiam occultus, id quod † docuit Syluester *verb. adulterium q. 6. 19 num. 8.* & *verb. debitum coniugale n. 13. q. 11. versic. adulterans.* Petrus de Ledesma *q. 6. 2. de matrim. art. 1. dub. 1.* dicit hoc esse certum Couarru. *4. decretal. 2. p. cap. 7. §. 2. num. 4. in fine*, est expressa sententia D. Thomæ *in 4. dist. 35. quest. 1. art. 6.* Palud. *ibi quest. 1. art. 2.* Nauarri *in summa cap. 22. num. 23.* & planum esse dicit Legionens. *lib. 9. de matrim. cap. 20. 20 num. 5.* Ratio huius est perspicua (quam miror non aduertisse doctiss. Tho. Sanch. qui contrarium late probat *lib. 1. de matrim. disp. 68.*) quia hic agitur in foro animæ in quo vere adulter occultus iniuriam intulit innocenti, ergo in foro animæ, nequit iniuriam facere innocenti ipsum reuocando per iudicis decretum, cum iam ille coram Deo ius acquisiuit ad perseverandum in Religione quæ iuris acquisitio nota est adultero occulto, quod enim innocens ignoret se tale ius acquisiisse est per accidens si qui repetit scit tale ius acquisitum, sicut creditor etiam si ignoret debitum pecuniæ tamen debitor non deobligatur à debiti solutione, ita cum ex vi adulterij innocens constituatur coram Deo immutabili obligatione reddendi debitum, & re ipsa ita esse adulter, etiam occultissimus id sciat nullum ius habet in foro animæ ad exigendum quod vir sibi restituitur ad exigendum debitum.
- Hoc argumentum euidens est nec satisfacit solutio quæ colligi potest ex Sanchez *num. 6.* quod † innocens non est absolutus per adulterium occultum ab obligatione reddendi, sed tantum habet ius quo se ipsum, possit absoluere in foro conscientie, si sibi factum constaret, & quamuis notitia facti non absoluat, sed factum ipsum, tamen est conditio sine qua non vt iuste possit se absoluere. Verum enim vero prorsus est friuola solutio; quia † iniuria adulterij est facta antequam innocens eam agnoscat, ergo innocens habet ius acquisitum ex vi iniuriæ sibi illatæ, etsi ignoratæ vt iniuria recompensetur, & ante recompensationem iniurians nequit exigere id quod sibi non debetur, quamuis enim cognitio conferat ad hoc quod innocens in conscientia possit se absoluere, & ante cognitionem sufficientem nequeat se absoluere, vt immunem à redditione debiti, tamē ante cognitionem est immunis factus, & hoc cognoscit adulter quauis secretus, ergo: etsi humiliter possit petere, nequit tamē cogere, vt innocēs reddat debitum, & quod sibi restituitur si factus est religio-

fus quamuis enim dato, & non concesso, quod actualis denegatio debiti esset pœna lata iure diuino, & naturali contra adulterum, at ius ad illud denegandum, non est pœna, sed oritur ex ipso adulterio: ergo, adulter nequit in conscientia contra hoc ius agere in iudicio, & obligare, vt innocens, qui immunis est ex vi delicti debitum reddat, tum præcipue cum ad hoc quod non exigit necessarium non sit quod adulter suum dilectum patefaciat, & se ipsum manifestet, cum possit: tum humiliter petere, absque exactione, tum non repetendo coniugem, qui factus est religiosus, sed illi dando licentiam, & aliis multis modis possit procedere, nec seipsum adulterum declaret.

25  
26 Addendum quartò, † quod si vir sine licentia vxoris professus inualidè & professione existente inualida manens in sæculo adulterium commisit, quod professus nouit, & sic possit à religione exire, iuxta supradicta, si hoc non præstat intra quinquennium à die notitiæ & libertatis ad reclamandum, nequit transacto hoc quinquennio reclamare, sed est in conscientia ligatus decreto Trident. *sess. 23. de Regular. c. 19.* hunc enim casum dubioprocul comprehendit illa decisio vniuersalis, *velit habitum dimittere quacumque ex causa, non audiatur, nisi intra quinquennium tantum.*

27 Ad do vltimo quod † si postquam vir dimisit vxorem propter adulterium, ante professionem ipse adulterium cõmisit professio valida non est, nisi mulier consentiat quia iam per mutuum adulterium ambo æquales sunt, & delictum delicto compensatum, & res constituta est ac si nullus cõmisisset adulterium, & sic necessaria erat licentia vt professio alterius valida, & firma subsisteret, si tamen accedat consensus coniugis manentis in sæculo, potest cogi, vt in statu religioso perseueret. Hoc est contra Suarez *tom. 3. de Relig. cap. 4. num. 7.* id tamen declarauit Sacra Congr. Concilij quam ipse Suar. refert & constat ex his quæ dixi additione. 1.

### §. III.

*Quæ requirantur, vt licentia coniugis, ad non residendum cum alio per professionem, sit licita & iuridica?*

**I**N anterioribus egimus quid requiratur vt valida sit absentia coniugis per solemnem professionem in religione restat inquirendum, quæ requirantur vt licitè fiat, & quidem nõ sufficere licentiam spontaneam coniugis manentis in sæculo, sed vltius desiderari quod si senex sit, & non suspectus de incontinentia votum emittat con-

tinentiæ perpetuum, etsi iuuenis quod etiam Religionem ingrediatur, & vterque in domo Dei resideat, vt illi inseruiat statuit Ius Canonicum, *cap. cum sis cap. vxoratus. cap. ad Apostolicam. de conuers. coniug.* in quibus id statuitur expressè; vt amplius in sequentibus enodabimus.

## SVBRESOLVT. IX.

*Vtrum ad professionem coniugis requiratur etiam licentia Ordinarij?*

### S V M M A R I V M.

1. *Vt licita sit absentia vnus coniugis ab altero quid requiratur.*
2. *Authoris iudicium.*
3. *Conc. Rom. mens affertur. & n. 6.*
4. *An sine consensu Episcopi iure antiquo licita non sit professio. & num. 5.*
7. *Patris Thoma Sanchez sententia adducitur. & num. 8.*
9. *Quid cognoscere, & iudicare non ad Superiorem regularem, sed ad Episcopum & Ordinarium pertineat.*

**H**Oc cum certum sit & indubitatum inter Catholicos, † vt licita sit absentia vnus coniugis ab altero superflua dubia non contemnenda, & valde vtilia ad praxim. Primum an requiratur licentia Ordinarij. Negant Sanchez *l. 7. de matr. dub. 32. num. 8.* Perez *vbi supra disp. 58. sect. 5. num. 8.* quia nullum ius est, id statuens, & si fuit iam consuetudine contraria euauit, nullaque extat consuetudo vniuersalis qua hæc licentia exigatur: sed affirmant requiri, non vt validè, sed vt licitè fiat Episcopi licentia, Hostiens. Ioan. Andr. Anchar. Antonius Maiolus apud Sanchez *vbi supra.*

Sed ego vtramque sententiam Concilio, vt vltima loquatur iure communi antiquo, quum Religiosi subdebantur iurisdictioni Episcoporum, & sic loquitur clarè Concilium Romanum sub Eugenio Papa *cap. 36.* celebratum anno 826. Episcoporum 63. qui Congregati sunt ad disciplinam Ecclesiasticam stabiliendam, & reformandam † referatur *cap. si vix & vxor. 23. 27. quest. 2.* vbi id expressè statuitur, nec audienda est interpretatio glossæ, quod loquatur Concilium cum vtiq; volunt construere Monasterium, quod construi nequit sine Episcopi licentia; cum sit expressè contra textum, vt legenti constabit. Deinde, quia Episcopo competit iare antiquo disquirere an manens in sæculo iuuenis, an senex sit, & insuspectus incontinentiæ, vt vel religionem ingrediatur, vel votum continentie dumtaxat emittat *cap. Agathosa 21. ead. caus.*

caus. & quest. ex Adriano lib. 9. epist. 44. ad Panorm. Notarium, ergo † sine consensu Episcopi iure antiquo licita nō est professio, imo forsā erat irrita, quia sine consensu Superioris, & verbum, nullatenus irritum esse quod fit, declarat, vt tenent Sanchez lib. 6. de matrim. disp. 32. num. 7. plures citans quibus adiungo Barbofam de dictio. vsufreq. dubit. 226. num. 4. & 5. importat enim nullitatem actus ipso iure habens virtutem decreti irritantis. Rota p. 2. diuersor. decis. 24. n. 4. & apud Farinac. tom. 2. decis. 107. num. 5. in vna Treuens. coram Manzanedo sub 10. Martij 1606. vbi dicitur quod ex natura huius dictionis prohibitiuæ & negatiuæ forma censetur in dicta lege leg. 1. D. de liber. & post. vbi Alexander & Iason. Barth. num. 4. & Bruno tract. de forma. art. Quando aliquid censetur traditum pro forma concl. 2. at quando lex irritat actum si quis illum faciat contra legem irritantem mortaliter peccat, vt bene aduertit Illustrissimus Archiepiscopus Hispalens. in sua catena morali lib. 4. quest. 12. art. 2. num. 3. in fine. Quare † cum Concilium Romanum formam præscripserit, præceptum dubioprocul posuit, quod etiam hodie vim habet si quis ingrediatur monasterium subditum Episcopo qui respectu illius superior est, & nequit vxoratus ingredi, aut profiteri sine superioris licentia.

7. Cæterum † sententia patris Thomæ Sanchez, hodie verum tenet in aliis monasteriis exemptis à iurisdictione Ordinarij, qualia sunt fere omnia Monachorum & Mendicantium, & similibus, & multa monialium quæ subsunt Superioribus regularibus, istorum enim specialis consensus, exigitur, vt licite coniuges possint ingredi suos conuentus, illis enim incumbit dum huiusmodi nouitios recipiunt ad primum ingressum, & ad secundum, qui est professio examinare ea omnia, quæ iura disponunt vt licite fiat talis admissio, & professio, cum enim Prælati regulares ex vi approbationis suæ Religionis sine Episcopi licentia possint nouitios recipere, & ad professionem admittere, ipsis ex vi officij in conscientia incumbit, disquirere ea, quæ necessaria sunt ad talem professionem non Episcopo à cuius iurisdictione sunt exempti.

8. Verum enim vero cum secundum ius etiam nouum manens in sæculo debeat emitte castitatis votum si senex sit, & sine periculo incontinentiæ vel debeat, ingredi religionem si iuuenis sit, aut si senex habeat incontinentiæ periculum cap. ad apostolicam cit. hoc † cognoscere & iudicare non ad Superiorem regularem, sed ad Episcopum, & Ordinariū pertinet, qui est iudex ordinarius, tam manentis quam intrantis religionem, dubio procul requiritur eius iuridi-

cus consensus saltim indirecte, vt licite fiat talis ingressus. Ita glossa cap. 1. de conuers. coniug. verb. reuocari. Rebellus lib. 3. de obligat. iustitiæ quest. 4. num. 12. Bonacina de matrim. quest. 3. punct. 4. num. 12. Laym. quem citat & sequitur Diana part. 4. tract. 4. resol. 73. versic. notandum. Ricardus in 4. dist. 32. art. 2. quest. 3. non tamen erit irrita professio, si fiat sine illo sicut dicebamus secundum ius antiquum.

## SVBRE SOLVT. X.

Vtrum votum continentia eius coniugis qui manet in sæculo, solemnizetur professione alterius?

## S V M M A R I V M.

1. An quum manens in sæculo senex sit sine periculo incontinentiæ, votum continentia quod tenetur emitte solemnizetur per votum solemne, quod alter emisit in professione.
2. Adriani Papæ sensus affertur, necnon authoris iudicium, & n. 3. & 4.
3. An votum continentia quod coniux manens licite in sæculo ex Ecclesiæ præcepto solemnizetur ex eo quod alter professionem solemnem emisit, & n. 6.
4. Grauiorum DD. sententia adducuntur.
5. An si vir de licentia vxoris transferit ad ordines sacros, & mulier votum castitatis emitat, istud solemnizetur, eo quod vir sacros ordines suscipiat, & num. 9. 10. & 11.
6. An solemnitas voti vnus in alium redundet.
7. An votum castitatis quod emittunt scholares Societatis ex speciali statuto Ecclesiæ, & privilegio concesso ipsi societati, sit votum simplex.
8. Innocentijs sententia adducitur, & num. 15. & 16. & 17.

Secundum dubium est, † an quum manens in sæculo senex est, & sine periculo incontinentiæ votum continentia quod tenetur emitte, solemnizetur per votum solemne quod alter emisit in professione, & quidē vt in limine huius §. prælibaui, quum vnus ingreditur religionē, si alter est iuuenis, vel suspectus de incontinentia cogi debeat, vt religionē ingrediatur, similiter profiteatur, constat hoc ex textibus ibi citatis, cuius optimam rationem reddit Adrian. Papa cap. Agathosa cit. quia postquam copulatione coniugij viri & mulieris vnū corpus efficitur non potest ex parte manere in sæculo, existimo tamen quod satisfaciet vir si religionem S. Ioann. Hierosolymitani, vel alterius religio-

- nis militaris in qua votum solemnne castitatis & alia duo emittuntur. Ita tenent communiter DD. & in praxi obseruari testatur Diana *ubi supra* ex Basilio Pontio *lib. 9. de matr. cap. 12. num. 13.* sequitur Perez *ubi supra n. 6.* contra Sanchez *ubi supra num. 4. in fine*, non enim huiusmodi equites cum sint vere, & proprie ex vi suæ professionis religiosi, manent proprie sæculares, quamuis maneat in sæculo, de licentia magni magistri, unde contra periculum incontinentiæ habent votum solemnne castitatis, quo debent se tueri, non tamen satisfaciēt quis si in Societate Iesu professionem solemnem non emittat, sed dumtaxat tria vota simplicia post biennium, neque in hoc Pater Generalis poterit dispensare, quia potest à Societate dimitti liber ab omnibus votis, & Generalis nequit dispensare in iure communi in quo statuitur, quod in religione perpetuo commoretur *cap. uxoratus. de conuers. coniug.*
- 5 Igitur dubij superstitis est † an votum continentiæ quod coniux manens licite in sæculo ex Ecclesiæ præcepto solemnizetur, ex eo quod alter professionem solemnem emisit, taliter quod isto mortuo ille qui in sæculo mansit non solum illicite, sed etiam inualide matrimonium contrahat, negat in hoc sensu votum solemnizari Thomas Sanchez *num. 8.* citat pro se glossam *cap. seriatim verb. post mortem 32. dist.* Cardinal. & Monaldum, quia ad votum solemnne requiritur intentio vouentis, & quod fiat vel in religione approbata vel in susceptione ordinis sacri, quod hîc non interuenit.
- 7 Sed † contrarium sentiunt plures & grauiores DD. quod votum manentis in sæculo solemnizatur ad hunc sensum quod etiã mortuo, qui professionem emisit valide non potest contrahere matrimonium. Ita Gothifr. *tit. de conuers. coniug. num. 2. & vlti.* Hostiens. *ibi num. 3. & cap. ad Apostolicam cit. Abbas cap. constitutus num. eodem tit.* Ancharranus *cap. unico de voto in 6.* Dominicus *ibi n. 14.* Paludanus *in 4. dist. 38. q. 3. art. 5. num. 29.* Supplementum Gabr. *dist. 32. quæst. 1. art. 2. ante. 9. conclus. Astensis 2. p. summ. lib. 8. tit. 11. art. 2. quæst. 9.* Turrecrem. *cap. seriatim dist. 32. art. 1.* Ioannes Andr. *cap. cum sis. in fine, ubi iterum Ancharranus.*
- 8 Hoc mihi verissimum persuadeo hoc argumento, quia † si vir de licentia vxoris transferit ad ordines sacros, & mulier votum castitatis emittat, istud solemnizatur, eo ipso quod vir sacros suscipiat ordines, in quorum susceptione solemniter obligatur ad continentiam, taliter, quod mulier mortuo hoc marito valide cum alio transigere nequeat matrimonium, & cum eo in eodem thoro residere, & cohabitare, ita expresse

*cap. quia sunt. cap. si se cap. si qua vidua 28. dist. cap. seriatim 32. dist.* & tenent omnes fere quotquot scripsere, atqui dum vxor dat licentiam viro, vt ingrediatur religionem etiam virtualiter eam concedit vt ad sacros promoueat ordines, ergo si de facto illos recipiat, mulier incapax redditur etiam mortuo marito iterum alteri matrimonio iungi, atqui magis solemnne, & magis ab intrinseco est votum quod emittitur in professione, quam quod emittitur in ordine sacro, quod forsan non est proprie votum sed Ecclesiæ præceptum, ergo sicut ex vi voti viri in ordine sacro, mulieris votum solemnizatur, ita vt sit impedimentum dirimens multo magis hoc eueniet, ex vi voti solemnis; cumque Ecclesia id statuerit, non quidem præcisè ob reuerentiam ordinis sacri, quia græcis Sacerdotibus matrimonium conceditur, sed ob reuerentiam voti solemnis, quod Ecclesia latina ob reuerentiam sacri ordinis præcipit fieri, cum vir, & vxor simile, & strictius votum emittat, in professione solemnni tale votum simile impedimentum adfert ei qui manet in sæculo.

Huius rationem satis insinuauit Adrianus Papa *cap. Agathosa* quia *postquam copulatione coniugij viri atque mulieris vnum corpus efficitur non potest ex parte in sæculo manere.* Vnde † solemnitas voti vnus in alium redundat, hæc enim solemnitas nihil est aliud, quam impedimentum dirimens matrimonium si coniuge relicto in sæculo cum voto castitatis quæ in se simplex est, sed habet adiunctum hoc impedimentum ex Ecclesiæ statuto tam in statu ordinis sacri quam in statu religioso, votum enim † castitatis, quod emittunt scholares Societatis ex speciali statuto Ecclesiæ, & priuilegio concesso ipsi Societati votum simplex est, & tamen impedit & dirimit matrimonium.

Confirmatur manifesto argumento *ex cap. si quis ex vno 30. quæst. 4.* quod est Innocentij *ad Exuperium Episcopum*, ubi sic habetur. † *Si quis ex vno coniugio filium aut filiam alterius de sacro fonte suscepit, aut ad christiana tenuerit, vel Christianitatis ministerium dederit, ambo vir, & vxor compatres existunt parentibus infantis, quia vir & vxor vna caro effecti sunt.* Hæc ibi ex quibus euidentis elicio argumentum ad propositum, si vnus ex coniugibus suscipiat filium alicuius, ambo coniuges efficiuntur compatres illius, & ambo habent impedimentum dirimens ita vt non possint valide contrahere cum parentibus suscepti, nec cum ipso, quem susceperunt, etiamsi vnus coniugum ignoret, quod alter suscepit, aut ius quod hoc disponit, & rationem dat Pontifex *quia vir & vxor vna caro effecti sunt*, ergo ille etiam qui manet in sæculo & dedit licentiam alteri solemniter profitendi,

profitendi, sicut iste habet impedimentum dirimens ad contrahendum, & iam ille, qui mansit in sæculo idem habet impedimentum etiam mortuo professo, quia vir & vxor vna caro effecti sunt, & erant quum alter solemniter est professus, quo mortuo etiam nequit superstes, sine dispensatione valide contrahere, quod secus esset si transacto bimestre, non consummassent matrimonium, & vnus de licentia alterius professionem solemnem emitteret, aut filium alicuius suscepit, tunc enim cum vir & vxor non sint facti vna caro, nec ambo sunt compatres, sed ille qui suscepit, nec manens in sæculo cum voto castitatis habet impedimentum dirimens, sed mortuo professo potest valide matrimonium contrahere: vnde constat, quam friuolum est fundamentum Sanchez, eo enim ipso quod vnus coniugum det licentiam spontaneam ad alterum profitemum solemniter, ipse habet sufficientem intentionem vt altero professo contrahat impedimentum dirimens ad contrahendum, quod contrahit quisquis ordinatur sacro ordine eo ipso quod velit ipsum suscipere.

## SVBRESOLVT. XI.

*Vtrum si coniux senex manens in sæculo, si est suspectus de incontinentia, debeat ingredi religionem?*

## S V M M A R I V M.

1. An si coniux manens in sæculo, & licentiam concedens, vt alius professionem emittat si suspectus sit de incontinentia, sufficiat, quod votum emittat continentia. & n. 2.
3. An vt ille qui senex est obligetur ad professionem, quid requiratur, & n. 4.
5. An coniux manens in sæculo si iuuenis sit cogi debeat, vt religionem ingrediatur & profiteatur, nec sufficiat votum continentia, vt alter licite profiteatur. & n. 6.
7. An si mulier propter aetatem non habeat periculum incontinentia, habeat destituta à viri cura periculum aliorum criminum.
8. Sacri Canonēs solum propter periculum incontinentia quid determinent. & n. 9.

**T**ertium dubium est, † an si coniux manens in sæculo, & licentiam concedens vt alter professionem emittat, & si senex sit, est tamen suspectus de incontinentia, sufficiat quod votum emittat continentia, an etiam requiratur vt licite fiat professio, quod etiam transeat ad religionem ibique profiteatur non sufficere votum continentia, bene affirmat Thomas Sanch. *vbi supra*

*num. 9.* textus enim in cap. cum sis cap. vxoratus cap. ad Apostolicam cap. significauit de conuers. coniug. requiruntur duo & quod coniux manens in sæculo senex sit & ite-  
 2  
 rilis & quod processerit in diebus suis, & quod sine suspitione incontinentia possit in sæculo manere, quare duo copulatiue exiguntur, vt sufficiat votum, vnum quod sit senex, alterum quod non sit suspicio aut timor de incontinentia, si enim iste adest etiam si sit senex non dabitur licentia alteri profitendi nisi iste etiam profiteatur. Vnde cap. ad Apostolicam. & cap. significauit non determinatur senectus, vt cautia, vt possit manere in sæculo cum solo voto continentia, sed vt sit eius etatis de qua suspicio haberi non possit, & vt sine suspitione incontinentia maneat, in sæculo remanere. Verum est quod † vt ille qui senex est obligetur ad profes-  
 3  
 sionem, & illi non sufficiat votum vt in sæculo valeat remanere requiritur vt iuridice probetur quod non obstante senectute, est illius de incontinentia suspicio, nam  
 4  
 senectus de qua infra excludit suspitionem incontinentia, vnde vt ipsa non sufficiat requiritur quod non obstante tali etate adest suspicio, si autem non est talis probatio, etas senectutis sufficit.

Propter quod existimo, quod † coniux, 5  
 qui manet in sæculo siue vir sit, siue vxor, si tamen iuuenis sit, cogi debet vt religionem ingrediatur & profiteatur, nec sufficit votum continentia vt alter licite profiteatur. Ita Thom. Sanch. n. 10. alios citans ita quod non sufficiat probatio iuridica, quod etiam si iuuenis sit, caste viuat, quia nunquam  
 6  
 probatio potest esse sufficiens, quod iuueni non sit periculum incontinentia, si vxor propter mulierum inconstantiam & facilitatem si vir maioribus periculis expositus est, eo quod liberius vagetur & multis implicatur occasionebus, vnde viri iuuenes frequentius in incontinentiam dilabuntur quam foeminae.

Addo contra Sanchez *num. 11.* quod † si  
 7  
 mulier propter aetatem non habeat periculum incontinentia, habet tamen destituta à viri cura periculum aliorum criminum, vt quod sit incantatrix, venefica, vsuraria, sollicitans foeminas iuuenes ad sui prostitutionem (Alcagueta) nihilominus Iudex Ecclesiasticus in vi sacrorum canonum potest consentire quod mansit in sæculo cum solo voto continentia. Ratio est perspicua quia sacri  
 8  
 canones solum propter periculum continentia determinant, quod coniux non maneat in sæculo, sed cogatur ingredi religionem, quia incontinentia aduersatur bono fidei quod est vnum ex tribus bonis matrimonij, sicut sacerdos sollicitans ad alia peccata, quam luxuria non est denuntiandus

dus Inquisitoribus ex vi Bullarum Apostolicarum quæ determinant, quod solum denuntiantes ad venerea denuntiatur Sacro S. Officij Tribunali, vt dixi *tom. 1. moral. tr. 4.*

- 9 *Resol. . . .* iuxta multorum sententiam satis probabilem & iuxta ea quæ ibi dixi ex propria, quia si iudex agnoscat quod vxor, si maneat in sæculo destituta viro in huiusmodi peccata facile ruet, tenetur lege charitatis fraternæ eam obligare, vt ingrediatur religionem aut non concedere viro licentiam vt in Religione profiteatur nisi vxore proficiente, & idem dico de viro, si sine consortio vxoris habet periculum incidenti in latrocinia, homicidia & alia huiusmodi.

### SVBRESOLVT. XII.

*An si coniux manens in sæculo ratificet professionem emissam sine eius licentia sufficiat quod voueat castitatem?*

#### S V M M A R I V M.

1. Quid sufficiat si coniux manens in sæculo ratificet professionem emissam sine eius licentia.
2. An quum ratificatur professio denuo detur licentia vt professio valide fiat, & numero 3.

1 **Q**uartum dubium est † an si quis ingressus est Religionem sine licentia alterius coniugis & professionem emisit, quæ cum nulla sit & irrita vt supra vidimus, si ille, qui mansit in sæculo velit ratificare professionem dans licentiam ad hoc, si iuuenis sit cogi debet ad ingressum Religionis, an sufficiat quod manens in sæculo votum emittat continentia perpetuum? nam ad tempus vitæ alterius certum est non sufficere. Pater Thomas Sanchez *num. 14.* dicit sufficere quod præfatum votum emittat, quod si nolit, cogi debet vt repetat coniugem suum, non tamen indiget Religionis ingressu, & professione, sed ego non video cur si iuuenis est ex vi cuius ætatis, est periculum incontinentia ob quod iura disponunt, quod cogatur ad ingressum religionis, quum dat licentiam vt alter ingrediatur, vt constat ex iuribus citatis *ex tit. de conuers. coniug.* ergo quum † ratificatur professio denuo datur licentia, vt professio valide fiat, vt ista iuridice detur, obseruanda sunt decreta, quod, quum manens in sæculo iuuenis est non sufficiat votum continentia, sed requiratur ingressus in Religionem: æque enim militant rationes canonum, siue

3 professio inualida ratificetur, siue ante professionem detur licentia, in nullo enim casu

istorum sufficere videtur votum continentia, sed exigitur etiam professio.

### SVBRESOLVT. XIII.

*Quæ ætas in utroque coniuge sit sufficiens, vt indicetur non esse periculum proximum incontinentia?*

#### S V M M A R I V M.

1. Quæ ætas sit tam in viro quam in femina sufficiens vt iudex possit prudenter iudicare non adesse proximum periculum incontinentia.
2. Patris Thomæ Sanchez sensus adducitur, & n. 3. & 4. & 6.
5. Quæ ætas dicatur sufficiens vt vir & femina censeantur senes.
7. Ratio differentia inter ætatem ad excusandum à ieiunio, & ætatem vt quis putetur liber à periculo incontinentia assertur, & n. 8. & 9.
10. An mulier sexagenaria sit senex.
11. An mulier quinquagenaria censeatur libera à periculo incontinentia, & numero 12.
13. Authoris sensus assertur.
14. An non solum viro intrante religionem potest vxor senex manere in sæculo cum voto continentia, sed etiam proficiente vxore, vir possit manere in sæculo si senex sit sine periculo incontinentia, emittens votum continentia.

1 **Q**uintum dubium est, † quæ ætas sit tam in viro, quam in femina sufficiens, vt prudenter iudex, possit iudicare, non adesse proximum periculum incontinentia, taliter quod altero coniuge ad religionem euolante possit alter in sæculo manere emissio voto perpetuo continentia. Pater Thomas Sanchez Theologia Moralit huius sæculi Magister absque aliorum inuidia *disp. 33. cit* postquam plura adduxisset *num. 16. & 17.* vt probet diuersum temporis terminum, & annorum computum præfigendum esse viro, ac femina vt non subsit incontinentia periculum, similiter, vt excusetur eorū quilibet ab obligatione ieiunij, quæ quidem erudito non erunt iniucunda, in fine sic

2 concludit. † *Hæc me ancipitem reddunt & viris doctis à me consultis placuit minorem ætatem feminis assignandam, quam viris, at dubitant de quantitate ætatis, sed profecto quæ num. antecedenti attuli ex virtute ad generandum, quæ cessat in feminis anno 50. & in maribus ad minus vsque ad 60. extenditur, & ex communi existimatione, probant æque dici feminam senem, quinquagenariam ac virum sexagenarium, & ideo alii viris Doctis hæc pars arrisit, & remecum*



3 *mecum considerata & rationibus perpensis, existimo nihil à ratione deuium, nec mediocriter alienum à probabilitate dicturum, qui feminas quinquagenarias à ieiunio excusauerit, sicut viri sexagenary excusantur. At dum aliud non apparuerit clarius conuincens tanquam probabilior emigo opinionem, qua sustinet iudiscriminarim de ætate viri & femina, ad excusandum à ieiuniis loquendum esse & de-*  
 4 *seruient prædicta ne damnemus opinionem qua feminas quinquagenarias excusat. verumtamen licet prædicta ostendant eam opinionem esse probabilem speculatiuè loquendo, at in praxi cenfeo non esse tutam. Hactenus de ætate ad excusandum de ieiunio, at*  
 5 *† de ætate sufficienti, vt iuridicè dicantur tam vir quam fœminæ senes, & quod prudenter iudicetur non in esse in illis vigorem fomitis & periculum incontinentiæ, vt alter possit manere in sæculo cum solo voto continentiæ emisso ad finem n. 16. dicit virum*  
 6 *sexagenarium & feminam quinquagenarium senes dici quantum ad hunc effectum, quia (inquit) attento breuiori vita cursu fœminarum, ac celeriori senectutis aduentu, tam se uex est mulier quinquagenaria, quam vir sexagenarius, quod communis existimatio restatur & libidinis ardor, ita tepescit in illa, ac in hoc & iam in ea ætate est sterilis, & communiter uerè senex tunc appellatur, & suspitione incontinentiæ libera creditur. hæc ibi. † Ratio differentiæ inter ætatem ad excusandum à ieiunio, & ætatem, vt putetur libera à periculo incontinentiæ ea est, quia à ieiunij lege eximit eam ætas in qua præsumitur vires deficere, vt sine pluribus commestionibus possit subsistere, quæ non videtur esse in fœmina ætas quinquagenaria maxime cum sustentetur pauciori cibo, quam viri, at ætas quæ prudenter & ordinariè facit liberam à periculo incontinentiæ ea est in qua ardor libidinis tepescit, & abundantia seminis ex defectu caloris superfluum alimenti; decoquentis notabiliter deminuitur, vt late dixi, in meo Præcursore Philosopho. hæc autem*  
 9 *diminutio caloris, ad hunc effectum satis magna est in fœmina quinquagenaria & in viro sexagenario, quare ita tenent Gutier. de Matrim. cap. 91. num. 2. Barbof. cap. 4. n. 4. de conuer. coniug. Bonacin. ubi supra Fillucius tom. 1. tract. 10. cap. 4. num. 133. & quamuis Cordub. in summ. quæst. 178. Azor tom. 1. l. 8. cap. 14. quæst. 11. & alij quos citat Diana re-*  
 10 *sol. 73. cit. sentiant quod † mulier quantum ad hunc effectum dici senem si sit sexagenaria, sicut quantum ad obligationem ieiunij, & etiam si sit Religiosa quantum ad commestionem lacticiniorum cum Bulla cruciata. Cæterum hoc mihi non arridet ex rarione discriminis traditi, quantum ad*

Tom. II:

hoc duos effectus.

Sed quamuis, hæc sententia probabilis i i sit, iuxta quam † censetur mulier quinquagenaria libera à periculo incontinentiæ, tamen probabilius mihi videtur & tutius, quod hoc relinquatur arbitrio prudentis confessarij, & iudicis, qui hanc libertatem à præfato periculo declarauit attentis variis circumstantiis, tam in viro, quam in fœmina, vt personæ habitum, hoc est modum i 2 se sustentandi, valetudinis, roboris, coloris, & carniū, antea vitæ, & similibus, potest enim fœmina, aut vir sexagenarius, ita esse benè nutritus ab ineunte ætate cum tanta corporis valitudine, ita delicatis cibus, vt ardor libidinis viuus sit quamuis non ad generandum, quia vis è laboratiua feminis emarcuit & iam processit, tamen ad coeundum valde inclinēt, & lex membrorum tantas exerat vires, vt captiuum ducat in legem peccati, † ita sentio quia plu- i 3 res vtriusque sexus taliter affectos sexagenarios agnoui, quare arridet Basilius Legionens. lib. 9. de Matrim. cap. 12. numer. 3.

Vnum aduerto contra Gasparem Hurtadum Complutens. tract. de matrim. disp. 11. difficult. 9. numer. 8. quod † non solum viro i 4 intrante Religionem potest vxor senex manere in sæculo cum voto continentiæ, sed etiam proficiente vxore vir potest manere in sæculo si senex sit, sine periculo incontinentiæ, emittens votum continentiæ, cuius contrarium de viro sensit, præfatus auctor. Sed sine fundamento aliquo cum expressè contrarium sit decisum, cap. ad Apostolicam de conuers. coniug. & tenent omnes quotquot scripsere. Legatur Diana ubi supra, plures afferens, nec enim in re tam clara immorandum est.

## SVBRESOLVT. XIV.

Quid requiratur ad validam professionem, quando præcessit iuridicum diuortium?

## S V M M A R I V M.

1. Quid requiratur vt vnus coniux non resteat cum alio ita vt professionem ingredi & profiteri, quando ex iudicis Ecclesiastici sententia factum est inter ipsos diuortium.
2. An etiam stante temporali diuortio si aliter professionem faciat solemnem possit sententia iudicis reuocari ab altero in sæculo manente.
3. An ille qui diuortij causam non dedit possit religionem adire, ibique professionem i 5 emittit

emittere solemnem, & n. 4.

5. An cum factō diuortio absoluto si vnus ingrediatur religionem, ibique professionem emittat solemnē, alius qui manet in sæculo, nec cogendus sit ad ingressum religionis, nec votum perpetuum continentia teneatur emittere,
6. Quid item veniat aduertendum, & num. 7. & 8.
9. Authoris iudicium, & n. 10.
11. An per diuortium ratione scuitia non amittatur ius exigendi, cohabitandi & mutuo residendi, & n. 12.

**S**extum, quod dubium requiratur, vt † vnus coniux non resideat cum alio, ita vt possit religionem ingredi & profiteri, quando ex iudicis Ecclesiastici sententia factum est inter ipsos diuortium, & quidem hoc, aut est remotum & perpetuum, aut est limitatum & ad tempus certum est, quod vnus nequit sine licentia alterius professionem solemnem emittere, quia finito tempore sunt priuati iure petendi debitum, quo finito possunt reddere in id ipsum, at professio solemnem facit perpetuum diuortium, quare † etiam stante temporali diuortio, si alter professionem faciat solemnem potest sententia iudicis reuocari ab altero, in sæculo manente. Vnde superest difficultas, quando iudicis sententia lata est perpetui diuortij, vel ob scuitiam innatam, vel alias iustas causas ( excepto adulterio de quo dubio sequenti ) an stante hoc diuortio possit vnus sine licentia alterius professionem emittere solemnem, ita vt nunquam possit cum illo matrimonialiter residere?

Et quidem lata sententia remota diuortij, ob scuitiam, malam conditionem, & indigestos mores alterius, ita vt innocens fidere se non possit cautioni datæ de emenda, nec iudex etiam secundum prudens arbitrium hoc agnoscat, existimo, quod † ille qui diuortij causam non dedit, potest ad religionem adire, ibique professionem emittere solemnem, etiam altero repugnante & inuito.

Ita Sanchez lib. 10. de Matrim. disp. 10. n. 49. cuius rationem egregiam dedit his verbis. Quia hoc diuortium est absolutum & perpetuum sicut, quod ratione adulterij celebratur, quam hoc sit per se & ex ipsa contractus conjugalis natura, petitum illud vero per accidens, ac proinde ius omne coniugale extinguitur, quod transitum ad religionem impediēbat. Hæc ille.

Sed aduerto valdè vtilia ad praxim circa huius dubij resolutionem. Primum, quod † quum factō diuortio absoluto & perpetuo, si vnus ingreditur Religionem ibique professionem emittat solemnem, alter qui manet in sæculo, nec cogendus est ad ingres-

sum religionis, etiam si iuuenis sit, nec votum perpetuum continentia si senex sit tenetur emittere. Ita Sanchez ubi supra numer. 49. Perez. ubi supra sect. 6. num. 1. Legatur Thomas Sanchez lib. 10. disp. 10. n. 15. & disp. 11. num. 11. & 12. Ratio est, quia textus iuris Canonici cap. cum sis cap. signific. de conuers. coniug. loquuntur cum sana pace & non præcedente diuortio, sed integro & illaeso perseverante matrimonio, vnus coniux fit Religiosus altero in sæculo manente, si tamen præcedit iustum diuortium, ex veris & subsistentibus causis non fictis, & compositis, non est ille qui manet in sæculo tam graui onere grauandus, cum id non exprimat ius Canonicum.

Secundum, quod etiam diuortio absoluto & perpetuo sententiam iudicis Ecclesiastici lato, validè & secundum se, licite possit saltem innocens ad religionem fugere, & manere in monastica solitudine, ipsumque possint Superiores regulares validè, & licite secundum se admittere, & professionem solemnem emittere, nec possit, qui manet in sæculo illum repetere, vt secum matrimonialiter resideat, tamen vt hoc fiat examinandus est diligentissimè spiritus, an ex Deo sit, & summa prudentia perpendendæ circumstantiæ, ætatis vtriusque personæ, qualitatis, occasionis, quæ ad diuortium impulere, solet enim Angelus malus transfigurari in Angelum lucis, vt huiusmodi se ducat, & impossibiles reddat se reconciliandi & matrimonialiter cohabitare, & mutuo residere, vt tam qui Religionem ingreditur, quam qui in sæculo manet, se impudicitia tradant & sine fræno luxurientur, quod iam non semel visum est, maxime scemina, quæ dum vident se sine marito, & spe se illi reconciliandi liberrimè viuunt; tum etiam, quia quotidie videmus diuortiatos maximè propter scuitiam, & indigestos & aggrestes mores reconciliari, & nexu amicitia conglutinari & vniri.

Quare † his diebus nolui subscribere cuiusdam consultationi factæ de hac materia iudicans, quod etsi liceat, non tamen expediat maxime si vtrique coniuges iuuenes existant, vel manens in sæculo sit mulier, & vtrumque erat in casu proposito. Diuortium enim latum à iudice ob scuitiam, & mores aggrestes, & indigestam conditionem alicuius coniugum, existimo non esse, ita ex natura absolutum, eo quod imbibat conditionem, quousque conditio aggrestis digeratur & detur cautio de pacifice viuendo, nam si mulier, vel vir notorie sit emendatus, existimo quod, qui diuortium intentauit tenetur in conscientia se reconciliare alteri, & inuicem residere, quia diuortium latum ob hanc causam

V. Basil. de  
matr. lib. 9. c. 23.  
n. 9.

Sanchez. lib. 10.  
Disp. 10. n. 49.

Q. infra. verul.  
§. sub. vol. §.  
fol. 210.

- causam non extinxit ius matrimonij, sed solum declarauit impeditam residentiam vtriusque per scuitiam, & aggressum modum tractandi, ablata tamen scuitia, & modo aspero cohabitandi, nequit alter alteri non residere, quia tollitur impedimentum, quia sententia illa fundata est in praesumptione, & sic solum tenet quamdiu verificatur praesumptio, eo autem ipso, quod ista veritati non nitatur sententia euanescit, & coniuges diuortij tenentur in conscientia mutuo cohabitare & residere: ablata est enim causa timoris cadentis in constantem virum, & periculum quod imminabat, siue mortis, siue malae tractationis, & ratio est, vt dicebam, quia † per diuortium ratione scuitiae, non amittitur ius exigendi cohabitandi & mutuo residendi, sed suspenditur ratione periculi, vt coniux scuitiam diligenter incumbat de remedio adhibendo, cohibendo scuitiam, vt bene aduertit Thom. Sanch. lib. 10. cit. disp. 18. n. 4. ex Ouando in 4. dist. 35. dist. vnic. propos. 5. quare cum isti interrogantes diuortij sunt propter scuitiam, & mores aggressi inter se, vt dicebat ratio, non videtur expediens, quod vnus profiteatur in Religione altero in saeculo manente, quod magis confirmo infra.

## SVBRESOLVT. XV.

*Vtrum factio diuortio, innocens possit ingredi religionem altero repugnante?*

## SUMMARIUM.

1. An factio diuortio propter adulterium possit adulter sine licentia innocentis religionem ingredi, & professionem emittere.
2. Diui Thomae sententia assertur, & n. 4. 5. 6. 7. necnon etiam Thom. Sanchez, & n. 3.

**D**ubium septimum, † an factio diuortio propter adulterium possit adulter sine licentia innocentis Religionem ingredi, & professionem emittere, ita vt innocente inuito, & reluctante id perficiat, ac per consequens sit absolutus a praeepto diuino de residentia maritali: vt tamen hoc dubium, quod valde vtile est ad praxim clarius enucleetur. Notandum est, quod quando neuter coniugum statum mutauit integrum est innocenti cogere adulterum, vt sibi reconcilietur, iste qui tenetur reconciliari etiam lata sententia diuortij a iudice Ecclesiastico, ita tenent D. Thom. in 4. dist. 35. quest. vnic. art. 6. ad 3. sic loquens dans huius suppositionis rationem fundamentalem, sic enim proponit argumentum: Si posset esse reconciliatio videtur quod vxor adultera teneretur redire ad virum ipsam reuocantem. Sed non te-

netur, quia iam sunt separati iudicio Ecclesiae, ergo, &c. cui respondet:

Ad tertium dicendum, † quod illud, quod inducitur in fauorem alicuius non facit ei prauiudicium. Vnde cum diuortium sit inductum in fauorem viri non aufert, ei petendi debitum, vel reuocandi vxorem, unde vxor tenetur ei reddere, & ad eum redire si fuerit reuocata, nisi de licentia eius votum continentiae emiserit. haec S. Doctor quibus comprehendit omnia ea, quae tam ex iure ciuili, quam Canonico multis citatis Auctoribus erudite congerit Thom. Sanch. lib. 10. de matrim. disput. 10. num. 3. † qui optimè addit, num. 4. ad hanc reconciliationem non requiritur, quod iudex, qui tulit sententiam diuortij ipsam retractet, quod cum sententia absoluerit innocentem in sui fauorem a debito coniugali soluendo satis est, vt possit licite ad vsum matrimonij redire cum nolit eo fauore vti, nec ex hoc sequitur sententia diuortij iniusta sit, transit enim in rem iudicatam, in fauorem innocentis, & in odium rei nocentis & adulteri, & sic etiam quamuis fiat reconciliatio non retractatur sententia cuius rationem egregiam dat S. Tho. vbi supra ad 1. quia sententia Ecclesiae diuortium celebrantis non fuit cogens, ad separationem, sed licentiam praebens, & ideo absque retractatione praecedentis sententiae potest reconciliatio sequi. & in solutione ad 4. addit ad praecedentia, quod propter adulterium, quod vir prius innocens post diuortium committit, secundum rigorem iuris, non debet cogi ad recipiendam vxorem adulteram, prius tamen secundum aequitatem iuris, iudex ex officio suo debet eum cogere, vt teneat periculo animae suae & scandalo aliorum, quamuis vxor non possit reconciliationem petere. Addit secundum in solutione ad 5. quod si adulterium viri sit occultum per hoc non aufertur ius excipiendi contra accusationem viri vxori adulterae, quamuis desit sibi probatio, & ideo peccat vir diuortium petens & si post sententiam de diuortio vxor petat debitum, vel reconciliationem vir tenetur ad vtrumque Amplius artic. 3. eiusdem quest. vnic. praefata distinct. aliud principium ponit circa hanc matrimonialem residentiam & eius absentiam in solutione ad 5. vbi sic loquitur Maritus potest accusare vxorem de adulterio dupliciter vno modo ad thori separationem coram iudice spiritali, & inscriptio debet fieri sine obligatione ad legem talionis, quia sic vir consequeretur intentum suum scilicet absentiam ab vxore, alio modo ad partitionem criminis in iudicio seculari, & sic oportet quod precedat inscriptio (ideest libellus accusationis) per quam ad penam talionis se obliget, si in probatione deficiat.

## SVBRESOLVT. XVI.

*Diuortiatuſ reus nequit profeſſionem emittere ſine conſenſu Innocentis.*

## S V M M A R I V M.

1. *An adulter diuortiatuſ per ſententiam iudicis Eccleſiaſtici nequeat in religione profiteri ſine conſenſu innocentis.*
2. *An neque innocente inconſulto & ſine eius licentia tacita, vel expreſſa adulter non poſſit ſtatim mutare, & n. 3. & 4.*

**E**X quibus claris & ſtillatis ex vtroque iure Angelicis principiis omiſſo ſtrepitu ſententiarum, & varietate opinionum, quæ apud Thomam Sanchez, videri poſſunt *vbi ſuprà*, ſecuriora & tutiora pro vtroque foro inferuntur corollaria, quæ me quidem iudice in vtroque Tribunali interno, & externo ſequi debent, quæ ex præfatis regulis deduco, ad maiorem conſcientiæ ſecuritate. Primum eſt, † quod adulter diuortiatuſ ab innocente propter adulterium per ſententiam iudicis Eccleſiaſtici nequit, vel in Religione profiteri, vel ordines in Eccleſia Latina ſuſcipere ſine conſenſu innocentis, vel ipſo contradicente, vel repugnante, hoc conſtat ex notatione facta & primo ex hiſ, quæ poſuimus D. Thom. principio, & quidem, quod innocente inuito etiam poſt latam ſententiam, id non poſſit, clariffimum mihi eſt, quia nocens tenetur reconciliari toties, quoties innocens velit ( ſi ad ſit vitæ ſecuritas,) vt vidimus, quare ſi innocens contradicit, quod adulter profiteatur, vult reconciliationem, & ſic eius profeſſio non derogat iuri innocentis, ſed iſte illum reuocare poteſt. Altera pars, quod † neque innocente inconſulto & ſine eius licentia tacita, vel expreſſa adulter non poſſit ſtatim mutare, etiam mihi certa eſt ferè ob idem fundamentum, quod poſuit D. Tho. quia ſemper manet ius innocentis illæſum in cuius fauorem, & in odium nocentis lata eſt ſententia diuortij, & ſic niſi de licentia innocentis votum continentia emiſerit, ſiue profeſſione ſolemni, ſiue in ſuſceptione ordinis ſacri nequit ſtatim mutare, ſed ad hoc requiritur licentia innocentis, ne præiudicetur iuri, quod habet ſemper illum reuocandi, & ſibi reconciliandi. Hoc autem primum corollarium intelligendum de mutatione ſtatus in quo adulter ſit impedituſ ad reddendum debitum Innocenti, qui ſemper habet ius ſuum illæſum, vt alter ſecum cohabitare & reſideat, nam ſi adulter, vel fiat ex Tertiariis alicuius Religionis, vel ex religioſis militaribus, qui votum dumtaxat continentia coniugalis emittunt, id poteſt adul-

ter etiam ſine licentia, aut etiam contradicente innocente, cuius ius nullatenus læditur per profeſſionem etiam ſolemneſ hujuſmodi Religionum militariuſ, excipitur Religio S. Ioannis etſi quæ eſt alia militaris ſimilis, in qua votum abſolutum & omnimodæ caſtitaſ emittitur.

## SVBRESOLVT. XVII.

*Si innocens monituſ multoties, nolit reconciliare nocentem, iſte poteſt ingredi religionem.*

## S V M M A R I V M.

1. *Si prudenter aliquoties ſit monituſ innocens quod ſibi reconciliet adulterum, nolit illum ſibi reconciliare, an poſſit adulter religionem ingredi, & num. 2.*
3. *Diui Thomæ ſenſuſ adducitur.*
4. *An etiam ſi vxor emendata recludatur in monaſterio auctoritate iudicis Eccleſiæ, poſſit vir intra biennium à monaſterio extrahere.*
5. *Interpretum Iur. Canon. ſenſuſ.*
6. *Ratio difficultatiſ aſſertur, & n. 7.*
8. *An lex Trident. de quinquennio tranſacto à die in qua quiſ potuit reclamare, & non reclamauit obliget in conſcientia, vt teneatur profeſſionem emittere, & num. 9. & 10.*
11. *Gloſſe dictum adducitur, & numero 12. & 13.*
14. *Necnon Authoris meſ.*
15. *Canonis ſtatutum, & n. 16.*
17. *Quarundam feminaruſ error antiquuſ.*

**S**ecundum, quod deduco eſt, quod † ſi prudenter arbitrio aliquoties ſit monituſ innocens, quod ſibi reconciliet adulteruſ lata ſententia diuortij nolit illum ſibi reconciliare & cum illo reſidere & cohabitare, poteſt adulter, vel Religionem profiteri, vel extra, votuſ continentiaſ emittere, vel ſacros ordines ſuſcipiendo, vel ſine illiſ colligitur, *ex c. gaudemus de conuerſ. coniug.* quidquid dicat Thomas Sanch. n. 16. & ratio quam ipſe adducit ad hoc corollarium probandum, ( quod certum eſt, ) in ratione quam Pont. Greg. IX. fundatur, ideo enim Pont. iubet, quod vxore emendata ſi marituſ diligenter commonituſ nolit eam propter Deum ſibi reconciliari, illa in clauſtris cum religioſiſ mulieribuſ collocetur, vt perpetuam ibi agat pœnitentiam, quia iudicat Summuſ Gubernator, quod cum innocens marituſ lata ſententia diuortij, non tenetur vxorem adulteraſ etiam emendatam recipere *c. ſignificati. de diuortij.* quod docuit etiam † D. Thom. art. 6. cit. ad 1. etiam ſi habeat ius eam reuocandi, & ſibi reconciliandi, eo ipſo, quod diligen-

diligenter monitus nolit sibi eam reconciliari, mandat Pontifex quod in monasterio recludatur perpetuo, quia iam vir renuntiavit iuri suo ad eam, sibi reconciliandam, tamen non est absoluta renuntiatio, quia

4 † etiam si vxor emendata recludat in Monasterio auctoritate iudicis Ecclesiæ, potest tamen vir intra biennium, eam sibi reconciliari, & extrahere à Monasterio vt sibi resideat, & cohabitare, vt expresse habetur. *Authent. vt nulli iudi. §. si quando vero adulterij crimen collat. 9. & Authent. si hodie C. de adulter* cuius decisioni standum, quia non est correctæ à iure canonico, sic tenent multi ex antiquis citatis interpretibus iuris

5 Canon. † Barbofa *leg. 2. D. solut. matrim. p. 1. num. 154.* Tiraquellus *leg. 9. connubia Gloss. 1. 7. 9. num. 90.* Rodrig. *tom. 2. quest. 2. artic. 7.* Nauarrus *cons. 38. num. 1. de Regul. alias consil. 4. de diuort. num. 1.* addens & bene hoc etiam procedere, etsi lata sit sententia à iudice sæculari, præcedente accusatione viri.

Vnde fit quod *ex cap. gaudemus cit.* ratio

6 fundamentalis huius corollarij desumitur propter rationem, quæ colligitur ex textu ex renuntiatione tacita, quam facit innocens si diligenter requisitus, etiam lata sententia à iudice Ecclesiastico diuortij, nolit sibi vxorem emendatam reconciliare, quod si inclusa in monasterio ad agendam pœnitentiam, biennium transierit & vir eam sibi non reconciliaret, potest vxor professionem emittere, nec eam potest amplius maritus repetere, sed accusare suam seram reconciliationem, ante tamen præfatum biennium, nequit professionem emittere, quia non iuridice constat de renuntiatione sui iuris. Vnde nec in foro conscientiæ potest eam repetere, si professionem emisit si transacto biennio non reconciliet, quamuis expresse dicat se non renuntiassse iuri suo.

Ex qua doctrina non inefficax argumentum sumitur ad probandum id quod supra dicebamus, quod † lex Trident. de quinquennio transacto à die in qua quis potuit reclamare & non reclamauit, obligat in conscientia ita vt teneatur in conscientia professionem emittere, quia etsi præsumptio sollicitauerit Concilium ad talem legem ferendam, tamen non fundauit eam in præsumptione, sed in pace publica, & bono communi status Religiosi, quæ obligat

9 etiam si præsumptio deficiat, sicut in casu præsentis ius civile irreuocatum à iure canonico, dat marito innocenti biennium, vt vxorem emendatam & in monasterio reclusam, sibi reconciliet, ad quam legem ferendam sollicitauit legislatorem præsumptio, quod si intra istud tempus vir non reconciliat sibi vxorem renuntiavit iuri suo,

10 & tamen, etsi expresse non renuntiavit, in

conscientia obligatur ad non repetendam amplius vxorem, nec illi potest (etiam si habeat occasionem opportunam) debitum petere nec ita potest reddere, sine sacrilega conventionem.

Sed notanda sunt verba glossæ verbo *in claustris* quæ non parum enucleant id quod dicit D. Thom. *art. 3. cit. ad 5.* † de duplici modo procedendi ad diuortium celebrandum, vel coram iudice Ecclesiastico, coram quo non proceditur criminaliter, sed ciuilitate, in hac causa sed coram iudice laico coram quo criminaliter in hoc puncto proceditur. Glossa ibi † *mulier de adulterio condemnata vel publicè deprehensa detruditur in monasterium ad agendam perpetuam pœnitentiam si eam emendatam vir recipere noluerit, tamen intra biennium potest eam recipere si vult, si vero eam noluerit recipere, vel si prius moriatur quam eam recipiat tunc tondetur & habitum monachalem recipiat ibi perpetuo moriatura, vt expresse habetur in Authent. vt nulli iudi. §. si quando vero collat. 9. vnde desumpta est hac decretalis & C. de adulter aut. sed hodie & cū rebus suis ne sit onerosa monasterio vt in Authent. sed hodie continetur. Non tamen propter hoc erit monacha, nisi amplius processum fuerit. Et sic quandoque propter culpam suam aliquis compellitur intrare monasterium* 50. *dist. cap. si ille & 16. quest. 6. cap. de lapsis 27. quest. 1. cap. si quis rapuerit & idem videtur dicere decretum 32. quest. 1. cap. benedictio & 2. quest. 1. cap. imprimis & 34. dict. cap. fraternitatis. Olim alia pœna puniebantur adultera quia lapidabantur conuictæ de adulterio secundum legem Mosaicam 33. quest. 5. cap. hac imago & C. de adulter leg. castitati ubi legitur mis plenè subiicitur sed hac pœna non imponitur cum, non agatur criminaliter (vel vt erat in antiquis codicibus decretalium) cum agatur ciuilitate cap. tua de Procur. hæc Glossa.*

Quare † existimo quod ciuilitate procedendo coram iudice Ecclesiastico, quod Gregorius IX. in præfato *cap. gaudemus* pœnas antiquorum Canonum, quæ valde rigide erant cumulauit in perpetuum vxoris in claustris monialium reclusionem, etenim Concilium illud Illiberitanum & si numero Patrum exiguum grauitate doctrinæ & seueritate (illis primis sæculis valde necessaria) disciplinæ Ecclesiasticæ magnum cuius plures difficiles canones enucleauit & nouam dedi lucem *tom. 5. de vero Martyrio fidei † cano. 8. statuit quod Adulteris nec in fine communio detur, quod repetit cano. 47. & 64. & cano. 68. Cathecumena adulterati vsque in finem differtur Baptismus* has pœnas moderauit concilium Apziranum quod, adulteris septem annorum pœnitentiæ designat, quod confirmauit Zacharias Papa *epist. 7. cap. 25. & Concilium Palentinum*

- Sub Ioan. XXI tit. de Adulteriis. & aliud Palenti sub Urbano V. excommunicatione percellit adulteros, & nisi duobus ante mortem mensibus è domo concubinam non eiecerint priuat Ecclesiastica sepultura, quod ante decreuerat Concilium Vvormacense sub Clemente V. cap. 25. & quidem hanc pœnarum congeriem non fugiebat vxor quæ consentiente viro adulterium committebat, vt constat ex Concilio Illiberit. Cano.*
- 17 70. olim enim † fuit error quarundam feminarum, quæ existimabant posse aliis commiseri de licentia suorum virorum, quæ fuit hæresis *Nicolaitarum*, & hodie Anabaptistarum, quam pulchrè reiicit Aug. l. 1. de *serm. Dom. in monte c. 26.* sed omnes hæ pœnæ iam vsu abrogatæ sunt.

## SVBRESOLVT. XVIII.

*Singularis explicatio cuiusdam legis Hispanæ circa adulteros.*

## S V M M A R I V M.

1. Si criminaliter procedatur contra adulteros coram iudice laico, varia in lege civili determinata pœna.
2. An in causa diuortij vir & vxor ad paria iudicentur.
3. Diuortium est pœna adulterij in quantum est contra matrimonij bona, ex S. Thom. & num. 4.
5. An Legislator civilis præcipuè attendat ad bonum prolis, quod euertit vxoris adulterium.
6. An iudex & Legislator Ecclesiasticus attendat ad bonum fidei, cui æqualiter opponitur matrimonium viri & vxoris.

1 CÆterum † si criminaliter procedatur coram iudice laico variæ sunt in iure civili determinatæ pœnæ, quas refert Farin. in *praxi crimin. tom. 4. q. 142.* inter quas principalis est mors quæ variis modis infertur adulteræ iuxta leges variarum Prouinciarum, & quidem iuxta leges Hispanas non est æqua fors mariti & vxoris, neque enim licet vxori maritum ob adulterium criminaliter oportere leg. 3. tit. 20. lib. 3. noua *Recopil.* nec compensari mariti accusationem similis adulterij exceptione, sed adhuc post adulteria, licet marito vxorem criminaliter accusare, licet inquam in foro externo in quo impunè eius accusatio admittitur.

Sed non est facilè huius nostræ legis iustificatio, quia vt ait D. Th. q. vnic. cit. art. 4. † in causa diuortij vir & vxor ad paria iudicantur, vt idem sit licitum & illicitum vni, quod alteri, quare cum pœnæ culpæ debeat commensurari, vt ratio naturalis dicit & iura

proclamant, quare sicut marito conceditur criminaliter accusare vxorem, ista etiam criminaliter poterit accusare; rursus contra dictamen rationis videtur, quod adulterium vxoris non compensetur adulterio viri, & quod iste etiam si adulter sit & in foro animæ, non possit cogere vxorem ad reddendū, vt est omnino certum, possit accusare impunè vxorem, de adulterio & criminali mortis subiicere sententiæ.

Sed S. Doct. in corpore articuli citati pulchram reddit rationem, quæ nostra lex in foro externo iustificatur, dicit enim quod † 3 *diuortium est pœna adulterij in quantum est contra matrimonij bona. Quantum autem ad bonum fidei ad quam coniuges æqualiter sibi inuicem tenentur, tantum peccat contra matrimonium adulterium vnius, sicut adulterium alterius, & hæc causa in utroque sufficit ad diuortium; sed quantum prolis plus peccat adulterium vxoris, quam viri & ideo maior est causa diuortij in vxore, quam in viro, & sic ad æqualia, sed non ex æquali causa obligantur, nec tamen iniuste, quia in utroque est causa sufficiens ad hanc pœnam.*

Igitur iã apparet legis Hispanæ iustificatio, legislator enim † civilis præcipue attendit ad bonum prolis, quod euertit adulterium vxoris, quæ se alteri commiscet, non vero adulterium viri, vnde aliquando licitū fuit, quod vnus vir plures simul haberet vxores at nunquam licuit, quod vna vxor plures haberet maritos, vnde cum adulteriū vxoris bono prolis opponatur, semper potest impunè maritus etiam adulter, accusare vxorem & ista non potest maritum, at † iudex & legislator Ecclesiasticus attendit ad bonū fidei, cui æqualiter opponitur matrimonium viri ac vxoris, & sic ista in foro Ecclesiastico potest ponere exceptionem adulterij mariti, & iste si adulter est, nequit procurare diuortium corā iudice Ecclesiastico.

## SVBRESOLVT. XIX.

*Innocens non tenetur dimittere adulterium, sed potest cum illo residere.*

## S V M M A R I V M.

1. An innocens non sit obligatus dimittere adulterium, sed possit cum illo cohabitare, & num. 2. & 3.
4. An si vxor adultera emēdata non sit, nequeat ad residentiam admitti in eodem thoro.
5. Vir accedens ad adulteram fit bigamus interpretatiuè ex Basil. Legionens.

Tertiū, quod infertur est, quod si loquamur de innocēte postquā alter comisit adulterium

adulterium non tamen est facta separatio  
 1 per sententiam; † iste innocens non est  
 obligatus dimittere adulterum sed potest  
 illum retinere & cum illo residere & coha-  
 bitare ita D. Tho. *quæst. cit. artic. 2. & 3.* &  
 est decisum *cap. de benedicto. cap. quod autem*  
*cap. non erit cap. apud misericordem 32. quæst.*  
 1. & ratio est, quia vel adulter est emenda-  
 tus, & csi cum diuortium iure Ecclesiastico  
 sit introductum ad emendationem, & cor-  
 rectionem adulteri, si iste iam est correptus  
 & emendatus non tenetur coniux illum di-  
 mittere, & ab illo quoad thorum separari,  
 sed potest remittere iniuriam sibi factam &  
 cum illo residere, aut non est emendatus,  
 sed etiam publice manet in suo delicto in-  
 correctus & tunc tenetur eam dimittere  
 2 quoad thorum ne videatur adulterio con-  
 sentire, & ne det scandalum aliis, quod  
 vxorem incorrectam & adulteram sibi con-  
 iungit *cap. sicut. cap. dicit Dominus & aliis*  
 23. *quæst. 1.* & egregie constituit ex scriptu-  
 ra Clemens Romanus *l. 6. const. c. 14.* ibi, *qui*  
*retinet adulteram, que legem natura viola-*  
*uit legis violator est, qui adulteram retinet*  
*stultus & impius est, abscinde eam à carnibus*  
 3 *tuis, quia non est auxiliatrix, sed insidiatrix*  
*que mentem ad alium declinauit &c.* Hæc  
 ille. vxor enim dum committit adulterium  
 non solum peccat contra virum, sed contra  
 4 Deum, & seipsam quare † nisi emendata  
 sit admitti nequit ad residentiam in eodem  
 thoro quamuis si non præcedat sententia  
 iudicis Ecclesiastici de diuortio potest in-  
 nocens cogi ad cohabitationem & residen-  
 tiam in eadem domo & lecto nisi adulte-  
 rium ita notorium sit, quod innocens possit  
 illud incontinenti probare. Verum est, vt  
 notat Basilius Legionens. *l. 9. de matrim. cap.*  
 5 *17. num. 2.* quod si vir accedat ad adulte-  
 ram fit bigamus interpretatiue, vnde eo  
 ipso fit irregularis, & incapax sacrorum or-  
 dinum, etiam si ignarus adulterij accedat,  
 etiam si coactus sententia iudicis, nisi gra-  
 uissimum malum timeretur, nisi se copula-  
 ret adulteræ, quod præponderaret iuri in-  
 nocentis *cap. si laici 34. dist. quod desumptus*  
 & ex concilio Næocesarien. *cap. 8.* quam  
 bigamiam interpretatiuam posse Regula-  
 rium Prælati in vim suorum priuilegiorum in  
 iuris subditis dispensare, alibi cōsultus repōdi.

SUBRESOLVT. XX.

*Innocens quando dubitat de sua incontinentia,  
 an teneatur dimittere adulteram?*

S V M M A R I V M.

1. *An seni aliqui casus in quibus inuenis te-  
 neatur non dimittere vxorem adul-*

*teram & num. 2.*

3. *Authoris iudicium, & num. 4.*
5. *P. Basil. sententia adducitur, & n. 6.*
7. *An si adulterium vxoris occultum ita sit, vt  
 tantum sciatur ab vno vel altero non se-  
 quatur scandalum.*
8. *An quantum ad dimissionem equalem ha-  
 beat effectum adulterium viri ac vxoris.*
9. *P. August. sensus adducitur, & n. 10.*

Sed † sunt aliqui casus in quibus inno-  
 Scens tenetur non dimittere vxorē adulte-  
 teram, etiam si emendata non sit etiam si se-  
 quatur scandalum. Primus est quem ponit  
 Paludanus *in 4. dist. 33. quæst. 2. art. 3. concl. 4.*  
*si innocens valide dubius sit de sua continentia*  
*& prudenter probabiliter practice timeat se in-*  
*continentem futurum si non resideat cum vxore*  
*quam adulteram ante sententiam diuortij ag-*  
*noscat, strictius enim est & prius præceptum de*  
*salute propria, quam de aliena, nam aliena sa-*  
 2 *lute est secundaria obligationis, cum ordo cha-*  
*ritatis à se ipso incipiat, ergo non potest corre-*  
*ctioni & supplicio coniugis insistere, cum dispen-*  
*dio sue continentie. Quare diligenter tunc con-*  
*siderandum est quod grauius malum sit adulte-*  
*rium innocentis an dispendium fama; addo etiam*  
*id iustissimum ideo mihi videtur, quia si coniux*  
*innocens postea fiat nocens, non potest nec vxo-*  
*rem abijcere, nec abiectam non recipere in con-*  
*scientia, ergo si probabiliter timet tenetur non*  
*dimittere.* Hactenus Legionens. *vbi supra*  
*num. 4.*

Sed ego † in hanc sententiam nequa-  
 3 quam conuenire possum iuxta principia à  
 me posita *tom. 1. Moral. tract. 1. resol. 7.* & se-  
 quentibus. Quare ego sub distinctione lo-  
 quendum existimo, aut ergo vxoris adulte-  
 rium publicum ex quo sequitur scandalum  
 in vicinia, & ciuitate, quia à maiore parte  
 notum, & sic etiam si vir dubitet de sua in-  
 continentia sitque in periculo proximo la-  
 4 psum, & sic si potest tenetur dimittere vxo-  
 rem donec corrigatur, & emendetur, ra-  
 tio est quia ex residentia, & communica-  
 tione cum adultera sequitur scādalum mul-  
 titudinis, quod sub grauissimo præcepto te-  
 netur vitare, & periculum illud incontinen-  
 tiæ fit remorum, & inuoluntarium, quia  
 vrget maius præceptum, de vitando scanda-  
 lo multitudinis, sicut loco citato dixi quod  
 quum imminet aliquod magnum damnum,  
 quod sequitur quis non tenetur vitare occa-  
 sionem peccandi, quæ etsi secluso, illo dam-  
 no esset proxima, at posito probabili timo-  
 re talis damni, fit remota ibi confirmari, &  
 ex eodem P. Basilio *lib. 5. de matrim. cap. 35. §*  
*num. 4.* ibi. † *Licet non expellere domo eam fa-*  
*minam que est occasio peccandi quum sine scan-*  
*dalo, eiici non potest, quæ multorum sententia*  
*est, & absolui debet penitens, etsi non eiiciat,*

si aliàs est rectè dispositus. hæc ille ergo si sine scandalo nequit innocēs residere cum vxore adultera, eam tenetur dimittere etiam si ipse aliàs sit in periculo lapsus carnis, quia magis vrget necessitas præcepti vitandi scādalum, quod præceptum stat possidens suam obligationem quam vitare periculum lapsus, vt enim ait S. Basilius Magnus in *constit. Monastic. qui urgente aliqua causa, & necessitate, se periculo obiicit, vel permittit se esse*

6 in illo, quum tamen aliàs nollet, non tam dicitur amare periculum quam inuitus illud subire, & ideo magis prouidebit Deus ne in illo pereat. Hæc S. Doct. maximè cum illud periculum vinci possit, oratione, ieiunio, & carnis maceratione.

7 Si verò † adulterium vxoris occultum sit, & tantum sciatur ab vno, vel altero, verum tenet Doctrina Paludani, & Legionens. quia in tali casu nõ sequitur scandalum, cui cum reputatione non possit satisfieri, ea quæ dixi in priori parte communiter intelligenda sunt de adultera vxore, quam vir tenetur dimittere, si adulterium scandalum sit, & ruinam proximorum, & in pacationem illius inducat, vt benè Thomas Sanchez l. 10. de *Matrim. disput. 13. num. 7. & 10.* quamuis

8 enim, vt supra vidimus ex S. Thom. † quantum ad dimissionem æqualem effectum habet adulterium viri ac vxoris, id quod leges ciuiles adnotarunt & Sacri Canones, quos refert Basilius Legionens. *vbi supra numer. 5. & constrinxit eius Pater Aug. lib. 2. de adulterinis coniugiis ca. 8. Nam periniquum est, (ait) vt pudicitiam ab vxore vir exigat, quam ipse non exhibet, quæ res potest & virum damnare, non ob compensationem mutui criminis rem componere, aut causam facti tollere, quasi dicat quod adulterium vxoris non tollit, aut minuit viri adulterium, at iniquum est ab vxore pudicitiam exposcere, quam ipse non exhibet, quod egregiè dixit serm. 48. de verbis Domini in monte. † Quis iuuenis est qui non castam, velit ducere vxorem? et si accepturus est virginem quis non intactam desideret? intactam queris? intactus esto. Puram queris? num illa potest? & tu non potes? tu exigis ab vxore ne mechetur & non vis reddere hoc vxori: vis vxorem victricem esse libidinis & tu victus iaces?*

9 & concludit dicens, *vbi melius viuit vxor, quam vir ibi cap. deorsum pendet domus, quia videlicet iuxta Apost. 1. ad Chorint. 11. n. 14. c. mulieris vir & sic, vt domus firma subsistat & non vacillet caput deorsum, vir & vxor æquè bene quantum ad matrimonij bonam viuere debent.* & sic egregiè dixit D. Tho. quod quantum ad matrimonij fidem æque & ad æqualia iudicantur vir & vxor, & sic ista dum adulterium committit magis peccat contra bonum prolis.

## SVBRE SOLVT. XXI.

Vir tenetur ex vi præcepti correctionis fraternæ dimittere vxorem adulteram.

## S V M M A R I V M.

1. An vir teneatur ex vi correctionis fraternæ præcepto dimittere vxorem adulteram.
2. An ex vi præcepti correctionis fraternæ teneatur adhibere ea media ad emendationem, vt lucretur & non pereat.
3. Multis canonibus viro pœna statuitur qui vxorem non emendatam de adulterio recipit.
4. D. Caietani sententia assertur, & n. 5. 11. 12. & 13.
6. Nullus deobligat virum à præcepto correctionis fraternæ.
7. Innocentiij III. sensus.
8. An etiam si adulterium sit occultum & de ipso vir habeat prudentem suspicionem, aut notitiam teneatur ex vi præcepti correctionis fraternæ, vxorem dimittere quoad thorum, & n. 9. & 10.

**A**ddo contra Thomam Sanchez lib. 10. de *Matrim. disp. 13. n. 8.* † virum teneri ex vi correctionis fraternæ præcepto dimittere vxorem adulteram, ita expresse D. Tho q. vni. cit. art. 2. vbi huius rei manifestam subministrat rationem, quia (ait) *dimissio vxoris fornicantis introducta est ad corrigendum vxoris crimen per talem pœnam, pœna autem corrigens non requiritur vbi emendationem præcessit, & ideo si mulier de peccato pœniteat, vir non tenetur eam dimittere, si autem non pœniteat tenetur, ne peccato eius consentire videatur dum correctionem debitam non apponit, quæ ratio manifesta est, nam † ex vi præcepti correctionis fraternæ tenetur quis adhibere ea media ad emendationem fratris, vt lucretur & non pereat, quæ introducta sunt ex Ecclesiæ ordinatione, qualis est vxoris dimissio, vt corrigatur cap. si vir de adulter. cap. quemadmodum de iureiurand. cap. non solum 28. quest. 1. imo multis Canonibus statuitur † pœna viro qui vxorem non emendatam de adulterio, recipit cap. si quis vxorem el. 1. & cap. si quis vxorem el. 2. 32. quest. 1. vbi statuitur duobus & tribus annis de pœnitentia publica, ei, qui vxorem adulteram non emendatam retinet, & sic huius dimissio, medium est statutum ab Ecclesia, quod debet maritus adhibere, vt lucretur vxorem correctione fraternæ, quare sicut tenetur eam verberare si hoc iudicatur esse medium, vt corrigatur, ita eam dimittere.*

Vnde Dominus Caiet. † t. 1. opuscul. tr. 29. 4



§. & ad obventiones, dicit, quia ad virum spectat corrigere uxorem, etiam facto, ideo tenetur ad utendum omnibus remediis sibi tamen convenientibus puta ad verberandum, eam segregando à practica, & huiusmodi, inter quæ remedia computatur abstinentia à thoro illius, quando creditur expediens. Tenetur quoque magis ad euacuandum à se scandalum, quia non facile creditur, uxorem publice adulterari sine tacito consensu viri. Propter hæc namque dico omnes authoritates allatæ damnant virum non separantem se ab uxore adultera ut patronum turpitudinis. Nec sacri canones credendi sunt condidisse nouum ius, sed applicasse doctrinam diuini iuris, ad materiam matrimonij unde patrociniū peccati, & patrociniū turpitudinis eua iuris sunt diuini asserunt. Hæc Caiet. quibus totam rem comprehendit, ex cuius doctrina prorsus euanescent omnia, quæ in contrarium adducit Sanchez, cuius sententiam nullus qui ante ipsum scripsit sequitur, quamuis enim aliqui dicant, quod si vir iudicat quod dimissio vxoris non est medium aptum correctionis fraternæ, non tenetur illud adhiberi ex vi præcepti huius, sed ratione scandali, at † nullus deobligat virum à præcepto correctionis fraternæ, & adhibendi media, quæ statuta sunt ab Ecclesia ad eam faciendam; quod manifeste determinatur cap. quemadmodum. §. vltim. versic. cum scriptura, vbi Innocentius III. rescribens Genuensi Archiepiscopo cum scriptura testetur, quod † Patronus est turpitudinis qui celat crimen vxoris, & secundum regulam Euangelij, si primo & secundo correpta resipiscere nollet, dicendum esset Ecclesie, ut tanquam ethnica & publicana deinde vitaretur, ne per hoc & libera præberetur facultas peccandi propter impunitatem peccati. Hæc Pontifex, ergo si ex vi correctionis fraternæ tenetur vir denuntiare uxorem adulteram Ecclesie, quando prima & secunda monitione non est emendata, ergo ex vi iuris diuini applicati ab Ecclesia, tenetur vir uxorem dimittere quantum ad vsum matrimonij, & hoc tentare est obligatus, tanquam caput mulieris vt experiatur an hoc medium ipsam corrigat, & emendetur, nec video, qua ratione id possit negari. Imo existimo quod etiam si adulterium sit occultum, & de ipso habet vir prudentem suspicionem, aut notitiam, tenetur ex vi præcepti correctionis fraternæ ipsam dimittere quoad thorum, quia præceptum de correctione fraterna maxime vrget, quum proximi peccatum occultum est, vt emendetur, quamuis non teneatur ratione præcepti vitandi scandalum, neque enim est casus methaphisicus, quod vir ponat medium separationis thori & negationis debiti ad corrigendam uxorem cū illud ponant Sacri canones, & omnes Do-

ctores antiqui cum Magistro in 4. dist. 35. vbi D. Tho. vt vidimus S. Bonnauent. art. vnic. quest. 2. Ricardus art. 1. quest. 2. Ouandus q. vnic. proposit. 1. & innumeri alij quos ipse Sanchez adducit, cum pro se nullum hoc expresse negantem, adducat, sed reptans per discursum, & quidem in re tam graui & serio statuta in iure à communi discedere, nunquam approbo, maxime quando nō adfunt valde efficacia argumenta, sed solum congruentiæ politicæ quæ multoties mores corrumpunt.

Cæterum noto cum ipso Sanchez quest. 2. num. 29. & Domino Caietano vbi supra in corpor. questionis, vbi postquam dixit de uxore quæ habet maritum adulterum † quod si monitio verbi facta per se, vel per alios non sufficit (cum ipsa non possit verberare maritum adducens ad penitentiam, sicut è contrario) tenetur adhibere pœnalem medicinam abstinendo ab eo, & denuntiare Ecclesie, si hoc non sufficit, sed quoniam præceptum de correptione fraterna non habet locum vbi non est spes penitentia, quoniam finis eius, est bonum ipsius peccatoris, ideo si vxor non sperat penitentiam per hoc remedium, non tenetur ad illud faciendum, & tanto minus, si credit, quod peior fiet. Subdit concludendo materiam. Ex omnibus considerationibus opportunis concluditur quod vxor innocens, & amaritudine animæ posita de viri adulterio publico, non sperans per abstinentiam actus coniugij, emendationem viri, non tenetur ad abstinendum ab eo, sed licite potest matrimonio vti, tam petendo, quam reddendo. Hæc tenus Card. qui ex eo quod ordinarie per negationem debiti vxoris non emendatur maritus, colligit & bene, quod vxor non tenetur diuertere à residentia cum marito in eodem thoro, sed quod possit petere, & reddere, quod si hoc medio conciperetur certa spes emendæ, non dubito quod ex vi præcepti correptionis fraternæ teneretur illud adhibere non tanquam pœnam, quæ à Superiore solum imponitur, sed tanquam medium, correptionis mariti, sicut potest & tenetur alia media apponere quæ sibi vtilia videntur, vt pœniteat.

## SVBRESOLVT. XXII.

Virum Innocens possit propria authoritate diuertere ab adultera?

## S V M M A R I V M.

1. An cum vir innocens vult diuertere ab adultera possit id facere propria authoritate.
2. Vir potest dimittere uxorem dupliciter, ex S. Thoma, & n. 3.
4. Propter adulterium duplex affertur dimissio, ex eodem S. Thoma, & n. 5.

## 6. Salgado sententia adducitur.

- Q**uartum, quod adducitur est, decisio illius difficultatis, an  $\dagger$  quum vir innocens vult diuertere ab adultera, & cum illa non residere & cohabitare possit id efficere propria auctoritate, seclusa omni sententia iudicis Ecclesiastici, & quidem loqui possumus in foro conscientiae, quod dirigit doctus confessor, & in foro externo in quo praesidet pro Tribunali iudex Ecclesiae. Huius difficultatis resolutionem paucis comprehendit D. Tho. in 4. dist. 35. quest. unic. art. 3.
- 2 in quo sic loquitur.  $\dagger$  *Vir potest uxorem dimittere dupliciter vel quantum ad thorum tantum, & sic potest eam dimittere, quam cito sibi constat de fornicatione uxoris proprio arbitrio, nec tenetur debitum reddere exigenti nisi per Ecclesiam compellatur, & taliter reddens nullum sibi praedictum facit. Alio modo quantum ad thorum, & cohabitationem, & hoc modo non potest dimitti nisi iudicio Ecclesiae, etsi alias dimissa fuerit, debet cogi ad habitandum nisi possit in continenti fornicationem probare. Hac autem dimissio diuortium dicitur, & ideo concedendum est quod diuortium non potest celebrari nisi iudicio Ecclesiae.* Quibus verbis doctrinaliter enucleat fere omnia quae lata manu & eruditione adducit Thomas Sanch. *disp. II. & 12. lib. 10. de matrim.*
- 4 Igitur  $\dagger$  duplex est ex sententia Doctoris S. dimissio propter adulterium vna occulta, & particularis, altera publica & iuridica, prima fieri potest ab innocente proprio arbitrio, nec tenetur in conscientia reddere exigenti adulterae, nisi cogatur à iudice Ecclesiastico qui ipsum potest cogere, imo, & tenetur cogere si vxor id exigat, quia cum sit spoliata in foro externo ante omnia debet restitui in possessionem, nec aliter innocens in petitorio audiri debet *cap. in litteris. cap. ex conuisione cap. cum quis de restit. spoliat.* causa enim restitutionis plurimis gaudet priuilegiis nemo enim sine citatione partis, & actu iudiciali remouendus est à sua possessione, *cap. licet Episcopus de praebend. in 6.* adeo quod etiam praedo ante omnia restituendus est, vt dicit textus *in cap. in litteris de restit. spoliat*, vnde cum spoliatio in foro externo sit iniusta, quoad omnia quibus, quis est spoliatus, restituendus est, adeo quod vt notat bene Salgado *de protectione regia*  $\dagger$  etiam si vnus obolus deficiat restituendus, non debet audiri spoliatus, & sic cum mulier sit spoliata redditionis debiti, etiam quantum ad hoc debet restitui, nec audiendus est spoliator in petitorio nisi prius reddat quod debet, quod etiam tenet verum si adultera propter adulterium fugiat, si rediens petat restitutionem, quia ex quo redit appetit quod sibi restituatur maritus, spo-

liata indicatur, quod ex multis adnotat Sanchez *disp. 12. num. 16.*

## SVBRESOLVT. XXIII.

*Utrum iudex Ecclesiasticus cogat innocētem excommunicatione teneatur reddere?*

## S V M M A R I V M.

1. *An si vir cogatur à iudice Ecclesiastico lata excommunicatione, teneatur in conscientia reddere.*
2. *Ratio difficultatis affertur.*
3. *Patris Thom. Sanch. sententia affertur, necnon Authoris iudicium, & n. 4.*
5. *An spoliatus teneatur in conscientia reddere, & obedire Ecclesiae qua potest cogere, vt ipse restituat attentatum, & numero 6.*
7. *An ex redditione debiti nullum praecipuum sibi faciat, si coactus reddat debitum adultera, & n. 8. & 9.*
10. *An iudex excusari nequeat ne ferat sanguinis sententiam in reum ob irregularitatem, qua sibi aduenit.*
11. *An coniux certus de adulterio alterius, nisi cogatur à iudice Ecclesiastico censuris, non teneatur debitum reddere.*
12. *Syluestri & Sanche<sup>z</sup> sensus, & n. 19.*
13. *Qua dimissio publica nequeat fieri sine iudicio Ecclesiae, & num. 14.*
15. *Alexandri III. decisio, & n. 24. necnon D. Thomae sententia, & n. 16.*
17. *Diuortium publicum celebrari non potest sine iudicio Ecclesiae.*
18. *An iudici debeat constare notorietas adulterij vt mulieri alleganti spoliū restituatur.*
20. *Quid non sit proprie diuortium, & numero 21.*
22. *An si notorium sit adulterium, & vir absentetur & propria auctoritate aufugiat, possit repeti ab uxore adultera, & numero 23.*
25. *Innocentij III. sensus.*
26. *Profertur excommunicationis sententia in eos qui uxores suas dimittunt.*

**Q**uod si vir cogatur à iudice Ecclesiastico, lata excommunicatione vt reddatum reddat, & sic mulier spoliata restituatur  $\dagger$  non conuenit inter Doctores, an vir teneatur in conscientia reddere, quidam dicunt absoluere non teneri, nec esse coram Deo excommunicatum, sed solum in foro externo, & ita non peccare, etiam si in excommunicatione vitam finiat. Ita Abulens. *ad cap. 19. Math. quest. 72.* & multi alij, quia praecipuum Ecclesiae fundatur in praesumptione qua non existente vera non obligat

gat in conscientia, ac per consequens, nec excommunicatio coram Deo tenet. Ratio  
 2 † videtur satis efficax, quia etsi lex vniuersalis fundata in præsumptione obliget in conscientia, etiamsi præsumptio deficiat in aliquo particulari, quia motuum legis vniuersale semper perseverat, tamen cum sententia & præceptum ex illa dimanans solum respiciat hunc particularem casum, & personam tantum præsumit in isto casu, & ita si cesset præsumptio, præceptum non exeret vires ad obligandum, & per consequens neque excommunicatio ligat, quia ubi præceptum non ligat non est contumacia.

3 Propter quod † Pater Thomas Sanchez, alia via procedit *disp. 10. num. 6.* quod iste non tenetur ex natura rei obedire, nec coram Deo est excommunicatus, ut dicit prior sententia, at tenetur ratione scandali, quia perseverat coram fidelibus nominatim excommunicatus, & sic si per annum in ea excommunicatione perseverat, est suspectus de fide, & ut talis potest puniri ab inquisitoribus, ut determinat Trident. *sess. 25. cap. 3. in fin. de reform.*

Sed ego sententiam D. Tho totis viribus  
 4 amplector † est enim verissima, qui asserit, quod iste innocens non tenetur reddere, nisi per Ecclesiam compellatur, & tunc si reddat nullum sibi præiudicium facit. Quibus verbis duo fundamenta posuit non inermia suæ resolutionis. Primum, cum reddere debitum sit res licita, à qua in foro externo sit iniuste spoliata vxor, quæ restituitur ad possessionem, quam habebat, præceptum est de re licita respiciens ius spoliati, quod illi reddatur per sententiam, ergo † spoliatus tenetur  
 5 in conscientia reddere & obedire Ecclesiæ, quæ potest cogere, ut spoliatus restituat attentatum, quod secus est, quando quis sciens matrimonium nullum propter impedimentum dirimens, quod non potest probare,  
 6 nullo modo potest reddere, etiamsi excommunicetur, & cogatur ab Ecclesia, quæ hoc præcipit fundata in præsumptione, quæ excluditur veritate cognita certo, & præceptum est de re illicita in rei veritate, at in præsentem est de re licita cum sit verum matrimonium, & sic præceptum de reddendo obligat, & excommunicatio ligat coram Deo. Secundum fundamentum posuit S. Tho. illis verbis, *tunc si reddat nullum sibi præiudicium facit.* Ex quo sic vrgeo meam  
 7 sententiam, † ex redditione debiti nullum præiudicium sibi facit, si coactus reddit debitum adulteræ, ergo tenetur obedire præcepto, etsi non obedit contumax est & excommunicatione coram Deo ligatur, quia in re licita, & facienda absque inconuenienti, & præiudicio suo non obedit, semper  
 8 enim tenemur obedire Superiori præcipien-

ti rem licitam, & honestam, ut latè D. Tho. 2. 2. q. 64. art. 3. ubi D. Caiet. & est res indubitata, quamuis enim iste coactus præcepto Ecclesiæ bigamus efficiatur, & irregularis ut receptissima sententia apud omnes ferre DD. tuetur Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 9. 84. num. 17.* & D. Tho. *in 4. dist. 27. quest. 3. art. 1. quest. 3. ad 4.* dicat quod, & si circa hoc sint diuersæ opiniones, tamen quod incurrat est probabilius, quia hic non quaritur peccatum propter quod incurratur, sed significatio, vnde bene Sanchez contrahitur ex actu meritorio & obligatorio, sicut iudex tenetur sub mortali sententiam mortis reo inferre, & tamen incurrit irregularitatem, non ex delicto, sed ex significationis defectu confurgente. Vnde nullum infertur præiudicium, quod ipse non possit accipere, sicut enim † iudex excusari nequit ne  
 10 ferat sanguinis sententiam in reum ob irregularitatem, quæ sibi aduenit, quia res licita est, ex vi officij tenetur eam facere, ita nec maritus coactus præcepto iudicis excusari nequit, reddere debitum vxori adulteræ ob irregularitatem ex hoc facto licito, & obligatorio prouenientem.

Vnde fit quod etiamsi lite pendente nihil sit innouandum ut est indubitatum in iure toto titulo Decretalium ut *lite pendente nihil innouetur*, tamen † coniux certus de adulterio alterius nisi cogatur à iudice Ecclesiastico censuris, non tenetur debitum reddere, alias si sine tali coactione reddat censetur condonare iniuriam, & ius petendi diuortium extinguitur, adeo quod in conscientia nequeat litem prosequi. † Ita Syluester *verbo debitum quest. 1. causa 3.* quem sequitur Sanchez *ubi supra num. 7.* Si tamen non sibi constat de adulterio, tenetur reddere quia alter coniux possidet, cuius est in dubio melior est conditio, & sic spoliari non debet iure, quod possidet.

Circa secundam dimissionem publicam † quam dicit D. Tho. esse proprie diuortium,  
 13 & non posse fieri sine iudicio Ecclesiæ, quidam magnæ authoritatis Doctores, quos citat & sequitur Thomas Sanchez *disp. 12. n. 13. & 25.* id limitant quum adulterium ita est notorium, ut nulla prorsus tergiuersatione celari possit, ut cum coniux publice moratur cum adulteranti, vel si extent filij notorie ex adulterino congressu geniti, vel si in iudicio coniux factus sit proprium adulterium, vel si coniux rediens inueniat vxorem prostitutam in lupanari. Ita Syluester  
 14 *verb. diuortium quest. 8. Couarr. 4. Decretal. p. 2. cap. 7. §. 5. num. 12. Barbosa Rubrica D. solut. matrim. 2. p. num. 26.* & multi Theologorum, quare si hæc publica dimissio fiat sine tali omnimoda notorietate, si quis propria authoritate vxori non cohabiter, & cum

- cum illa in eadem domo resideat, tanquam temere expulsa, & expoliata restituatur ad pristinam cohabitationem, & coresidentiam, idem docent Basilius Legionensis l. 9. de matrim. cap. 13. num. 2. Barbof. in collect. ad cap. significasti. de diuort. num. 8. Farinacius in praxi tom. 5. quest. 148. num. 53. probant
- 15 ex præfato cap. significasti, ubi † Alexander III. hoc videtur decisisse iudicans, eum qui ob notorium adulterium uxorem dimiserat Ecclesia iudicio, non expectato, ad eam recipendam non debere compelli nisi forte constaret cum altera adulterium commississe, & hoc sensisse
- 16 D. Tho. dicens †, quod iste debet compelli ad cohabitandam, nisi possit incontinenti fornicationem probare, videlicet saltem per duos testes, qui deponant de notorietate & hoc intra breue tempus iudicis arbitrio. Hæc sententia satis probabilis est bene intellecta.
- Sed ego semper contrarium verius existimaui, quod † diuortium publicum & quod impediatur restitutionem spoliata celebrare nullatenus possit sine iudicio Ecclesiæ, vel de adulterio, vel de notorietate ipsius, dato enim decreto quod notorium sit adulterium coniux innocens non expectata alia sententia, etiam in foro externo potest, è domo eiicere uxorem adulteram & nec residere nec cohabitare cum illa, & sic ego intelli-
- 17 go plures ex authoribus allatis pro prima sententia & textum in cap. significasti cit. Iudici enim, ut iudici debet constare notorietas adulterij, ut mulieri alleganti spoliolum restituat, si non est notorium adulterium vel deneget restitutionem in fauorem innocentis si notorium est, iudex enim ut iudex solum procedit secundum allegata & approbata in processu, quod si vix non probet notorietatem (etiam si ista reipsa sit) saltem per duos testes iuxta ea quæ dicit Syluester
- 18 † verbo notorium quest. ultim. iudex mandabit ipsum restitui uxori, quod dicitur in præfato cap. significasti, vnde egregie dixit D. Tho. quod diuortium publicum celebrari nequit sine iudicio Ecclesiæ, saltem circa notorietatem adulterij. Quare etsi vir innocens possit quando notorium est adulterium propria auctoritate diuertere & non residere in domo cū adulterata tamen † hoc non est proprie diuortium quod est pœna medicinalis statuta ab Ecclesia qua vindicat adulterium, nullus autem, proprie sibi vindictam sumit, sed iudex in quo residet iustitia vindicatiua, rursus nullus est simul actor, & iudex in eadem causa & sic vir nequit proprie diuortiar
- 19 ab uxore, quam impetit ut actor propter adulterium, & sic non debet uti officio iudicis, faciens proprium diuortium, & absentiam residentiam matrimonialis, nisi interueniat iudicium Ecclesiæ, quæ sola propria diuortiat, taliter quod ante eius iudicium vir

nullum ius habeat ad habenda bona adulteræ cui si non probetur notorietas adulterij, omnino restituendus est maritus, quæuis re ipsa notorium sit adulterium, si hæc notorietas non constat iudici, iuridice, quare † si notorium sit adulterium & vir innocens absente-  
 22 tur, & non resideat & cohabitaret sed propria auctoritate aufugiat semper potest repeti ab uxore adultera, etiam si factus sit religiosus & ordine sacro insignitus, quod impedimentum tenetur sub mortali aperire  
 23 vel superiori recipienti, vel Episcopo ordinanti, maxime si est periculum, quod dignoscatur coniugatus, quod non tenetur facere si iudicio Ecclesiæ est diuortiat.

Quare hanc sententiam præter D. Tho. tenent Bonauent. ibi artic. vnic. quest. 3. Durandus quest. 1. num. 7. supplementum Gabrielis quest. vnic. art. 2. concl. 5. Abulens. quest. 72. ad cap. 19. Matthæus Viguerius cap. 16. §. 7. versic. 9. impedim. 10. Bellarminus lib. 1. de matrim. cap. 14. §. secundum est. Grafisp. 2. lib. 1. cap. 12. num. 66. & 73. casu 2. Glossa cap. porro de diuortijs & re ipsa ibi Alexander III. decidit, quod etiam si im-  
 24 pedimentum dirimens notorium sit & publicum, quia non potuit separari vir ab uxore sine iudicio Ecclesiæ debet maritus restitui uxori, quo usque notorietas illa iuridice constaret Ecclesiæ, quia etiam in notorijs seruanda est probatio iuridica notorietatis, ut bene ibi Glossa verb. notoria vnde Innocentius III. cap. intelleximus de adulterijs rescribens Turonensi Archiepiscopo, dicit † quocirca mandamus,  
 25 quatenus (nisi tibi constiterit per euidenciam rei vel confessionem legitimam mulieris, quod adulterata sponte fuisset) adulterinam etiam quod adulterata vir dicitur commississe probatione cessante ipsum recipere compellas eandem ex quibus liquido constat quod sicut confessio mulieris legitima debet esse, hoc est iudicialiter, ut ibi notat Glossa, ita euidencia rei, legitima debet esse, hoc est iudicialiter probata, nec enim euidencia personalis iudicis sat est, quare in concilio Carthaginensi III. cui interfuit Augustinus, ut ait Gratianus 33. quest. 2. §. sed queritur, & in Agathensi cap. 25. relato cap. seculares 33. quest. 2. † profertur excommunicationis  
 26 sententia in seculares, qui uxores suas dimittunt, & abiiciunt antequam in iudicio Ecclesiæ probentur, & examinentur, ibi si antequam apud Episcopos comprouinciales diffidij causam dixerint, & priusquam in iudicio damnentur uxores suas abiecerint à communione S. Ecclesiæ & populi cœtu excludantur.

## SVBRÉSOLVT. XXIV.

Vtrum si adulterium sit occultum & improbabile possit Innocens dimittere uxorem.

## S V M M A R I V M.

1. An si adulterium ita occultum sit ut innocens illud probare non possit liceat innocenti uxorem dimittere.
2. An in foro externo solum requiratur sententia diuortij, & iudicium Ecclesie de notorio adulterio, & n. 3.
4. An ille qui non potest in iudicio Ecclesie probare adulterium coniugis, non possit propria authoritate eam relinquere.
5. Gratiani sententia assertur, necnon S. Thom. & n. 6. 9. 13. & 14.
7. Lex prohibet separationem coniugis etiam fornicationis causa ante probationem & Ecclesie iudicium.
8. Quae leges non fundentur in praesumptione, sed sint dispositiuae.
10. Inseparabilitas & mutua coniugum residentia & cohabitatio sit de iure natura & diuino ex S. Thom.
11. Sine iudicio Ecclesie coniux innocens licite valet non residere cum uxore.
12. Innocentij III. sensus, necnon Ioan. Andrea & aliorum, & n. 15.
16. An uxor adultera cuius adulterium est occultum habeat ius ut remaneat secum cohabitet.
17. An ex vi professionis sollemnis religio habeat ius ut professus intra claustra resideat.
18. An poena publica non possit imponi nisi ob delictum publicum, & n. 19.
20. An propter fornicationem aut illius suspicionem liberè dimittatur uxor.
21. Aduerbiu liberè quid importet.
22. An non obstante fornicatione & sententia Ecclesie lata possit innocens remittere iniuriam & non dimittere uxorem.

1 **S**ED nunquid si adulterium ita occultum est, ut innocens illud probare non possit, liceat innocenti uxorem dimittere taliter, quod illam è domo eiciat & ipse valeat ad religionem muliere relicta in saeculo conuolare. Adfirmant Rebellus, Paludanus, Panormitanus, quos citat Basilius Legionens. lib. 9. cit. cap. 18. num. 5. Nauarr. lib. 3. consil. 5. de conuers. coniug. Natta. consil. 119. quos citat & sequitur Thomas Sanchez lib. 10. disp. 11. à n. 12. asserens, quod si in foro externo solum requiritur sententia diuortij, & iudicium Ecclesie de notorio adulterio, at in foro conscientiae si attendamus iniuriam & damnum matrimonij, & coniugis derelicti licitum est innocenti, quum adulterium verum est, sed est occultum, ita ut probari non possit, profiteri in Religione, sacros ordines suscipere & votum omnimodae castitatis emittere, 3 quae omnia, & licita & valida erunt nisi illicita reddantur ratione scandali, & ratio-

ne iniuriae, quae infertur religioni, si lite ueretur ad restituendum maritum uxori, quare ait, iste tenetur aperire se coniugatum esse, & non habuisse sententiam diuortij propter adulterium uxoris, quod sibi certo constat.

Ast mihi oppositum tutius & probabilius est si istum qui non potest in iudicio Ecclesie probare adulterium coniugis, non posse propria authoritate uxorem relinquere, & cum ea non residere & cohabitare, ita expresse D. Thom. D. Bonauentura, & alij quos paulo ante induxi & tenet Basilius Legionens. ubi modo num. 6. cum enim hoc diuortium poena publica sit, nequit imponi nisi ob delictum de quo publicè constet. Vnde Gratianus 33. quaest. 2. §. in hoc cap. egregiè dicit, in hoc capite (saeculares) videatur causa exposita, quare sua authoritate non licet alicui uxorem dimittere, qua cessante ipsa prohibitio cessare videtur, tamen quia ipsa separatio poena est, & poena nulli est inferenda nisi per iudicem generaliter hoc intelligendum est, ut siue ob causam praemissam, siue nulla existente causa non liceat alicui uxorem dimittere, hæc Gratianus satis ad rem, ex quo videtur S. Thomam occasionem sumpsisse, si artic. illo 3. citato. ad ponendum duo argumenta, ut suam sententiam probaret, primum, quia nullus potest seipsum vindicare, sed si vir uxorem fornicantem dimitteret ipse se vindicaret, ergo hoc non debet fieri, secundum, nullus in eadem causa est actor & iudex, sed vir est actor impetens uxorem de offensa, in se commissa, ergo ipse non potest esse iudex, & non debet, eam proprio arbitrio dimittere.

Quibus fundamentis adiungo tertium, quod his verbis proponit Basilius Legionens. & innuit Gratianus, ubi supra. Quia si lex prohibet separationem coniugum etiam fornicationis causa ante probationem & Ecclesie iudicium data est iure optimo, ut occurratur hominum malitiae, iniquitati, & fraudi, cumque huiusmodi leges in praesumptione fundentur & praesumptiones, ut in plurimum non deficiunt nec cessat earum obligatio, etiamsi in aliquo casu peculiari deficiat praesumptio & ratio legis, quare istae leges etiam obligant in conscientia eum, qui adulterij cognitionem habet, & probari non potest, quia est occultum, ut tuta conscientia separari non possit. hæc Basilius, quibus ego addo ex dictis, dum de quinquennio Trid. erat sermo. quod si huiusmodi leges non fundantur in praesumptione, sed sunt verè dispositiuae, quod sine iudicio Ecclesie coniuges non separentur, qui Ecclesia consentiente & iudicante coniuncti fuere, ut enim si S. D. cum communi & omnino certa sententia in 4. dist. 33. quaest. 2. art. 1. & 4. contra gent. cap. 78. ubi Ferrare §. notandum

- ex doctrina S.D. † inseparabilitas & mutua coniugum residentia, & cohabitatio sit de iure naturæ & diuino, tum propter bonum prolis, tum propter significationem coniunctionis Christi cum Ecclesia, vt ait Paulus. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia*, & alibi Christus dicit, *quod Deus coniunxit homo non separet*, quod non solum intelligitur quantum ad vinculum matrimonij, sed quantum ad cohabitationem, quare mihi certum est, quod
- 10 † sine iudicio Ecclesiæ coniux innocens licite valet nō residere cum vxore, vt cōstat ex dictis *lib. 1. Resol. . . .* vbi probaui, quod cum Pastores & Episcopi matrimonium spirituale ineant cum sua sponsa Ecclesia, quam regunt, iure naturæ tenentur in ea residere neque ipsam possunt relinquere, etiam, vt transuolent ad religionem sine iudicio Ecclesiæ, hoc est sine Papæ licentia, *cap. nisi cum pridem 10. de renuntiat.* vbi Innocentius III. rescribens Archiepiscopo Calant. concludit. † *Quoniam etsi pennas habeas quibus satagas in solitudinem aduolare, ita tamen adstricta sunt nexibus preceptorum, vt liberum non habeas absque nostra permissione volatum.* rursus rationem egregiam dat D. Tho.
- 11 2. 2. *quest. 185. art. 4. in corpor.* quia † oportet, quod sicut curam regiminis aliquis per prouidentiam Prælati assumit, ita etiam per eius auctoritatem ex causis prædictis deserat susceptam. Quæ ratio etiam manifestè conuincit in matrimonio carnali in quo vir accipit
- 12 curam regiminis familiæ ex Ecclesiæ iudicio, & consensu, quare etsi habeat causam eam relinquendi ob adulterium vxoris sicut Episcopus, vt deserat Ecclesiam, tamē si Ecclesiæ non constet de tali causa, tuta conscientia non potest vxorem relinquere, sicut nec Episcopus sine licentia Papæ, vt enim ait Euerardus *in suis Topicis loco 77. à matrimonio spirituali ad carnale in fine.* vbi contrarium non reperitur dispositum, nec apparet diuersa ratio, & materia est applicabilis, est optima hæc argumentatio, qua vtitur Ioannes Andreas, † *ad Regulam sine culpa de regul. iur. in 6. & notant DD. cap. quoniam. §. porro, vt lite non contest. cap. inter corporalia & cap. final. de translat. Episcoporum*, & aliis iuribus in quibus huiusmodi matrimonia æquiparantur.
- 13 Vnde fit, quod † cum vxor adultera, cuius adulterium est occultum habeat ius, vt maritus secum cohabitaret & resideat, ex iure matrimonij, quamuis non habeat ius, vt innocens sibi reddat debitum, & ad illud exigendum in foro conscientiæ, si innocens ipsam derelinquat si non præcessit Ecclesiæ iudiciū de separatione professio inualida est, quia
- 14 † ex vi professionis solemnis Religio habet ius, vt professus intra claustra resideat, quæ

iura non compatiuntur & prius ius cum sit antiquius præualet. Ita Legionens. *vbi supra n. 10.* & sic non solum maritus est restituendus vxori petenti, sed declaranda professio nulla.

Neque ea quæ in contrarium contrarij opponunt alicuius sunt ponderis, si fundamenta nostra introspiciantur, licet enim occulte rem meam recuperare quum certo, nec mea aliter non possum habere, at † pœnam publicam non possum imponere, nisi ob delictum publicum, vt dicebat Gratianus *cap. interfectores §. in hoc 33. quest. 3. leg. nullus C. de Iudæis & toto tit. C. vt nemo ius sibi dicat.* vt ad propositum notat Glossa *cap. porro de diuers. verb. separari*, illud etiam, quod afferunt ex *cap. Agathosa 27. q. 2.* quod est Greg. Magni *lib. 6. epist. 54. ad Notarium Panormit.* vt maritus restituatur Agathosæ causæ cognitionem requirit, quod præcesserit, quod si non præcessit maritus restitui mandat omni excusatione cessante. Argumentum etiam, quod Scholiastes Panormit. *plusquam Achilleum* dicit, & sumitur, ex *cap. dicit Dominus 32. quest. 1.* vbi dicitur, quod † propter fornicationem, aut suspicionem fornicationis liberè dimittitur vxor. vbi Ly liberè excludit sententiam, quia est canon latae sententiæ, *cap. pro humano de homicidio in 6. cap. de illis. de sponsalibus cap. 1. de Regul. iur. in 6.* Hoc inquam argumentum nullas habet vires, vt benè notat Legionens. nimium enim probat, videlicet quod ad diuortium nunquam esset necessarium Ecclesiæ iudicium, & sententia, quare † vim aduerbij liberè in præceteri, idem valet quoties de fornicatione constat. vel de eius vehemētissima suspitione, quæ iudici possit vim inferre & quæ manifesta sit liberè vxor, siue autoritate Ecclesiæ à viro, hoc ei permittente, siue ab Ecclesia ipsa dimittitur, ideo enim (dicit Hieronymus cuius est textus) liberè dimittitur, quia † non obstante fornicatione & sententia Ecclesiæ lata potest innocens remittere iniuriam & non dimittere vxorem, adulteram, quia iudicium & sententia Ecclesiæ, vt egregiè adnotauit D. Thom. *dist. 35. cit. artic. 6. ad 1.* sententia Ecclesiæ diuortium celebrantis, non fuit cogens ad separationem, sed licentiam præbens, vt separentur, & sic si separatur, liberè separatur, quia poterat remittere, & reconciliare sibi adulteram emendatam, & correctam.

\* \*  
\*

## SVBRESOLVT. XXV.

*Utrum si adultera de consensu Innocentis votum castitatis emisit, possit etiam quoad usum matrimonij reconciliari?*

## S V M M A R I V M.

1. Si adultera de licentia innocentis professionem emisit iam non potest eam sibi reconciliare.
2. D. Thom. verbis difficultas diluitur.
3. An innocens nequeat irritare votum factum ab adultera de eius licentia, & n. 4.
5. Diuortiam ab Ecclesia celebratum duos habet effectus, & n. 6.
7. An soluto matrimonio & secuto pro secundo diuortio nocens ligetur voto emisso.
8. Auctoris iudicium, & n. 9.
10. Innocens semper habet ius matrimonij illæsum quantum ad omnia quæ sibi competunt, & n. 11.
12. Si de licentia innocentis fecit votum religionis ex vi cuius licentia innocens renuntiauit iuri reuocandi, ad quid non reueatur, n. 13

**E**X quo constat, † quod si adultera de licentia innocentis professionem emisit iam non potest eam sibi reconciliari, nec ab Religione extrahere, vt secum cohabitaret & resideat, sed nunquid? si manens in sæculo votum omnimodæ continentiæ & castitatis emisit de licentia innocentis posset eam sibi reconciliari non solum ad cohabitationem, sed etiam quoad usum matrimonij, non est facilis determinatio, quia D. Tho. *art. 6. cit. ad 3.* sic dicit. *Illud, quod inducitur in fauorem alicuius non facit ei præiudicium, vnde cū diuortium sit inductum in fauorem viri non auferit ei ius petendi debitum, vel reuocandi uxore. Vnde uxor tenetur ei reddere & ad eum redire, si fuerit reuocata nisi de licentia eius votum*

2 *cōsinentiæ emisit, quibus † verbis clarissimè resoluit difficultatis nodum, quam resolutionem verissimam esse dicit, P. Th. Sanch. l. 10. disp. 10. n. 14.* Vnde † innocēs nequit irritare votū factū ab adultera de eius licentia, quia cū iam matrimonium sit deuifum ex parte vtriusque coniugis, ex parte enim adulteri planè diuifum est, eo quod innocens assensum præbuit voto incompatibili nempe castitatis, vel religionis nullum ius reuocandi validè habet innocens, & idem iudicat si nocens postquam emittit de licentia innocentis votum castitatis, vel Religionis, alia

4 *vota emittat, etiam si antecèdant, votum castitatis, aut Religionis, quia iam nocens exemptus est à potestate innocentis ex vi Castitatis, aut Religionis.*

5 Sed ego aliter discuro † duos enim effectus habet diuortium celebratum ab Eccle-

sia, & eius iudicio factum, primus est dimissio coniugis adulteri, quoad redditionem debiti cōiugalis & libertas ab exactione alterius, secundus est separatio thori, & cohabitationis, & quidē, quoad primum effectū verissima est sententia D. Th. quā probat ratio adducta, vnde innocēs nec potest reddere, nec petere, sine sacrilegio sicut nec reconciliata uxor, quæ ad hoc est voto castitatis adstricta, & ab illa petere est incitare, ad peccatum mortale, quod numquam licet, nec innocens potest, nec imperfectè irritare hoc votum, hoc est suspendere toto tempore reconciliationis, quia per licentiam hoc ius amisit, nisi dum eam dedit habuit formalem voluntatem, quod illud votum teneret solum tempore diuortij, quia in tali casu ius suum reseruauit illæsum ad irritandum saltem imperfectè, quare † soluto matrimonio, vel secuto pro secundo diuortio nocens ligatur voto emisso, vt bene vidit Thomas Sanchez *l. 9. de matrim. disp. 39. n. 29. 41.* vnde quantum ad hunc effectum petendi debitum ( si non reseruetur ius, vt explicui ) facto voto castitatis, de licentia innocentis nullo modo potest fieri reconciliatio.

Quoad secundum effectum scilicet, quod coniux licite non resideat cum adultero, & cum illo non cohabitaret, existimo, † quod † secluso proximo periculo frangendi votum castitatis, si innocens cedens fauori sibi facto per sententiam diuortij iudicio Ecclesiæ facti adulteram, vel uxor adulterium reuocet, ad simul cohabitandum, & residendum, vt vnus alteri sit adiutorium in administranda domo, in filiis educendis, negotiis rei familiaris peragendis, tenetur coniux adulter ad innocentem redire si fuerit reuocatus, etsi nullus hoc punctum tetigerit, existimo † manifestam hanc meam resolutionem quam collegi, ex Glossa *cap. quidam. 3. de conuers. coniug. verb. non exigere. ibi. non solum tenentur coniugati ad debitum carnale reddendum, sed etiam ad mutuuum auxilium & obsequium, quia in quibusdam matrimonium est, legis obsequium cap. nuptiarum. 27. quest. 1.* & ratio est perspicua, quia † innocens semper habet ius matrimonij illæsum quantum ad omnia, quæ sibi competunt, quare etsi renuntiet iuri petendi, & reddendi debitum coniugale, non tamen quantum ad residentiam, & cohabitationem cum alio, nec innocens censetur liber ab hoc ex vi voti castitatis emissi de licentia innocentis, si aliàs non est periculum frangendi votum, & sic tenetur redire reuocatus ab innocente, & D. Thom. dicit non teneri reddere si votum de licentia eius fecit, non vero dicit, quod non teneatur redire ad mutuam residentiam, & cohabitationem.

- 12 Secus tamen est, † si de licentia innocentis fecit votum Religionis ex vi cuius licentiæ innocens renuntiavit iuri reuocandi, quoad habitationem, & residentiam, quare nocens, voto taliter emisso Religionis non tenetur, nec reddere, nec redire ad innocentem, sed adimplere suum votum, nisi superueniant impedimenta perpetua propter, quæ non potest Religionem ingredi, vel Religio nolit ipsum recipere, tunc enim tenetur redire ad innocentem reuocantem, & debitum reddere non potens petere, quia votum Religionis, hoc impedit sicut votum castitatis.

### SVBRESOLVT. vlt.

*Reducuntur ad Synonymiam duo textus iuris Canonici, qui antynomia laborant.*

### SVMMARIVM.

1. De dimissione uxoris Comitum Pontini exemplum affertur. & n. 5.
2. An si consanguinitas sit notoria non sufficiat, ut quis sine iudicio Ecclesie uxorem dimittat.
3. An cum notorium sit probatum tribunali Ecclesie, tunc possit vir absque alia sententia propria autoritate ab uxore separari.
4. Vbinam requiratur sententia declaratoria criminis, ut pena confiscationis bonorum infligatur.
6. Quæ notorietas debeat in iudicio probari.

**Q**uintum & vltimum, quod colligo est concordia antynomix, quæ videtur esse inter duos textus, tit. de diuortijs. nam in cap. Porro 3. Alexander III. Ambianensi Episcopo rescribens, quod cum Comes Pontinus, uxorem suam absque iudicio Ecclesie dimiserit, quia proponebat esse cognatam uxoris defunctæ, etiamsi parentela esset publica, & notoria absque iudicio Ecclesie ab ea separari non potuit, quare ipsum ad eam recipiendam districtè compellas, quam si recipere noluerit cum vinculo excommunicationis adstringas. At cap. significasti. 4. idem Alexander III. de quodam qui sine iudicio Ecclesie uxorem dimiserat propter adulterium commissum cum quodam consanguineo, dicit: quod si notorium est adulterium commississe ad eam recipiendam presatus vir non debet, nisi constaret ipsum cum alia adulterium commississe.

Varios concordandi modos hos textus qui inter se videntur ex Diametro oppositi canonistæ & Theologi morales excogita-

runt, vt videre est apud Sanchez *disp. 12. num. 88.* at quod *caput porro*, sequi debeat decisio mihi indubitatum est, quia si ibi † consanguinitas notoria & publica non sufficit vt quis sine iudicio Ecclesie uxorem dimittat, quamuis ex cohabitatione sit grauissimum peccandi periculum, si enim notoria est consanguinitas, notoria est nullitas matrimonij, & tamen non obstante hac ratione vrgentiori ob notorium impedimentum dirimens, non potest coniux sine iudicio Ecclesie dimittere uxorem, ergo nec adulterium etiam notorium id poterit vir innocens, nisi etiam interueniat Ecclesie iudicium, quare caput *significasti*, manifeste intelligitur † quum notorium tale est probatum Tribunali Ecclesie, tum enim, vt diximus potest vir absque alia sententia, propria autoritate ab uxore separari etiam quoad residentiam & cohabitationem, quia ex vi prioris iudicij Ecclesie pœna diuortij ipso facto incurritur ab adultero, absque alia sententia, argumento *ex cap. cum secundum leges de hereticis in 6.* vbi † requiritur sententia declaratoria criminis, vt pœna confiscationis bonorum infligatur, quæ infligitur iudicio Ecclesie, ex vi talis sententiæ, & simili modo intelligitur, *cap. Porro*, si enim notorietas, & publicitas parentelæ, non est probata iudicio Ecclesie, etiamsi alias parentela publica sit, & notoria vir non potuit separari ab uxore, sed eo ipso quod notorietas probetur absque alia sententia condemnatoria, vir tenetur uxorem dimittere, neque iudex potest cogere, quod ipsam recipiat, & sic iudicio Ecclesie eam dimittit: hanc autem notorietatem parentelæ non probauit Comes Pontinus, † nec eam proposuit iudicio Ecclesiastico, quæ si notoria est parentela probata in iudicio notorietate, tenetur ex officio separare coniuges, & eis non permittere simul residere, & cohabitare; ad quod non tenetur etiamsi adulterium publicum & notorium sit, quia potest innocens remittere, & sibi reconciliari uxorem adulteram, si tamen vxor repetat matrimonium cum ipse opponat notorium adulterium † eius notorietatem debet in iudicio probari, qua probata statim absque alio iudicio Ecclesie innocens potest non residere cum uxore, & cum illa non cohabitare, hæc est dubioprocule genuina concordia horum textuum quam collegi ex sumario vtriusque capitis, aliæ enim quas adducit Thomas Sanchez, mihi videtur excogitata ad fugandam antynomiam non penetrata mente Pontificis Alexandri.





## RESOLVTIO II.

*An coniux professus, ex licentia spontanea alterius manentis in saeculo, restituendus, isto in iudicio repetente illum, ad residentiam & cohabitandum?*

## S V M M A R I V M.

1. *Quid per licentiam spontaneam intelligatur.*
2. *Dupliciter potest concedi licentia spontanea à coniuge in saeculo manente.*
3. *An iuvene non proficiente sit nulla alterius professio.*
4. *Glossa affertur, & n. 6. & 7.*
5. *Cum coniux manens in saeculo nullum votum castitatis emisit dum licentiam praeiuit alteri coniugi ad proficiendum, an talis professio valida sit.*
8. *Sanchez opinio adducitur.*
9. *Ratio difficultatis, & num. 10. 11. 13. 14. & 28.*
12. *Quae professio valida sit imperfecte.*
15. *Nisi uxor ad religionem transierit, aut perpetuo castitatem seruare promiserit, uir potest & debet de monasterio reuocari, ex Alex. III.*
16. *An Religio nequeat acquirere ius perfectum in professum contra ius uxoris.*
17. *Vnde professio non possit esse perfecte valida.*
18. *Celestini III. sensus affertur, & n. 19. 20. & 36.*
21. *Sine quibus conditionibus à iure requisitis professio perfecte valida non sit.*
22. *Quid aduerbium nullatenus importet.*
23. *Alexandri III. sensus, necnon Greg. Mag. & n. 24. 26. & 27.*
25. *Quid per uerba quod nulla ratione, &c. denotetur.*
29. *An siue mulier non consentiat siue si consentit, non tamen promiserit se mutare, semper debeat ei restitui maritus.*
30. *Authoris iudicium.*
31. *An nequeat vnus ex vi status religiosi & professionis solemniter reddi impotens & ad petendum & ad reddendum.*
32. *Nicolai Papae testimonium, & n. 33.*
34. *Si quis coniugatus uult conuerti ad monasterium non est recipiendus nisi prius à coniuge castimoniam proficiente fuerit absolutus.*
35. *An ille qui professus est de licentia spontanea uxoris, ista manente in saeculo sine uoto debeat restitui uxori.*

**R**E licentiam spontaneam intelligimus illam quae data est absque vi, metu, dolo, aut fraude, non tamen seruata sunt ea quae ius Canonicum exigit, ut licite fiat alterius coniugis ad proficiendum in Religione transitus, ita ut liber sit ab obligatione residendi, & cohabitandi cum altero, de hac difficultate late Thomas Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 33. mihi tamen non omnino arrident omnia quae ibi determinat, quare breuiter aequa lance liberanda sunt, ut quod solidius, & uerius mihi apparet proponam breuiter: & quidem dupliciter potest concedi haec spontanea licentia à coniuge in saeculo manente. Primo, si iste votum castitatis emittat, secundo si non uoueat, & in priori specie etiam si iuuenis sit, qui manet in saeculo si uotum continentiae emisit, valida est professio, quia non est de substantia professionis vnus, quod alter profiteatur etiam cap. significantis. de conuers. coniug. & ut dicit Syluest. matr. 8. q. 12. d. 4. vers. sed si de facto. ingrediatur, secundum omnes tenet ingressus. Vnde textus iuris Canonici petentis, quod coniux iuuenis, vel qui est suspectus de incontinentia simul profiteatur cap. ad Apostol. cap. cum sis cap. uxoratus de conuers. coniug. explicant, quod requiratur, ut licitus sit transitus, & professio, non tamen irritant aliter factam, quia multa fieri prohibentur, quae tamen facta contra tenent, cap. ad Apostolicam de Regul. ita Sanchez multis citatis contra Angles in 4. 1. p. de matr. q. 1. dist. 27. art. 3. dub. post tertiam difficult. ubi dicit, quod si iuvene non proficiente est nulla alterius professio, quem sibi contradicere dicit Thom. Sanchez, quia difficult. 6. dicit nuptias contractas ab hoc coniuge reuocato post alterius obitum, esse nullas, quod uerum esse nequit nisi professio prior esset valida ob quam matrimonium subsequens irritatur, sed forsan motus est Angles ex cap. quidam. 3. de conuers. coniug. in quo etsi professio fuerit nulla, nec teneretur ad religionem redire, quia inuita uxore facta est, & tamen mortua uxore non potuit valide contrahere, cum alia, & quod hoc matrimonium fuerit nullum tenet, ut uerius. Glossa ibi, quia (inquit) quantum ad continentiam seruandam factis solemnizauit, suum uotum per suam professionem. Haec Glossa, quare non est ita manifesta contradictio in dictis Angles, quidquid sit de ueritate.

In posteriori tamen specie quando manens in saeculo nullum votum castitatis emisit, dum licentiam praeiuit ad proficiendum alteri coniugi, an talis professio valida sit, P. Tho. Sanchi. ubi supra n. 4. uerissimam dicit sententiam afferentium, quod valida sit professio, etiam si coniux manens in saeculo nullum emisit uotum, vel nisi etiam profiteatur, si iuuenis & habens incontinentiae

- continentiæ periculum, pro qua sententia plures citat, & tenet Glossa *ca. vxoratus. 8. verb. nullatenus ibi, licet dicatur hic & supra cap. cum sis, & infra cap. ad Apostolicam, quod aliter coniugum non recipiatur nisi alter transeat*
- 6 *ad religionem, vel promittat continentiam; verum est hoc quod non debeat recipi, nec ille etiã debet transire, tamen si recipiatur predicto modo (scilicet de licentia vxoris, non emittentis votum continentie) tenet monachatus vt dictum est, quia multa fieri non debent, facta tamen tenent (de hoc infra cap. proximo) nec dicitur in aliqua istarum decretalium, quod monachatus non tenet, sed quod ita fieri debet. Hæc glossa quibus posuit fere omnia fundamenta huius sententiæ, quamuis eadem glossa *cap. ex parte verbo de iure, ad quod se citat expresse dicit, quod si coniux sit iuuenis non**
- 7 *sufficit dare licentiam, nisi ipsa conuerteretur. vt ibi dicitur, vnde non tenuit votum, nec debet compelli redire ad monasterium, sed hoc ideo fuit, quia inuita vxore professus est, & sic non tenuit votum.*
- 8 Sed hanc sententiam probat Sanchez *tex cap. ex parte el. 1. de conuers. coniug. vbi Pontifex consultus, quod quidam graui morbo laborans vxore spontanee consentiente, in Religione professus est, ac postea sanitatem adeptus vxorem retinuit & ea defuncta aliam duxit, sic responsum dedit. Quia vero predictus D. licet vxore sua manente in seculo de iure ad Religionem nequiverit proficisci, ea tamen sublata de medio, votum sine salutis sue periculo non potuit violare. Mandamus, vt predictum D. compellas, vt muliere dimissa ad suum monasterium reuertatur sub regulari habitu, de cætero Domino seruiturus. ergo valuit professio, aliàs valeret secundum matrimonium.*
- Sed hoc argumentum ex multis claudicat, & sic recto tramite non probat intentum. Primò, † quia etsi professio non fuerit omnino valida, & Religio absolutum dominium illius non fuerit adepta, fuit tamen imperfectè valida & religio dominium imperfectum Religiosi acquisiuit, quod reductum fuit ad perfectionem, eo ipso, quod mulier, quæ dedit solum spontaneam licentiam è vita discessit, vnde secundum matrimonium nullum fuit, quia † secunda vxor non potuit acquirere potestatem in corpus viri, cuius iam habebat religio ex spontanea vxoris licentia, & sic votum tenuit, quod secus est, quum sine licentia vxoris professus est religionem, in quo casu non tenuit votum, vt dicitur *cap. quidam. nec est cogendus ad religionem reuertere, quamuis mortua vxore nequit secundas nuptias celebrare, vt deciditur eodem cap. Totum declaro,*
- 10 *quia † teste eodem Thoma Sanchez bona hæretici à die criminis sunt confiscata &*

manent obligata fisco, ita vt retrotrahatur sententia ad diem criminis, à quo omnes contractus, & donationes subditæ sint vindicationi, & annullentur quamuis hæreticus ante sententiam declaratoriam criminis habeat imperfectum dominium rerum confiscatarum, ratione cuius potest de illis valide disponere & sèper dispositio tenet, quouisque ius fisci reueletur per sententiã declaratoriam criminis, sic contingit in præsentì, † professio ista valida est imperfectè, vt euanescat quãtum ad ius imperfectũ, quod acquisiuit Religio, si coniux etiam si spontanee consentiat, tamen non emisit votum castitatis, aut professa est Religionem, repetit restitutionem spoliij, aut Episcopus ex officio maritum restituat, quia ius quod habet mulier in corpus mariti, cum sit iustitiæ non amittitur ex sola spontanea licentia data, sed vterius secundum ius requiritur, quod ipsa si iuuenis sit professionem pariter emittat, aut si senex votum continentie.

Ratio huius doctrinæ me quidem iudice demonstratiua est, quia † quum vxor dat licentiam marito, ad professionem emittendam, & ipsa professionem non emisit, aut votum continentie, siue sit conscia iuris disponentis virum non posse profiteri, nisi ipsa profiteatur, aut votum continentie in sæculo emittat, siue sit ignara talis iuris, potest professum reuocari, siue id fiat iure actionis competentis vxori, siue ex solo iudicis officio, quod modo non disputo (*infra disputabo*), quia ad efficaciam rationis nihil conducit, quæ talis est, quia etiam data spontanea licentia, siue eo, quod manens in sæculo si senex sit votum perpetuum emittat continentie, aut professionem pariter emittat professus potest reuocari, *c. Præterea. 1. de conuers. coniug. vbi Alexander III. Vrbergenti Episcopo respondit, quod etiam si vir de licentia vxoris professus fuerit. † Nisi vxor ad Religionem transferit, aut perpetuo castitatem seruare promiserit vir potest & debet de monasterio reuocari.* ergo manet in vxore potestas in corpus viri & ius iustitiæ ad exigendum debitum, aliàs non posset restitui & reuocari vir neque iure actionis, neque ex solo iudicis officio, ergo professio facta non fuit perfectè valida, quia † Religio nequit acquirere ius perfectum in professum contra ius vxoris, quod prius & antiquius erat, nec ille cum sola licentia spontanea sine voto, aut professione potuit huic iuri renuntiare, quia hoc exigitur à iure tanquam conditio necessaria, vt professio tantæ sit efficacie, vt professus reuocari nequeat, etsi reuocari quit est, quia vxor per licentiam spontaneam dumtaxat non renũtiavit iuri, & potestati, quã habebat in corpus viri ex vi matrimonij cõsummati.

Ex quo constat manifesta textus adducti germana intelligentia eo enim ipso quod vxore manente in saeculo omnino saeculari & laica non possit vir ad religionem proficisci, & est manifestum quod professio non fuit perfecte valida, sed solum ex parte intrantis religionem, quod considerauit Caelestinus II. *cap. placet 12. de conuers. coniugat. ibi. sollicitudo tua consuluit utrum mulier quae credens mortuum maritum habitum religionis assumpsit, & eo reuerso de monasterio educta*  
 18 *fuit, post obitum viri, sed ad regularem obseruantiam compellenda. Super quo respondemus, quot licet votum eius usquequaque non tenuerit, haec tamen fuit obligatorium, quatenus se poterat obligare, promisit enim intrando monasterium se non exacturam carnis debitum, quod erat in potestate ipsius, redire vero ad saeculum in eius potestate non erat, sed in potestate mariti, & ideo quantum ad ipsam tenuit votum, quod post viri obitum tenere non desit*  
 19 *cum ad eum casum ad quem poterat efficax habere principium peruenire noscatur. Consultius itaque dicimus, & ei congruentius ad salutem, ut ad Monasterium redeat, ubi recta intentione professionem fecit, & habitum religionis accepit: si vero ad hoc induci non poterit ipsam inuitam credimus non cogendam. Haec ibi vnde colligit Glossa, quod professio pro parte tenuit, & pro parte non, tenuit pro parte vxoris, non tenuit ex parte mariti qui ipsam reuocauit, quod adeo est verum, quod mortuo marito nequeat valide contrahere, vt tenet Glossa, tanquam verius, cap. quidam citato, & rationem dat Pontifex, quia redire ad saeculum, non erat in eius potestate, sed in potestate mariti, cuius ius fuit laesum, & sic mortuo marito, vel vxore tenetur voto, quia tenuit votum, quantum ad ipsam quod post viri*  
 20 *obitum tenere non desit, ergo absolute, & ex omni parte non tenuit, atque ita manifestum est, quod si professus iure potest reuocari professio non fuit perfecte valida.*

Probatur deinde eadem nostra resolutio,  
 21 quod si scilicet talis professio facta sine his conditionibus à iure requisitis, non sit perfecte valida, ex *cap. vxoratus. de conuers. coniugator. vbi Alexander III. rescribens Priori & Fratribus S. Ioannis, dicit. quod si vxor iuuenis sit non fecerit professionem, etsi senex votum perpetua continentia, vxoratus sine licentia vxoris nullatenus recipiatur. Aduerbium si nullatenus, vt certior, & receptior est iuris peritorum sententia formam actionis inducit, & nullitatem actus si aliter fiat, includit enim conditionem, qua non obseruata, irritum est, quod fit, vt multis citatis docui supra Resolut. anteriori §. 3. inter quos etiam id docet Thom. Sanch. lib. 6. de matr. dist. 32. num. 7.*

Tertio probatur, ex *cap. cum sis. eodem, vbi*

Alexander III. ad Episcopum Exonensem, dicit: *† cum sis praeditus scientia litterarum* 23 *ignorare non debes Sanctorum Patrum Constitutioni esse contrarium, vt vir vxore sua, aut vxor viro eius non assumente religionis habitum debeat ad religionem transire, nisi conditionibus ibi positis. Atqui Sancti Patres de quibus mentionem facit Adrianus, vt notat Glossa ibi verb. Constitutioni, sunt Gregorius Magnus lib. 7. epist. 49. scribens Urbico Abbati, qui sic fatur: Quia Agatho lator praesentium in Monasterio dilectionis tuae conuerti desiderat hortamur, vt eum omnium dulcedine, dilectioneque suscipias. Quem tamen* 24 *(dicit infra ponens formam receptionis) ita suscipiendum esse cognosce, si & vxor illius similiter conuerti voluerit. Nam cum vnum vxorumque corpus coniugij copulatione sit factum incongruum est partem conuerti, & partem in saeculo remanere. & epist. 44. lib. 9. scribens Hadriano Panormitano Notario, strictius proponit hanc rationem dicens, Nam excepta fornicationis causa vir vxorem dimittere nulla ratione conceditur, quia postquam copulatione coniugij, viri atque mulieris vnum corpus efficitur non potest ex parte conuerti, & ex parte in saeculo remanere. Haec ibi.*

Ex quibus verbis multa deducuntur val- 15 *de ponderanda primum quod nulla ratione, &c. quae verba manifeste nullitatem actus denotant, vt late probant Barbosa tract. de dictio. vsufreq. dictio. 2. 28. Gratinus decisio. 51. num. 18. Cenedus singularit. 70. num. 3. Iason. leg. 1. §. sublata n. 3. lecti. 2. ff. ad Trebell. Decius consil. 640. num. 9. Menochius consil. 383. num. 14. Mandosius ad 34. cancel. quest. 88. num. 3. Strach. de mercat. tit. de decoctorib. p. 6. num. 28. Tiraquellus leg. si vnquam C. de reuocend. donatio. verb. reuertantur num. 94. Salas de legibus tract. 14. disp. 16. sect. 8. n. 29. Saurus in clani lib. 3. cap. 8. num. 26. Sanctarellus variarum quest. 60. num. vlt. negant enim omnem potentiam, & operatur praecisam prohibitionem, & idem, quod clausula decreti irritantis, si ergo vt ait Gregor. † nulla ra-* 26 *tione conceditur virum, vxorem dimittere, quia postquam copulatione coniugij viri & mulieris vnum corpus efficitur non potest ex parte conuerti, & ex parte in saeculo remanere. manifeste colligitur, quod professio facta sine illis requisitis, non est perfecte valida.*

Secundum, quod, dum Pontifex dicit in eadem *epist. 44. quod Hadrianus diligenti* 27 *inquisitione discutiatur an Agathosa vir, cum eius voluntate conuersus sit vel ipsa se mutare promiserat, & si hoc repperit, & illum in monasterio remanere provideat & hanc sicut promisit mutare compellat, manifeste confirmat nostram sententiam, quod minus diligente discussione non aduertit Sanchez, dum ex hoc textu vult confirmare suam sententiam*

- malum hoc non refertur ad conuersum cum eius voluntate fit, sed ad immediata scilicet
- 28 vel ipsa se mutare promiserat, quod manifeste constat ex verbis. *Si hoc repererit & illum in monasterio remanere provideat, & hanc sicut promisit mutare compellat*, qua euident est quod si illa non promisit se mutare, non potest providere quod vir in monasterio remaneat nisi simul compellat, quod illa mutetur, & religionem pariter profiteatur, quod si nihil horum est scilicet quod nec ipsa consensit nec promisit, se mutare, *ne illius conuersio uxori relicta in saeculo fieri possit perditionis occasio, volumus ut maritum suum illi etiam si tonsuratus est, reddere debeas, omni excusatione cessante*, circa quæ verba nota
- 29 quod si uel mulier non consentiat, siue si consensit non tamen promisit se mutare, semper debet restitui ei maritus, quia si non consensit professio omnino irrita est, & inanis, ut supra monstrauimus, si tamen consensit, & non promisit se mutare, etiam debet restitui quamuis professio valida sit imperfecte, & inchoate, ut infra magis enucleo.
- 30 Tertium, quod pondero est si fundamentum huius decisionis, quod ponit Pontifex, quia postquam copulatione coniugij viri atque mulieris unum corpus efficitur, non potest ex parte conuerti, & ex parte in saeculo remanere. quæ ratio uiua est & efficax cuius uiuacitas, & efficacia residet in natura matrimonij ex vi cuius & ex natura rei unum corpus efficitur per commixtionem carnalem corpus utriusque coniugis, & alter in alterum habet ius iustitiæ ad usum coniugalem, quare si nequit unus ex vi status religiosi & professionis solemniter reddi impotens & ad petendum & ad reddendum, & alter cum sua potestate frustrata, manens in saeculo sicut antea, impotens ad reddendum, & petendum cum ergo ad hoc habeat ius iustitiæ, nisi per altiore[m] virtutem scilicet religionem huic iuri renuntiet semper spoliata manet, & contra hoc ius quod est antiquius, nequit solemniter professio præualere, & sic recte dixit Pontifex quod coniugium consummatum & unum corpus effectum utriusque coniugis, *non potest ex parte conuerti, & ex parte in saeculo remanere*. Quam rationem etiam dat Innocentius III. Archiepiscopo Pisano *cap. ad audientiam de conuers. coniug.*
- 31 Amplius est aliud insigne testimonium Nicolai Papæ si epistola quæ refertur in decreto *cap. scripsit 26. 27. quest. 1. scripsit* (inquit) nobis Thietberga Regina, se Regia dignitate uel maritali copula uelle exui, & sola uita priuata esse contentam, desiderare, cui nos rescripsimus non aliter hoc fieri posse nisi eandem vitam coniux eius Lotharius elegerit; quod testimonium valde urget, si enim valida esset pro-

fessio si aliter non profiteatur, sed solum consentiret, facile hoc Pontifex posset annuere Regiæ consultationi, ideo enim sic non respondit, sed ut uidimus quia professio unius sine professione alterius non est usquequaque firma & valida, etiam si Rex Lotharius consensisset, ut de facto consentiebat, ut constat ex epistola eiusdem Nicolai I. ad ipsum Lotharium, & quidem magno odio Lotharius prosequeretur Thietbergam uxorem propter amorem inhonestum erga Vvaldradam pellicem suam, ut constat ex Baronio ad annum Christi 865. & 866. cuius historiam ad compendium egregie reduxit Spondanus, quare dubio procul contiebat ut Thietberga religionem profiteretur, ut eam à se repelleret, & libere subintruderet Vvaldradam ut sapius fecit, & tamen Pontifex hunc consensum mariti dicit non sufficere, ut Thietberga in monachismum profiteretur, nisi eandem vitam coniux eius Lotharius eligeret.

Hoc idem statuitur ex 8. Synodo *cap. si quis coniugatus. 22. eadē causa & quest. si quis coniugatus uult conuerti ad monasterium non est recipiendus, nisi prius à coniuge castimoniam proficiente fuerit absolutus*. quibus uerbis clare ponitur forma, siquidem est sermo sub conditione, ut valide profiteatur coniugatus, conditio autem est si alter coniux professionem emisit, qua conditione non impleta professio non est omnino valida, sed secundum quid, & imperfecte, quare hanc sententiam tenent Innocentius *cap. quidam 2. de conuers. coniug. num. 3. & 4.* Sa emendatus *verb. Religio, num. 33.* Victoria in *summa tit. de matrim. num. 253.* Glossa *cap. ex parte, verb. de iure*, retractans quod dixit *cap. uxoratus*.

Ex dictis inferitur, quod si ille qui professus est de licentia spontanea uxoris ista manente in saeculo, sine voto debet restitui uxori qua mortua cogendus est ad Monasterium redire, quia valida fuit professio ex parte sua, sic expressè determinat Urbanus III. rescribens Priori S. Crucis, *cap. ex parte, el 1. de conuers. coniug.* ubi mandat, quod mortua uxore quæ consensit professioni per excommunicationem compellatur ad Monasterium redire, *cap. autem quidam 3.* ideo non cogitur ad Monasterium redire; quia professio fuit omnino inualida, utpote facta inuita uxore, *cap. autem placet. 12.* ideo Celestinus III. dicit si quod mulier quæ professionem emisit non debet cogi, sed induci ut mortuo marito in cuius absentia bona fide putans uita functum ingressa est Monasterium ad mariti petitionem, sine eius licentia professio est ad saeculum fuit egressa, quamuis enim ex parte sua tenuerit professio & votum ut ait Pont. solene fuerit, tamen ex indulto Apostolico, non est cogenda

genda redire ad Monasterium, sed quod in sæculo maneat tribus votis ligata, habitu non retento, quia post viri obitum vota tenent, & exerunt vires suas.

SVBRESOLVT. I.

*An si professione valida existente, si coniux restituatur, possit petere & reddere?*

S V M M A R I V M.

1. *An si professio facta cum licentia valida fuit simpliciter & absolute, etiamsi restituatur maritus siue iure actionis, siue ex officio iudicis, nequeat vxor petere neque reddere.*
2. *An non quæcumque spontanea licentia coniugis sit renunciatio iuris ad corpus alterius.*
3. *Qui vxorem suam permiserit velare, aliam non accipiat, sed similiter conuertatur, ex cap. qui vxorem.*
4. *An etiamsi vir professus fuerit de licentia vxoris, nisi ista in religionem transferit, aut perpetuo castitatem seruare promiserit, potest & debet maritus de Monasterio reuocari. & n. 5.*
6. *An si mulier inscia iuris de professione emittenda, aut voto faciendo, restituendus sit maritus à quo possit exigere debitum coniugale. & n. 7. & 8.*
9. *An mulier conscia iuri & obligationis tacite voueat, & adstringatur ad renuntiandum iuri petendi.*
10. *Triplex casus est expressus in iure Decreti, & De cret alium, in quo vir debet restituere vxori etsi professus. & n. 11.*
12. *In quibus casibus restitutio, & reuocatio facienda sit.*

**I**nfertur secundum, quod † si professio facta cum licentia valida fuit simpliciter & absolute, etiamsi restituatur maritus siue iure actionis siue ex officio iudicis nequit vxor petere neque reddere, vnde ad nihil deseruaret restitutio, consequens autem est omnino falsum contra *cap. praterea. de conuers. coniug.* sequela probatur, quia vir habet votum solemne castitatis, & sic non potest petere, rursus non potest reddere, quia vxor non potest petere cum de licentia sua professionem validam emisit renuntians iuri quod habebat ad corpus mariti. Vnde in vi dictæ renuntiationis alter coniux professus est valide omnino, & sic non potest petere debitum marito sibi restituto, etiamsi restituatur officio iudicis.

Sed respondet Thomas Sanchez *disp.*

<sup>2</sup> *illa. 33. n. 15.* quod † non quæcumque spontanea licentia coniugis est renunciatio iuris

ad corpus alterius, qui professionem emisit, sed illa quæ datur cum scientia iuris disponentis virum non posse profiteri, nisi ipsa licentiam concedens vxor voueat castitatem si senex sit, etsi iuuenis ingrediatur Religionem secus vero si concedatur licentia ab vxore inscia huius iuris; nam in hoc casu vir reuocandus est, & ipsa potest petere, & sic intelligitur *cap. praterea.* citatum in priori tamen vir reuocari non debet, quia eo ipso quod vxor conscia fuit illius iuris, & concessit licentiam viro profitendi, videtur tacite vouere, & ad id se adstringere, quod ad illius professionis & ingressus valorem irreuocabilem norat, Vnde *cap. qui vxorem. 33. quæst. 5.* dicitur † *qui vxorem suam velare permiserit aliam non accipiat, sed similiter conuertatur,* vbi ex solo consensu mariti ad professionem vxoris, quia præsumitur conscius iuris cogitur similiter profiteri.

Verum enim vero solutio ista non euacuat difficultatem: Primò, *cap. praterea,* absolute dicit, quod † *etiamsi vir professus fuerit de licentia vxoris nisi ista ad religionem transferit, aut perpetuo castitatem seruare promiserit potest & debet (maritus) de monasterio reuocari,* quia videlicet licentia vxoris non fuit iuridica. & vt oportet vt professio mariti omnino fieret valida & eius valor irreuocabilis, & cum decisio textus vniuersalis sit siue mulier conscia sit, siue inscia, quod non exprimit Pontifex limitari non debet, nisi per aliud ius expressum, correctio enim & limitatio legis valde odiosa est, & sic omnino restringenda nisi aliud ius restringat, quia vbi lex non distinguit nec nos distinguere debemus *leg. non distinguendum D. de receptio. arbitr. leg. preses D. de offic. presid.* vt bene adnotauit Aldrete *de Religiosa disciplina tuend. lib. 2. cap. 28. num. 11.* Narbona. *de appellat. à Vicario ad Episcopo p. 1. num. 27. ex cap. Romanorum dist. 9. cap. consuluisti. 2. q. 5. cap. soluta. de matrim. & obedient.*

Secundò, quia † si mulier inscia iuris de professione emittenda aut voto faciendo restituendus est maritus à quo potest exigere debitum coniugale, & iste tenetur reddere, ergo illa ad hoc habet ius suum iustitiæ semper illæsum, ergo non fuit professio omnino inualida, consequentia est euidentis, quia votum quod emittitur castitatis in professione omnino valida, habet pro materia non solum non petere sed neque reddere, & cū vxore non residere sed in religione, in qua etiam emittit stare, & superioribus obedire, quod nequit obseruare eo ipso, quod restituatur vxori habenti ius ad debitum coniugale & vt vir secum resideat.

Tertio, & valde vrgenter, quia † etiamsi vxor conscia sit iuris de facienda professione

sione si maritus profiteretur det lili ad profitendum licentiam spontaneam sine eo quod ipsa expresse vel voueat vel professionem emittat, tacite (vt ait Sanchez, vouet, & ad id faciendum se adstringit, quod ad illius ingressus & professiones irreuocabilem valorem desiderari norat, qui enim vult finem vult etiam medium, sine quo finis consequi, non potest *cap. prudentiam de officio delegati leg. ad rem mobilem leg. ad legatum*

9 *D. de Procurat.* ergo † mulier conscia iuris & obligationis tacite vouet, & adstringitur ad renuntiandum iuri petendi, quia hæc renuntiatio iuridica necessaria conditio est, vt coniux, qui profiteretur irreuocabiler, & omnino valide professionem emittat & alter data spontaneè licentia, sine præfata obligatione & voto claudicat & professio emissa in formis manet, eo ipso quod vir reuocari iure potest, quia sine licentia vt ius disponit data, est professus.

Vnde vt constat ex notatis iuribus illatione prima † triplex casus est expressus in iure Decreti, & Decretalium in quo vir restitui debet vxori etiam si religionem sit professus, duo sunt extremi & alter medius. Primus est, quum professus est inuita vxore *cap. quidam*, & iste non tenetur ad monasterium redire. Secundus quum de licentia vxoris manentis in sæculo sine voto, professus est & iste tenetur ad monasterium redire *cap. ex parte el 1.* Tertius est medius quum coniux sine consensu mariti, quem  
10  
11  
12  
functum vita, bona fide putabat professus est, iste non est cogendus ad monasterium redire *cap. placet de conuers. coniug.* in quo vt ait Pontifex votum religionis obligare non desuit, nõ enim solum loquitur de voto continentia, quia hoc etiam manet, quamuis inuita vxore professionem emiserit *cap. quidam cit.* Vbi Pontifex dixit quod votum non tenuit, intellige religionis, vt explicat *ibi glossa in foro externo*: ergo, *si cap. placet.* dicit quod votum obligat non solum loquitur de voto castitatis, sed etiam de voto Religionis, quare minus bene Sanchez contrarium tenuit, sed † in his omnibus casibus restitutio facienda est, & reuocatio, quia coniux licentiam dans non posuit conditionem necessariam ex iure, scilicet votum continentia, aut professionem vt professio sit omnino valida & valor eius irreuocabilis,

## SVBRESOLVT. II.

*Qua ratione possit coniux repetere?*

### SVMMARIVM.

1. Quo iure mulier possit maritum reuocare.
2. Vnde professio non sit omnino, & ex omni

*parte valida.*

3. An quis professus est de consensu vxoris, votum fecerit, solum per ipsam reuocabile.

Infertur tertium, contra eundem Thomam Sanchez *num. 48.* quod † mulier dans licentiam viro, vt professionem emittat sine eo quod ipsa, si iuuenis fuerit, professionem emittat, vel si senex votum perpetua continentia, maritum potest reuocare iure actionis, quæ sibi competit ad petendum maritum, vt secum resideat, & cohabitare, quod si ipsa nõ audeat iure actionis repetere, Episcopus debet ex officio maritum illi restituere, vt dicitur *cap. praterea de conuers. coniug. ibi. Potest & debet reuocari.* Ratio huius illationis perspicua est, ex dictis, quia mulier præcise per spontaneam licentiam sine obligatione ad profitendum aut ad vouendum, non amisit ius in corpus mariti, sed illud illæsum conseruat, vnde † professio non est omnino, & ex omni parte valida, ergo manet illi actio, vt ex vi huius iuris repetat, quare ita tenent Abbas, Innocentius, Dominicus citati à Sanchez, & Scholastici antiqui in *4. dist. 32.* vbi Ricardus *art. 2. quest. 2.* Palud. *art. 2. quest. 2.* Supplementum Gabrielis *quest. 1. artic. in corollario concl. 9.* Guillelmus *quest. vnic. art. 2.* quos secuntur Palacios *dist. 27. disp. 2. versic. Scito tamen Angles artic. 3. difficult. 4.* Sotus *quest. 1. artic. 4. versic. si vero vnus.* vbi dicit quod † qui professus est de consensu vxoris votum fecit solum per ipsam reuocabile, Maiolus *lib. 1. de irregular. cap. 4. num. 5.* Antonius Gomez in *exposit. Bullæ cruciatæ claus. 10. num. 70.* si enim valide per licentiam spontaneam vxor cessit iuri suo etiam si Episcopus restituat, non potest petere debitum, quia non habet ius iustitiæ ad illud exigendum vt supra dicebam.

## SVBRESOLVT. III.

*Qualiter cogendus coniux qui licentiam dedit vt professionem emittat.*

### SVMMARIVM.

1. Qualiter cogendus sit coniux qui licentiam dedit, vt alter professionem emitteret, vt ipse etiam profiteatur. & n. 2.

Infertur quartum, qualiter iuxta dicta † cogendus est coniux qui licentiam dedit vt alter professionem emitteret, vt ipse etiam profiteatur si iuuenis sit, si enim talis licentia concessa est, obseruatis his, quæ iura præcipiunt, vt scilicet vnus non profiteatur, sine eo quod alter iuuenis conuertatur, cogendus est dubio procul ad professionem emittendam

emittendam ( nisi alias ratione infirmitatis impotens sit ) quia eo ipso quod licentiam dedit iuxta iuris dispositionem , vt professio alterius omnino firma sit & irreuocabilis se obligauit ad exequendum , quod ius præcipit , scilicet professionem in religione , si tamen licentia data est absque voluntate adimplendi , quod ius præcipit cum professio non sit vsquequaque firma , non est cogenda ingredi religionem , sed maritus ei restituendus.

## SVBRESOLVT. IV.

*Coniux qui potest reuocari , nequit propria auctoritate à monasterio egredi.*

## S V M M A R I V M.

1. An vir qui de licentia vxoris professus est taliter quod possit reuocari , non possit propria auctoritate à monasterio egredi.
2. Soti sententia affertur.
3. An si vir vxore inuita & repugnante professus est , possit propria auctoritate à religione exire , & n. 4.

**I**nfertur quintum , contra Innocentium c. *quidam num. 3. de conuersio. coniugat.* quod vir qui de licentia vxoris professus est taliter , quod possit reuocari , non potest propria auctoritate à monasterio egredi , vt cum vxore resideat , & cohabitare , quamuis enim professio non sit omnino firma , sed claudicat , tamen ex parte sua tenent , *cap. placet eodem tit. vnde & tenetur castitatem & obedientiam seruare ; & sic vt egregie paucis dixit Sotus ubi supra , fecit votum solum per vxorem reuocabile* , quare quo vsque iuridice reuocetur , & coram iudice competente , vetum obligat , & sic non potest propria auctoritate à religione exire , & vxori cohabitare , & residere , & hæc est huius decisionis ratio ex iure petita , non illa quam adducit Thomas Sanchez *num. 15.* quod scilicet ille omnino valide professionem emisit cum sola spontanea vxoris licentia , hoc enim est contra omnia iura citata , quod si vir , vxore inuita & repugnante professus est , cum professio omnino sit inualida , potest propria auctoritate à religione exire , cum in illa non teneatur residere , etiam mortua vxore *cap. quidam de conuers. coniugat.* quod etiam tenet verum , quamuis transactum sit quinquennium Tridentini , quia semper clamat ius iustitiæ vxoris , & inuoluntarium quia ea inuita professio emissã est , imo etiam si licentiam spontaneam det si tamen fecit votum , aut in religione , aut in sæculo perpetuæ continentiæ nunquam currit quinquennium , nisi velit aliquis dicere ,

quod si licentiam spontaneam dedit , & in toto quinquennio cum possit repetere verum non repetit censetur votum , & ipsam tacite emisisse , & sic cogendam ad professionem argumento *ex cap. qui vxorem 33. quest. 5.*

## SVBRESOLVT. V.

*Cur coniux reuocatus possit reddere , ast non petere.*

## S V M M A R I V M.

1. Cur coniux reuocatus etiam si professus fuerit de spontanea vxoris licentia teneatur reddere etsi non possit petere.
2. D. Thomæ , & aliorum sensus adferuntur. & num. 3.

**I**nfertur sextum , ratio genuina & propria est cur coniux reuocatus etiam si professus fuerit de spontanea vxoris licentia , teneatur reddere , etsi non possit petere , quia ex parte sua renouauit iuri petendi vir , qui de licentia vxoris spontanea est professus , at mulier etsi dederit licentiam , quia non fecit professionem , si iuuenis , aut votum continentia si senex , non renouauit iuri suo solide & valide , quare si petit , tenetur reddere professus , qui non potest petere , quia tenetur votis emissis in professione , vt bene Scotus *in 4. dist. 32. quest. vnic.* Paludanus *in 4. dist. 27. quest. 3. artic. 2. num. 19.* D. Tho. *dist. 37. quest. 1. art. 2. ad 1.* quamuis professio infirma sit , & non omnino valida ex omni requisito necessario , ex iure canonico , vnde eo ipso , quod iste professus sit obligatus reddere , alias frustranea esset restitutio , & exposita periculo peccandi , vt bene aduertit ipse Sanchez *num. 22.* manifeste infertur quod professio non est omnino valida , quia non potuit facere votum castitatis de non reddendo huic vxori ; quia est de materia hic & nunc illicita & votum de alieno non est validum , vt bene D. Tho. *in 4. dist. 32. quest. 1. art. 4.* & non reddere huic vxori quæ non renouauit cononice suo iuri est auferre alienum , & sic cum professio omnino valida excludet , etiam per votum castitatis redditionem debiti , si hanc professus iste negare nequit , manifestum est quod votum nõ fuit , quantum ad hoc validum , & per consequens , nec professio cum ex hac parte claudicat , quia non exerit vires vnus obligationis adæquatè voti solemnis castitatis.

## SVBRESOLVT. VI.

*Si coniux non est professus, aut non valide qui fecit votum continentia, hoc non adstringitur.*

## S V M M A R I V M.

1. *An si coniux manens in saeculo votum continentia emisit, ut alter possessionem faceret, aut non valide, votum manentis in saeculo cesset.*

**I**nfertur septimum, quod † si coniux manens in saeculo votum continentiae emisit ut alter possessionem faceret, iste non est professus aut valide non est professus, votum manentis in saeculo cessat & evanescit. Ita Gregorius Lopez, quia votum illud factum est ob causam, & tacita conditione si alter valide profiteatur, nisi manens in saeculo independenter ab alterius professione voueret, tunc enim tenet votum, & vouens non potest petere; ego addo quod valide professionem emisit, & cum possit reclamare non reclamauit transacto quinquennio votum manentis firmatur in foro conscientiae, sicut diximus firmari professionem, dum ageremus de quinquennio Trident.

## SVBRESOLVT. VII.

*Vir sine licentia professus si reducatur, nequit exigere, sed solum petere.*

## S V M M A R I V M.

1. *An vir professus sine licentia, ut ius disponit reducitur ad coniugem manentem in saeculo non solum non possit exigere, sed neque petere debitum, sed solum reddere exigenti & petenti.*  
 2. *An exigere idem sit ac reddere.*  
 3. *Thomas Sanchez sententia adducitur. & num. 5. & 6. necnon Authoris iudicium. & num. 4.*

**I**nfertur octauo, contra aliquos inter quos est Henriq. lib. 11. de matrim. cap. 15. n. 9. & lib. 12. cap. 2. num. 9. quod † dum vir professus sine licentia, ut ius disponit reducitur ad coniugem manentem in saeculo non solum non possit exigere, sed neque petere debitum, sed solum reddere exigenti & petenti, ita Sanchez disp. 34. num. 4. quod mihi certum est quia cap. quidam & cap. placet, id  
 2 *expresse dicunt Pontifices † qui quamuis vtantur verbo exigere, tamen hic idem est, ac reddere, quod clare constat ex ratione quam subministrant scilicet, quia iste manet*

obligatus voto solemnii continentiae, quod votum non solum impedit licite exigere, sed etiam licite petere, quod secus est de adultero, qui non potest exigere atamen potest humiliter petere, nam adulter priuatur iure exigendi in fauorem innocentis, a quo potest humiliter petere corpus suum, ut cum innocens sibi reconciliet, an vero vxor teneatur reddere huic marito sibi restituto † Thomas Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 38. num. 22. sentit probabile esse quod vxor teneatur reddere, quia vir non amisit ius iustitiae petendi, sed sola religione voti impeditur, quare etsi vir contra Religionem petat, cum petat id quod sibi debetur ex iustitia mulier tenetur reddere, sed ego contrarium prorsus certum existimo, quia quamuis vir sit restitutus, qui professionem emisit de licentia spontanea vxoris, tamen per professionem vouit abstinere a coniugio quantum erat ex parte sua & sic cessit iuri petendi, quamuis non iuri reddendi, cui non poterat renuntiare cum non sit suum, sed vxoris, quae habet ius iustitiae ad petendum, sed si professio & mutatio status fuit omnino irrita, quia facta sine licentia vxoris ut determinatur cap. quidam, etsi maneat cum voto continentiae tamen cum teneatur residere cum vxore, ista tenetur reddere, si alter petit ut egregie probat Thomas Sanch. lib. 9. de matrim. disp. 6. num. 7. quia quod iste peccet mortaliter petendo non oritur ex natura actus coniugalis, sed ex circumstantia ipsius exigentis ob quam non amisit dominium acquisitum ex vi matrimonij in corpus alterius coniugis, etsi iste tenetur reddere, sicut si ego habeam pignus depositum apud Religionem, etsi ego voueam non exigere, & peccem exigendo tamen depositarius tenetur, ex iustitia reddere, & peccat mortaliter si non reddat. Vnde apparet quod qui de licentia spontanea vxoris professionem emisit, quamuis professio non sit omnino firma & valida cum debeat restitui vxori petenti restitutionem, ut vidimus, tamen nequit petere, nec vxor tenetur reddere petenti, quia mutatio ista & professio status valida est ex parte profitentis, quamuis claudicet ex parte manentis in saeculo.

## SVBRESOLVT. VIII.

*Vtrum restitutus mortua vxore possit cum alia contrahere?*

## S V M M A R I V M.

1. *An iste qui professus est si restituatur vxori, ista mortua possit valide cum alia contrahere, & n. 2.*  
 3. *Authoris iudicium, & n. 4. & n. 26.*

5. *Caelestini*



5. *Cælestini Papa sensus, & n. 6.*  
 7. *An cum vxor bona fide professionem fecit putans prudenter maritum obiisse, si maritus non obiit, & illi restituatur vxor, ista ex parte sua solemniter maneat obligata religioni, & n. 8.*  
 9. *An si maritus non repetat, nequeat propria autoritate vxor egredi à monasterio.*  
 10. *Variorum DD. sensus, & n. 18. necnon Sanchez opinio assertur, & n. 11. & 12.*  
 13. *Quæ professio sit nulla ex iudicio Sanchez, & num. 14.*  
 15. *Ratio difficultatis assertur, & num. 16. 17.*  
 19. *Nauarri mens, & num. 20.*  
 21. *An mulier putans maritum mortuum & bona fide se religioni obligans professio sit valida, & num. 22.*  
 23. *An votum conditionate quod verè est tale pariat obligationem in specie & sine nouo actu voluntatis, pariat etiam obligationem in re ex vi prioris voti.*  
 24. *Quæ vota absque aliqua reuocatione solemnia subsistant, & n. 25.*

**I**Nfertur nono, quid sit dicendum † an iste qui professus est si restituatur vxori ista mortua possit validè cum alia contrahere; & distinguendo tres illos casus de quibus in tribus capitulis, *cap. quidam c. ex parte & cap. placet de conuers. coniugat* supra proposuimus, si loquamur de casu *cap. quidam* in quo professio nulla fuit, quia inuita vxore et si quia manet voto castitatis adstrictus peccet contrahendo, at probabilius est quod matrimonium validum sit, ita multis citatis Sanch *disp. 34. cit. n. 5.* quamuis contrariū supra probabile dixerim cum aliis, non quidè ex vi voti simplicis castitatis, sed ex determinatione Ecclesiæ in præfato *cap. quidam* vbi id tenet glossa, *verbo non exigere*, & sequuntur Hostiens. *n. 1.* & Antonius *n. 8.* si tamen sit sermo de secundo casu in *cap. ex parte* certum est nō tenere matrimonium, quia mandatur residere in monasterio, in quo professus de licentia vxoris si ista moriatur.  
 Si loquamur † de casu in *cap. placet*, vbi mulier putans bona fide quod maritus è vita discesserit professa est in monasterio, quamuis Pontifex dicat, quod est inducenda non tamen cogenda, vt ad monasterium redeat mortuo marito, tamen mihi indubium est quod ista vxor si mortuo marito cum alio contrahat, matrimonium denuo contractū nullum est, probatur quia ista professio fuit valida ex parte vxoris, quæ bona fide putauit solutam esse, & sic religio etiam bona fide eam recepit, & vota acceptauit, quare solum tenetur reddere marito, quod suum est pro vita sua, manente vxore obligata religioni & Religio mulieri, vt post mariti obitum ad monasterium redeat, nisi

Indulto Apostolico dispensetur, quod maneat in sæculo; vnde Pontifex Cælestinus dicit de ista vxore † quod *consultius ad monasterium redeat vbi bona ducta intentione professionem fecit & habitum religionis accepit, & quod redire ad sæculum in eius potestate non erat, sed in potestate mariti & ideo quantum ad ipsam tenuit votum, quod post viri obitum tenere non desit.* Ex quo desumo <sup>6</sup> validum argumentum, in tantum tenuit votum nō redeundi ad sæculū, in quantum ipsa bona intentio inducta professionem fecit, si enim professio post mariti obitū nō teneret, nec votum nō redeundi ad sæculū teneret, argumento manifesto *ex cap. quidam* vbi quia maritus mala fide, quia inuita vxore, professionem emisit, dicit Pont. Adrian. quod *votum non tenuit nec tenetur redire ad monasterium, quamuis maneat ligatus voto castitatis, quia votū manendi in Religione nullum fuit, quia inuita vxore, ergo † quū vxor bona fide profes-* <sup>7</sup> *sionem fecit putans prudenter maritū obiisse, si maritus non obiit, & illi restituatur vxor ista ex parte sua solemniter manet obligata Religioni, & ista illi, vt mortuo marito matrimonium non possit valide contrahere cum alio, quia votum quod emisit bona fide & eadem bona fide Religio acceptauit solemnizatum est, & ex natura rei excludit aliud matrimoniū, quāuis professio facta ratione rei acceptæ inhibeatur restituta vxore, marito, dum viuuit, cui redditur, quod suum est* <sup>8</sup> *vnde si maritus non repetierit vxorem, ipsa non posset exire ad sæculum, vt expressè dicit Pontifex et si marito non repetente finiret vitam professio teneret, nec posset exire, & valide cōtrahere cum alio, ergo si maritus repetit solum restituatur, quod sibi debetur, non vero absoluitur mulier à vinculo professionis solemnitis, & sic mortuo marito matrimonium cum alio valide nequit contrahere.*

Vrgetur hoc amplius, quia in specie huius textus † si maritus non repetit, nequit propria autoritate vxor egredi à monasterio, id enim clarissimè docet Pontifex in *cap. placet citat. redire vero ad sæculum in eius potestate non erat, sed mariti*, ex quo colligit Pontifex, quod *votum Religionis, quantum ad ipsam tenuit, quod post viri obitum tenere non desit*, & ideo quia votum Religionis ex parte vxoris erat validum & solenne, & non ex parte viri qui cum licentiam non concesserit, poterat illam reuocare, & hic est planus sensus mentis Pontificis & eius efficacissima ratio claret, non enim solum vult quod ista teneatur voto castitatis, quia potuit promittere, quod erat in sua potestate, scilicet nō exigere carnis debitū, sed etiam quantum est ex parte sua non redire ad sæculum, quod de facto fecit & ideo

- quantum ad ipsam tenuit, tam votum castitatis, quam religionis, & sic non repetente marito ad sæculum redire nequibat, uti tenent † Antonius de Butrio *ibi n. 11. Abbas n. 3. Syluester verb. diuortium q. 14. num. 17. & verb. matrimonium 8. q. 12. n. 12. dicto 5. Paludanus in 4. dist. 27. quest. 3. art. 2. n. 15. Gabriel dist. 32. q. 1. art. 2. concl. 9. Henriquez lib. 12. de matrim. cap. 5. n. 10. litter. F. Sa emendatus verb. Religio n. 33. Rodriguez tom. 1. summ. cap. 239. num. 3. Vega part. 2. c. 34. casu 104. Nauarrus in mea impressione lib. 3. conf. de conuers. coniug. consil. 6. per totum.*
- 10 Quare male citat Sanchez pro sua sententia Sotum in 4. dist. 27. q. 1. art. 4. *vers. casus autem pag. 121.* quia loquitur quando quis contra voluntatem vxoris fecit votum castitatis solemne in religione, credēs id posse, quia casus diuersus est ab eo, quem modo discutimus quum vxor bona fide putans maritum mortuum professionem emittit, in quo non profitetur inuito marito, sed non consentiente, quod valde diuersum est, nam in priori casu non tenetur manere in religione sicut in secundo, quare sicut si maritus adueniat non repetens, vxor manet ligata votis religionis nec potest ab illa diuertere, sed tanquā apostata potest puniri, ita si repetente viro restituitur, cum non absoluitur à professione, quantum ad se attinet, sed marito restituitur ad vsum matrimonij, marito mortuo, reuiuiscit professio solemnis, quæ ex repetitione mariti mortificata, non mortua erat, sed solū inhibita, quantum ad ius mariti, & per cōsequēs matrimonium inicum prorsus nullum est. Quare caterua illa auctōrū, quos adducit intelligenda est maiori ex parte, iuxta speciē *c. quidā*, in qua professio fuit omnino inuvalida, & nulla, non vero in specie *cap. placet*, de qua loquimur.
- 11 Sed Sanchez consequenter ad sua principia tenet, & quod † professio ista omnino fuit nulla, & quod potest propria auctōritate à monasterio exire, imo & quod tenetur, si commode id potest facere, quia etiam si ista vxor putans prudenter virum suum è vita discessisse bona fide professionē emisisset, & sic nō peccauerit ex iniusta acceptatione, sicut qui retinet bona fide rem alienam, qui excusatur à culpa propter ignorantiam, & veritatis certior factus habebit se in posterum inlar rei alienæ possessoris cognoscen-
- 12 tis iam rem esse alienam. At vterque tenetur statim restituere nec opus est, ut verus Dominus repetat, nisi liquido constet retentionē esse ex illius consensu; ergo ut iniuriam resarciat coniugis spoliato poterit hic propria auctoritate exire, imo & tenebitur si commode possit.
- 13 Hoc fundamentum huius grauisissimi viri prorsus inefficax est, responderetur enim

† quod cum religio acquisierit ius in istum professum, quia bona fide ipsum suscepit, & acceptauit, quousque religioni constet maritum dissetire professus propria auctōritate nequit spoliare religionem cui cōstabit dissentire maritum si iste repetat restitui quod suū est, & sic quousque repetat nequit professus propria auctoritate redire ad sæculū, at retinens rem alienam, eo ipso quod certo sciat esse alienam tenetur reddere proprio domino, non tamen si liquido constet non dissentire, at cum religio iuridice acquisierit ius iustitia in professum, nisi iuridice constet non esse suum, quia maritus dissentit iuridice repetendo vxorē non potest spoliari propria auctoritate professi, quousque illi constet esse vxorem non constat esse alienam, & constat esse vxoratum quia repetitur ab altero coniuge, vel si alia via iuridice probat esse vxoratum si non repetit, censetur consentire, quia cum possit repetere & non repetit, religio iudicat consentire, sicut si quis scit me habere rem suam cū absque aliquo incommodo, aut difficultate possit eam à me petere, quousque non petit non cēsetur inuitus & sic possum eam retinere, nec alius potest licite à me rem illam auferre propria auctoritate, ut illam det & restituat proprio Domino, quia etsi res sit alterius, tamen ego illam iuste & licite possideo.

Amplius vrgeo eandem sententiam ex alia doctrina apud omnes antiquos indubitata, de qua sine auctōre dubitauit primus Sanchez *disp. 36. lib. 7. n. 5. versic. existimo.* Igitur est certa apud antiquos sententia, quod si vnus coniux sine licentia alterius professus est, si relictus in sæculo toto vitæ spatio, cum libere possit reclamare non reclamauit, sed dissimulauit, & cum hac dissimulatione vitam finiat eo ipso professio fit omnino valida, nec potest vxor ad sæculum redire aut matrimonium contrahere, & si contrahat irritum est *v. consuluit de conuers. coniug. vbi Ioannes Andr. n. 2. Antoninus de Butrio, Anchar. Card. Henriq. cap. placet eodem tit. n. 4. Maioris in 4. dist. 32. q. 2. Supplementum Gabriel q. 1. art. 2. concl. 8. Dominic. c. seriatim n. 5. dist. 35. vbi Turrecrem. art. 3. n. 4. casu 6. Angelus matrim. 4. n. 12. Syluester verb. diuortium q. 14. n. 17. & clarius verb. matrimonium 8. q. 12. n. 22. dict. 4. vers. aut tertio altero sciente dissimulante, & idem dicendum est si tamen in vita non reuocauit, qui remansit in sæculo post eius mortem non poterit professus exire monasterium, ut in dicto cap. consuluit idem sensit Ludouicus Lopez 2. p. instructor. vbi de matrim. cap. 54. Azor p. 1. lib. 12. cap. 1. quest. 10. Palacio in 4. dist. 27. disp. 2. vers. hesitas secundo fol. 589. Henriq. vbi supra. Nauarr. lib. 3. cit. conf. 5. num. 4. vbi sic eleganter loquitur, non obstat cap. consuluit, quia disponit*

19 *disponit de coniugato qui emisit professionem sciente uxore & dissimulante, & ita non contradicente, neque expresse consentiente, dum uiueret, per illam enim dissimulationem & taciturnitatem usque ad mortem videtur consensisse, ut post Ioannem Andream & Calder. intelligit illud cap. consuluit Panormit. ibi, qui post Calderi, cap. praterea de conuers. coniug. egregie dixit quod in omnibus casibus in quibus coniugatus post professionem potest repeti ab uxore si non repetatur in vita uxoris debet remanere in monasterio, etsi illa mortua contrahat cum*  
 20 *alia non valet matrimonium, non ergo requiritur noua ratificatio mortua uxore, ut professio teneat & obliget, sed ex praecisa morte illius ex qua sequitur impossibilitas reuocationis obligat omnino professio, cuius rationem egregiam dedit Nauarrus ubi modo, quia hoc votum & professio valet quoad praerudicium uouentis, & professantis, & ita à principio fuit obligatus seruare illud in praerudicium suum saluo iure alterius coniugis.*

21 Ex qua doctrina validum sumitur argumentum pro nostra resolutione ista mulier, quae putans maritum mortuum bona fide se obligauit Religioni per professionem solemnem, quae professio semper tenet, quia non est facta contradicente marito, sed solum non consentiente, quare si iste tota vita sua non repetierit, eo defuncto professio sine alia ratificatione fit omnino valida ut vidimus, ergo si repetat, non aufert vires solemni professioni, sed eas inhibet pro vita sua, qua finita ex vi prioris professionis obligata manet Deo & Religioni, sicut qui facit votum castitatis simplex si contrahat  
 22 *matrimonium potest durante matrimonio reddere debitum, imo & petere in gratiam uxoris, ut multi probabiliter tenent, tamen soluto matrimonio votum castitatis vires suas reassumit, & non potest licite matrimonium contrahere, ita ista uxor de qua loquimur cum solemniter sit professa in suum praerudicium & obligata Religioni, haec solemnitas per repetitionem mariti non tollitur, sed inhibetur, & soluto matrimonio ex morte mariti absque alia noua professione adstringitur tribus votis solemnibus, nec aliud matrimonium valide contrahit cum obligatio in suum praerudicium, quam sibi imposuit bona fide solemniter profitendo à principio nullatenus desinit, sed suspenditur, neque est ut dixi necessaria alia confirmatio.*

Ad quod confirmandum adduco aliam doctrinam, quam latissimè enucleat Thomas Sanchez *lib. 4. sum. cap. 23. & lib. 8. de*  
 23 *matrim. disp. 10. quod si votum conditionale, quod vere est tale à principio parit obligationem in specie & sine nouo voto, & actu voluntatis, parit obligationem in re ex vi*

prioris voti & in hoc conueniunt omnes; ergo cum mulier ista professionem emisit in praerudicium suum imbibita conditione, saluo iure mariti, si iste non reclamaret, sed usque ad mortem dissimulat iuri suo cedit, & sic si vota illa absque aliqua renouatione solemnia subsistunt, ex quo rursus fit quod etiam si maritus repetierit illique mulier restituatur, non euanescent vota solemnia, sed suspenduntur usque ad mortem mariti, in quo cessat suum praerudicium, quia isto saluo mulier se obligauit quantum potuit in suum praerudicium, quod semper clamat mortuo marito, cum bona fide sit solemniter professa, quam solemnitate quatenus est in uxoris praerudicium & in illa parit obligationem religioni factam, ex parte sua non extinguit mariti repetitio, sicut fa-  
 24 *tetur ipse Thomas Sanchez, quod non extinguit obligationem voti continentiae quantum ad non petendum, nec video cur ista maneat obligata voto continentiae & non solemnitate professionis & mutatione status ex parte sua quum maritus non contradixit professioni, quae bona fide & intentione emissa fuit, quare mihi indubium est quod si mortuo marito matrimonium con-*  
 25 *trahat nullum est & inane; imo existimo quod iuxta sententiam D. Thom. Pontifex, nequit dispensare, quod ista mortuo marito cum alio contrahat, quia est solemniter professa & votum est solemne in quo Papa nequit dispensare, cap. cum ad monasterium de statu monachor. & communiter sentiunt Thomistae.*

## SVBRESOLVT. IX.

*De eo qui sine licentia alterius coniugis reuocatus est, quid sentiendum?*

## S V M M A R I V M.

1. *Si quis sine licentia alterius coniugis reuocatus sit ad cohabitandum, si manens in saeculo poeniteat de reuocatione & licentiam impartiat, an teneatur professus ad religionem redire, & n. 2.*

**I**Nfertur decimò, quod si quis non contradicente, sed si sine licentia alterius coniugis reuocatus sit ad residendum & cohabitandum si manens in saeculo poeniteat de reuocatione & licentiam impartiat, teneatur professus ad religionem redire: ita Palud. *ubi sup. q. 3. art. 2. n. 16. Syluest. verb. diuortium quest. 16. num. 19. casu 2. & iuxta dicta ratio est perspicua, quia professio ista valida*  
 2 *fuit in praerudicium profitentis & solum inhibetur ratione dānicati iuris mariti, ergo si iste poenitet de reuocatione & licentiam largitur*

tenetur professus ad religionem regredi, nec maritus, tunc cum vel professionem pariter debeat emittere si iuuenis est vel votum continentiae si senex sine periculo incontinentiae, potest iterum repetere.

### SUBRESOLVT. X.

*Virū cōiux in saeculo relictus altero profiteri sine eius licētia, possit eo inuito ad religionē trāsire?*

#### S V M M A R I V M.

1. An cōiux in saeculo relictus si alter professus sit sine eius licentia possit altero inuito ad religionem transire, & n. 2.

**I**nfertur vndecimo, quod † coniux in saeculo relictus si professus sine eius licentia sit illi restitutus siue non, potest isto inuito ad religionem transire; hæc communis antiquorū sententia, quos citat & differit Thomas Sanchez *disp. 34. lib. 7. cit. n. 23*. ratio est clara ex dictis, quia professio illa valida fuit & obligatoria ex parte profitentis, vnde nullum ius habet in corpus alterius, & quod professio euadat omnino valida & irreuocabilis dependet à voluntate manentis in saeculo, ergo vt iste ingrediatur religionem nō tenetur expectare alterius cōsensum, etiam eo contradicente potest ingredi religionem & professionem omnino validam emittere, quod secus est quum manens in saeculo repugnavit professionem alterius, tunc enim cū professio omnino sit nulla *cap. quidam sapius cit.* tenetur manens in saeculo eius cōsensum & licētiā expectare multa alia corollaria omitto quæ videri possunt apud Sanchez *disp. cit. & sequenti*, non enim occurrit aliquid speciale notandum, quod in præfato auctore bene diggestum non inueniatur.

### RESOLVT. III.

*Qualiter vxoratus licite & valide possit non residere, & cohabitare cum vxore per susceptionem Sacrorum ordinum.*

**I**n Ecclesia latina homines sacri, teneantur continentiam obseruare, & residentia cum propria vxore sit illis prohibita, adeo quod sacer ordo matrimoniū dirimat, sicut, & votū solemne castitatis emissum professione, vt est certum inter catholicos, tamen sicut coniugatus potest profiteri in religione, vt vidimus, potest etiam sacris ordinibus insigniri, quid autem ad hoc requiratur videndum restat, vt vidimus requisita ad professionem in religione.

#### §. I.

*Ponitur Regula generalis.*

#### S V M M A R I V M.

1. Casus in quibus alter coniugum possit ad religionem transire asseruntur, & n. 2.
3. Variorum DD. sensus.

**L**edesma 2. p. 4. q. 63. art. 1. §. sed est aduertendum sic fatur. Paludanus in 4. dist. 27. q. 3. dicit quod † in omnibus casibus in quibus alter coniugum transire ad religionem potest, etiam promoueri ad sacros ordines, etiam si nō ingrediatur religionem, sed ego non inuenio hoc in aliquo alio doctore, credo tamen quod est verum quod dicit Paludanus. Ratio est quia tunc nullum est impedimentum quod impediatur transitum ad ordines sacros, vt cum mulier exempli gratia commisit adulterium & separatur maritus, quoad horum, poterit etiam transire ad ordines sacros & eodem modo concederet Paludanus, quod quando mulier est citra aetatem, in qua non periclitatur de incontinentia potest dare facultatem viro, vt quod promoueatur ad sacros ordines, & quod fiat Episcopus si habuerit votum Regis, etiam si habuerit filios. Quæ sententia etiam mihi placet, vnde communiter potest teneri, quod quando licet marito transire ad religionem relicta vxore in saeculo, licet ei transire ad sacros ordines, hæc ibi, quam Regulam admittunt fere omnes qui post scripsere vt videre est † in Soto in 4. dist. 27. q. 1. art. 4. Sanchez lib. 10. disp. 11. n. 16. & Henriquez locis in superioribus citatis D. Antoninus 3. p. tit. 1. cap. 21. §. 1. in fin. Syluester verb. diuortium q. 17 n. 20. dist. 2. Gotti-fredus in summ. tit. de conuers. coniug. tit. 8. qui antiquiores sunt Ledesma, quare miror virū alias valde eruditum dixisse se hanc regulam non inuenisse nisi in Paludano, nisi velit dicere quod ipse fuerit primus, sed hoc nō patiuntur eius verba, quāuis aliqua admisceat hic Mag. Ledesm. quæ explicatione indigēt necessaria, quam præstabimus, in ampliacionibus & limitationibus regulæ.

#### §. II.

*Ampliaciones Regula.*

#### S V M M A R I V M.

1. De sacrorum hominum continentia quæ ante matrimonium apud Ecclesiam latinā impedit & dirimit matrimoniale residentiam quid sentiat Medina.
- 2, Duo notanda asseruntur, & num. 3.

**D**E † sacrorum hominum continentia quæ ante matrimonium apud Ecclesiam latinam impedit & dirimit matrimoniale residentiam, & post vsum & restitutionem eiusdem matrimonij cohibet, latè & erudite differuit Michael de Medina prouintia Angelorum seraphicæ ornamentum qui integrum edidit tomum quæ magnam

gnam lucem attulit sequentibus scriptoribus duo sunt certa inter Catholicos, primum, 2. † quod impressio characteris sacri non prohibetur, quin fiat sacramento ordinis rite celebrato Episcopo in homine coniugato etiā si vxor contradicat, & repugnet. Secundum quod siue sit ex voto implicito, quod tenetur emittere ordinatus ex præcepto Ecclesiæ, 3. teneri omnimodam continentiam custodire, taliter quod matrimonium subsequens omnino irritet mortua vxore, & ante coniugium homines latinos inhabiles faciat ad contrahendum, vtrumque late disputant DD. in materia de ordine nec ceccsarium est hic discutere & examinare.

SVBRESOLVT. I.

*Vir vt initietur ordine sacro, debet licentiam vxoris habere.*

S V M M A R I V M.

1. An vir debeat habere licentiam vxoris, vt ordine sacro initietur, non solum in matrimonio consummato, sed etiam in rato.
2. An maius priuilegium concedatur professioni solemnī quam Ordini sacro.
3. Matrimonium ratum non dissoluitur per susceptionē Ordinis sacri, ex Ioan. XXII.
4. An professio solemnī ex natura rei dirimat matrimonium ratum.
5. S. Doctoris sensus adducitur.
6. Quid ex traditis veniat colligendum.

**H**is positis principiis, sit primò ampliatio quod regula tenet verum, quod † vir debeat habere licentiam vxoris vt ordine sacro initietur non solum in matrimonio consummato, sed etiam in matrimonio rato. Ita Sanchez lib. 7. dist. 38. num. 2. quia cum matrimonium ratum non dissoluatur per susceptionem sacrorum ordinum sicut dissoluitur per professionem solemnem, in qua emititur votum castitatis absolutæ, vt definit Ioannes XXII. *Extranaug. antiqua concert. de voto, in Extranaug. huius Pontificis.* mulieri fit manifesta iniuria si sine eius licentia vir mutet statum ordine sacro suscepto, cum ipsam relinquat incapacem matrimonij, quod secus est de professione solemnī, quæ matrimonium ratum dissoluit, & relictus in sæculo manet liber, sicut antea, quantum ad contrahendum valde matrimonium, vnde † maius priuilegium conceditur professioni solemnī, quam ordini sacro, siquidem nō dirimit matrimonium ratum, sicut illa propter excellentiorem modum viuendi. Fundamentum huius diuersitatis egregie posuit S. Tho. in 4. dist. 22. q. 1. art. 3. quæstiunc. 2. his verbis: *Ante carnalem copulam matrimonium soluitur per*

Tom. II.

*mortem carnalem, ita per ingressum Religionis ante carnalem copulam soluitur, quia religio est mors quedam spiritalis, qua aliquis sæculo moriens viuit Deo, quibus enodat rationem, quæ forsitan mouit Ioannem XXII. vt definirer, quod † matrimonium ratum non dissoluitur per susceptionem sacri ordinis, per quē ordinatus non moritur sæculo morte spiritali, renuntians omnia, quæ sunt sæculi sicut renuntiat qui solemniter profitetur.*

Quare † professio solemnī ex natura rei dirimit matrimonium ratum, quamuis Ecclesia determinauerit bimestre, vt quis deliberet de matrimonio consummando, vel de transitu ad religionem, quod iure potuit facere, cuius rationem dat S. D. ibi *in solutione ad 2. quia † ante carnalem copulam non est omnino translatum corpus vnus sub potestate alterius, sed sub conditione, si interea aliter coniugum ad frugem melioris vite non conuolet, sed per carnalem copulam completur dicta translatio, quia tunc intrat vterque in corporalem possessionem, sibi tradita potestatis, vnde etiam ante carnalem copulam non statim tenetur reddere debitum post matrimonium contractum per verba de presenti, sed datur ei tempus duorum mensium, &c.*

Ex quibus verbis videtur colligi † quod si mulier intra bimestre hoc, fornicetur non committit proprium adulterium, quia cum non sit tradita perfecte in dominium, & potestatem mariti, nec facta sit cum eo vna caro, non diuiditur ab illo, dum fornicatur, nec proprie videtur committere iniustitiā. Vnde vltius fieret quod si maritus vult ordine sacro insigniri teneatur petere licentiam ab ista cōiuge, alias ea poterit illum repetere, quod secus est de professione solemnī, ad quam intra bimestre non tenetur exigere licentiam ab illa.

SVBRESOLVT. IV.

*Vtrum adulterante vxore possit vir ea inuita sacros ordines suscipere?*

S V M M A R I V M.

1. An in omni euentu vxore adulterante possit vir ea inuita transire ad religionem, & suscipere etiam ordines sacros.
2. An iure Canonico vxoratus non debeat promoueri ad sacros ordines, nisi absolutus ab vxore continentiam proficiente.
3. An cum possit vxoratus inuita vxore professionem emittere, possit etiam ordinari, & num. 4.
5. Sanchez sensus assertur, remissiuè.
6. An vxore adulterante inuita non possit vir sacros Ordines suscipere, & possit etiam ordinari Episcopus. & n. 7.

8. *Vt quis coniugatus fiat Cardinalis quid requiratur.*  
 9. *Ratio difficultatis. & n. 10.*  
 11. *An si mulier sit vetula in qua non periclitatur de incontinentia possit dare facultatem viro suo ut promoueatur ad ordines.*  
 12. *Cōiuges ante copulam carnalem verum habet alter alterius dominium & potestatem in corpus.*

**O**B quam dubitandi rationem examinare oportet, † an in omni euentu vxore adulterante sicut potest vir ea inuita transire ad religionem, possit etiam ad sacros ordines suscipiendos. Negant quidam ex antiquis quos citat & sequitur Gutierrez *lib. 1. question. canonic. cap. 25. n. 13.* dicens quod contraria sententia nunquam sibi placuit, neque placere potuit Graffis *p. 2. decisio. lib. 1. cap. 12. n. 64.* & probat Gutierrez satis vrgenter (si zelus & vitatio scādali vigeat in Episcopo ordinante) primò, quia *extrauag. antiqua cit. §. auctoritate apostolica*, illud inhibetur ne quisquam durante matrimonio siue copula consummato siue nō aliquem ordinem sacrum suscipiat, *nisi prout*  
 2 *sacris canonibus nouerit expedire.* Sed † iure canonico vxoratus, non debet promoueri ad sacros ordines nisi absolutus ab vxore continentiam profitente *cap. vxoratus de conuers. coniug.* Licet enim ob adulterium vxoris liceat ea inuita ad religionem conuolare ibique profiteri, tamen non est expressum in iure quod propter adulteriū vxoris ipsa inuita valeat licite sacros ordines suscipere, & sic non *noscitur hoc sacris canonibus expedire*, vnde non valet regula affirmatiua in pro-  
 3 posito † quum potest vxoratus inuita vxore professionem emittere, potest etiam ordinari, quia illud in iure expressum, istud vero minime, secundò, ab absurdo quia iste maritus ordinatus manens in sæculo, potest stimulo carnis sollicitatus faciliter vxori etiam in sæculo manenti carnaliter commisceri, quod valde abhorret à castitate, quam semper Ecclesia Romana vult, quod eius sacri ordinis ministri habeant, quod absurdum valde declarat discrimen, quod  
 4 est inter ingressum religionis, & susceptionem ordinis sacri, quod illum potest facere inuita vxore adultera, qui profitetur religionem & moritur sæculo cum ex natura status sit separatus ab his occasionibus, à quibus non est separatus ordinatus, manens in sæculo simul cum vxore adultera.

Vnde ruit fundamentum oppositū, quod  
 5 † ponit Sanchez *infra* citandus etsi enim ius coniugale æque obstat ingressui & professioni religionis ac obstat susceptioni ordinis cum adultera omni iure, coniugali destituitur, æque licebit viro ipsa inuita transire

ad sacros ordines ipso manente in sæculo, ac ad reeligionem, hoc inquam fundamentum ex dictis videtur euanescere, tum quia est diuersa ratio in vno, ac in alio, & sic iura vnum memorant & de alio mentionē non faciunt, & sic istud exequi non est iuxta sacros canones vt vult fieri Ioann. XXII. *in prefato §. auctoritate apostolica*, quod enim † vxore adulterante inuita non possit vir ordines sacros suscipere non est, quia requiratur consensus eius, vt homo mutet statum quo mancipetur diuino consortio, sed requiritur consensus in quantum iura disponunt, quod vir non assumat sacros ordines, nisi vxor continentiam voueat, sine exceptione quod fuerit adultera sicut excipit in professione solemnī, quare quod requiratur consensus vt vir fiat ordine sacro insignitus non est in fauorem mulieris adulteræ, & vt ius eius conseruetur, sed potius in præiudicium suum & in odium, & in fauorem mariti, vt aptior, & liberior sit à periculis, & communicatione mulieris, ad Deo inferuendum.

Tum secundò, quia etiam † ista vxore  
 7 inuita, possit ordinari Episcopus, cuius contrarium expresse dicitur in iure *cap. sane de conuers. coniug.* vbi requiritur vt quis ordinetur Episcopus quod mulier ingrediatur religionem, etiam si vetula sit, vt omnes fatentur cum glossa ibi *verb. sacrum velamen*, & nos dicemus *infra* vbi quia vniuersaliter loquitur textus, vniuersaliter est intelligendus, etiam si mulier sit adultera, ergo *cum cap. coniugatus de conuers. coniugat.* vniuersaliter dicatur, quod vt *vir sacros ordines suscipiat debet vxor continentiam vouere, etsi sit periculum incontinentiæ profiteri religionem*, hoc etiā intelligitur si adultera sit, tertio, ad hominem contra Sanchez *cod. lib. 7. disp. 41. n. 3.* dicit quod † vt quis coniugatus fiat Cardinalis non amplius requiritur, quam quod  
 8 requiritur vt quis ordinetur, *quia non inuenio* (inquit) *textum aliquid speciale in hoc casu decidendum neque rationem qua aliud sentiendum cogat*, ergo cum non sit textus, quid valde attendendum est in hac materia, qui dicat vxore adulterante ipsa inuita manente in sæculo possit vir ordinari, rursus non est ratio quæ cogat cum fundamentum à ratione petitum euauerit vt vidimus, tenendum, quod adultera non profitente religionem, aut si iuuenis ab incontinentiæ periculo emittat vxorem continentiam, vir non potest sacro ordine initiari. Hæc sententia valde probabilis est absque dubio tutior, & decentior in praxi. Quis enim dubitat † valde  
 9 indecens esse quod vxore adultera manente in sæculo libera, & forsan iuuenis, ipsi maritus ordinatus iniuriam remittat, nō vt commisceatur carnaliter quia nec redere

dere, nec petere potest, sine sacrilegij crimine, sed vt illam communicet, & conuerfetur domum eius ingrediatur, saltem occultè, vt sequatur scandalum, sed vt dixi quamuis hæc sententia decentior sit, quam semper consulerem nisi in casu grauissimo, vel vrgentissimæ necessitatis ministrorum quæ hodie vir est, vel ad vitandum magnum inconueniens, tunc enim per media extrinseca alteri opinioni affirmatiuæ adhærerem, quam multis citat. sequitur Sanchez *vbi supra lib. 10. disp. 11. n. 16.* & dicit Gutierrez, quod sequi potest. Vnde fit minus bene dixisse Ledesmam *vbi supra*, quod si † mulier est vetula in qua non periclitatur de incontinentia potest facultatem dare viro suo, quod promoueatur ad ordines, etiamsi fiat Episcopus si habuerit votum Regis, hoc enim minus bene dictum est vtrumque contra textus expressos, in *cap. sane, & cap. coniugatus*, vbi exigitur, & quod mulier voueat continentiam etsi maritus sit Episcopus profiteatur religionem, nec ante professionem existimo posse consecrari. Ad religionem habitandi respondetur, quod † coniuges ante copulam carnalem verum habet alter alterius dominium, & potestatem in corpus, quare si alter fornicetur verum committit adulterium, & contra ius iustitiæ, quod habet ex vi contractus, quamuis hoc ius sit conditionatum, vsque ad consummationem, & transacto bimestri.

## SVBRESOLVT. III.

*Non licet viro sacros ordines adsumere etiam ante consummationem matrimony.*

## S V M M A R I V M.

1. An ante matrimonium consummatum non liceat viro sacros ordines adsumere.
2. P. Martini Perez. sensus.
3. Iura qua disponunt quod nullus coniugatorum ad sacros ordines promoueatur sine vxoris consensu continentiam profitentis de quibus intelligantur.
4. Ioannis XXII. decisio, & n. 5. & 6.
7. An ante matrimonium consummatum nequeat vir sine licentia vxoris ad sacros ordines promoueri.
8. Sanchez sensus assertur, & n. 9.
10. An nequeat vir etiam cum licentia Papa, sine consensu vxoris in matrimonio rato nedum consummato sacris ordinibus initiari.

1 **A**mpliatio secunda, quod etiã † ante matrimonium consummatum, non licet viro sacros ordines adsumere sine vxoris li-

centia, quamuis ille animum habeat transfuolandi ad Religionem, sed hoc lethale est peccatum iniustitiæ contra ius vxoris, ita Sanchez *lib. 7. disp. 38. n. 3.* Ledesma *de matrim. quaest. 53. art. 4. dub. 1.* Rodrig. *in Summ. tom. 2. cap. 224. n. 3.* Paludanus *in 4. dist. 27. q. 3. art. 3. n. 21.* & est communis ex Ioanne XXII. *extrauag. cit. iuncta gloss. verb. nouerit.* hoc enim grauissimis verbis prohibet Pontifex & bene ponderat Sanchez, sed † Pater Martinus Perez. *disp. 27. de matrim. sect. 9. n. 2. versic. Hoc non obstante.* sentit non esse intrinsecè malum ordinare prius cum intentione profitendi in religione etsi occurrat moralis necessitas ordinari, priusquã ingrediatur si cõsiderata cõditione personæ nullum sit periculum, sed moralis certitudo profitendi religionem. Quare *cap. coniugatus de conuersio. coniugat.* & similia iura † quæ disponunt, quod nullus coniugatorum ad sacros ordines promoueatur nisi ab vxore continentiam profitente fuerit absolutus, intelliguntur de matrimonio consummato, non de rato, addit tamen, quod cum hæc sit res grauissima & publica, necessario debet præcedere approbatio, & scientia Episcopi, vt Ecclesiæ fiat satisfactio etiam publica.

Verum enim vero hæc sententia prorsus est eliminanda, quia opponitur expresse decisionem factæ à Ioanne XXII. † *in extrauag. Antiqua. de voto cit. ibi. Distinctius inhibentes, ne quisquam durante matrimonio nondum etiã consummato, aliquem de sacris ordinibus presumat, suscipere nisi prout sacris canonibus nouerit conuenire,* nempe petita licentia, vt omnes nullo dempto secuti Glossam adfirmant, quare iuxta, *cap. nullus cit.* nequit etiam in matrimonio rato aliquis ad sacros ordines promoueri, nisi ab vxore continentiam profitente, fuerit absolutus, & quidem ratio perspicua est in promptu, quia quamuis sit moralis certitudo, quod iste post ordinem sacrum susceptum, ingrediatur religionem, tamen hoc non est necessarium ex vi iuris, & hæc moralis certitudo est multis periculis contingentibus exposita, quod iste non profiteatur propter multa inconuenientia, quæ superueniunt, salutis, inconstantia, fragilitatis, & similia. Vnde non est hæc moralis certitudo, ita necessaria, vt euitet iniustitiam, quæ fit vxori, quare eo ipso, quod iste ordinetur potest ipsum repetere, & absque dubio restituatur, nisi ille ingrediatur religionem intra bimestre.

Sed addit vnum valdè notabile Paludanus, quod non bene intellexit Pater Sanchez *num. 4.* quod etiam † ante matrimonium consummatum, nequit vir sine licentia vxoris ad sacros ordines promoueri etsi ad ad habeat licentiam Summi Pontifi-

cis, quia nequit Pontifex iuri vxoris derogare, quia habet ius iustitiæ in corpus viri  
 8 hoc inquam non placet Sanchez † tum quia Pontifex potest dispensare in matrimonio rato, tum quia continentia est ordini sacro adnexa, ex iure dumtaxat Ecclesiastico, in quo Pontifex potest dispensare, etiam post matrimonium consummatum, & ita etiam in hoc, inuita vxore potest de licentia Papæ vir sacris Ordinibus initiari, sed vt dixi vir iste insignis non calluit Paludanū, qui loquitur stātibz legibus Ecclesiasticis, quæ nunc  
 9 sunt, & ex vi præsentis prouidentia, nulla illarum legum facta dispensatione, ex vi quarum iure naturæ habet ius iustitiæ mulier ad corpus mariti à quo non potest spoliari, & stantibus his legibus contraxit matrimonium, quare nisi Pontifex dispenses cum viro in voto continentia sacris ordinibus annexo, ita vt quantum ad hoc sacerdos  
 10 Latinus habeat iura sacerdotis Græci, † nequit vir etiam cum licentia Papæ sine consensu vxoris in matrimonio rato nedum consummato licitè sacris ordinibus initiari, illud autem, quod dicit Pontificem posse dispensare in matrimonio rato & illud dissoluere, & per consequens ius ad mutuam residentiam vtriusque coniugis, sub lite est, & ego contrarium longè probabilius existimo, vt infra ostendam.

## SVBRESOLVT. IV.

*Vir vxoratus, nec primam tonsuram, potest recipere.*

## S V M M A R I V M.

1. An vir primam tonsuram aut minores ordines possit licitè accipere sine vxoris licentia.
2. Variorum DD. sensus asseruntur, & n. 3. 4. & 5.
6. An si quis est impossibilitatus ascendendi ad superiores ordines possit ex dispensatione Episcopi ordines minores accipere, & numer. 7.
8. An vir possit sine licentia vxoris minores ordines recipere.
9. Bonifacij VII. prohibitio.

1 **A**mpliatio tertia, quod † vir nec primam tonsuram, aut minores ordines potest licitè accipere sine vxoris licentia & ista proficiente religionem, aut votum continentia emittente, sic videtur decisum, cap. nullus. 4. de tempor. Ordin. & ordinand. in 6. vbi Bonifacius VIII. ait, nullus Episcopus, vel quiuis alius clericalem presumat conferre tonsuram coniugato, nisi volenti religionem intrare, aut ad sacros ordines promoveri, in quo spe-

cialie ius constituit, quod in antiquis Canonibus non continebatur, qui loquantur solum de ordinibus sacris, cap. coniugatus extr. Antiqua de voto cit. † ita Sanchez multis citat 2 n. 6. Barbosa cap. nullus n. 5. & extrauag. Antiqua n. 4. Azor p. 1. lib. 13. cap. 34. quest. 1. adeo quod Episcopus suspensus sit, per annum ab eius collatione si aliter faciat Barb. de potest. Episcopi allegat. 111 n. 10. qui omnes intelligunt hunc textum Bonifacij, etiam si matrimonium non sit consummatum, sed ratum solum. Verum magna gaudet probabilitate sententia Innocentij c. coniugatus. Hostiens. ibi n. 1. & Henrici num. 6. quod textus in cap. 3 nullus. 4. cit. intelligatur, quod id non possit Episcopus sine iusta causa, cum ea tamen benè poterit, moueor, quia stante iusta causa, potest quis ordinari licitè tonsura & minoribus ordinibus, etiam si non habeat animum ad sacros ordines ascendendi, vt ipse Thomas concedit disp. 31. n. 17. Ægidius Coninch. de Sacramentis disp. 20. n. 105. Homobonus de examina. tract. 1. q. 2. Diana p. 1. tract. 16. Resol. 10. Villalobos in Summa tr. 11. difficult. 14. n. 5. Bonacina quest. 3. de matrim. punct. 9. Garcia de Benefic. p. 3. cap. 4. n. 43. Nauarrus in Manuali cap. 25. n. 106. cum enim 4 non teneatur quis ex aliquo Ecclesiæ præcepto ascendere ad superiores ordines sacros, potest quis suscipere minores etiam cum proposito non ascendendi, vltorius, nam huius propositi malitia non apparet ex quo obiecto dissono rationi deriuetur, vnde est diuersa ratio de eo, qui ingreditur religionem, cum proposito non profitendi, quia cum Religio ipsum recipiat, vt si conueniat 5 proficatur religionem, decipit in re graui, si quum ingreditur habet propositum non profitendi, vt benè Sanchez num. 20. præterquam, quod mihi non est exploratum, an iste nouitius mortaliter peccet habens. Hoc propositum si nō ingrediatur, vt sciat secreta Religionis ad ipsam informandam, aut damnum inferendo, aut si habeat animum restituendi alimenta sibi præstita.

Addo, quod etiam † si quis sit impossibili- 6 tatus ascendendi ad superiores ordines, potest ex dispensatione Episcopi ordines minores accipere, c. 1. de filiis Præbyteror. in 6. vbi habetur, quod etiam si filij Præbyterorum sint irregulares, potest Episcopus cum illis dispensare, vt minores ordines accipiāt, non tamen maiores, vt latè ex Glossa ibi tenent Vgolinus de officio Episcopi cap. vlt. §. 4. n. 2. Barbosa alleg. 45. Garzia p. 2. c. 11. n. 47. Sayrus de censur. lib. 6. cap. 11. n. 10. qui addit posse illi beneficium simplex dare dummodo non sit ex maioribus, vt Canonicatus & similia. Vnde iste impossibilitatus propter irregularitatem licitè potest recipere hos minores ordines, habens propositum non ascendendi



ascendendi ulterius, imo de facto nequit ascendere, ergo etiam si coniugatus nequeat ascendere ad maiores ordines, sine licentia uxoris, & ad hoc sit impossibilitatus, tamen  
 8 † potest sine licentia uxoris recipere ordines, minores, quæ sibi non habent annexum votum continentia, & sic nulla iniuria fit uxori, nec impeditur residentia & cohabitatio cum illa hoc autem debet esse cum causa urgente. Vnde Bonifacius VIII. in cap. nullus cit. dicit nullus Episcopus &c. Clericalem presumat conferre coronam. Ly presumat denotat, quod non fiat sine causa, & temerarie, quia, vt latè probant Barbatius, cap. prudentiam notab. 1. de officio delegati. Nauarrus in Manuali cap. 27. à n. 156. Lotterius de re Beneficiaria lib. 2. quest. 14. nu. 54. Rota Romana in vna Aquens. Irregularit. 14. May 1607. coram Cavalerio. & sic Bonifacius  
 9 VIII. solum prohibuit, † ne id ordinarie fiat, sine causa, & dispensatione Episcopi, quare dubio procul hæc sententia etiam in praxi est probabilis, quod magis est probabile si matrimonium non sit nisi ratum cum minores ordines nullatenus consummationi opponantur, & potest, quis sic ordinatus transire ad Religionem, an verò coniugatus iste ordinatus possit ab Episcopo dispensari, vt habeat beneficium simplex, non est hic disputandum. Legatur Sanchez lib. 7. cit. disp. 43. n. 17.

SUBRESOLVT. V.

*Etiam si vir sit assumptus ad summum Pontificatum potest reuocari.*

S V M M A R I V M.

1. An etiam si uxoratus assumeretur ad summum Pontificatum sine licentia uxoris post matrimonium consummatum, vxor possit illum reuocare.
2. Matrimonium ratum non est omnino insolubile nisi morte spiritali, & numero 3.

**A**mpliatur quartò, à Sanchez disput. 38. num. 12. quod † etiam si uxoratus assumeretur ad summum Pontificatum sine licentia uxoris post matrimonium consummatum vxor potest illum reuocare, vt ei teneatur debitum reddere, quod est ius iustitiæ prius, nec potuit lædi per Pontificatum, quamuis bona fide assumptum eo quod vxor mortua crederetur, pro quo multos ex Canonistis refert & tenet Syluester verb. Matrimonium n. 12. quest. 12. dict. 3. Sed quamuis casus iste.

Neque huic sententiæ aliquid officiant fundamenta contraria, quæ ex dictis facile

corruunt, ad primum respondetur, quod † matrimonium ratum non est omnino insolubile, nisi morte spiritali, scilicet professione solemni, quæ ex iure diuino habet hoc priuilegium sicut matrimonium carnale cõsummatum soluitur morte naturali, adeo quod si per miraculum ad vitam redeat coniux defunctus liber est à vinculo matrimonij consummati, ad secundum respondetur, quod hoc habet contractus matrimonij super alios, quod, isti possunt dissolui mutuo consensu, secus autem ille, quia ex vi sua 3 habet translationem perfectam dominij, corporis, & illius traditionem etsi non sit illius sumpta possessio, quare nullo consensu humano potest auferri traditio illa, sed solum per professionem solemnem, aut dispensationem diuinam.

§. III.

*Residentiam mutuam, & cohabitacionem vtriusque coniugis esse de iure diuino & naturali, ex scriptura, & Patribus probatur.*

S V M M A R I V M.

1. Vinculum matrimonij respectu potestatis humanæ omnino est insolubile.
2. An dissoluto matrimonio rato per ingressum religionis, manens in seculo cum alio matrimonio ineat non sit bigamus, & numero 3.
4. Mutua residentia matrimonialis vtriusque coniugis iure natura & diuino est præcepta.
5. Authoris iudicium.
6. Trident. sententia affertur, necnon S. Doctoris, & n. 7. & n. 8. 9. & 10.
11. Quæ causa sufficiat, vt quis uxoratus relinquat uxorem.
12. Qui uxorem suam dimiserit & aliam duxerit habeatur vt adulter, & numero 13.
14. Quid ex traditis sit notandum, & numero 15.
16. S. Pauli sententia, necnon Tertulliani, & n. 17.
18. Residentia matrimonialis est de iure diuino & naturali ex ipsiusmet matrimonij natura obligatione orta.
19. Theodoretus mens.
20. Repudium non permittebatur nisi ad vitandum vxoricidium.
21. In causa diuortij vir & vxor ad paria iudicantur, ex S. Tho.

**I**gitur cum vt probatum non inefficaciter relinquamus, † vinculum matrimonij respectu potestatis humanæ, (vt permittit tractatus iste de residetia matrimoniali) omni-

no esse insolubile, quia quod Deus vult, homo disiungere nequit, etiam si consummatum matrimonium non sit, quia ut vidimus & contractus est, & sacramentum ante consummationem, quamuis non habeat perfectam significationem vnionis Christi cum Ecclesia, quare si dissoluto matrimonio rato † per ingressum Religionis manens in saeculo cum alia matrimonium ineat bigamus non est, quia non diuisit carnem suam, siquidem cum prior non est factus per possessionem commixtionis vna caro, non ergo solum matrimonium inter fideles iure naturæ est insolubile ab humana potestate, sed ad hanc insolubilitatem sequitur, quod vterque coniux simul resideant, commaneant atque cohabitent, quæ residentia iure naturali & diuino est illis præcepta, ita ut nisi ex vtrius consensu nequeant separari, quoad thorum, si castitatem voueant, vel ad tempus, *ut vacent orationi, iterum reuertentes in idipsum*, ut ait Paulus 1. ad Cor. 7. num. 4. & quoad habitationem, si alter, de alterius consensu religionem profiteatur, si iam consummarunt, vel propter adulterium, ut in superioribus est monstratum, si vero sint aliæ causæ ad huiusmodi separationem & absentiam, quæ excusent ab obligatione residendi infra dicam.

4 Quod vero † mutua residentia matrimonialis vtriusque coniugis iure naturæ & diuino sit præcepta, non erit difficile ex scriptura & Patribus ostendere, & quidem hoc clare probatur ex Geneseos cap. 2. n. 18. vbi Deus intendens ad hanc vtriusque coniugis coresidentiam, & cohabitationem postquam hominem creauit, dixit, *non est bonum hominem esse solum faciamus ei adiutorium simile sibi*, id est ut Chaldeus vertit *sustentaculum, quod sit penes eum*, est autem adiutorium & sustentaculum semper penes maritum, existens ad proles generationem, ad familiæ gubernaculum, ac curam, laborum & dolorum leuamen & ad cæteras vitæ necessitates subleuandas, quare existimo † quod in his verbis Deus imposuit præceptum de residentia mutua, & cohabitatione coniugum, quod præceptum ipse Adam publicum fecit & ipsi Euxæ, dum num. 23. & 24. dixit, *hoc nunc os de ossibus meis & caro de carne mea, hæc vocabitur virago, quia de viro sumpta est. Quamobrem per hanc relinquet homo patrem & matrem & adheret uxori suæ, & erunt duo in carne vna*, id est ad propositum, ut bene Cornelius à Lapide, *erunt vna persona civilis quasi fictione iuris naturalis*, teste ibidem Abulensē. Quod testimonium adducit Trident. satis ad rem de qua agimus,

6 sess. 24. in præmio sessionis dicens † *Matrimonij perpetuum indissolubileque nexum primus humani generis parens diuini spiritus in-*

*stinctu pronuntiauit, dum dixit hoc nunc os ex ossibus meis, &c.* pronunciauit vti que id est publicauit, iam impositum à Deo, illis verbis, *non est bonum hominem esse solum, &c.* quibus verbis duo sunt præcepta, vnum de insolubilitate matrimonij, alterum de residentia matrimoniali, quamuis enim istud sequatur, ex alio tamen etiam si non sit dispensatum in primo, est dispensatum in secundo, ut mox dicam.

Hoc egregie enucleauit S. Doctor 1. p. 7. *quæst. 92. art. 2.* explicans cur mulier ex viri costa sit producta, *ut vir uxori inseparabilius adhereret dum cognosceret eam esse ex se productam, & hoc maximè necessarium fuit in specie humana in qua mas & femina commaneant per totam vitam, quod non contingit in aliis animalibus.* Secundo, quia A. dicit 8. Ethico. mas & femina coniunguntur in hominibus non solum propter necessitatem generationis, ut in aliis animalibus, sed etiam propter domesticam vitam in qua sunt aliqua opera viri & feminae, & in qua vir est caput mulieris. Tertiò, ex art. 3. conueniens fuit mulierem formari ex costa viri ad significandum, quod inter virum & mulierem debet esse socialis coniunctio, quamuis enim, ut bene dicit vterque Thomas art. 1. eiusdem quæst. multa opera, quæ facit mulier, melius fierent per alium virum, tamen opera vxoris respectu mariti non melius fierent per alium virum, quare vita socialis & simultanea residentia vtriusque coniugis iure naturæ est præcepta; aliter enim nec filiorum educatio & rei familiaris gubernatio, & familiæ distributio non subsisteret bene disposita.

Secundo idipsum probatur, ex Matth. 19. 9. num. 4. vbi Christus Dominus volens reducere legem Moyse ad primæuam obligationem legis naturæ, tria facit, & polygamiam, multitudinem scilicet vxorum reprobat, dicens ad Phariseos num. 4. *non legistis, qui fecit hominem ab initio masculum & feminam, fecit eos, propter hanc relinquet homo patrem & matrem & adheret uxori suæ, uxori dixit non vxoribus* ait Hieron. ibi ut polygamiam excluderet, & sic interpretantur omnes Patres. Secundum exclusit libellum repudij, num. 6. itaque iam non sunt duo, sed vna caro, quod ergo Deus coniunxit homo non separet, addens, quod libellum repudij Moyse illis, permisit *ob duritiam cordis vestri ab initio non fuit sic*, quasi dicat. Moyse permisit, vxores vobis exosas possetis dimittere, quod non fuit ab initio naturæ rectè institutæ à Deo. Ecce Christus reuocat duorum præceptorum dispensationem, quam Deus fecit in veteri testamento & ad primæuam obligationem legis naturæ reduxit. Tertium facit num. 9. & declarat præceptum de residentia

- 11 dentia matrimonialis, † & quæ causa sufficiat, vt quis vxotatus relinquat vxorem, & cum illa nec cohabitaret, nec commaneat liciteque possit abesse ab illius consortio, quamuis insolubile maneat vinculum matrimonij. *Dico autem vobis, quod quicumque dimiserit vxorem nisi ob fornicationem & aliam duxerit, mæchatur, & qui dimissam duxerit mæchatur, quasi dicat.* Dico ergo idest, edico, & quasi nouus nouæ Legislator, veterisque reformator sancio aa matrimonium ad
- 12 suam originalem rectitudinem & firmitatem reduco, vt † qui vxorem suam dimiserit, & aliam duxerit habeatur & re ipsa sit adulter, sicut, & ille, qui vxorem ab alio dimissam duxerit, quia ob hanc causam, etsi in lege veteri matrimonium, quoad vinculum dissolueretur ex permissione diuina, tamen ego hanc permissionem cessare declaro, & sic quod sola fornicatio soluat matrimonium quoad thorum, residentiam & cohabitationem manente vinculo ipsius matrimonij in quantum contractus, & sacramentum omnino inseparabili, quod ita esse dicendum definit Trident. contra hæreticos, tam in Græcia demorantes, quam cōtra hæreticos modernos inter Latinos asserentes, quod ob fornicationis causam dissolui matrimonium non solum, quoad residentiam & cohabitationem, sed etiam, quoad vinculum, ita vt dimittens, & dimissa liberè possit alteri nubere, contra hanc igitur hæresim iuxta Ecclesiæ traditionem definit *sess. 24. de Matrim. can. 7. si quis dixerit Ecclesiam errare cum docuit & docet iuxta Euangelium & Apostolicam doctrinam propter adulterium alterius coniugum matrimonij vinculum non posse dissolui, & utrumque, vel etiam innocentem qui causam adulterij non dedit non posse altero coniuge viuente aliud matrimonium cōtrahere, mæcharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, & eam que dimisso adultero alij nupserit anathema sit.* quod ante definierant Euaristus Papa *epist. 2. ad . . . . vxori non licet dimittere virum suum, vt alteri se viuente, societ, sed iuxta apostolum, aut viro suo reconciliari debet, aut manere innupta.* & Concilium Malacitanum Anno . . . . confirmatum ab . . . . *cap. 17. placuit, vt secundum Euangelium & Apostolicam disciplinam neque dimissus ab vxore, neque dimissa à marito alteri coniugantur, sed ita maneant, aut sibi met reconcilientur.*
- 14 Ex quibus liquet † Christum Dominum triplex præceptum præfatis verbis declarasse, & reformando legē veterem & Evangelicam instituendo, & illam reducendo ad primæuam legem naturæ à Deo institutæ, excludendo vxorum multitudinem etiam
- 15 sub titulo concubinæ, sicut habuerunt Hæbrei, & declarando matrimonij vinculum

esse omnino insolubile quoad essentiam nisi mortuo vno, morte naturali, vel si solum fuerit ratum, morte spiritali, & tandem tertium matrimonium posse dissolui quoad thorum & cohabitationem per fornicationem, qua non existente vel alia causa iusta quæ excuset à præcepto residentia & cohabitationis, teneantur coniuges simul cohabitare, residere & commanere, tã quoad thorum, & mutuum corporis vsu, quam quoad cætera œconomica, & domestica exercitia ad quæ sunt socialiter coniuncti.

Hoc autem quod Christus Deus & homo tanquam supremus & absolutus legislator fecit declarans, & reformans, Paulus 1. ad Corinth. c. 7. m. 10. & 11. † *tanquam Euangelij 16 Tuba & Præco, & columna immobilis doctrinarum* ( sic eum nuncupat Tertull. *lib. de pudicit. c. 16.* ) insonuit & publicauit Corinthiis & in ipsorum personis, vniuersis fidelibus, dicens. *His autem qui matrimonio iuncti sunt præcipio, non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere,* ( ecce præceptum diuinum de residentia & commanentia vtriusque coniugis, ) *quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari, & vir vxorem non dimittat,* ecce reformatio legis veteris & exclusio libelli repudij, & reductio ad primæuam legem naturæ, qualem legislator Deus naturæ auctor instituit.

Omnia hæc egregie antiquus Tertullia. 17 *lib. 5. aduers. Marcio. cap. 7.* comprehendit his verbis. *Marcion totum concubitum auferens fidelibus repudium ante nupte subiens cuius sententiam sequitur Moysi, an Christi? At quis & Christi Apostolus cum præcipit mulierem à viro non discedere, aut si discesserit manere innuptam, aut reconciliari viro, & repudium permisit, quod non in totum prohibuit, & matrimonium confirmauit, quod primo vetuit disungi, etsi forte disiunctum voluit reformari.* & *lib. de pudicit. cap. 16.* Interea & diuortium prohibens, pro eo aut viduitatis persencrantiam, aut reconciliationem pacis Dominico præcepto aduersus mæchiam procurat, quia *qui dimiserit vxorem præter causam mæchie, facit eum mæchari, & qui dimissam à viro ducit, mæchatur.* Quare † nullus dubitare Catholicus potest, 18 quod residentia matrimonialis sit de iure diuino & naturali ex ipsiusmet matrimonij natura, obligatione orta, quamuis enim Apostolus aliquando separationem thori, & coniugum, temporalem absentiam permittat, orationis, ieiunij, & continentia causa, dum hinc eam absentiam prohibet non sibi contrariatur, vt benè adnotat Theodoretus, † nam *ibi causam honestam separationis in- 19 iungit, vt separatio honesta sit & licita, hic autem iis legem statuit, qui ob rixas, contentiones, zelotypiam imprudentem & domestica desidia diuortiantur, quibus decla-*

rat firmitatem, & insolubilitatem vinculi matrimonij, ex Christi authoritate, quod eo acrius proponit, *ut caratione cum matrimonio non dissoluatur* (ait Theodoretus) *ad prius matrimonium redire compellat per reconciliationem.*

Sed cum Christus loco citato, libellum repudij, quod licebat in Republica Hebræorum, excluferit illicitumque reuocatione permissionis reddiderit, libellusque solum concessus fuerit viris & non fœminis, quia istis non licebat libellare virum, ut expresse fatetur D. Thom. in 4. dist. 35. art. 4. *ad quia* 20 *† repudium non permittebatur, nisi ad vitandum vxoricidium, & quia in viris magis erat ad hoc periculum, quam in mulieribus, ideo viro permittebatur dimittere vxorem non tamen è conuerso per legem repudij, & sic Christus Dominus loquitur de viro dimittente vxorem non de vxore dimittente maritum, sed cur Apostolus qui hanc Christi reuocationem publicat Corinthiis, prius dicit, quod vxor à viro non discedat, & postea addit, & vir vxorem non dimittat? hoc autem expresse Christus, de cuius mandato memoratur, præcepit, respondetur, quod vxor non dimittat maritum, sed quod ab eo non discedat, quia nunquam fuit vxori maritum per libellum repudij, dimittere & aliud ducere, sicut licebat olim viro dimittere vxorem ante præceptum Christi, poterat tamen vxor propter mariti sæuitiam, vel ut licentiosius viuere, & contentiones fugere à viro discedere, quod erat contra præceptum de residentia matrimoniali, quod etiã volebat introducere, & sic incepit ab imperfectiori subiecto, & conclusit de viro dicens, quod non dimittat vxorem quoad thorum & commanentiam, omisit autem verba Christi *nisi ob fornicationem*, quia in hoc post legem Christi quam fidelibus notam faciebat æquales sunt vir & vxor, sicut enim ille istam, ista illum propter adulteriũ potest dimittere, quoad thorum & cohabitentiam, ut enim egregie, ait D. Tho. art. 4.*

21 *cit. in corpor. in causa diuortij, † vir & vxor ad paria indicantur, ut idem sit licitum & illicitum, vni, quod alteri, non tamen pariter indicantur ad illa, quia causa diuortij est maior in vno quã in alio, cũ in vtroque sit causa sufficiens ad diuortiũ, diuortiũ enim est pœna adulterij in quantum est contra matrimonij bona, quantum autem ad bonum fidei, ad quam coniuges æqualiter sibi inuicem tenentur, tantum peccat contra matrimonium adulterium vnius quam alterius & hæc causa in vtroque sufficit ad diuortium, sed quantum ad bonum prolis plus peccat adulterium vxoris quam viri, & ideo maior causa diuortij est in vxore, quam in viro, & sic ad æqualia, sed non ex æquali causa obligantur, nec tamen iniuste, quia in vtroque est causa suf-*

*ficiens ad hanc pœnam. Hæc ibi.*

## SVBRESOLVT. VI.

*Vindicatur Dominus Caietanus.*

### S V M M A R I V M.

1. *Doctrina D. Caiet. vindicatur, & num. 2. 3. 4. & 8.*
5. *Armilla quid sentiat de eiusdem Caiet. doctrina.*
6. *An coniuges sint pares in diuortio causa adulterij.*

**E**X quibus colligitur primum. Patrem Thomam Sanchez lib. 10. de Matrim. disp. 13. n. 1. & 6. malè intellexisse D. Caiet. Matth. 19. vers. 9. versiculo. *at si urgeas*. ibi enim loquitur nõ de diuortio & separatione quoad thorum, sed tanquam commentator dans sensum litteralem illorum verborum Christi. *Dico autem vobis, quod quicumque dimiserit vxorem suam nisi ob fornicationem & aliam duxerit mœchatur.* quæ verba ait † *si* 1 *urgens obieceris, verba Iesu non esse superflua, & propter exceptionem fornicationis aliquid significari diuersum ab aliis causis, fateor sic esse, et si in istis illud diuersum nihil aliud esse, nisi quod propter fornicationem dimittens vxorem, & aliam ducens non mœchatur: respondeo sic sonare textum secundum planum litteræ sensum, sed quoniam non audeo opponere me (nota Patrum & Doctorum venerationem viri) contra torrentem Doctorum & iudiciorum Ecclesiasticorum, ideo dixi textum 2* *nihil disponere de dimittente fornicariam. Intellego igitur ex hac Iesu Christi lege, licitum esse Christiano dimittere vxorem ob fornicationem carnalem ipsius vxoris & posse ducere aliam vxorem, salua semper Ecclesiæ diffinitione, quæ hæctenus non apparet. Nam decretales Pontificie de hac materia non sunt definitiue fidei, sed iudiciales facti. Profitentur autem ipsimet Pontifices, ut patet in cap. quanto de diuort. & in cap. licet de sponsal. duorum. Romanos Pontifices aliquando in his iudiciis matrimoniorũ errasse. Neque ex his intelligas vxorem quoque dimittere virum fornicantem, quoniam Iesus qui est verus Deus non hoc concessit & est dispar ratio, ut patet, nec etiam in veteri lege vxor poterat repudiare virum. Nec ego sum primus, qui sic intellexit Euangelij textum, quoniam ante annos mille B. Ambrosius sic intelligens idem docuit. s. ad Corinth. 7. hæc eminentissima Purpura.*

Ex quibus duo constant manifeste, primum † quod non loquitur Caiet. de separatione solum quoad thorum, quæ fieri potest ex aliis causis, sed de separatione quoad vinculum matrimonij, quæ fit solum ob fornicationem

nicationem de qua textum quoad sensum litteralem intelligit, iuxta quem non est æqualis vxor respectu mariti, & maritus respectu vxoris, nam iuxta litteralem intelligentiam Caiet. Christus permisit in Evangelio separationem vinculi ob adulterium vxoris, sicut permittebat Deus in lege veteri in qua mulier ob adulterium viri non poterat ipsum repudiare, bene tamen vir vxorem, vt vidimus ex D. Tho. vnde supposita intelligentia textus, quam litteralem dicit Caiet. & subtilem, & textui quadrantem † dicit Armilla *verb. diuortium n. 2. in fine non solum eius sententia non est prorsus falsa, & temeraria, verum est & consona omnibus Doctoribus, tam expositiuis legem repudij, quam scholasticis, in 4. dist. 35.*

Secundum est quod male adducitur sententia Caietani ad punctum † an coniuges sint pares in diuortio causa adulterij: sumendo diuortium pro separatione thori de qua ibidem non loquitur Caiet. in petendo enim diuortio ob adulterium solum, quoad thorum & cohabitationem æquale ius habent vxor & vir, vt ait D. Thom. etsi non æqualem causam, nec in hoc opponitur Caiet. communi sententiæ tanquam prudens & sapiens Doctor moralis, quem ego semper defendo, non tamen tanquam expositorem scripturæ, qui in hoc puncto mihi non arridet, sicut nec arridere potest Catholice post definitionem Conc. Trid. *sess. 24. canon. 7.* vbi expressè contra doctrinam Caiet. definitur, excusatur tamen Caiet. quia illam scripsit *an. 1527. & sess. 24. Conc. celebrata fuit an. 1562.* & confirmata à Pio IV. *an. 1564.* nec mouere potest, quod dicit S. Ambr. locum Euangeliij sic etiam intellexisse, quia vt communiter dicitur commentarij illi in Epistolas Pauli non Ambrosij, sed Pseudo-Ambrosij sunt, vel si Ambrosij sunt illa intelligentia à falsariis est apposita, & nullo modo tenenda vt ait D. Tho. *lect. 2. in epist. 1. ad Cor.* id quod antea dixerat Magister sententiarum, quod miror non vidisse Caiet. siue in S. Doctor. siue in Magistro.

SVBRESOLVT. VII.

Ob adulterium vxor nequit criminaliter accusare virum, bene tamen è contra.

S V M M A R I V M.

1. Licet vxor æqualis sit quantum ad diuortium propter adulterium cum viro, vxor nequeat criminaliter accusare virum adulterum & sic bene è contra.
2. Nocentior est ad prolem generandam fornicatio vxoris quam viri.
3. An vir qui propria ancilla se iungit & filios generat nulli pœna sit obnoxius.

Tom. II.

4. An viri adulterium non recompenset ciuilliter turpitudinem maiorem adulterij vxoris.

Secundū colligitur, quod licet vxor æqualis sit quātum ad diuortium propter adulterium cum viro, tamen vxor nequit criminaliter accusare virum adulterum, & sic iste illam criminaliter accusare possit, & hoc tā apud Iuristas, quam apud Theologos indubitatum est, habetur hoc discrimen expresse, *leg. 1. C. ad leg. Iul. de Adult. & leg. Hiss. 1. tit. 17. p. 7. & leg. 13. tit. 9. p. 4. c. ad misericordiam S. publico 32. q. 1.* ex Greg. *hom. 9. in Euangelium.* tenent & defendunt late Couar. 4. *decret. 2. p. c. 7. §. 6. n. 5.* & latissime Tiraquell. *leg. 1. conu. gloss. 1. p. 1. à num 44.* innumeros adducens Sotus *in 4. dist. 36. quæst. unica in fin. corpor. Bart. de Ledelma dub. 68. de matr.* quos citat & sequitur Tho. Sanch. *lib. 10. de matr. disp. 8. n. 33.* Ratio sumitur ex D. Tho. *vbi supra,* quia † nocentior est ad prolem generandam fornicatio vxoris, quam viri, & ita leges ob hoc maius nocumentum constituunt hoc discrimen. Vnde ob hanc maiorem fecunditatem, & turpitudinem *l. 1. C. de mulier. quæ ser. prop. se iunxerit,* capitali supplicio addicit foeminam, quæ proprio seruo se commiscuit, & è contra † vir, qui propria ancilla se iungit & filios generat nulli pœna obnoxius est, *leg. ult. C. com. de manum.* Tiraquella valde erudita adducit ad probandum maiorem turpitudinem, & fecunditatem esse in adulterio vxoris, quā viri, quæ fuit motiuum Legislatoribus, vt excluderent, ne vxor possit criminaliter accusare virum adulterum, quamuis iste illam possit criminaliter accusare in foro externo, etsi ipse alias adulter sit, quia † viri adulterium nō recōpensat ciuilliter maiorem turpitudinem adulterij vxoris: vnde lege diuina permisū erat, viro habere plures vxores, & nullo modo vxori plures viros, quia turpido adulterij vxoris omnino est indispensabilis cum immediatè opponatur filiorum generationi.

SVBRESOLVT. VIII.

Ratio genuina cur stuprum sit species luxuria ab aliis distincta, ex utroque.

S V M M A R I V M.

1. Cur stuprum sit species luxuria distincta ab omnibus aliis.
2. In quo consistat ratio stupri, & à rapto distet.
3. An stuprum quod importat illicitam virginum deflorationem sub cura parentum existentium sit determinata luxuria species.
4. Quid stuprum in omni sententia prout species luxuria, habeat pro materia specifica.

P 5. Quid

5. Quid sit signaculum virginale.
6. Signaculum virginale per quid corrumpi dicatur.
7. Authoris iudicium.
8. D. Caiet. sententia affertur.
9. An si femina per voluntariam pollutionem propriis manibus, vel alienis factam seruet signaculum virginale illud non corrumpens, etsi amittat virginitatis virtutem, non amittat statum naturalem virginitatis naturalis.
10. Qui concubitus sit stuprum, ex Caiet.
11. Quid sit peccatum luxurie perfectum.
12. S. Doctoris sensus affertur, & n. 25.
13. Unde stuprum sumat propriam speciem.
14. Quid ex traditis veniat colligendum.
15. Cur in femina sit speciale peccatum stuprum dum defloratur & signaculum virginale corrumpitur, non autem in viro.
16. Cur signaculum virgineum sit specialiter in femina traditum à natura custodiendum paternæ custodia.
17. Propria mulieris passio est luxuria, ex S. Chrys.
18. Quantum insatiabilis sit femina luxuria ostendit Caiet.
19. In feminis magis ardet carnis stimulus quam in viris.
20. Insatiabilis femina concupiscentia unde fit.
21. Patribus commendatur filiarum custodia, ex Ecclesiast.
22. Corporis integritas est speciale donum feminis à natura concessum.
23. Quæ custodia pertineat ad ius paternum.
24. Quodnam sit verum stuprum, ex Syluo.

**T**ertium colligitur ratio genuina, † cur stuprum sit species luxuriæ distincta ab omnibus aliis, quas enumerat D. Tho. 2. 2. quæst. 154. per varios articulos agens de stupro art. 6. cuius specialis malitia sit exprimenda in confessione, etiam si femina, etsi eius pater consentiat, hoc mihi certum videtur, quod nullo modo dubitem de hac veritate, quæ semper in Ecclesia fuit ab omnibus Theologis, & Canonistis recepta, illi secuti Petrum Lombardum in 4. dist. 41. vbi D. Thom. S. Bonaventura, & omnes alij antiquitate fulgentes, isti vero Gratianum cap. lex illa. §. cum ergo. vers. stuprum 36. quæst. 1. sequuntur etiam omnes Summistæ verb. stuprum. Caiet. ibi & 22. quæst. 154. art. 6. in solut. ad 1. dubium. Alensis 2. p. quæst. 167. Memb. 1. & 3. Abulensis quæst. 201. super cap. 5. Matth. & vno verbo omnes comprehendam, ita sentiunt omnes nullo dempto ex antiquis, vsque ad Dominicum Soto in 4. dist. 18. quæ. 2. art. 4. v. de simplici stupro. qui de hac veritate coepit dubitare ponens huius nouitatis oum, quod in pullum edidere Nauarr. l. 2. de rest. c. 3. p. 4. n. 419. Vasq. 1. 2. disp. 112. n. 1. 3. Tho.

Sanch. l. 7. de Matrim. disp. 14. à n. 5. vbi pluribus congruentiis id confirmat & impugnationibus rationis D. Thom. & omnium Antiquorum. Vnde n. 7. sic concludit. † Infer-<sup>2</sup> tur in quo consistat ratio stupri, & à raptu distet. Consistit quippe in iniustitia admissa auferendo violenter à virgine claustrum virgineum differt que à raptu, quod raptus solum violentiam importet, non habita ratione status feminae, is enim nihil confert ad rationem raptus, quippe qua æque inuenitur siue femina sit virgo, siue soluta, siue coniugata, stuprum autem sit solum quando femina est virgo. Vnde qui vi cognoscit virginem duplicem luxuriæ malitiam specie diuersam committit, alteram stupri alteram raptus, & vtraque est necessario confitenda. Quam obrem habeat se raptus & stuprum tanquam superius & inferius, semper enim in stupro inuenitur raptus, nec potest ratio stupri consistere absque raptu, at non in omni raptu inuenitur stuprum sed in loco virginis. Hæc ille, quem secuti sunt postea Malderus de iustit. & iure tract. 3. cap. 4. dub. 1. Lessius lib. 2. cap. 10. dub. 1. & antea docuerat probabile P. Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 32. sect. 4. sequuntur etiam alij.

Verum enim vero D. Tho. artic. 6. cit. in corpor. hæc conclusionem infert, & ideo manifestum est quod † stuprum, quod importat illicitam virginum deflorationem sub cura parentum existentium est determinata luxuriæ species, quæ conclusio mihi, vt dixi indubitata est, quam tota veterum scriptorum firmat autoritas, quæ in re morali magnum est probationis genus, neque enim in rebus ad mores pertinentibus discedere licet à communi & indubitata antiquorum sententia. Quæ vt clarius eluceat & fundamenta opposita prorsus euanescent aliqua sunt prælibanda. Primum, quod † stuprum<sup>4</sup> in omni sententia prout species luxuriæ habet pro materia specifica, quam respicit, prout est distincta ab omnibus aliis speciebus luxuriæ respicit inquam signaculum virginale, quod rumpit, & frangit stuprator, quid vero sit hoc virginale claustrum & virgineum signaculum aliqui medici dixere esse pelliculam, & membranam, quæ rumpitur per congressum primum membri virilis, sed hoc non est admittendum, quia necessarium non est talem confingere membranam, alij vt P. Sanchez, vbi supra n. 1. dicit, hoc † signaculum virgineum non esse<sup>5</sup> aliud, quam quædam quasi cõplicatio, & stricta coniunctio partium orificij vasis femine, quæ complicatio explicatur & dilatatur per viri accessum, & sic aperitur vas femineum, & hoc dicit verissimum atque stantibus peritissimis medicis à se cõsultis, sed nisi ponamus intrinsecum modum, præter locale partium constipationem, non assentior huic sententiæ

rentia, quia iuxta Patrum & Theologorum omnium antiquorum, dum de claustris & signaculo virgineo agunt, habetur quod est integritas corruptionis & contagionis expers, ita Ambr. *lib. de virgin. statim à principio*, D. Tho. 2. 2. *quest. 152. art. 1.* S. August. *lib. de virgin. cap. 13.* & eleganter *lib. 1. de ciuit. c. 18.* Hieron. *ad Eustochium de cust. virgin.* Basilius *de virgin. Lactantius lib. 6. instr. cap. 23.* rursus † claustrum & signaculum hoc corrumpi dicitur sicut & carnis integritas, per feminis voluntariam emissionem, quare illa constipatione partium persistente signaculum virginittatis amittitur; ergo hoc in alio consistit, tum denique, quia sunt feminae à viro nullatenus cognitae, nec volutariè pollutae, quae illas partes latissimas habent à naturali indiuiduatione sua, vel in matura aetate, & senectute dilatantur, explicantur, extenduntur, & tamen non amittunt naturale signaculum virginittatis, quia nulla corruptione, aut violenta scissione id factum est, ergo signaculum hoc non consistit in illa partium orificij vasis foemineae complicatione, 7 ex ultimo ergo † quod est modus quidam à natura insitus ex vi temperamenti illarum partium, illarum sigillatius & conclusiuus foemineae vasis in ordine ad custodiã paternam, & vt foemina magis apta sit ad matrimonium contrahendum, qui modus ita se habet in occultis, sicut pulchritudo in manifestis, & sicut sanitas in toto corpore, igitur in tali modo consistit integritas membri foemineae, quae nunquam corrumpi dicitur nisi per stuprum, quod est vitium oppositum castitati, etsi enim infirmitate, violentia, chirurgia, vel alio modo os vuluae aperiatur, non amittitur integritas & sigillum illud taliter, quod si quis ad foeminam accedat, quae ad vitandam infirmitatem aperta est in illis partibus, adhuc stuprum committet, quia virginem deflorauit primo congressu ad quem vitandum extra matrimonium datus est modus iste sigillatius, & conclusiuus.

8 Quam doctrinam egregie enucleauit † D. Caiet. *quest. 159. art. 6. §. ad secundum dub. in masculo primo coeunte cum meretrice differentia stupri non saluatur, quia nec signaculum aliquod naturale perdidit, quo inhabilior redditur coniugio, nec aliquid perdit, quod paternae custodiae naturaliter commendatum, sit seruandum vsque ad coniugium, vt patet ex hoc quod filij ante coniugium post pubertatis annos absque vlla custodia communiter discurrunt, repugnante natura si oppositum fieret, quod communiter in naturalibus fit, ostendit sic natum esse fieri, vt dicitur. 2. Phys. & propterea ex eo quod naturali inclinatione femina ante coniugium custodiuntur, masculi non, sed si custodire quis eos vellet contra naturalem morem, agere diceretur signum habemus naturalis custodiae in fa-*

minis, vsque ad coniugium & libera facultatis in masculis, consequens est quod concubitus masculi primus cum meretrice, non est in specie stupri, aut proportionali, sed simplex tantum fornicatio. Neque obstat quod ex primo concubitu redditur habilior ad luxuriam, vixit expertus. Hoc enim commune est omni primo peccato in quolibet genere, quod ex primo reddatur habilior ad simile, & constat quod non omne primum peccatum habet propriam speciem distinctam à secundo, & hinc habes quod si masculus confiteatur de luxuria peccato, non oportet querere si erat virgo. Haec ibi.

Ex quo fit quod † si foemina per voluntariam pollutionem propriis manibus, vel alienis factam seruet, tamen signaculum virginale illud non corrumpens, etsi amittat virginittatis virtutem, non amittit statum naturalem virginittatis naturalis, quem si corrumpat voluntariè stuprum est, quod eleganter enucleauit Dominus Caietanus, *ubi supra §. ad quartum dubium, ita loquens. Talis † concubitus (cum muliere integra polluta tamen per molliciem) est stuprum, quia ibi saluatur propria differentia stupri quam addit supra illicitum naturalem concubitum dum auferitur signaculum virginale paternae custodiae commendatum, quod natum est mulierem habilem seruare ad coniugium. Redditur igitur ad coniugium mulier inhabilis proprie loquendo non ex mollicie, aut sodomia cum femina, sed ex huiusmodi violatione signaculi, & infra, §. ad obiecta. versicul. secundum vero, integritas foemineae membri dupliciter potest considerari. Primo vt est quadam carnis integritas, & sic verum est, quod per accidens se habet ad statum virginalem, vt est materia virtutis, & hoc supra docuit auctor *quest. 152. artic. 1. ex Augustino alio modo est, vt signaculum virginale scilicet conclusiuum vteri, & animi ad amplexum virilem, & sic non per accidens, sed per se spectat ad statum virginalem, vt est materia virtutis, & propterea si sic perditur reddit mulierem minus habilem ad coniugium, si autem perderetur primo modo tantum ob casum, vel infirmitatis curandae necessitatem non propterea minus habilis ad coniugium esset, unde in nullo Patris custodia iniuria fieret si sic perderetur.**

Secundum praelibamen fit, quod posuit D. Thom. *quest. cit. 154. art. 1. & in 4. dist. 41. quest. 3. art. 4. questiuic. 1. & 2. & quest. 15. de malo. art. 3.* vbi ex professo tractat, quod † peccatum luxuriae perfectum, est inordinatus concubitus contra castitatem coniugalem, quare secundum quod actus aliquis magis recedit à castitate coniugali & matrimoniali concubitu, qui solus in materia venereorum licitus est vsus, multiplicantur species luxuriae, quare quamuis possint esse aliae species luxuriae

ex parte modi, tamen quod fiat sex species distinctæ ex parte materiæ egregio discursu probat S.D. art. 1. illius q. 154. qui videri potest, tamen loquens de stupro art. 6. sic fatur

- 12 † in virgine autem sub custodia patris existenti quaedam deformitas specialis occurrit si corrumpatur, tum ex parte puella, quæ ex hoc, quod violatur nulla pactione coniugali precedente, impeditur à legitimo matrimonio consequendo & ponitur in via meretricandi, à quo retraheretur ne signaculum virginitatis amitteret, tū ex parte patris, qui de eius custodia sollicitudinem gerit secundum illud Ecclesiast. 42. n. . . . super filiam luxuriosam confirma custodiam, ne quando faciat te in opprobrium venire inimicis. & in solutione ad 2. art. Nihil prohibet unum peccatum ex adiunctione alterius deformius fieri, sit autem deformius peccatum luxuriæ ex peccato iniustitiæ, quia videtur concupiscentia esse inordinatior, quæ à delectabili non abstinere, ut iniuriam vitet, habet autem duplicem iniuriam annexam, unam quidem ex parte virginis, quam etsi non vi corrumpat, tamen eam seducit, & sic tenetur ei satisfacere, ut dicitur Exodi 22. n. . . . aliam vero iniuriam faciat Patri puella. Vnde & ei secundum legem tenetur ad pœnam, ut dicitur Deuter. 22. n. . . .

Quam Angelicam Doctrinam, sic egregie & profunde explicat Purpuratus vir ibi.

- 13 S. ad 5. dicitur. Quod † stuprum sumit speciem propriam ex adiuncta supra illicitum concubitus iniuriæ paternæ custodiæ, non respectu cuiuscunque, sed signaculi virginalis, ut sic. Ita quod paternæ custodiæ potest dupliciter sumi, vno modo, ut respicit filiam, ut custoditam, siue sit virgo, siue non, & non constituunt stupri speciem, & propterea cognoscens filiam alicuius iam stupratam in domo parentum non committit stuprum, sed simplicem fornicationem tanto grauiorem, quanto offendit etiam patrem sub cuius custodia est etiam ante nuptias. Alio modo secundum, quod respicit filiam secundum virginalè signaculum, & cum obiicitur, quod remota paternæ custodiæ à virginali signaculo adhuc constitueret stuprum. Respondetur, quod licet signaculum virginalè possit fortè esse sine paternæ custodiæ, non tamen potest esse sine indigentia naturali, quantum in se est paternæ custodiæ & per hoc non potest absolui ab ordine ad paternam custodiam, & ideo casus non est admitteendus. Et si instetur, quod ista conditionalis est vera, si signaculum virginalè esset sine paternæ custodiæ, adhuc illius illicita violatio esset stuprum. Respondetur, quod intelligendo per paternam custodiam ordinem, ad paternam custodiam à quo nō potest signaculum virginalè absolui, ista conditionalis est falsa, quia destruit se ipsam. Quoniam si signaculum virginalè esset sine ordine ad paternam custodiam non esset signaculum virginalè, sed esset sicut virginitas naturalis masculorum, sicut ista cōditionalis est falsa,

si pater esset sine filio esset pater. Hactenus viuax & profundum Caiet. ingenium quod magis est admirandum in moralibus, quam in speculatiuis.

Ecce principia moralia vtriusque Thomæ ex quibus recte enucleatis manifestè deducitur, † quod stuprum etiam si voluntariè patiendo illud defloretur virgo, & Pater non solum consentiat, imò etiam si sit ipsius Virginis leno & signaculi filiæ venditor, nihilominus stuprum est species luxuriæ distincta ab aliis, ratione iniuriæ tam ipsi virgini factæ, quam contra ius paternæ custodiæ, etiam si Pater iam functus sit vita, quod ita certum puto, quod contrarium vir continet probabilitatem practicam, etsi speculatiuè possit defendi, quare benè Fillucius t. 2. tract. 30. cap. 3. n. 2. hoc esse in praxi tenendum, quia moralis æstimatio ad hoc cogit: hæc autem æstimabilitas moralis cum sumatur in ordine, ad hominum prudentum iudicium & dictamen, quis dicat, quod cum omnes DD. Scholastici, vsque ad Sotum, qui primus coepit dubitare de hac re, quod iudicium & dictamen aliquorum recentiorum plus ponderet, quam iudicium Magistrorum sententiarum, & omnium Scholasticorum, Gratiani & omnium Canonistarum, æstimatio enim illa moralis, & iudicium practicū omnium antiquorum, cum vix sint immutata, nec nouæ circumstantiæ superuenerint, sed materia & obiectum stupri eadem semper permaneant, idem etiam iudicium practicum perseuerare est necesse.

Verum enim vero, ut materia ista huius grauissimi dubij, penitus comprehendatur & innotescant motiua quæ antiqui habuerunt duo sunt explicanda. Primum, † cur in fœmina sit speciale peccatum stuprum, dum defloratur & signaculum virgineum corrumpitur, non autem in viro. Secundum, † cur signaculum virgineum sit specialiter in fœmina traditū à natura custodiendū paternæ custodiæ Paterque habeat speciale ius ad illud custodiendum, hoc secundum ex primo pendet, quod clarè constat. Fœmina enim ex naturali complexione longè salacior, est & inclinatio ad coitum, facilius (inquam) ad luxuriam quam vir. Vnde Ecclesiasticus c. 7. n. 25. & 26. & per eius os Spiritus Sanctus instruens patrem diuersa ei præcipit respectu filiorum, & respectu filiarum, dicens. *Filij tibi sunt, erudi illos, & curua à pueritia illorum. Filia tibi sunt? serua corpus illarum, integrum, intactum, castum, purum, in eo enim omnis filiæ decor & dignitas consistit, præsertim, quia eius sexus & ætas fragilis est, & in vitium pronus, multique ei insidiantur, ut egregiè ibi Iansen. Pal. & Carthus. negari enim nequit, quod Spiritus Sanctus specialem custodiam præcipit haberi*



haberi respectu corpus filiarum, quam non mandat respectu corpus filiorum, id quod egregie considerabat, *vbi supra* D. Caiet.

Ideo enim maiori custodiæ traditur corpus muliebri, quia salacius & proclivius ad venerem ex natura sua est, egregie S. Chry-  
 17 *stoffom.* id dixit dum pronunciauit † *Propria mulieris passio est luxuria, & hom. 40.* in Matt. *quamuis sint multa peccata in mulieribus, tamen in illis precipue fornicatio abundat*, quod dimanat ex otiosa vita, quam gerunt nullis sollicitudinibus occupatæ. Physici & naturales qui omnes in hoc conveniunt varias huius veritatis assignant rationes, quia humore semineo abundant, quia vagæ, quia leues, quia voluptatum in cibo, potu, vestitu, spectaculis, vagatione sensuum, avidæ, & quia ratione fragiles, vnde Spiritus sanctus inter quatuor insaturabilia ponit, *os vulvæ. Proverb. 30. num. 16. quod nunquam dicit sufficit*, sed semper insaturabiliter appetit, qui appetitus non ipso viû extinguitur, sed immoderatus & vehementius inflammatur, coitum semper exigens, ut bene Beda, Hugo Caiet. & Iansenius, *ibi* & desiderans virile semen non secus, ac hyle formam, ut perficiatur anhelat, insatiabilis enim est muliebris concupiscentia, ita ut delassata quidem, sed non satiata recessit.

18 Igitur † tam insatiabilis est fœminæ luxuria & tam indomita, quod dicat Dominus Caiet. 2. 2. q. 252. art. 1. *S. advertendum, quod sexus fœmineus invenitur seminare si provocatus ad hoc fuerit non solum parum ante pubertatem, sed in sexto atatis anno & supra, ut ipsa mulieres ex parte testantur, ita quod quantum ex auditis conicio, non est hoc per accidens, sed puto posse fieri uniuersale, scilicet ut in pluribus inest potentia hæc, ideo longe citius possunt mulieres irreparabiliter virginitatem perdere, quam vir.* Hæc Caiet. quibus addo ego quod *an. 1604.* Vallisoleti vidi puellam septenem, quam à viro fuisse corruptam testabantur obstetrices, adeo ardens est & petulans muliebri desiderii coniunctionis cum viro, ut multo citius & facilius se prostituât fœminæ ad concubitum, quam decidant viri, ut ait Bonifacius à *Cæua lib. de vitis*,  
 19 vnde † in illis magis ardet carnis stimulus, & rebellio, quam in viris, vnde ut communis est Iuristarum sententia *ad legem & mulieri D. de iur. furt.* Mulieri luxuriôsæ datur curator, quia fuerit luxuriôsæ, secus autem viro luxuriôsæ. Ita Felinus *cap. Pastoralis*, vbi etiam Panorm. *de iudiciis*, Barbatus *leg. is cui bonis colum. 2. & 3. D. de verb. signif.*

20 Cum ergo † hæc insatiabilis fœminæ concupiscentia sit à natura, & constitutione ipsius, æquom fuit, ut naturæ auctor bonum commune respiciens frænum huic effrenatæ luxuriæ poneret, & habenis retineret,

committens virginale signaculum paternæ curæ ipsamque virginem signatam traderet speciali custodiæ, imo & ipsi Virgini præciperet speciali mandato, quod signaculum hoc seruaret, ne inhabilis fieret ad congruè nubendum, ne rupto hoc signaculo & ore vulvæ aperto insatiabiliter appeteret semen virile, & meretricandi ostium aperiretur, quæ meretricatio ex natura rei opponitur generationi prolis, quam respicit matrimonium, quare signaculum virginæ est veluti cooperculum oris vulvæ, quod Deus posuit ob bonum matrimonij, quod cooperculum à natura insitum tenetur conseruare virgo ex vi nubitatis, & Patris custodiæ à Deo est traditum propter commune bonum matrimonij, quare † *Eccles. 42. à 21. num. 9.* pluribus commendatur Patribus filiarum custodia, ob plura & graua inconuenientia, quæ ex filiarum defloratione dimanant bono communi aduersantia, ratione cuius custodiæ, si virgo defloretur, quia iniuria fit Patri, & sic Deut. 22. v. 28. dicitur quod si virgo deflorata fuerit deflorans tenebitur dare patri puellæ 50. siclos argenti, quare patri iniuria specialis facta est, cui à iure diuino naturali custodia virginis tradita est ob signaculum virginæ ne obserato operculo, os vulvæ insatiabili meretricationi exponatur. Quare nõ assentior Syluio 2. 2. q. 154. art. 6. concl. 3. qui etsi dicat stuprū esse specialem luxuriæ speciem ab omnibus aliis distinctā, quia † corporis integritas est  
 22 speciale donū fœminis à natura concessum, ut vsque ad matrimoniū conseruarent, vel vsque ad mortē si vellent, vel cuius integritatis amittendæ metu à fornicatione abstererentur, ne ea amissa constituerentur in via & periculo meretricadi, non tamē quia fiat iniuria patri ratione custodiæ sibi commissæ. Hoc vltimum mihi nullatenus arridet cum sit expressè contra vtrumque Thomā & vtrumque Patrem Franciscum Lombardum, & Gratianum, & reuera hæc custodia  
 23 pertinet ad ius paternum, sicut ad ipsum Patrem pertinet filias locare matrimonio, competenti modo à natura destinato.

Assentior tamē doctissimo Syluio, qui in hoc benè penetrauit antiquorū sententiam, dū dixit † verū esse stuprū, quando virgo defloratur extra matrimoniū etiā ipsa vel cū  
 24 ea etiam parentes & tutores consentiant, quæ fuit sententia D. Tho. & omnium Antiquorum, qui stuprum à raptu tanquam duas species distinguūt, ut videre est in Magistro, & in Gratiano, qui dicit quod stuprum propriè virginum est illicita defloratio, quum videlicet non præcedente coniugali pactione vtriusque voluntate virgo corrumpitur. Raptus vero est quum puella violenter à domo patris, abducitur

ut corrupta in uxorem habeatur, siue puella solummodo, siue parentibus tantum siue vtrique vis illata constiterit, ex quibus fit quod stuprum proprie, raptus non est proprie, si enim esset raptus proprie stuprator poenas incurreret raptoris, quod nullus huc vsque dixit.

- 25 Vnde satis profunde D. Tho. in 4. quest. 3. cit. in corpore, postquam dixit quod secundum hoc aliquis concubitus est magis peccatum, secundum quod magis distat à matrimoniali concubitu, inter species autem hic enumeratas aliqua distat à matrimonio, & quantum ad essentiam, & quantum ad causam qua est consensus, scilicet raptus & ideo est maximum peccatum inter illa qua hic enumerantur. & infra. Secundum hoc patet quod fornicatio simplex est minimum peccatum inter ista, quia illi cum qua concubitur nullum novum impedimentum respectu sequentis matrimonij inferitur, & post hoc est stuprum per quod inferitur impedimentum mulieri, ut non ita facile commode nubere possit, & post hoc est adulterium, quod est concubitus ad illam, que non potest duci in uxorem, dum vir eius vivit, & post hoc est inuestus, qui committitur cum illa qua simpliciter uxor esse non potest, & post hoc est aptus qui matrimonio contrariatur non solum quantum ad essentiam, sed etiam quantum ad causam, omnium tamen horum grauius est peccatum contra naturam.

### SVBRESOLVT. IX.

*Virgo etiam si sit omnino sola, stuprum patitur.*

#### S V M M A R I V M.

1. An etiam si virgo sit orbata parentibus aut nullum habeat tutorem aut curatorem si stupretur, iniuria fiat paterna custodia.

**E**X his quæ hucusque diximus de raptu & stupro qui inter sese specie distinguuntur, colligitur primò, quod si etiam si virgo sit orbata parentibus, aut nullum habeat tutorem, aut curatorem, nihilominus si stupretur iniuria fit paternæ custodiæ quæ semper perseverat in signaculo, quod habet à natura in ordine ad paternam custodiam ad ordinem virginitatis masculi, quæ nullum talem ordinem habet, unde prima fornicatio viri non est stuprum, sicut mulieris, & sic vir non tenetur exprimere in confessione amissionem status virginitatis, sicut tenetur femina, imo ista in confessione dum fatetur desideria fornicandi tenetur exprimere, an sit virgo, quia desideria ita habent malitiam stupri, quæ est circumstantia mutans speciem peccati, quam iuxta Trid. sess. 14. tenetur ex-

primere, & confessor tenetur interrogare, sicut ergo tenetur virgo confiteri consensum turpem, quem habet et si sit virgo, neque in hoc aliquis catholicus dubitat, ita debet exprimere circumstantiam stupri, sicut & sacrilegij aut adulterij.

### SVBRESOLVT. X.

*Nullus potest renuntiare iuri ad custodiendam virginem*

#### S V M M A R I V M.

1. An non sit in potestate femina aut eius patris renuntiare iuri quod habet ad custodiam sigilli virginei.

**C**olligitur secundo, quod si non est in potestate femina, aut eius patris, renuntiare iuri quod habet ad custodiam sigilli virginei quæ illi inest à natura ob bonum commune, argumento ex cap. si diligenti. de foro compet. unde et si pater & virgo consentiant, concubitus cum ea factus stuprum est, & iniuria à natura insita inferitur patri & virgini: verum est, quod quum adest consensus poena taxata à iure humano illi non dabitur, quia consentienti non fit iniuria, orta ex iure humano, nec virgo, aut pater si consentiunt habent actionem iniuriarum, lib. 4. instit. tit. 4. §. hac actio Glossa ad cap. lex illa. 36. q. 1. verb. non reuocante.

### SVBRESOLVT. XI.

*Idem est si virgo consentiat, & quando sit raptus.*

#### S V M M A R I V M.

1. An sit proprie stuprum quod femina consentiat in congressum patre dissentiente, et si vir eam non extrahat à domo parentum.  
2. Quæ violatio non sit simplex fornicatio, sed raptus proprie.

**C**olligitur tertio si quod si femina consentiat in congressum patre tamen dissentiente & contradicente, & si vir eam non extrahat à domo parentum esse proprie stuprum, quia in violatione sigilli fit iniuria patri & etiam virgini ipsi traditæ iure naturæ custodiæ paternæ, nec enim iste est raptus respectu parentum, cum non extrahatur à domo, sed in propria domo corrumpitur, quod si consentiente puella à domo parentum extrahatur istis renuentibus & extra domum violatur si ista violatio non est simplex fornicatio, sed raptus proprie, qui est species luxuriæ cum alia circumstantia stupri, hoc est

est contra Sanchez *num. 10.* cuius doctrina falsitas ex dictis manifesta est; etenim etiã si quis non titulo vtendi virgine eam à domo paterna extrahat, & abducat etiam si virgo consentiat, in abductionem mortaliter peccat, auferendo rem alienam, & existentem sub patria potestate inuito domino, quare si extrahit à domo paterna, vt cum illa coeat, raptus propriè est species luxuriæ & non solum simplex fornicatio.

SVBRESOLVT. XII.

*Virgo etiamsi consentiens defloretur tenetur id exprimere in confessione.*

S V M M A R I V M.

1. *An si virgo consensit in sui deflorationem teneatur circumstantiam stupri confiteri.*
2. *Quandonam virgo nunquam peccet peccato stupri, ex Sanchez.*

1. **C**OLLIGITUR quartò, quod si virgo consensit in sui deflorationem tenetur circumstantiam stupri confiteri, sicut tenetur circumstantiam adulterij si à viro vxorato defloretur, quia sicut timor non excusat à mortali luxuria, ita neque circumstantia stupri, hoc est contra Sanchez *num. 13.* vbi concedit talem virginem esse ream fornicationis & adulterij si fuerit deflorata ab vxorato, non tamen stupri, quia huius malitia defumitur quando virgo violenter corrumpitur & quum consentit, etsi ex timore voluntariè patitur violenter ab stupratore auferri virgineum sigillum, quare stuprator tenetur fateri circumstantiam stupri, quia timore cadente in constantem virum virgini violentiam intulit, vt consentiret. Verum hæc doctrina Sanchez nullo modo est admittenda, primo, quia supponit sententiam quam omnino falsam iudico, vt constat ex dictis. Secundò, quia si hæc doctrina vera est si nunquam virgo peccat peccato stupri, sed solum vir, quia aut consentit & sic, nec ex parte fœminæ, aut viri est talis circumstantia nisi intercedat violentia, vt fatetur Sanchez, aut intercedat violentia facta Virgini, & sic coacta violentia consentit, & sic etiam non peccat ipsa peccato stupri, vt etiã fatetur ipse Sanchez, vel assignet quum habet circumstantiam stupri, ipsa fœmina, quia eo ipso, quod consentiat in fornicationem, in qua est circumstantia stupri, à qua libera est eo ipso, quod consentiat.



RESOLVTIO IV.

*De septem exceptionibus quas ponit D. Thom. ad licentiam Christi de dimittenda vxore propter fornicationem.*

**C**HRIŒTVS dominus Euangelicæ legis conditor, reformans Mofaycam & ad qualitatem legis naturæ reducens, vt in Superioribus visum est, etsi libellum repudij quo dissoluebatur contractus matrimonij excluderet, & præceptum de residentia matrimoniali explicuerit absentiam vtriusque coniugis omnino prohibens, nisi ob fornicationem, vt enucleatum relinquitur. Cæterum D. Thom. quem omnes sequuntur septem excepciones ponit in quibus, nec ob fornicationem potest vir diuertere ab vxore.

D. Thom. in 4. dist. 35. *quest. vnica art. 1. in corp.* sic fatur. *Dominus dimittere vxorem concessit propter fornicationem in pœnam illius, qui fidem fregit, & in fauorem illius qui seruauit, vt non sit adstrictus ad reddendum debitum, ei qui non seruauit fidem, & propter hoc excipiuntur septem casus in quibus non licet viro vxorem dimittere fornicantem, in quibus vel vxor à culpa immunis est, vel vtrique sunt aqualiter culpabiles. Primus est si ipse vir similiter fornicatus fuerit. Secundus, si ipse vxorem prostituerit. Tertius, si vxor virum suum mortuum probabiliter credens propter longam eius absentiam, alteri nupserit. Quartus si latenter cognita est ab aliquo sub specie viri lectum subintrante. Quintus, si fuerit vi oppressa. Sextus, si reconciliauerit eam sibi post adulterium perpetratum, carnaliter eam cognoscens. Septimus, si matrimonio in infidelitate vtriusque contracto vir dederit vxori libellum repudij, & vxor alteri nupserit, tunc enim si vtrique conuertantur tenetur eam vir recipere.*

§. I.

*Examinatur prima exceptio.*

S V M M A R I V M.

1. *An vir in conscientia nequeat dimittere vxorem adulteram, siue ipse prior fornicatus fuerit siue post vxoris adulterium.*
2. *Nihil iniquius quam fornicationis causa dimittere vxorem, si & ipse conuincitur fornicari, ex Aug.*
3. *Quid veniat notandum iuxta doctrinam S. Doctoris.*

4. *Quæ peccata carnalia intra genus luxuriæ grauiora sint quam fornicatio.*
5. *An in conscientia nequeat coniux adulter diuertere à residentia matrimoniali, cum altero coniuge sodomiam committente.*
6. *An vnus coniux nequeat alterum relinquere & ab eo diuertere, etiamsi plura adulteria commiserit.*
7. *D. Thom. sententia assertur.*
8. *An vir si vxor sit notorie adultera possit cum illa tuta conscientia non cohabitare.*
9. *An si vir qui in occulto adulterauit, vxorem moneat vt castè viuat, qua nolente, possit diuertere ab illa.*
10. *Syluestri opinio adducitur.*
11. *An si vir commisit adulterium, quod illi condonauit mulier, si ista postea incidat in adulterium, non possit marito volenti celebrare diuortium.*
12. *Authoris iudicium.*

**P**rima exceptio est, quum vir similiter fornicatus est, tunc enim, vt ex supra dictis constat, † vir in conscientia nequit dimittere vxorem adulteram, siue ipse prior fornicatus fuerit, siue post vxoris adulterium, quia ex mutuo adulterio perpetrato æqualis est iniuria, & sic mutuo recompensantur iniuriæ, quatum ad fidei fractionem, in hoc enim omnes conueniunt, vt vidimus estque in vtroque iure expressum *cap. significasti de diuort. c. intelleximus cap. fin. de adult. leg. viro atque vxore. ff. solut. matrim.* Ad quæ loca omnes vtrius iuris interpretes quorum plures adducunt, recentiores, vnde Augustinus *lib. 1. de serm. Domi. in mont. cap. 28.* dixit. † *Nihil iniquius quam fornicationis causa dimittere vxorem, si & ipse conuincitur fornicari, occurrit enim illud, in quo alterum iudicas teipsum condemnas, eadem enim agis quæ iudicas.*

Noto primò, circa hanc exceptionem primam magna aduertentia posuisse S. D. 3 verba exceptionis, † dicens, *qui vir similiter fornicatus est, similiter dicit*; id est diuidens carnem suam, per feminum commixtionem cum altera, quæ commixtio est contra matrimonij fidem, ex vi cuius coniuges fiunt vna caro, vel ad vnitatem carnis ordinantur, quare vbi non est cum altera feminum commixtio, quamuis peccatum luxuriæ grauius sit & habeat malitiam adulterij; vt est sodomia & bestialitas; imò etiamsi sit fornicatio spiritualis, per hæresim, aut idolatriam, quæ omnino grauior est quam fornicatio corporalis non est vir *similiter* fornicatus, & sic neutri licet in conscientia diuortium celebrare ob fornicationem, quamuis ex alio capite possit, vt dicemus *infra*, 4 quamuis enim † peccata ista carnalia intra genus luxuriæ grauiora sint, quam fornicatio,

quæ fit per feminum intra vas commixtionem, tamen ista magis repugnat coniugio, & matrimonio, quia per illam, & nõ per illa diuiditur caro, quæ vna est inter coniuges in ordine ad quam vnitatem sumenda est compensatio criminum, non in ordine ad grauitatem specificam peccatorum, quæ materialis est in ordine ad hanc compensationem, vnde † in conscientia nequit coniux 5 adulter diuertere à residentia matrimoniali, cum altero coniuge sodomiam, aut bestialitatem committente, quamuis in foro externo ob hanc culpam concedatur diuortium, similiter nequit diuertere, etiamsi alter oscula, tactus & ostentationes turpes cum tertio habeat etsi pollutionem voluntariam cum tertio, imò si vir vas foemineum penetret, si tamen, non emittat intra vas semen, imò etiamsi vir, aut foemina semen intra vas emittat, si vterque non seminarunt, quia nõ fiunt vna caro, nisi per feminum commixtionem ex vi cuius contrahitur affinitas, vt tenet communis sententia, quæ doctrina valdè est menti tenenda, quia deseruit ad multas difficultates in materia morali decidendas, tam circa bigamiam, & impedimentum matrimonij, & de iure circa ius acquirendi dotem adulteræ, &c.

Noto secundo, quod † vnus coniux nequit alterum relinquere, & ab eo diuertere, etiamsi vnum dumtaxat commiserit adulterium & altera multa, siue cum vno, siue cum pluribus, ita Soto *in 4. dist. 36. quæst. unica vers. dubitatio vero*, quia quantum ad qualitatem intensiuam, & quæ dat ius ad separationem æquales sint & *similiter sunt fornicati*, quia *similiter* frangunt fidem; multiplicatio enim eiusdem delicti materialis est; vnum casum exciperem, nisi vxor prostituatur vniuersis aduenientibus, vel publicum exerceat concubinatum, quem non potest cohibere, & frænum iniicere vxori fornicanti; tunc enim si vir non sit publicus adulter, & ob motiua iusta nõ possit rem, ad iudicium deferre, potest licitè ab vxoris cohabitatione, & residentia diuertere, ne suspicetur vulgus consentire, & lenocinũ facere, quare etsi occultè adulteretur, non *similiter* fornicatur, ac vxor propter huius adulteriorum publicitatem, & multitudinem id valdè insinuat, *cap. significasti de diuortis, & cap. fin. de adult.* vbi Ioan. Andr. Hostiensis & Antonius.

Quando † D. Thom. *in 4. dist. 35. artic. 6. ad 5.* quem nos *suprà* secuti sumus cum communi sententia, quam sequitur Sanch. *lib. 10. de Matri. disp. 6. n. 9.* quæ sic intelligenda est, quod vir etiam occultissimè fuerit adulter & adulterium vxoris publicum, & notorium nequit in conscientia, neque ciuilitè accusare vxorem, petendo diuortium, sed

sed peccat ipsum petendo, etiam lata sententia tenetur reddere debitum, & reconciliari uxori petenti, si cum illa habitet, & commaneat, neque coram iudice laico, neque in conscientia retinere dotē, aut quodlibet aliud bonum sibi datum per sententiam, hæc enim est mens D. Tho. & multorum, quos ibi citat Sanchez, tam ex Iurisperitis, quam ex Thologis, cæterum existimo quod

8 † iste talis vir, si uxor sit notorie adultera, potest cum illa non cohabitare, aut residere tuta conscientia, sed alio diuertere, & uxorem dimittere, ne derur occasio scandali multitudini, & ne ipse turpitudinem sui adulterij manifestare facto ipsq cogatur, aut inhonoratus viuere inter suos, quāuis enim pares sint quantum ad recompensationem iniuriæ coram Deo, secus tamen quantum ad famam, quæ in vno bona est in altero mala, & vir tenetur curam habere de bono nomine, ne leno suspicetur suæ uxoris, quā cum non possit reuocare ab adulteriis, infamis apud vulgum reputabitur.

9 Quæ doctrina verissima est maxime † si vir qui in occulto adulterauit uxorem monet ut ab adulteriis retrahatur, & caste uiuat, qua nolente, & potest diuertere ab uxore, imo & diuortium petere coram iudice, imo & criminaliter accusare, quia illa admonitio est reconciliatio ex parte viri, qui pacem offert ut cohabitent, & simul resideant, data si potest sufficiente cautione, de securitate vitæ uxoris, & si ista annuit incipit quasi nouus status matrimonij, & renouatur contractus mutue fidei seruandæ. Ita Syluester † *verb. matrim. 9. quest. 6. in fin.* Iuxta quam doctrinam si vir occulte adulter, iam emendatus, criminaliter accuset, potest dotem, & donationes propter nuptias iuste retinere, quia præter emendam peccati intercedit reconciliatio & interpellatio quod uxor reconciliatur, postquam reconciliationem uxor de nouo est fornicata, & diuortium, & accusatio criminalis est propter hoc adulterium de nouo commissum.

10

11 Noto tertio, quod † si vir commisit adulterium, quod illi condonauit mulier, si ista incidat postea in adulterium, non potest marito volenti celebrare diuortium ponere exceptionem adulterij condonati. Ita Sanch. *ubi supra num. 7.* tum quia remittentibus actiones suas non est dandus regressus ad illas *leg. queritur 14. vers. si venditor. D. de Ædilit. edict.* tum quia prior recõciliatio facta de priori adulterio contractum matrimonij ad pristinum statum reuocauit, ac si nullum esset vsque tunc adulterium commissum, in quo euentu posset coniux recõciliatus à coniuge post adulterij reo di-

12 uertere. At ego sub distinctione loquor,

aut enim loquimur de rigore iuris, & sic tenet opinio ista Sanchez, aut ex æquitate & iure antidotalis remissionis iniuriæ, æquum est enim quod si vnus remisit iniuriam si remittens incidat in adulterium, quod prior etiam remittat iuxta parabolam Christi Domini de seruo cui remissum est omne debitum, & ipse noluit remittere debitum conserui sui; verum est quod si uxor fuit quæ prior remisit, si postea incidat in adulterium habet vir maiorem causam, non remanendi quia uxor adulterans, non solum peccat contra fidem matrimonij, sed etiam contra generationem prolis.

## §. II.

*Enucleatur secunda exceptio si vir uxorem prostituerit ad luxuriandum.*

## S V M M A R I V M.

1. *Leno iuxta linguæ latinæ proprietatem quid significet.*
2. *Leno est consiliator concubitus illiciti ex Isidoro.*
3. *Ioannis Sarisberiensis Episcopi Carnotensis sensus.*
4. *Ratio difficultatis assertur.*
5. *Iniuria facta viro ob adulterium an sit causa & fundamentum diuortij.*
6. *Quantum intrinseca sit matrimonij iure natura insociabilitas uxoris cum viro.*
7. *An vir eo ipso quod lenociniū faciat de uxore peccet grauissimo adulterij peccato, & iniuriam faciat matrimonio.*

**S**I vir lenocinium exerceat cum uxore, certum est quod ipse nequit eam dimittere propter adulterium nec ab ea discedere, aut non cohabitare, & cum illa residere; sed quid sit virum lenonem esse uxoris, & cum ea lenocinium exercere, inquirens, leno enim † iuxta linguæ latinæ proprietatem duo significat, vnum, qui quæsitum quærit, viris siue fœminis oblati ad luxuriam quasi vendens illorum corpus ad vsum venereum, si sumpsit Vlpianus *leg. palam. D. de ritu nupti. & leg. athletas. 4. §. ait prætor. D. de his qui notant. infam. lenocinium facit (ait) qui quæstuarium mancipia habuerit, sed & qui in liberis hunc quæstum exercet, in eadem causa est, siue autem principaliter hoc negotium petat, siue alterius negotiationis accessione utatur, ut puta se caupo fuit, vel stabularius, & mancipia talia habent ministrantia, & occasione ministerij quæstum facientia. Hæc ibi, quod lenocinium multo erit turpius & damnabilius, si uxorem propriam occasione ministerij offerat quæstum facientem, alterum quod significat † nomen leno, à quo lenocinium teste Isidoro *lib. 8. ethymolog. c. 7.* est consiliator concubitus*

cubitus illiciti, & lenocinium facere est reconciliationē istam siue quæstus gratia siue gratis, & ex amicitia, vulgo dicitur *alcaguete*, & *Lena alcagueta*, & *Lenocinium alcagueteria*. Quidam enim, originem lenonis ducit ab hoc quod allicitat adolescentes, & in hoc sensu sumpsit Terent. in *Adelph. act. 2. scen. 1.*

*Leno sum fateor communis adolescentium perniciēs.* In utroque sensu ac significatione vsus est hoc nomine † vir ille sui sæculi eruditissimus Ioannes Sarisberiensis Episcopus Carnotensis *lib. 3. Policratici. siue de nugis Curialium cap. 13.* & habetur *tom. 15. Bibliot. veterum PP. Agrippinae. Apud illos (Lenones) ars est suam pudicitiam prostituere alienam violare vel oppugnare.* Nec quidem simpliciter suam cum matrimonij temeranter iura, & coniugis adulterium coniux procurat. *Dum egreditur sponsa de thalamo suo, coniugem noli maritum querere, sed lenonem (ecce maritum adulterij conciliatorem) Producit eam, libidinosus exponit etsi spes dolosi nummi refulgeat, affectus calida simulatione prostituit. Filia namque decentior, aut si quid aliud in familia placeat ditiori publica merces est, exposita quidem si emptorem inueniat, sed licet iustus dolor eos aliquatenus cruciet, qui thori participes admittunt, aut faciunt, aegritudo tamen utilitatis compendio mitigatur, aut saltem doloris mitigat cruciatum, si enim res serio agatur, si libera donentur cunctis iudicia non est dolor ille, quo corpus suum, quis videt aliena libidino pollui. Cetera namque peccata extra corpus suum sūt, sed qui fornicatur in corpus suum peccat. Hoc (inquit Adam) os ex ossibus meis, & caro de carne mea, ut iam non duo sint vir & mulier, sed vna caro, hoc utique sine dolore non scinditur neque sine invidia communicatur.*

*Non bene cum sociis regna, venusque manent & sicut nulla fides regni sociis, ita nec thori certe, facilius est regni diuitias, quam affectionem coniugij, atqui nec isti coniuges sunt, sed lenones.* Hæc ille, quibus exceptionis nostræ rationem innuit satis clare.

4 Igitur exceptio ista † nō solū intelligitur de lenocinio causæ quæstus, sed de lenocinio pro reconciliatione facta à marito vxoris suæ cū alio, siue pro reconciliatione facta ab vxore mariti sui cum alia, nequit enim vir qui lenocinium fecit de vxore, aut vxor quæ lenocinium fecit pro marito, iste vxorem relinquere, nec illa virum, vnde nequeunt celebrare diuortium, nec diuertere vnum ab alio, quia ex vi lenocinij ius amittunt, quod Christus illis concessit *dimittendi vxorem propter fornicationem*, sic habetur in iure cano. *c. discretionem de eo qui cognou. consang.* & in iure ciuili prohibetur marito lenoni suæ vxoris huius accusatio siue ciuilitè, siue criminaliter *leg. cum mulier viri. 49. ff. solut.*

*matrim. & leg. 2. §. si publico. D. ad leg. Iuli. de adult. leg. 6. tit. 9. p. 4. & leg. 7. tit. 17. part. 7.* & sequuntur fere omnes Canonistæ, & Theologi, quorum plures citat fideliter Thomas Sanchez *vbi sup. disp. 5. n. 4.*

Qui huius veritatis subministrat rationem secundam. Quia † iniuria facta viro ob adulterium est causæ & fundamentum diuortij, quæ cessat ipso consentiente, nam scienti & volenti non fit iniuria, sed hæc ratio falsum assumit principium, nam fundamentum diuortij non est iniuria personalis facta viro, sed facta ipsi matrimonio, ex vi cuius vir & vxor vna caro fiunt, quare si caro vxoris cum alio diuidatur per coitum, ipsi matrimonio & coniugio iniuria inferitur cui maritus renuntiari nequit, alias enim si vir consentit fornicationi vxoris, talis fornicatio non erit iniusta, nec adulteriū quod nullus Catholicus dicet, secundò, quia † ita est intrinseca matrimonij iure naturæ insociabilitas vxoris cum alio viro, vt aiebat Sarisberiensis, vt facilius sit socium regni sibi adhiberi, quam socium thori, hoc enim natura abhorret in muliere, nec in hoc potest esse dispensatio etiam diuina, quamuis possit cum illa esse societas viri admittētis plures vxores ex Dei permissione, aut dispensatione, verum tamen est, quod per adulterium etiam fit iniuria viro, vt particularis persona est quam ipse potest remittere, & remittit dum lenocinium facit, sed hæc iniuria fundatur & radicatur in priori, cui nequit ipse renuntiare, sicut nec pacto matrimoniali cui opponitur fornicatio vxoris, etiam à viro prostitutæ. Legatur *D. Tho. 2. 2. q. 154. art. 8. & ibi Caiet.*

Ratio enim genuina exceptionis est, quia † vir eo ipso, quod lenocinium faciat de vxore peccat grauissimo adulterij peccato & iniuriam facit matrimonio, & pactioni coniugali, ex vi cuius factus est vna caro si consummatum est matrimonium, vel si tantum sit ratum ordinatur ad hanc carnis vnitatem ex natura talis pacti, quare iure neque poli, neque fori quit, diuortium facere vxorem dimittendo, aut cum illa non residendo, sed tenetur à lenocinio fugere, & sancte eum vxore degere.

## SVBRESOLVT. I.

*Vir si non prohibet vxoris adulterium cum possit, leno est.*

## SVMMARIVM.

1. An si vir non prohibeat vxoris adulterium, cum liberè id possit facere pœnam lenocinij incurrat.
2. In quibus etiam incurrat vir pœnam lenonis.

3. *An si uxor consensum praebeat adulteram, sit lena.*

**N**Oto primum, circa hanc exceptionem quod si vir non prohibet uxoris adulterium cum libere id possit facere, nequit ab ea diuertere, ipsamque dimittere, sed poenam lenocinij incurrit, ita habetur *leg. 2. C. ad leg. Iulii. de adulter.* & est communis sententia, tunc autem dicitur non posse libere prohibere, quum ob timorem cadentem in constantem virum non prohibet. Ita Sanchez *vbi supra num. 5.* ego autem addo si non quod incurrit poenam lenonis, non solum quum ob talem metum non prohibet, sed etiam quum alia damna grauia timet, vt exilium, inimicitias, etsi non capitales, odiu principis & similia, tenetur tamen uxorem reprehendere, & fraternaliter corrigere si profutura est correctio, his enim mediis ostendit non coniuere adulterio, de uxore an sciente & non prohibente viri adulteriu possit illum dimittere, & a residentia cum illo recedere? dico quod si consensum praebeat lena est, & nequit diuertere, si vero non praebeat consensum sed propter timiditate foemineam & ad vitandas rixas suffert cum amaritudine animae suae, haec taciturnitas non est consensus nec implicitus, quia expulsa animitate foeminae, quae viro subdita est dimanat, cum enim sit inferior viro non tenetur illum fraternaliter corrigere, aut illius delicta prohibere, nisi quum iudicat prudenter posse fortiri effectum.

SVBRESOLVT. II.

*Si vir iniuste uxorem domo expellat, hac fornicante potest eam ciuilitate, & criminaliter accusare.*

S V M M A R I V M.

1. *An vir etiam si iniuste uxorem dimittat, si ipsa fornicetur, possit eam criminaliter accusare & ciuilitate diuortium celebrare.*
2. *Thomas Sanchez sententia assertur.*
3. *Quandomam vir semper habeat ius ad celebrandum diuortium.*
4. *An si vir dum iniuste eiicit uxorem, etiam sine intentione vt fornicetur, non possit illam accusare criminaliter.*

**N**Oto secundum, quod si vir etiam si iniuste uxorem domo expellat, aut deferat, aut necessaria alimenta denegat, si uxor fornicetur potest propter hanc fornicationem dimittere, criminaliter accusare, & ciuilitate diuortium celebrare non residendo cum illa, sic habetur *cap. significasti de di-*

*uortio vbi Glossa verb. materiam, nulla enim ratione mulier ad fornicandum adduci debet cap. ita ne. 32. quest. 2. & cap. ex litteris eodem vbi Glossa verb. compulsata, quia non est ignoscendum turpiter viuenti, titulo paupertatis leg. Palam D. de ritu nuptiar. nisi vir ea intentione uxorem expelleret aut alimenta denegaret necessaria vt compulsata necessitate fornicaretur, tunc enim coram Deo in foro poli non posset dimittere, quia idem est, ac adulterio consentire, ait Thomas Sanchez *num. 6.* si sed quantum ad hoc non placet, si intentio ista sit pure interior, & nullo modo manifesta uxori, quia sic actus expulsionis iniustae, & denegationis alimentorum & congruae sustentationis non est causa moralis influens in adulterium eum influxum non habebit, ex intentione mere interna, quare si semper habet ius ad celebrandum diuortium, vnde si criminaliter accusaret, ad dotis amissionem, etsi sit illi ista applicata ex iudicis sententia illam poterit retinere in conscientia, quia iuxta allegata probata est uxor adultera re ipsa, & non falsis testibus, quamuis vt verum fatear iuxta dicenda in sequentibus si vir dum iniuste eiicit uxorem, etiam sine intentione, vt fornicetur non potest illam accusare criminaliter, etiam ad dotis amissionem, nedum ad capitis sententiam, vt multis citatis tenet Couarru. 4. *decret. p. 2. cap. 7. §. 5. n. 2.* Lex enim ista poenalis est, quare limitanda quantum fieri potest.*

SVBRESOLVT. III.

*Si vir iniuste debitum coniugale denegat, nequit uxorem accusare.*

S V M M A R I V M.

1. *An si vir adulterij causam dedit negando iniuste debitum coniugale, tunc vir neque ad uxorem dimittere, nec criminaliter aut ciuilitate eam accusare.*
2. *D. Chrysostomi sententia adducitur.*
3. *An vir qui occasionem proximam dat uxori negando sepius debitum coniugale, vt fornicetur, causa sit moralis fornicationis.*
4. *Quae dicantur occasiones remota fornicationis.*

**N**Oto tertium, contra Thomam Sanchez *num. 7.* quod si vir adulterij causam dedit, negando iniuste debitum coniugale, tunc enim vir nequit eam dimittere, nec criminaliter, aut ciuilitate eam accusare. Ita expresse D. Thom. *cap. ad Corinth. 7. lect. 2. vers. notandum vbi S. Doctor praeter exceptiones positas in 4. dist. citata, hanc expresse*

se ponit, dicens: *Quod non potest vir ob causam fornicationis uxorem dimittere, quum ipse ei occasionem fornicandi dedit, ut quia non vult reddere debitum, quod antea docuerat* Chrysof. homil. 1. in psal. 50. relatus cap. si tu abstines. 37. quest. 2. si tu abstines sine uxoris voluntate, tribuis & fornicandi licentiam, & peccatum illius tuae imputabitur abstinentia, quod enim dicit glossa ibi quam sequitur Sanchez, quod per licentiam intelligit Chrysof. occasionem: fateor, quia occasionem etiam dicit S. Doctor, sed hæc occasio est proxima, quæ est causa moralis influens in actum saltem virtualiter & interpretatiue, ut late dixi tom. 1. moral. tract. 1. cap. 1. & 2. quare

† vir qui occasionem proximam dat uxori negando sapius debitum coniugale, ut fornicetur causa est moralis fornicationis, & illam virtualiter vult, consentitque interpretatiue, quod sufficit ut tuto non possit eam dimittere, & non residere. Neque est eadem ratio dum vir iniuste expellit domo uxorem, eamque alimentis priuat, quia

† istæ sunt occasiones remotæ fornicationis, non enim respiciunt immediate potestatem in corpus viri, aut foeminae sicut denegatio debiti in qua defraudatur vxor immediate vsu matrimoniali ad quod immediate habet ius primarium, dum illud petit, quare vir qui uxori immediate petenti suum corpus, & debitum coniugale denegat, virtualiter dat licentiam & ponit in occasione proxima peccandi, vel per molliciem, vel quaerendo virum, cum quo ignem, quo accensa est extinguat, maxime si repetitis vicibus debitum exigenti dengetur.

## SVBRESOLVT. IV.

*Vir adulter si uxorem accusat criminaliter peccat mortaliter.*

## S V M M A R I V M.

1. *An vir adulter si uxorem criminaliter accuset, mortaliter peccet.*
2. *An vir adulter ratione adulterij amiserit superioritatem capitii in mulierem.*
3. *An maritus si sit innocens non possit autoritate propria occidere adulteram.*
4. *Quæ leges etsi excusent à pæna legali non excusent à reatu pæna eterna.*
5. *Quando leges Hispanæ semper intelligantur supponere.*
6. *Multorum DD. afferuntur opiniones.*
7. *Cuius arbitrio Hispani adulteræ supplicium committant.*
8. *An etiamsi vir occultum commiserit adulterium, nequeat in conscientia civiliter accusare uxorem adulteram.*
9. *An mariti adulterium sit grauius, vxoris luxuria.*

*luxuria.*

10. *Sanchez sententia affertur.*

11. *An vir accusans adulterium vxoris repellatur per exceptionem similis adulterij.*

**N**Oto quartò, quod † vir, qui adulter est, vel in concubinato, & uxorem accusat criminaliter, mortaliter peccat, etsi iudex sententiam capitis ferat in uxorem, eamque tradat viro, ut in publico occidat, nequit tuta conscientia occidere, nam leges civiles, etsi determinent, quod vxor adultera occidatur autoritate publica, & lex Hispana dicat, quod tradatur viro, ut ipse si vult occidat, hoc ideo esse existimo, quia vir habet potestatem in corpus mulieris, estque illius caput & superior, quare, quod non poterat facere propria autoritate, concedit, quod faciat autoritate publica, tamen hoc supponit, quod vir non amiserit potestatem, & superioritatem in mulierem, ratione cuius, si concedit viro & non alteri de plebe, nisi carnifici publico executori iustitiæ, officio infami, at † vir adulter ratione adulterij amisit superioritatem capitis in mulierem, & potestatem in corpus eius, quare nequit absque peccato homicidij ipsam occidere, etiam autoritate publica, quæ supponit autoritatem capitis in viro, qua amissa per adulterium autoritas publica nihil concedit, imo nec potest concedere, nisi maritus fiat carnifex publicus, quia potestas publica nequit dispensare in præcepto, de non occidendo, nisi ob vtilitatem publicam, ut quando concedit, quod bannitus occidatur, à quolibet, vel malefactores à ministro execute. Dices hoc argumentum probare, quod etiam † maritus si sit innocens non possit autoritate publica occidere adulteram. Respondetur, ita sensisse aliquos, & nos notat. 5. dicemus, quid tenendum sit, sed hac solutione pro nunc omitta. Respondetur secundò, quod est diuersa ratio, cum maritus est innocens habet potestatem in corpus mulieris, estque illi superior, cuius superioritatem non amisit, per adulterium sicut amittit dum adulteratur, quare potestas publica dum dat illi facultatem, quum est innocens, ut uxorem occidat adulteram, non dat potestatem nouam in corpus muliebri, sed extendit, quam habebat ad hoc, quod corpus illud, quod suum erat, & factum est vna caro cum adultero, diuidens se à mariti carne, occidat virtute potestatis publicæ, quare mariti potestas extenditur à potestate publica, quæ extensio supponit potestatem in corpus mulieris, sicut Episcopatus est extensio characteris sacerdotalis, quo non existente nullus potest fieri Episcopus, adulter autem amisit potestatem in corpus mulieris;



ris, & sic nequit ille in conscientia occidere adulteram, imo nec licite accusare criminaliter, ut iudex ex officio procedat.

Leges tamen civiles & nostri Regni sunt permissivæ, non præceptivæ, ut explicat D. Thom. in 4. distinct. 37. quæst. 2. artic. 1. in corpor. & ad secundum; unde et si excusent à pœna legali non tamen excusant à reatu æternæ pœnæ. Tum secundo, quia leges Regni possunt interpretari, quum vir non est adulter, sed innocens, quia si adulter, nequeunt, concedere, ut licite occidat uxorem alias posset etiam concedere, quod inuenta in adulterio licite posset occidere in foro conscientiæ ante sententiam iudicis, magis enim decens est, quod ob dolorem præsentis iniuriæ, quis constituatur minister publicus & occidat uxorem sicut conceditur occidere bannitum, quam, quod vir onustus adulteriis, possit licite occidere uxorem adulteram, nam coram Deo in hoc ipso, quod facit adulter seipsum condemnat. Quare et leges Hispanæ semper intelliguntur, supponere, dum dicunt, *si los acusare (el marido a los adulteros) que los mata en supoder y baga de ellos lo que quisere*, intelligitur enim iuxta regulas conscientiæ, quæ omnino prohibet occidere, nisi ex potestate publica, quam non concedunt quum alias vir adulter est, nefas enim esset, & inter Christianos impium, quod vir licite possit uxorem occidere propter adulteria, quibus ipse onustus est, siquidem coram Deo æquali reatu pœnæ æternæ est obnoxius, & iuxta hoc dictamen meum intelligo et Palacios in 4. distinct. 37. disputat. unica fol. 806. vers. verum si iudex. Gutierrez quæstion. præct. lib. 2. quæst. 1. numero 23. quamvis lubricè loquatur. Manuel Rodriguez tom. 1. summ. cap. 204. numer. 9. Vega tom. 1. summ. cap. 117. casu 3. asserentes non posse iudicem capitis damnare uxorem, quum secundum allegata & probata vir est adulter, sequuntur etiam Nauarrus cap. 16. summ. numer. 29. Matienz. lib. 5. re-ropilat. tit. 1. gloss. 1. Rubric. n. 102.

Notat etiam optimè Sotus in 4. distinct. 37. quæst. unica artic. 3. quod Hispani rigorem legis antiquæ moderarunt. Non enim et adulteram necessaria morte condemnant ut fures & homicidas, sed arbitrio mariti supplicium committunt, quod ideo est, quia si adulter est etiam ipse, nequit licite in conscientia occidere, et si impunè id faciat, sicut facit dum occidit in adulterio comprehensam tamen sicut in hoc non licite, ita nec in illo si adulter est ipse.

Hanc eandem sententiam clare videntur tenere omnes, quos supra dedi, & plures alios citat Thomas Sanchez lib. 10. de matr. 8 disput. 6. num. 9. asserentes quod et etiam si vir

occultum commiserit adulterium, nequit in conscientia civiliter accusare uxorem adulteram, nec petere diuortium coram iudice competenti, datur enim in hoc coram Deo criminum compensatio, quare ut Aug. ait supra citatus. *Nihil iniquius quam fornicationis causa dimittere uxorem, si et ipse conuincitur fornicari, occurrit enim illud in quo alterum iudicas te ipsum condemnas, eadem enim agis quæ iudicas.* Hæc ibi, quæ Apostoli sententia & Augusti. explicatio multo magis currit respectu accusationis criminalis, in qua agitur de totali capitis diminutione, & vita, qua nihil pretiosius inter res temporales, siquidem coram Deo idem agis, quod iudicas dum uxorem adulteram & tu adulter occidis, tibi commissæ, ut quod velis facias, quamvis enim in foro externo dum criminaliter proceditur, non detur compensatio inter adulteria viri & uxoris, nec admittatur exceptio adulterij viri facti ab uxore de adulterio criminaliter accusata; tamen totum est in foro externo, non in foro conscientiæ, in hoc enim pares sunt coniuges, et et si enim uxoris luxuria detestabilior sit, ut supra vidimus ob maiora inconuenientia, tamen adulterium mariti ex alio capite grauius est, quia maiori ratione, & animi fortitudine est præditus, quam vxor, quæ acrius agitur à concupiscētia & debiliori ratione ducitur, quare apud Deum compensantur & mutua compensatione abolentur in conscientia, quare si civili actione agatur est compensatio in foro poli, est etiam in eodem foro etiam si criminaliter agatur & sicut vir adulter non potest agere actione civili contra adulteram, ita nec actione criminali in qua, si adulter est, nequit in conscientia dotem, & alia bona uxoris retinere, etiam si lata sit sententia; sicut nec potest retinere, si agat actione civili.

Quare et nullatenus assentior Sanchez lib. 10. disputat. 8. à num. 46. qui cum duobus Ledesmis Petro, & Bartholomeo, sentit licere viro etiam si coopertus sit adulteriis occidere uxorem adulteram, sibi à iudice traditam; hoc enim minus pium est, & dans occasionem adulteris viris, ut uxores accusent, ut ab ipsis liberentur. Quare ego melius concordo duas leges Hispanas inter quas videtur esse antynomia. Nam, *lex 6. tit. 9. p. 4. & leg. 9. tit. 17. parti. 7.* expresse deciditur, et virum accusantem adulterium uxoris repellit per exceptionem similis adulterij, ius autem nouum huius regni lib. 3. tit. 20. leg. 8. expresse repellitur exceptio hæc, sed leges istæ contrariæ non sunt, nec vltima corrigit primas, nam *lex 8.* loquitur de exceptione inutili & vana, prior autem loquitur de vera & subsistente exceptione, vel ex notorietate facti, & probatione testium

omni exceptione maiorum, sicut textus qui prohibent appellationem, & dicunt *appellatione semota*, intelliguntur de inani, frustranea & friuola, vt multis citatis tenet Barbosa *de clausul. vsufreq. claus. 9. num. 15.* similiter *claus. 156. n. 3.* lex quæ excludit exceptionem non excludit legitimas & rationabiles, vt probat Rebuffus *in compendio alien. num. 46. ex cap. ex parte el segundo de officio delegati, sed friuolas*, vt dicit Rota *in vna Asten. fruct. 27. Martij 1613. coram Manzanedo.*

### SUBRESOLVT. V.

*Vir innocens nequit in conscientia occidere uxorem adulteram sibi traditam à iudice.*

#### SUMMARIUM.

1. *An liceat viro innocenti post iudicis sententiam adulteram occidere.*
2. *An lex civilis nequeat dare licentiam marito, vt uxorem adulteram occidat nisi sub titulo licitoris.*
3. *D. Thoma sententia & n. 4. & 5.*
6. *Vix uxorem occidens assumit infame officium.*
7. *Concilij Tribur. sensus assertur.*
8. *Iuxta leges Hispanas uxor adultera non dānatur necessaria morte, sed arbitrio mariti supplicium committitur, remissiuè.*
9. *Si vir adulteros in flagranti delicto inuentos occidat, an occisio sit licita.*
10. *S. Augustini mens.*
11. *Quid Conc. Tolet. concedat Clericis.*
12. *Maior auctoritas Legislatoris quam iudicis.*
13. *Autoris iudicium.*

**N**Oto quinto, quod quamuis valde probabile sit † virum innocentem posse post iudicis sententiam adulteram occidere, tamen iuxta doctrinam D. Tho. hoc nullatenus licet, neque in legibus Hispanis est firmum fundamentum ad id asserendum, hoc est contra Sanchez, *vbi modo à num. 45.* Prius tamen quam meum proponam dictamen, præpono verba doctissimi P. Magistri Soto *in 4. distinct. 37. quest. vnica art. 3. vers. attamen*, *vbi sic loquitur, Lex Hispana consulto adulteram non licitori tradit, qui iussu viri in eius presentia iugulet, sed ipsi viro vt commiserandus aspectus supplicis femina vehementius eius viscera ad misericordiam commoueat, & cruentum ipsum facinus eius animum deterreat, ne proprias scilicet manus sanguine intingat, vileque officium atque infame exerceat. Hæc enim omnia possunt feruentem bilem hominis stupore illo mitigare, quare consulendū est illi, vt à rigore illo animū tēperet. Hæc ille.*

Ex quibus liquet, quod si maritus post sententiam laram, tanquam minister publicus, voluntarius licet, uxorem occidat officium vile, & infame exerceat, vt potè licitoris, nisi enim sub hoc titulo, qui est officium publicum, nequit occidere, nec † lex civilis potest, nisi titulo huius officij licentiam dare, vt licitè in conscientia possit uxorem adulteram occidere, quam distinctionem non aduertunt contrarij, quæ præ oculis est habenda; non enim lex civilis potest dare alicui ( nisi de bannitis si aliter non possunt capi ) facultatem, alium occidendi; hoc mihi persuadeo ex sequentibus.

Primo quia est sententia † D. Tho. *in 4. distinct. 37. quest. 2. art. 1. vbi in corp. duo dicit*, quod in iudicio civili potest vir zelo iustitiæ non liuore vindictæ, aut odij motus uxorem adulteram in iudicio seculari accusare criminaliter de adulterio & pœnam mortis à lege statutam petere, sicut licet accusare aiiquem de homicidio, aut alio crimine, non tamen talis accusatio potest fieri in iudicio Ecclesiastico, ex quo fit quod sicut lex civilis nequit dare potestatem, vt accusator de homicidio occidat homicidam, quia hoc competit licitori, cuius est hoc officium, ita etsi vir possit accusare criminaliter adulteram & petere pœnam mortis à lege statutam, non tamen potest eam per se ipsum occidere, nec hoc dicit Sanctus Doctor, qui in solut. ad secundum dicit, *quod pœnam illam infligendam ( scilicet mortis ) lex non commisit personis priuatis, sed personis publicis quæ habent officium ad hoc deputatum ( scilicet iudicibus quoad sententiam, & licitori quoad executionem iustitiæ ) vir autem non est index uxoris, ( sicut nec licitor ex officio ) & ideo non potest eam interficere, sed coram iudice accusare.*

Secundum, quod dicit S. Doctor est, *quod lex civilis, quasi licitum computat, quod in ipso actu eam interficiat non quasi præcipiens, sed quasi pœnam homicidij inferens propter maximum incitamentum, quod habet vir in tali facto ad occisionem uxoris, sed Ecclesia non est adstricta legibus humanis ( vt iudicet eum sine reatu pœna aterna Ecclesiastico iudicio infligenda, ex eo quod est sine reatu pœna infligenda per iudicium faculare, & ideo in nullo casu licet occidere uxorem propria auctoritate.*

Ex quibus deducitur efficax argumentum, in nullo casu licet occidere uxorem propria auctoritate, ergo sola auctoritate publica, atqui occisor auctoritate publica est licitor infamis officij vir, habens officium ad hoc deputatum, ergo † vir uxorem occidens officium infame assumit, & exerceat, & nisi sub hoc titulo propria auctoritate occidit, quod in nullo casu licet; qui

qui enim bannitum occidit licitor non est, sed defensor boni communis, & hoc facit titulo honorifico.

Secundò, moueor ex Concilio Triburienfi c. 46. in quo digito monstrans legem Hispanam, vel similem Gallicam, agens de viro qui vxorem adulteram vult sententiam capitalem illi inferre, sic fatur. † *Si vero interdum maritus eam inuenerit, & repetierit, secundum secularem potestatem habeat, quid agere ei velit, sed audiat Sanctum Augustinum dicentem. Cum enim vir à virtute nomen accipit, mulier à mollitie, idest fragilitate, quare contra crudelissimam libidinis bestiam vult vnusquisque vxorem suam esse victricem, cum ipse ad primum libidinis ictum, victus cadit? nam quidquid contra fidem Catholicam mulieribus non licet, nec viris licet.* Hactenus Concilium sub Formoso Papa celebratum ann. .... ad quod confirmandum est elegans textus in leg. si vxor 13. §. 5. D. ad leg. Iuli. de Adulter. si ergo quum viro datur potestas à lege ciuili, vt de adultera faciat, quod velit, Patres, si occidat, damnant tanquam iniustum; ergo hoc licitum non est nisi constituatur licitor officij infamis homo, nullum enim est vilis in republica.

Tertiò, quia vt suprà dicebamus ex Soto <sup>8</sup> notatio 4. † iuxta leges Hispanas vxor adultera non damnatur necessaria morte, sed arbitrio mariti supplicium committitur. Ita habetur expresse lib. 3. tit. 20. leg. 5. noua recopil. quæ se refert ad leg. 1. eiusdem tit. vbi sic habetur, *si muger casada ficere adulterio, el la y el adulterador sean en poder del marido y faga de ellos lo que quisiere y de quanto han & leg. 5. citata.* sic habetur *el marido que matare por su propria authoridad al adultero y ala adultera aunque los tome en fragante delicto y sea iustamente hecha la muerte, no gane la dote, ny los bienes del que matare, salvo si los matare, o con donare por authoridad de nuestra iusticia que en tal caso mandamos se guarde la ley del fuero que en este caso dispone que es la ley primera deste titulo.*

Ex quibus legibus duo infero argumenta in confirmationem nostræ sententiæ. Primum, lex dicit, quod † si vir adulteros in flagranti delicto inuentos occidat occisio licitè fit, *y sea iustamente hecha*, quod certa & indubitata sententia intelligit, quod sit licitè facta in foro externo, quia impunè fit, quia fit autoritate legis, id permittentis & tolerantis, vnde virtute legis fit autoritate publica, maiorem enim autoritatem publicam confert legislator, quam iudex, & tamen, quia hæc occisio non fit à licitore habente officium publicum, dicitur fieri propria autoritate, ergo quum lex dicit, quod vxor adultera, & adulter, *sean en poder del marido y faga de ellos lo que quisiere*, & in alia

Tom. II.

lege, *saluo si los matare, o condenare por authoridad de nuestra iusticia.* si ipse per se occidat, & non gerat officium licitoris, & carnicis publici propria autoritate occidit, quod in nullo casu licet, præterquam, quod lex non dicit, quod occidat per se ipsum, sed per autoritatem iustitiæ ad petitionem suam, nam qui petit alium occidere occisor est illius † sicut August. enarrat in <sup>10</sup> Psalm. 78. de Iudæis dicit, quod Christum occiderunt quum eius mortem à Pilato petierunt, nec enim lex vult, quod maritus licitor fiat, sed quod ad petitionem suam licitor occidat gladio materiali, & vir gladio linguæ & accusationis criminalis. Legendus est D. Thom. 2. 2. quest. 64. art. 3. ad 1.

Deinde, quia quum ex vi legis Hispanæ maritus possit facere de adultera, quod libuerit, & ad hoc ei tradatur à iudice, cum possit & recludere, & ieiuniis & pœnitentiis flagellare, vt Concilium Tolet. 1. cap. 7. † <sup>11</sup> con- cedit Clericis respectu mulierum suarum adulterantium si gladio materiali occidit propria electione, & sic propria autoritate occidit, quod in nullo casu licet, neque enim constringitur à lege, quod ipse per se ipsum gladio materiali occidat, sed permittit, vt impunè hoc faciat, sed permittit, non cogit, quod occidat per se ipsum adulteram, & adulterum, quos inuenit in flagrati adulterio, nec video cur si licet viro non tanquam licitori, sed autoritate iudicis occidere adulteram, non possit etiam licitè in conscientia, autoritate legis occidere adulteram in flagrati adulterio deprehensam maximè si notorium sit adulterare, & in actuali adulterio deprehendit, † maior enim est <sup>12</sup> autoritas legislatoris, quam iudicis, iste enim respicit allegata & probata, quæ multoties, multis subsunt fallaciis; legislator tamen respicit bonum vniuersale, & rem secundum se & quamuis aliquando sequatur aliquod inconueniens, quod maritus occidat sine deprehensione in adulterio, sed ipsum fingens, tamen hoc non eterit legis iustitiam, sicut nec iustitiam sententiæ etsi aliquando feratur in innocentem, probatum nocentem falsis testibus.

Fateor, quod † cum opposita sententia sit <sup>13</sup> probabilis, quod maritus poterit illi se accommodare, sed officium licitoris prorsus infame assumet, quare si aliquis ab occisione voluerit maritum impedire iudex id non consentiet, sed ministris publicis ipsum arceret impeditorem, addo quod etiam hoc potest facere in mea sententia, quia permissio illa dimanat à publica sententia, quam tenetur iudex defendere, sicut tenetur defendere, ne violenter tractetur meretrix, quæ ex publica permissione

meretricatur, quamuis hoc sit peccatum, nec iudex cooperatur occisioni iniustæ, quia hæc permittitur à lege.

## §. IV.

*Explicatur tertia exceptio si mulier probabiliter credens primum maritum obiisse, alteri nubat?*

## S V M M A R I V M.

1. *Quam credulitatem possit habere vxor duplicem.*
2. *Quid veniat notandum.*
3. *In quo casu non sit adulterium formaliter.*
4. *Sanchez sententia affertur.*
5. *An secundus maritus comparente primo non habeat ius ad accusandum vxorem siue ciuilitè siue criminaliter.*
6. *An maritus primus etiamsi post sciat vxorem sub potestate posterioris mariti putatiui adulterium commisisse, non possit eam repudiare.*
7. *An si vxor sciat maritum esse mortuum per reuelationem ad affectum licitè possit contrahere cum alio.*
8. *Ratio difficultatis.*

**D**Vpliciter † potest vxor hanc credulitatem habere, vel ex coniecturis humanis, quibus communi hominum prudentium iudicio fides humana generatur, ex nimia & diuturna mariti absentia, qui vel ad bellum iuit, vel ad valde longam peregrinationem, & à multis annis eius notitiam non habuit, vel quia à fide dignis audiuit, se audiuisse mortuū fuisse affirmantibus, hoc enim videtur sufficere, vt vero similiter præsumatur mariti obitus, *cap. cum per bellicam 34. quæst. 2.* vnde lege Hispana *8. tit. 9. p. 4.* dicitur, *si acaeciesse que el marido tardase mucho en la guerra, deguissa que ficiesen muchos ercer asu muger que era muerto, ese casase con otro no la podrian acusar de adulterio, ea escusa el nosaber.* Vbi clare dicitur quod ea certitudo requiritur, vt aliquis cōiugum habeat hanc credulitatem, vt alteri in foro conscientia nubat, quæ sufficit, vt generetur bona fides in contrahente, ad celebrandas secundas nuptias, quamuis vt iudex Ecclesiasticus licentiam concedat, ad eas celebrandas, maior longe certitudo exigatur, *cap. in presentia de sponsal. cap. Dominus de secundis nupt.* Secundo modo potest haberi hæc credulitas, ex reuelatione facta, vel ipsi coniugi, vel alteri personæ, quæ sanctitate fulget, & id dicit personæ, quæ nubere desiderat.

2. Hoc supposito † certum est quod, quum quis coniugum ex coniecturis humanis

probabiliter iudicauit, alterum obiisse, habeatque credulitatem prudentem bonaque fide contraxit cum secundo, quod adueniente primo marito, qui contra opinionem probabilem superuiuebat, iste nequit diuortari ciuilitè, nec vxorem dimittere, sed tenetur cum ea residere, etiamsi de secundo matrimonio filios habuerit, & non de primo; vnde minus quit, eam criminaliter accusare, est expressum in iure vtroque *cap. per bellicam cit. & leg. vxor 7. Cod. de repud. & lex Hispana cit.* ratio est perspicua, quia † in tali casu non est adulterium formaliter, cum non sit peccatum, à quo excusat credulitas prudens de morte mariti dum commiscetur marito secundo, imo si putans prudenter maritum mortuum si non nubat, sed alteri commisceatur, est peccatum mortale, & simplex fornicatio, non tamen adulterium, quia prudenter se solutam iudicat à legē viri, vnde propter hanc fornicationē non potest dimitti, quia per illam non fecit iniuriam marito, quum non habeat malitiā adulterij respectu prioris mariti, quod non committitur absque dolo; vnde certum est quod accedens ad cōiugatam iudicans probabiliter esse solutam vel inculpabiliter ignorans esse coniugatā, non potest puniri pœna adulteri, vt habetur *leg. 5. tit. 17. p. 7.* & tenet Castillo *leg. 8 2. Tauri, n. 8.* quæ omnia benè digessit Sanchez *lib. 10. disp. 5. num. 1 2.* † secundus tamen ma-

ritus, qui reipsa non est talis, sed putatiuus, si vxor sua etiam putatiua fornicetur cum ista fornicatio habeat malitiam adulterij, potest eā, & ciuilitè & criminaliter accusare, quod si alter maritus, lite pendente compareat, cessat omnino vtraque accusatio, quæ fundabatur in præsumptione, quæ euanuit patefacta veritate, vnde illud adulterium fuit tale coram Deo non tamen punitur pœna lata, vel à iure Canonico, vel ciuili, & † maritus secundus comparente primo, non habet ius ad accusandam foeminam, siue ciuilitè, siue criminaliter, quia iam amisit titulum mariti.

Maritus vero primus † etiamsi post sciat vxorem sub potestate posterioris mariti putatiui adulterium commisisse non potest eam repudiare, sed tenetur cum ea residere, quia cum ipse putaretur mortuus, illi non est illata iniuria fornicando, ita sensit Sanchez, *vbi supra num. 1 2. in fine*, sed ego de hoc valdè dubito, quia licet hæc fornicatio non sit infecta malitia adulterij, contra priorem maritum, qui mortuus iudicatur prudenter, vt diximus, tamē reipsa illicitè diuisit carnem suam cum alio fornicando, cum reipsa sit vna caro cum illo; ergo quamuis ignorantia facti excuset à malitia adulterij contra priorem

priorem maritum, iste potest iuste recusare, cohabitare, & residere cum illa, quia iniuste diuisit carnem suam cum alio, imo in hac illicita diuisione fundatur iniuria mariti, quare semper, quod prior maritus scit certo, quod vxor sua est fornicata, accrescit illi infamia si illi adiungatur, quæ se ab ipso illicitè diuisit re ipsa & cum alio facta est vna caro, & sic per talem fornicationem illicitam, matrimonium, quod re ipsa subsistit, polluit & ipse inhabilem se reddit, nisi ipsam reconciliet maritus sibi, etsi animum non habuerit marito, quem mortuum esse iudicat offendendi, argumento *ex leg. qui sacrum 45. dist. 50. cap. eos vero 42. eadem. ex Concilio Ancyrano cap. 22. & cap. si famina 43. ex Concilio Eliberitano cap. 5. & 9.*

7 † Circa secundum modum sciendi, quod maritus sit mortuus per reuelationem ab effectu licite contrahendi cum alio, mihi indubitatum est, quod hac reuelatio nisi sit approbata ab Ecclesia non generat credulitatem prudentem humanam, sed diabolicam illusionem, quare illi nullatenus assentiendum, etiamsi re ipsa veritatem dicat, quia quousque Ecclesia declaret veram esse talem reuelationem semper præsumitur diaboli, qui est Pater mendacij & illi nullatenus credendum ad effectum contrahendi matrimonium sicut non est credendum reuelationi, quod Religiosus solemniter professus matrimonium contrahat, quæ reuelatio, nunquam est probabilis cum opponatur legi vniuersali Ecclesiæ, vt alibi monstrauit. *tract. de delictis gener. suspect. in fide*

8 *Ref...* † quæ ratio etiam conuincit in præfenti cum sit lex Ecclesiæ, quod sine certo nuntio de morte mariti non possit secundum matrimonium celebrari, aut cum certitudine, aut probabilitate genita ex coniecturis humanis, & prudentibus, qualis nunquam censenda est, hæc reuelatio facta cuiunque etiam sanctitate fulgenti, nisi talis reuelatio sit approbata ab Ecclesia alias periculum est vt nouæ reuelationes quotidie fingantur, vel ad matrimonia contrahenda à religiosis professis, vel ad nouas doctrinas introducendas.

## §. V.

*Trutinatur quarta exceptio, si latenter cognita est ab alio sub specie viri lectum subintrante.*

## S V M M A R I V M.

1. Lecti subintratio adulteri sub specie & simulatione proprii viri quomodo fiat.
2. Multorum DD. opiniones afferuntur.

Hæc † lectuli subintrato adulteri sub specie, & simulatione proprii viri, vel fit ab aliquo homine, qui speciem mariti assumit, quæ sufficiat ad decipiendam fecundam, vel fit à Dæmone incubo, qui assumpto corpore aëreo, omnino similis marito in membris & loquela, & aliis circumstantiis apparet, ita vt simulet ossium duritiem, carnis molliciem, suauitatem, & teneritudinem partium, suaue caloris temperamentū, ita vt non solum visibilem se reddat marito similem, sed etiam teneritudine & aliis adibus palpabilem, vt tradunt Caiet. 2. 2. *quest. 95. art. 3. §. in eodem Delrio lib. 2. Magia qu. 28. sect. 1. & Tho. 1. p. quest. 51. art. 3. expositores cum Caiet. ibi,* quamuis enim ordinariè incubus non eam delectationem adferat, qualem adfert homo, vt tamen potest, si vult omni sua caliditate uti, eandem causare, aut paulo minorem, quia deficit illi concursus celestis, quæ iuuat ad delectationem, quam habent mox & fecunda in congressu, nam *sol & homo generant hominem*, Dæmon enim etiam in corpore assumpto, non subditur influxui celesti, etsi corpus, quum mouetur, quantum ad motum localem celo subsit, sicut cætera corpora.

## SVBRESOLVT. VI.

*Examinatur, de subintrante homine simili proprio marito.*

## S V M M A R I V M.

1. Duo veniunt notanda circa difficultatem de viro subintrante simili proprio marito.
2. Urbani II. sententia.

Igitur si agamus de illa quæ cognita est, ab alio homine sub specie viri sui lectum subintrante, in decreto est textus ex Concilio Triburiensi relatus, *in cap. in lectum 34. quest. 2.* vbi † duo statuuntur primum in lectum mariti absente vxore, soror ibi vxoris, quam ille putans vxorem suam esse, dormiuit cum ea, legitimum suum coniugium habere permittatur. Secundum, si ipse per securitatem verum, hoc probauerit, quod inscius fecerit hoc scelus, pœnitentiam quidem, quæ sibi inducta fuerit agat. Ratio primi est, quia bona fide accessit sicut Iacob accessit ad Lyam putans, esse Rachelem Genes. 29. num. 18. quæ bona fide sicut excusauit à culpa adulterij, & fornicationis, ita à diuortio, quod in pœnam illius est inductum à Christo, & notat Glossa *ibi,* quam sequuntur Canonistæ, quod secunda probatio

probatio huius ignorantiae est per iuramentum, quia testes esse non possunt de huiusmodi actu, *cap. extraordinaria. 35. quest. 3. vbi Glossa verb. sacramentis*, sed cur si iste excusatur à culpa, præcipitur, quod agat pœnitentiam sibi iniunctam? nam pœnitentia non imponitur Innocenti, nunquid Iacob meruit, vt ei pœnitentia iniungeretur propter inculpabilem accessum ad Lyam putans inuincibiliter esse Rachelem? *Glossa ibi. verbo. pœnitentiam. dicit hoc determinari ob maiorem cautelam, ne disciplina Ecclesiastica deferatur argumento ex cap. excommunicatorum. 23. quest. 5. quod est Urbani II. † ad Godefredum Lucanum Episcopum, vbi eos qui quosdam excommunicatos interfecerunt. Zelo Catholicae Ecclesie ardentis et si eos liberet ab homicidio, & non esse homicidas declaret, ne tamen eiusdem Matris Ecclesie disciplina deferatur, modum tamen congrua satisfactionis iniungere præcipit, si forte quid duplicitationis pro humana fragilitate in eodem flagitio incurrerint. Iacob autem speciali dispositione diuina id fecit.*

## SUBRESOLVT. VII.

*Perpenditur de Damone incubo.*

### SUMMARIUM.

1. *An cum daemon incubus ingreditur lectum vxoris nequeat maritus eam dimittere.*
2. *Multorum Doctorum sensus afferuntur.*
3. *An si femina ex Damone incubo qui semen fecundum intulit factum generet consentiens congressui Daemonis, possit dimitti.*
4. *Dubium venit dissoluendum.*
5. *Quis incubitus & succubitus non sit sufficiens ad diuortium.*
6. *Quò tendat matrimonium.*
7. *D. Caiet. sententia.*
8. *An Sodomia exercita cum vxore inuita non sit causa sufficiens diuortij perpetui.*
9. *Quæ non sit iusta causa diuortij ex Sanchez.*
10. *An oscula & tactus impudici etiam cum animo perueniendi ad adulterium habiti, eo non secuto, non sint causa diuortij.*
11. *An diuortium & vxoris dimissio non sit pena lata.*
12. *Authoris iudicium.*
13. *Abulensis sententia adducitur.*
14. *An per fornicationem & adulterium proprium solum prateratur id quod est secundum rationem rectam determinatum.*
15. *An sodomia non repugnet immediatè matrimonio.*

16. *Sodomita an semper abeant in carnem alteram.*
17. *In ordine ad diuersa principia distinguit species luxuria contra naturam S. Thomas.*
18. *Diuortium est pena statuta à Christo ob adulterium.*
19. *An propter vitium contra naturam procedi possit ad diuortium.*
20. *Qui actus dicatur libidinosus & non respiciat matrimonium.*

Circa secundum, quum † dæmon incubus ingreditur lectum vxoris, aut incubus lectum mariti, si sine culpa fit nequit vir dimittere vxorem, aut vxor virum propter eandem rationem, si tamen viro, aut vxore cōsentiente id fiat, (quam *quest. apud nullum disputatam legi*,) an vxor quæ rem habuit cum Dæmonio incubo possit à marito dimitti? & quidem congressus iste cum Dæmone dupliciter fieri potest. Primò, quod Dæmon corpus aëreum assumat, in quo sint virilia membra, euanida omnino, & solum deseruiat ad agitationem fœminæ, vt venus sua adimpleatur. Secundò, quod Dæmon semen humanum verum ad homine surripiat, & deferat ad os vuluæ, quod adhuc dupliciter fieri potest, aut taliter, quod ex illo semine allato à Diabolo fœtus concipiatur, quod fieri posse communis sententia adferat, † cum D. Thom. 1. p. *que. 51. artic. 3. & quest. 63. art. 4.* & alibi D. Aug. *lib. 3. de Trinit. ca. 5. Caiet. 2. 2. quest. 95. art. 3.* Scholastici in 2. *dist. 8. vbi Bonauent. art. 3. quest. 1.* Carthus. *quest. 2.* & latè profequitur Delrio *lib. 2. Magic. quest. 15.* & Serarius *ad cap. 6. Tobia. contra quendam Ambrosium Parcum lib. 34. de monstris cap. 16.* aut ex allato femine, quia euanidum & frigidum aduenit fœtus non generatur, intromittitur tamen in vulua fœminæ.

Et quidem † si fœmina ex Dæmonio incubo qui semen fecundum intulit fœtum generet consentiens cōgressui Dæmonis, nō dubito, quod dimitti possit, & quod filius genitus sit adulterinus, voluntariè enim fœmina mediante dæmone diuisit carnem suam cum alio, illo scilicet cuius est semen allatū, quamuis ipse inscius, & innocens sit & nullo modo peccauerit, sicut si mulier voluntariè se commisceat cum amente & nō habente rationis vsū, dubio procul dimitti potest, etiam si amens non peccauerit, si vero semen, quoad adfert Dæmon euanidum sit, & iam emortuum & incapax iam ad fœtum generandum non commiscetur fœminæ, nec fit vna caro cū illo cuius est semen, nec diuidit se in alium, sicut si habeat rem cum spadone, aut vir cum fœmina mortua, aut vir non seminet, etiam si penetret vas muliebre

muliebre, de omnibus enim istis pariter discurrendum est.

4 Maius dubium superest †, si Dæmon solum assumpta forma fœminæ sit succubus cum marito, aut assumpta forma viri sit incubus cum vxore, an propter istum incubitum & succubitum possit vir dimittere vxorem, & vxor virum, nullus quem viderim hoc punctum tetigit, quare ducendus est ex principibus vniuersalibus, nec enim casus est methaphysicus, & qui nō semel possit contingere, & eius doctrina ad praxim moralem deferuire, si enim iste congressus cum dæmone est sufficiens causa ad diuortium, nequibit in conscientia congregi alterum coniugem accusare ciuilitate aut criminaliter, nec acquirere dotem & alia bona, iuxta dicta in superioribus; si autem congressus iste non est sufficiens causa diuortij, vtique altero coniuge adulterante, poterit illum & ciuilitate & criminaliter accusare.

5 Igitur quod † iste incubitus & succubitus non sit sufficiens ad diuortium ex eo videtur probari, primū, quia incubitus & succubitus cum dæmone est congressus contra naturam, non secus ac pollutio etiam cum tertio, sodomia, & bestialitas, atqui isti congressus non sunt sufficientes vt vir dimittat vxorem, ergo nec incubitus cum Dæmone consequētia videtur manifesta, quia incubitus iste nō est aliud quā pollutio voluntaria, cum illo corpore aëreo ac si esset cum marmorea statua, ista autem pollutio non est sufficiens ad diuortium, & vxoris dimissionem, cum non diuidatur, quia per pollutionem non diuidatur caro mulieris in alium virum, cum quo non fit vna caro per seminum commixtionem, vt enim notat Sanch. lib. 10. disp. 4. num. 3. vers. ratio ergo legitima ex Soto in 4. dist. 36. quæst. unica vers. vtrum

6 & art. 4. immediate ante secundam concl. matrimonium eo tendit vt efficiantur coniuges vna caro nam erunt duo in carne vna, ille violat consummate, & perfecte fidem matrimonij, quæ carnem suam in alium, vel in aliam diuidit si sit vir, at caro non diuiditur nisi per seminum viri & mulieris commixtionem, quare pollutionem etiam cum tertio non esse sufficientem causam, vt vir dimittat vxorem, tenet multis citatis Sanchez num. 9. Sodomiam etiam propter eandem rationem non esse ad id sufficientem tenet Innocentius cap. 1. de adulteriis num. 1. dicens suo tempore esse communem, & sequuntur Abulensis ad c. 5. Matth. quæst. 233. & alij quos citat Sanchez.

Secundò, videtur expressa D. Caiet. 2. 2. quæst. 154. art. 12. §. ad primum dubium vers. quo circa dicentis † concubitus contra naturam cum aliena vxore consanguinea, & habente votum castitatis, non est proprie adulterium, nec

proprie incestus, quia omnes species luxurie naturalis significant deformationem in concubitu naturali sicut similitas curbitatem in naso, & propterea ex huiusmodi circumstantiis, non incurruntur pœna adulterorum, & incestuosorum, quid clarius? diuortium enim vt supra vidimus ex D. Thom. & certa sententia, est pœna adulterij, ergo celebrari nequit nec vir vxorem dimittere, in perpetuum propter sodomiam, & alia peccata luxurie contra naturam, nec etiam propter incubitum, & succubitum cum dæmone.

Tertiò, quia † Sodomia exercita cum vxore inuita non est causa sufficiens diuortij, nisi ad tempus quo vsque vir desistat à vicio illo pessimo, vt tenet Sanchez multis citatis num. 8. quia vir non diuidit per hanc copulam carnem suam in alium, atqui etiam si sodomia exerceatur cum alio ab vxore pariter non diuidit carnem suam eam vnā faciendo cum patiente, sed solum perdit semen debitum vxori, sicut perdit per pollutionem cum tertio, aut per molliciem, per quam non diuiditur in alium, cum non fiat cum illo vna caro, quia non fit commixtio, & vnio seminum in matrice fœminæ.

Quartò, quia vt bene Sanchez num. 14. non est † iusta causa diuortij & separationis à residentia coniugis concubitus intra vas cum fœmina, aut bestia mortuis, quia non est proprie fornicatio, nisi æquiuoce, sicut homo mortuus æquiuoce dicitur homo, & sicut concubitus cum statua mulieris, & sic non est vere diuisio carnis in aliam, ergo similiter incubitus, & succubitus cum dæmone.

Quintò, quia vt egregie probat idem Thom. Sanchez num. 12. † occula & tactus impudici etiam cum animo perueniendi ad adulterium habiti, eo non securo, non sunt causa diuortij, nisi ob alias circumstantias probatas, præsumatur adulterium præcessisse, imo num. 13. quod etiam si vas muliebre penetratur, si semen intra illud non emittitur non est causa iusta diuortij, nec ad dotis amissionem, quia fundamentum & radix diuortij est carnis in aliam diuisio, quæ in his casibus, non reperitur, ergo nec incubitus & succubitus cum Dæmone habitus.

Sexto, quia diuortium & vxoris dimissio & releuatio ab obligatione residentie, est pœna lata, at pœnæ tantum comprehendunt delicta ob quæ statuta sunt, non tamē alia quamuis grauiora, aut æque grauiora, quia pœnæ impositio omnino solum pendet à voluntate legislatoris illam taxante quæ voluntas est detrata ad hanc pœnam, propter hoc delictum, vt bene Castrolib. 1. de leg. penal. cap. 7. docum. 3. Molin. tom. 1. de iustit. tract. 2. disp. 176. §. quarto. Ergo quum diuortium

latum sit solum in pœnam, quia caro vxoris in aliam est diuisa, vbi ista diuisio non est, neque erit sufficiens causa diuortij & absentia à residentia matrimoniali.

12 Propter hæc existimo primo, quod † succubitus, aut incubitus dæmonis non est causa sufficiens ad diuortium perpetuum, siue vt coniux aliquis accusetur de adulterio, siue ciuilitè, siue criminalitè, ad dotis amissionem hoc ad minus probant manifestè ea quæ induximus fundamenta, dixi de adulterio, quia coniux qui scit alterum esse succubum, aut incubum tenetur denunciare sancto officio Inquisitionis, tanquam suspectum de fide.

Existimo secundo hos dæmonis carnales congressus esse sufficietem causam ad thori dimissionem, & ad hoc, quod denegetur ad tempus debium coniugale, vt fraterne corrigatur, qui sic congregitur cum dæmone; sicut etiam est sufficiens causa quodlibet peccatum carnale contra naturam, siue sit pollutio, siue sodomia, siue bestialitas, quæ non sufficiunt ad diuortium perpetuum & ad causationem criminalem siue ciuilem de adulterio, siue vt pœnæ debita adulteris infligantur. Hæc est expressa sententia Domini Caiet. loco cit. in argumento secundo, tenent doctissimus Aluarus Pelagius

13 de planctu Ecclesiæ lib. 2. art. 2. Abulensis vbi supra, qui ita fatur. *Non potest dimitti vir propter aliquod istorum, nisi fuerit vera fornicatio. Ratio est, quia Christus solum casum fornicationis posuit & accipitur ibi fornicatio pro adulterio, scilicet quum alter coniugum alicui extra matrimonium commiscetur, ista autem crimina predicta sunt deteriora, quam adulterium, & tamen non sunt adulterium, nec etiam repugnantur ita directè matrimonio per illa, sicut per adulterium.* Hæc ille & explicat Illustrissimus Petrus de Brixano Episcopus Cauriësis ad cap. 19. *Matth. quest. 25.* duplex fundamentum offert Abulensis. Primum, quia Christus solum posuit causam diuortij perpetui fornicationem propriam, quæ est adulterium proprium, at nullum peccatum contra naturam est propriè fornicatio, aut adulterium propriè, sicut nec est stuprum, aut incestus, ergo pœna adulterij propriij, illis non debet applicari, atqui priuatio iuris in corpus alterius est pœna à Christo lata; ergo solum propter adulterium proprium est infligenda, quia vt dicebam ex certa sententia, pœnâ lata nõ debet extendi ad aliud, quam ad id ad quod Legislator taxat, quod autem peccatum contra naturam etiam Sodomia, siue virorum inter se siue cum fœmina, siue fœminarũ inter sese non sit propriè fornicatio, neque adulterium est euidentis, sed est vitium contra naturam, vt probat Sanct. Thom. 2. 2. quest. 154. art. 12.

& ibi D. Caiet. quia † per fornicatione & a- 14  
dulterium proprium solum præteritur, id quod est secundum rationem rectam determinatum, ex præsuppositione tamen naturalium principiorum, at per peccatum & vitium contra naturam transgrediuntur principia determinata ad generationem, quod licet sit grauissimum, & turpissimum, violatur enim ipsa societas, quæ cum Deo nobis esse debet cum natura, cuius ipse est author libidinis peruersitate polluitur, vt ait Augustinus lib. 3. confess. cap. 8. & sic non est propriè fornicatio & adulterium, quod solum Christus in lege Euangelica causam perpetui diuortij.

Secundum fundamentum est, quia † licet Sodomia & alia repugnent principiis naturalibus generationis & sint luxuriæ libidinosa species, at non repugnat immediatè 15  
matrimonio quatenus per illud vir & vxor fiunt vna caro, ex vi cuius vir habet potestatem in corpus vxoris & ista in corpus mariti, quod ius non amittitur nisi per diuisionem huius vnitatis. Hæc autem diuisio non fit nisi per hoc quod vir cum altera & vxor cum altero fiat vna caro, quod tunc fit quum semen viri & vxoris commiscetur, vt egregiè adnotauit D. Caiet. art. 121 cit. *S. ego autem, vbi id mirabiliter enodat, dicens, quod sicut animatum componitur ex anima & corpore, ita semen ex virtute formatiua, & primo subiecto, & quoniam maris constat esse agere & fœminæ pati, constans est, quod principium actiuum ex parte maris sit semen, & primum principium passiuum ex parte fœminæ sit semen, & sic ex utroque fiat integrum semen.* Vnde semen vtriusque sitque vtriusque caro, vterque coniux per feminum commixtionem fiunt vna caro in ordine ad prolem generandam, quæ vnitas non aufertur per copulam sodomiticam, bestialitatem etiam inter viros, aut fœminas, vel cum alio, aut alia vel inter sese cum in hoc vitio non sit vnum semen factum ex actiuo viri, & passiuo fœminæ, & sic semper manet ius in viro ad corpus fœminæ sibi vnitum & nõ diuisum, &c. vnde † Sodomitæ semper abeunt 16  
*in carnem alteram*, vt ait B. Iudas Apostol. in sua Canonica n. 7. quia vt exponunt Glossa Interlinealis, & Ordinaria, Lyra, D. Th. œcumenius. Cornelius à Lapide, & omnes, *in carne altera, idest masculorum*, quæ est altera & indebita concubitu, caro enim viri & caro mulieris est vna, sed caro masculi est aliena & diuersa ab illo opere & quæ generationis gratia non prodest, aiunt Diuus Thomas & œcumenius, qui aliud magnum scelus enarrat ex Epiphano in Pannario, eorum qui semen proprium non in vuluam, sed in os mulieris immittebant, & latinè dicitur *fillare*, quod an sit species



species luxuriæ contra naturam alibi dixi.

- 17 Hinc est quod D. Thom. † in ordine ad diuersa principia distinguit species luxuriæ naturalis, & species luxuriæ contra naturam, has enim distinguit *art. 11.* ex diuerso modo repugantiæ ipsi ordini naturali venerei actus. Pollutio quia sine omni cōcubitu causæ delectationis venereæ procuratur. Bestialitas quia fit per concubitum ad rem non eiusdem speciei. Sodomia, quia fit per concubitum ad non debitum sexum, vt masculi ad masculum, & fœminæ ad fœminam, & tandem cum non seruatur modus concubendi, aut quantum ad instrumentum non debitum, aut quantum ad alios monstruosos & bestiales concubendi modos. **A**lt species naturalis luxuriæ distinguit *art. 1. eiusdem quest. 154.* in ordine ad finem matrimonij, quia non obseruantur debitæ conditiones, in ordine ad illud, vt generatio prolis fiat vt oportet, & concubitus maris, & fœminæ, qui est actus venereus licite fiat, vt supra explicatum est, vnde † cum diuortium sit pœna statuta à Christo ob adulterium, quia istud opponitur matrimonio directe, non concubitus contra naturam quod licet grauius sit quam pollutio & mollities non magis opponitur matrimonio quam ista, per vtrumque enim perditur semen quod lege matrimonij est vxoris ad generationem fœtus, sicut pollutio cū tertio vel mollities non est causa sufficiens perpetui diuortij, ita neque sodomia & ita intelligo D. Thom. *in 4. dist. 35. q. vnica art. 1.*
- 18 *ad 4.* dum absolute dicit quod † propter vitium contra naturam potest procedi ad diuortium intellige temporale, non perpetuum vt scilicet coniux hoc vitio laborante emendetur, & corrigatur, eodem modo intelligi possunt plures ex auctoribus, quos adducit Sanchez *num. 3.* quamuis enim omne vitium contra naturam inferat maiorem iniuriam, tum naturæ ipsi, tum auctori ipsius naturæ, non tamen infert maiorem iniuriam matrimonio vt falso putant auctores
- 19 contrarij, quia † est actus libidinosus, nullatenus respiciens matrimonium cum non sit ordinatus ad generationem prolis quam respicit matrimonium, vnde vitium contra naturam prout comprehendit mollitiem, sodomiam, fellationem, & bestialitatem, opponitur modo naturali concubendi prout abstrahit ab illicito, & licito, & species luxuriæ naturalis distinguuntur in ordine ad modum licitum, concubendi, qui solus est, per matrimonium, vnde vel omne vitium contra naturam debet esse sufficiens causa ad diuortium de quo loquitur Christus *Matth. 19.* vel nullus, primum non est verum ergo secundum adfirmandum.

## §. VI.

*Expenditur quinta exceptio, si fuerit vi oppressa ab aliquo.*

## S V M M A R I V M.

1. *An si vxor vi fuerit oppressa, cum sit libera à culpa, sit etiam libera à pœnis adulterij.*
2. *Ius indistinctè dicit vxorem non esse ream adulterij quæ fuit coacta.*
3. *Dubium venit dissoluendum.*
4. *An metus conditionalis excuset mulierem à pœnis adulterij.*
5. *An adulterium respectu legis non committatur sine dolo.*
6. *An non solum metus illatus excuset à pœna, sed etiam pudor.*
7. *An vbi requiritur dolus, culpa non sufficiat.*
8. *Authoris iudicium.*

**C**ertum est, quod † si vxor, tanta violentia sit oppressa, vt nullam libertatem oppressor ad resistendum, relinquat, quod cum sit libera à culpa, est etiam libera à pœnis adulterij *cap. ita cap. proposito. 3. 2. q. 5. leg. vim passam D. ad leg. Iuli. de adult.* quod intelligit Sanchez *disp. 5. cit. num. 14.* etiam si mulier causam dederit violentiæ, non credens marito monenti fugam, ne hostium aduentu vi opprimeretur, quia † ius indistinctè dicit non esse ream adulterij, quæ coacta fuit, & non potuit prohibere; quam doctrinam veram existimo de causa remota quæ proxima non influit in violentiam, & coactionem, secus vero si causa, & occasio in qua mulier se constituit sit proxima, se constituens in proximo periculo vt cogatur, nam voluntas, se constituendi in hac occasione proxima influit in coactionem, quare ista est voluntaria, & non coactio, & sic est rea adulterij, & sic ego intelligo Cantera. *in quest. crimin. tangentibus punitiōem delicti cap. 4. num. 49.*

Sed † dubium est an sicut excusat violentia, ita excuset metus cadens in constantem virum, vt metus mortis ita vt vir accusare, nec ciuilitate, nec criminaliter possit vxorē, quæ metu isto sinit se fornicari, eamque dimittere? & quidem quantum ad culpam certum est peccasse, quia metus etiam mortis non aufert voluntarium sufficiens ad peccatum, & prius debere mori millies, quam fornicationi consentire; quare solū est dubium quātū ad pœnā diuortij & absentiae à residentia matrimoniali. Adfirmat Sanchez *vbi supra num. 16.* multis citatis, sed ego contrarium verius existimo quod egregie docuit & confirmauit Syluester *verb. adulterium num. 10. quest. 9.* qui non est

est sibi contrarius *verb. diuortium quest. 9. dicto 4.* in quo loquitur de metu parentum & instantia consanguineorum, quæ non sunt cadentes in virum, aut fœminam constantem, sicut est timor mortis, qui licet non excuset à peccato adulterij, excusat tamen à pœnis iure ciuili & canonico inductis adulteris, quamuis possit diuortium celebrari quod est pœna posita à Christo Domino ob culpam adulterij, & quantum ad hoc non assentior Syluestro, sed communi sententiæ, quam cum multis tuetur Sanchez vt dixi.

Quia tamen Syluester ex sententia Canonistarum grauissime loquitur & efficaciter probat meam sententiã verba eius quibus argumenta valde vrgẽtia proponit hæc sunt, sic enim ait. *Nono v. † metus conditionalis excusat mulierem à pœnis adulterij? & dicit Panormitanus in consilio 4. quod incipit in facti contingentia. Quod si mulier est passa violentiam vi præcisa indubie pœnam pati non debet, quinimo neque ullam peccati maculam contraxit, sed si vis, aut metus fuit conditionalis, licet contraxerit peccatum, & digna sit aliqua pœnitentia, quia ad minus affuit aliquis consensus, pœnam tamen adulterij pati non debet, & sic dote priuari non debet, & consortio mariti, quod probatur expresse in leg. vim passam, & in leg. si uxor §. si quis el. segundo. D. de adulteris, & ratio est † quia adulterium respectu legis, non committitur sine dolo, licet interueniret aliqualis culpa, vt notabiliter probatur in leg. penult. D. de adult. Item est iuncta glossa final. 34. quest. 1. cap. in lectum & 15. quest. 1. cap. inebriauerunt, & iura procedunt in metu conditionali, vt apertissime sentit glossa 32. quest. 2. cap. proposito alias incipit Lucretiam.*

6 Addit autem Panormitanus † quod non solum metus illatus excusat à pœna adulterij sed etiã pudor & verecundia in clamando, maxime notis tempore à viro præsertim potenti oppressa, quia ibi cessat dolus qui requiritur ad pœnam adulterij incurrendam. Et hoc notabiliter probatur in dicto cap. Lucretiam iuncta glossa, & vera facti contingentia, quia illa Lucretia nobilis & pudica propter istam ignominiam, & confusionem vitandam exposuit se libidini filij Tarquinij Regis, neque fuit iudicata adultera ab Aug. viro Sanctiss. & doctissimo, sed de castitate mentis commendata, vt ibi intelligit glossa & bene, quod licet quoad Deum non fuerit immaculata, quia coacta voluntas non excusat in maleficiis, sed debet quis prius omnia mala pati, quam consentire peccato, tamen excussa fuit ab adulterio quoad pœnam legis, cum

7 non committatur sine dolo. Ad hæc quia † ubi requiritur dolus non sufficit culpa leg. 1. D. de sicar. notatur in leg. in act. D. de in luem iur. & leg. quod Nerua. D. de posit. ad incurrendum au-

tem pœnam adulterij requiritur dolus qui per metum excluditur, & ita videtur firmare Bartho. in d. leg. quod Nerua, & etiam quoad pœnã pecuniariam, lata culpa non aequiparatur dolo, ubi lex expresse dolum requirit, & idem sentit glossa in leg. magna negligentia D. de verb. sign. & sic licet hic non agatur criminaliter ad pœnam adulterij, ex quo tamen agitur ad pœnam non sufficit illa culpa sine dolo præsertim cum agatur ad grauem pœnam, vt scilicet perdat patrimonium suum, leg. 3. D. de min. Hactenus ibi, quam sententiã probabilem iudicat Sanch. n. 15. in fine.

Sed ego † vt dixi longe probabilior est de pœnis leg. ciuili & canonica, tamen de diuortio quoad ius reddendi debitum, quia quantum ad hoc potest dimitti à viro etiam petendo diuortium, tamen iudex si secundũ allegata est probata cognouerit vxorem metu graui coactam ad permittendum fornicationem, nequit sententiã legis illi applicare, neque dotem potest in conscientia retinere vir, & quidem huius sententiæ fuisse S. Aug. lib. 1. de ciuit. manifeste constabit legenti cap. 17. id que bene ostendit ibi Leonardus Coqueus, quare Sanchez nihil ad Aug. respondet, & ea quæ adducit contra nostram sententiã efficacia non sunt, quãuis enim secundum canones sit hoc adulterium, quia est culpa mortalis; ad pœnam legalem canonis non meretur, & magis standum est Aug. quam aliis.

## §. VII.

*Extrahatur sexta exceptio, si reconciliauerit eam sibi post adulterium perpetratum, carnaliter eam cognoscens.*

### S V M M A R I V M.

1. *Quæ reconciliatio possit fieri dupliciter.*

GRAUIS est hæc exceptio, & quæ in ordine ad obligationem residendi coniuges matrimonialiter plura continet scitu digna praxim concernentia & attigit vniuersa Thomas Sanchez lib. 10. disp. 14. etsi non in omnibus attigerit veritatem etsi consequenter ad sua loquatur principia, igitur † reconciliatio hæc dupliciter fieri potest aut expresse verbis, explanans qui est innocens quod condonat iniuriam sibi ab adulterio factam, quam adulter acceptat, aut fit factis reconciliatiuis amicitia; & amoris coniugalibus, vt copula; osculis, retentione maritali in domo cohabitando, & coresidendo in mensa, lecto, & aliis coniugum concernentibus affabili loquela, fœmina disponente quæ sibi obtingunt in dispositione familiaria, & viro quæ sibi incumbunt, factis enim non minus quam verbis animus indicatur leg.

*leg. si tamen. 48. ff. de Edil. edict. quamuis factis animus tacite monstratur, verbis autem expresse declaretur.*

## SVBRESOLVT. VIII.

*Vt adultera non possit accusari requiritur, quod innocens externo signo remittat iniuriam.*

## S V M M A R I V M.

1. *Ad hoc quod innocens possit accusare adulteram quid requiratur.*
2. *Licet per adulterium non dissoluatur matrimonium auferatur impedimentum quo adulter nequibat petere.*
3. *An sola voluntate interna mente retenta sufficiat, ut adulter liber à pœna lege statuta.*
4. *Quandonam innocens non possit ciuilitè aut criminalitè adulterum accusare in foro anime.*

**N**Oto primò, contra Thom. Sanchez ubi *suprà* n. 2. quod † ad hoc, quod innocens non possit accusare adulteram, siue ciuilitè, siue criminalitè, non sufficit, quod mētalitè & interius remittat iniuriam adultero, sed necessarium est, quod aliquo actu exterioris tacite, vel expresse se condonare iniuriam significet, ita quod si hanc voluntatem exterius non monstrat potest illam reuocare, & adulterum ciuilitè, & criminalitè accusare. Hoc mihi persuadeo, primò ex argumento quo vtitur ipse Sanchez, quia licet, quum ex mea cessione ius tertio acquiritur, nulla sit opus acceptatione huius tertij, sed sufficit cessio proprii iuris, vt constat in repudiatione hæreditatis, quæ eo ipso, quod repudietur etiã occultè obuenit substitutio, *leg. sicut maior. C. de repud. hæreditatis*, quamuis inquam non requiratur acceptatio substituti, qui statim acquirit ius ad hæreditatem repudiatam, ita vt hæres qui repudiavit non possit iam illam adire in conscientia eo ipso, quod exterius manifestauit repudiare, tamen quis vnquam dixit, quod si quis *sola mente*, repudiauerit hæreditatem repudium non manifestans exterius acquiritur ius tertio, & iam amplius non possit adire, qui fuit hæres constitutus, cum enim lex illa humana sit non respicit, imo nec respicit, imo nec respicere potest actum merè internum, vt constat in pœnis latis propter hæresim, quæ non incurruntur per hæresim mentalem, ergo idem dicendum est, in nostro casu, quod adultera non acquirit remissionem iniuriæ per solam condonationem factam sola mente nisi exterius sit pro palata.

Secundò, quia † licet per adulterium non dissoluatur vinculum matrimonij, nec extinguatur & euanescat radix petendi debitum & potestas licite coeundi etiam celebrato diuortio, sed solum manet potestas ista impedita per voluntatem innocentis volentis vt iure, quod habet ad dimittendam vxorem, eamque accusandi ciuilitè, & criminalitè, & sic eo ipso, quod innocens vult non vt iure diuortij auferatur impedimentum, quo adulter nequibat petere, quamuis inquam hoc, ita sit & hoc argumento probetur, quod non requiritur acceptatio huius remissionis, tamen omnino falsum est, quod † sola voluntate interna mente retenta sufficiat, vt adulter liber sit à pœna lege statuta, & vt innocens non possit mutans illam voluntatem ipsum nocentem accusare, tam ciuilitè, quam criminalitè & vt intelligatur reconciliatus innocentis, quia voluntas illa est merè interna nihil exterius causans, vnde non obligatur innocens adultero, vt non possit mutare illam voluntatem, qua etsi remittatur iniuria coram Deo, at per illam non renuntiat actioni iniuriarum in iudicio externo, tam ciuili, quam criminali verum tamen est quod, eo ipso, quod innocens serio exterius proferat se remittere iniuriam adultero, etiamsi iste non acceptet, quia absens fuit, vel quia non vult fateri acceptando, eo ipso † innocens in foro animæ nequit accusare ciuilitè, aut criminalitè, quia quamuis non possit probari remissio per testes, hoc est per accidens & ex vi prolationis externæ suam remissionem subiecit foro externo, sicut hæreticus quantumuis occultus, si tamen externè protulit hæresim pœnas hæreticorum incurrit, quia suum actum subiecit foro externo quamuis per accidens non potest probari.

## SVBRESOLVT. IX.

*Si exterius remittatur iniuria, etiam sine animo tenet remissum.*

## S V M M A R I V M.

1. *An si innocens exterius remisit adulterò iniuriam factam sine animo & voluntate illam remittendi, & sine animo illi reddendi debitum, talis condonatio obliget innocentem in foro conscientie.*
2. *An qui serio promittit nequit habere animum non se obligandi.*
3. *An qui fictè contraxit matrimonium teneatur ex iustitia auferre fictionem.*
4. *Quid ex traditis sequatur, & n. 5.*
6. *An ex vi promissionis acceptata teneatur quis in conscientia verba exterius prolata vera facere.*

7. Sanchez & aliorum sententia assertur.

- 1 **N**oto secundò, contra eundem Sanch. num. 3. quod si innocens interius remiserit adultero iniuriam factam sine animo & voluntate illam remittendi, & se obligandi ad reddendum debitum, si adulter exigat, & eam condonationem adulter acceptavit, talis condonatio obligat innocentem in foro conscientie. Ratio est perspicua, quia condonatio hæc & remissio iniurie, si serio fiat est quædam donatio, & promissio reddendi debitum coniugale, si adulter exigat, atqui donatio, & promissio acceptata à promissario parit obligationem iustitie sub mortali, ut ipse Thomas Sanch. adfirmat multis citatis l. 1. de matrim. disp. 5. à n. 20 & est hodie indubitata sententia contra Dianam & alios, qui contrarium ausi sūt
- 2 tueri; rursus ¶ qui serio promittit nequit habere animum & intentionem non se obligandi, sed eo ipso quod promittit necessario habet voluntatem se obligandi, verba enim externa promissiva ex natura sua acceptata à promissario naturalem inducunt obligationem faciendi, id quod promissum est, quam obligationem auferre à promissione externa non est in voluntate promittentis, quia non est in voluntate sua facere quod illa verba non sint vera, quia promissio vera, & fidelis est ex natura sua, quare ¶ qui fide contraxit matrimonium tenetur ex iustitia fictionem auferre, ita, qui fide promittit, tenetur ex iustitia fictionem promissionis auferre, & facere verba promissoria vera, sicut enim contractus de præsentibus exigit veritatem in verbis, & obligationem ex parte utriusque contrahentis ita promissio de futuro requirit veritatem in verbis & obligationem implendi promissum ex parte promittentis quæ obligatio imbibita est, eo ipso quod sit acceptata promissio, ut bene viderunt Vasq. de matrim. disp. 6. cap. 3. Ludovicus Turrianus de iust. & iur. disp. 64. dub. 15. quos citat & sequitur Legionens. l. 12. de matr. c. 2. & l. 2. t. 7.
- 4 Hinc est primò, quod ¶ si innocens coram testibus remissionem iniurie fecerit, adulter qui remissionem acceptavit, etiam si non habuerit animum se obligandi, iudex tenetur ferre sententiam in favorem nocentis iam indulti, & innocens tenetur in conscientia & lege iustitie adimplere promissum, quod non ex alio est, nisi quia tenetur verba sua vera facere iure naturæ, unde qui iurat se daturum aliquid sine animo adimplendi promissum periurus est, & testem adducit Deum in mendacium, non secus, ac in iuramento assertorio, & ita sicut in isto tenetur verba assertoria vera facere, ita & in promissorio.

Secundò, sit nullo modo posse licite in-

nocentem rogatum à iudice ad petitionem adulteri an fecerit condonationem iniurie, non posse inquam illam negare, etiam si non habuerit animum remittendi, cuius contrarium tenet Sanchez disp. 14. cit. num. 3. quia ( inquit ) illa condonatio est mere liberalis, nihilque innocens ab adultero accepit, ut teneatur fictam promissionem veram efficere, quo contractui stet, & æqualitas inter dantem & accipientem seruetur, & sic innocens potest negare se condonasse adultero, aut promississe reddere debitum, si exigat, hanc enim promissionem imbibit condonatio hæc, verum enim vero omnino falsam existimo hanc doctrinam & multis expositam fraudibus, cum enim ¶ ex vi promissionis acceptatæ teneatur in conscientia verba exterius prolata vera facere, & quod obligatur ex iustitia, neque ab hac obligatione aliis titulis releatur, sed ex eo solum quod non habuit animum se obligandi, cum hæc voluntas se obligandi sit imbibita in voluntate proferendi verba promissoria, utriusque illa voluntas non se obligandi fuit voluntas quædam inefficax, quæ non evertit voluntatem efficacissimam virtualemente se obligandi eo ipso quod efficaciter velit proferre verba promissoria, quæ si acceptentur, dubio procul parit obligationem iustitie, quare etsi condonatio hæc sit mere liberalis antè acceptationem, tamen post istam fit pactum, & sic transit ad obligationem iustitie, quam agnoscit forum externum, & sic eam debet agnoscere forum internum, quæ conformia sunt quum forum externum non nititur falsæ præsumptioni, ut late probat ipse Sanch. lib. 1. de matr. disp. 5. n. 20. versic. tandem & D. 7. Ioannes de Carro in opere satis erudito de hoc assumpto, ex Couarr. c. cum esses n. 7. de testam. rursus etsi innocens nihil accipiat ab adultero, non inde fit, quod non teneatur verba promissoria vera facere, etsi non habuerit intentionem se obligandi, sed potius contrariam, quia adulter ab illo accepit, & acceptavit promissionem & sic acquisivit ius iustitie, sicut ex donatione liberale accepit dominium rei donatæ, eo ipso quod acceptetur etsi donans habuerit animum non transferendi illud, in donatarium, eo ipso, quod habuit animum donandi in quo necessario imbibitur dominij translatio, & tenetur illi stare.

### SUBRESOLVT. X.

*Idem iudicium fertur si innocens habeat copulam cum adultero.*

### S V M M A R I V M.

1. *Quod iudicium feratur si innocens habeat copulam cum adultero.*

2. *Multorum*

2. *Multorum Doctorum sensus.*
3. *Qua condonatio etsi tacita sit, non fundetur in presumptione.*
4. *Portatio habitus professorum an non inducat professionem tacitam ex natura rei, sed ex iuris dispositione.*
5. *An copula solum causet presumptionem non remissionem.*
6. *An si quis habeat copulam cum adultero, & non habeat animum non dimittendi, iniuriam, inducat remissionem iniuriae etiam in foro conscientiae.*
7. *Legis Hispana verba afferuntur.*

**N**Oto tertio contra eundem Sanchez Num. 20. & 21. ubi asserit, quod etiam si coniux innocens carnaliter cognoscat adulterum, aut alios actus coniugales cum eo exerceat ( qui quales sint notatio. 4. dicam ) si tamen non habeat animum tunc condonandi iniuriam, sed habeat voluntatem oppositam scilicet non condonandi, non erit in foro conscientiae condonatio, sed innocens poterit in conscientia adulterum etiam carnaliter cognitum post adulterium patratum accusare ciuilitet, & criminaliter. Hæc sententia huius authoris etsi consequens sit ad eam quam impugnauimus, notat. 2. tamen in falsitate vnius falsitas alterius clarescit, quare si innocens carnaliter cognoscat adulterum, post adulterium patratum nequit in foro conscientiae adulterum dimittere & cum eo, non residere, aut accusare ciuilitet, aut criminaliter et hæc est expressa sententia D. Thom. in except. 6. quam enucleamus. Sanctus Bonaventura in 4. distinct. 32. art. 2. quest. 2. Sot. distinct. 36. quest. unica art. 3. post 3. conclus. Tabien. verb. matrim. 4. num. 2. vers. 6. Syluester verb. diuortium n. 11. q. 9. vers. 5. & est ferè omnium antiquorum, qui hoc vt certum supponunt.

Ratio huius verissimæ sententiæ manifesta est, quia et condonatio ista, etsi tacita sit dumtaxat, at non fundatur in presumptione, quod innocens habeat animum remittendi iniuriam, vt falso existimat Sanchez, sed fundatur in ipsa natura contractus matrimonij, quod ex natura sua ordinatur ad copulam, qua vterque coniux fit *vna caro & sunt duo in carne vna, & vir non habet potestatem sui corporis, sed vxor, & cætera*, per adulterium autem cum vnitas ista vtriusque coniugis diuisa sit, innocens habet ius, vt repellat à se per diuortium adulterum, iam à se diuisum cum alio, & sic potest illū accusare ciuilitet, & criminaliter, & cū illo non cohabitare, & residere, at eo ipso quod carnaliter adulterum cognoscat iam ex natura rei caro adulteri, quæ diuisa erat cū alio, iterū vnitur sibi, & diuisio cū alio ex natura rei excluditur, & sic ex natura rei matrimonium redu-

citur ad primum statum ante adulteriū, & sic quamuis innocens habeat voluntatē nō dimittendi iniuriam si carnaliter cognoscat adulteram ex natura rei iniuria dimissa est, quia ex natura rei factus est cū illo vna caro, & nemo potest carnem suam à se repellere, nisi sit diuisa, sed necessario, eo ipso, quod sit copula, est intentio efficax remittendi iniuriam, & voluntas non remittendi inefficax est, & voluntas nihil operans,

Secūdo id manifestè constat ex eo, quod fundamenta Sanchez friuole & inania sunt et portatio enim habitus professorum non inducit ex natura rei professionem tacitam, sed solum ex iuris dispositione, quod præsumit esse animum & voluntatē profitendi, at copula carnalis ex natura rei efficit vnā carnem duorum coniugum. Deinde si coniux necessitate compulsus violentiæ, aut metuscadentis in constantem virum carnaliter cognoscat adulteram non est visus remittere iniuriam, ergo si coniux carnaliter cognoscat sine violentia si habet animum nō remittendi, non est remissa iniuria ex natura rei, quare et copula solum causet presumptionem, non remissionem. Respōdetur hoc argumentū friuolum esse, quia eo ipso quod innocens cogatur ad copulam, non est libertas in dimittendo, quia non volūtariè fit vna caro, sed coactè, at si voluntariè copulā habet ex natura rei amicabiliter fit vna caro cum adultero, & sic ex natura rei posita copula voluntaria dimittitur iniuria adultero.

Id constat manifestè, quia et si quis habet copulā cum adultero, & non habeat animum non dimittendi iniuriā inducit remissionem iniuriæ etiam in foro conscientiae, vt fatetur ipse Sanchez, quod non ex alio dimanat, nisi quia copula voluntaria habet ex natura rei tacitam voluntatē remittendi iniuriam, quam non habet habitus professorum de portatio ad professionem tacitam, quæ requirit voluntatem positiuam profitendi, & assumendi statū religionis, sicut & ante Tridentinum copula inter sponfos eandem voluntatem positiuam requirebat, vt fieret matrimonium, & non sufficiebat negatiuè se habere; ergo si sufficit quod innocens negatiuè se habeat, copula ex natura rei remittit iniuriam, si amicabilis sit, & voluntaria, & animo coniugali facta, vt fit eo ipso quod volūtariè fiat, secus autē si coactè, quare implicat quod voluntariè & coniugaliter fiat, & quod innocens habeat animum expressum non dimittendi iniuriā. Hoc paucis decidit Hispana lex 8. tit. 17. p. 7. dicens cur vxor adultera non possit accusari eo ipso quod in cōsortio maritali eā retinuit. *Si despus que la muger ha hecho el adulterio la recibe su marido en su lecho y latiene en su casa como su muger nola podrá despus acusar,*

ea p̄es que así la acogio en su casa, entienda se que la perdono. quæ vltima verba non præsumptionem, vt vult Sanchez sine fundamento designant, sed potius necessariam condonationem adulterij, quæ necessario consequitur ex eo, quod *latiene en su techo y la recibe en su casa como su muger*, hoc enim posito, *entiende se que la perdono*, non dicitur, præsumitur, sed intelligitur quasi necessario illatum ex priori.

### SVBRESOLVT. XI.

*Qui sint actus, quos si faciat innocens censetur remittere iniuriam?*

#### S V M M A R I V M.

1. Duo genera actuum matrimonialium admittuntur.
2. Horum generum conuenientia.
3. Inter hæc duo genera discrimen intercedit.
4. An non sit condonatio quum vxor reddit debitum viro adultero.
5. Glossæ sensus affertur.
6. Ratio difficultatis.
7. Quid ex traditis sit deducendum.
8. Est reconciliatio quum retenta fuit vxor post adulterium manifestè à viro deprehensum, ex S. Thom.

**N**Oto quartò, duo esse genera actuum matrimonialium, quæ si fiant ab innocente ex animo coniugali, censetur remittere iniuriam adulterij, ita vt non possit in conscientia adulterum dimittere, aut accusare ciuilitè, seu criminalitè. Primum genus est cohabitatio & residentia in eadem domo, mensa, ludo, & similibus. Secundum genus est eorum qui sunt præambuli ad copulam cõiugalè, vt oscula, amplexus, tactus partium interiorũ, & ipsa copula coniugalis. † Inter quæ duo genera hæc est conuenientia quæ si fiant affectu maritali qualem habent coniuges inter sese nullo modo potest innocens dimittere adulterum, sed in conscientia tenetur cum illo cohabitare & residere, quia omnes hi actus quatenus ex coniugali affectu dimanant, inducunt reconciliationem adulteri, & iniuriæ remissionem, vt constat ex lege Hispana cuius verba supra dedi, quæ videntur desumpta ex *leg. quesitum. 40. §. item queritur, ff. ad leg. iulian. de Adulter. & leg. crimen. 11. Cod. eodem.* horum rationem dedit Iuriconsultus, *leg. si vxor 13. §. final. ff. ad legem Iulian. de Adulteriis.* quia eo ipso, quod vxor reducatur & coniugali affectu tractetur ducendo eam in contrarium, maritalè aboleuit adulterium, quia sero mores accusat,

quos vxorem ad consortium maritalè ducens, probauit.

Sed est † inter hæc duo genera actuum notandum discrimen, quia primi generis actus si attendantur i coram natura sunt adiophori, & indrentes ad significandum affectum maritalè, & reconciliationem, quare, vt eam significant exigitur imperium affectus coniugalis, sine quo non significant amicitiam & reconciliationem, quare quod eam significant est præsumptio iuris, at secundi generis actus tales sunt ex natura sua ex qua ordinantur ad congressum maritalè, quod ex natura rei amicitiam & reconciliationem denotant, non ex præsumptione, quare eo ipso, quod innocens non coactus aliqua necessitate etiam honestæ utilitatis, & consuetudinis eos excusat, nequit in conscientia dimittere adulterum, quia eum ex vi talium actuum sibi reconciliat, & remittit iniuriam adulterij.

Sed notanda est optima doctrina Soti. *in 4. dist. 36. quest. vnic. art. 1. in fin. corp. casu 6.* quam approbat & sequitur Thomas Sanchez *num. 15.* † non esse condonationem quum vxor reddit debitum viro adultero graui eius metu perculsa, quia cessat liberalitas, quæ exigatur in condonatione iniuriæ, quam liberalitatem excludit non solum metus illatus, sed apprehensio vxoris, quæ reddat debitum marito adultero, quem terribilem & malæ digestionis virum agnoscit, quare rationabiliter timet, ne nisi debitum neget malè tractetur. Imo non requiritur, quod metus iste sit cadens in constantem fœminam, sed satis est, quod sit metus non vanus, sed alicuius mali grauis inferendi ab extrinseca violentia mariti, aut consanguineorum, aut amicorum ipsius. Vnde † Glossa *instit. de iniuriis, §. fin. verb. dissimulat.* dicit iniuriam remitti quum eam passus simul risit, vel comedit, vel lusit cum illatore iniuriæ, quum ij actus sunt omnino spontanei, secus si ex quadam necessitate honestatis effecti sunt, vt si ambo coniuges ab aliquo inuitati eidem mensæ accumbere, vel in Ecclesia osculum pacis mutuo salutati sunt, quia in vtroque casu necessitate honestatis compulsi, id egere, neque salua honestate id declinare potuerunt. Idem esset iudicium si coniux constrictus à iudice Ecclesiastico pœnis temporalibus, & censuris reddat debitum adultero.

Ratio omnium horum est desumpta ex his quæ late dixi, *tom. 5. de Martyrio fidei contra Raynaudum, & alios inuentiones restrictionis mentalis*, qua vocum & factorum significatio alteratur, limitatur, & coarctatur iuxta arbitrium loquentis, quam restrictionem mentalem vocum, nullatenus licere ni fallor manifestè ostendi,

ostendi, sicut neque æquiocationem & amphybologiam nominum, nisi quando ex aliqua circumstantia extrinseca potest colligi id quod mente retinetur, alias enim duplicitas cordis mendacium & proximi iniusta deceptio vitari nequit, ita in præsentis contingit oscula, & congressus carnis habitum cum adultero ex natura sua denotant amicitiam, & reconciliationem, eius qui iniuriam intulit, nisi adsit aliqua circumstantia exterior, quæ impediatur hanc significationem, amicabilemque reconciliationem, quæ circumstantia est aliqua necessitas, siue honestatis, siue utilitatis siue imperij iudicis, qua posita alterantur signa reconciliationis, remissionis, iniuriæ, & condonationis, quam sine his circumstantiis externis, ex natura rei significant; unde fit quod si coniux innocens adulterum dimittat, si iterum reducat ad consortium in eadem domo, & conuictu mensæ, & rei familiaris nulla coactus necessitate ex tali reductione, condonatio colligitur, cum sit apertum signum pacis initæ, vt bene Barbosa leg. 2. part. 1. numer. 100. *D. soluto matrimo.*

- 7 Ex quo fit quod si adulterium publicum sit ita, vt probari possit ab innocente, si iste adulterum domi retineat, sicut antea in consortio maritali, & residentia mutua, quamuis non reddat debitum; aut exigat, censetur condonare iniuriam, si enim adulterium occultum est, retentio non est spontanea, sed ex præcepto atque ita non est condonatio iniuriæ, cum eam retineat, vel ad vitandum scandalum, litem, vel quia nequit commodè fugere in terras longinquas, vel ob alias rationes, quæ necessitatem aliquam inducunt, & sic intelligo D. Tho. 1. ad Cor. 7. lect. 2. dicentem quod esse reconciliationem, quam retenta fuit vxor post adulterium manifestè à viro deprehensum, ita vt adulterium probari possit, vel vir possit absque aliquo incommodo absentari, & aliò diuertì, si enim potest hoc facere, & nihilominus adulteram retineat, & cum ea resideat, dubio procul condonare intelligitur, & hic est sensus D. Tho. nisi breui tempore retineat, expectans opportunitatem, vel absentandi se ab adultero, vel petendi coram iudice diuortium.

§. VIII.

*Declaratur septima exceptio, si matrimonio in infidelitate vtriusque contracto, vir dederit uxori libellum repudiij, & vxor alteri nupsit, tunc enim si vtrique conuertantur, tenetur eam vir recipere.*

S V M M A R I V M.

1. *Vxorum multiplicitas est contra ius natura.*  
Tom. II.

2. *S. Augustini sententia assertur.*
3. *Quid veniat notandum à Catechistis.*
4. *Concily Eliberitani decretum, & numero 5. & 6.*
7. *S. Doctoris opinio assertur.*
8. *Si vxor repudiata sit & ista alteri nupsit, matrimonium secundum nullum est.*
9. *Authoris iudicium & n. 10. 11. 12.*

**A**B hac exceptione breuiter me expediam, rara est enim illius praxis. Igitur duo sunt certa apud Catholicos scriptores ex quibus exceptio ista euidenter colligitur. Primum quod quod vxorum multiplicitas est contra ius naturæ. Secundum quod libellus repudiij etsi apud Hebræos non solum fuerit permissum, sed licitum tamen hoc fuit ex diuina dispensatione, quæ tacite fuit diffusa, etiam ad alios gentiles, tamen sine dispensatione libellus repudiij, quantum ad solutionem vinculi matrimonialis & liber maneret vir ad aliam ducendam est contra ius naturæ, quod Christus Dominus declarauit *Math. 19.* reducens insolubilitatem matrimonij & mutuam coniugum inseparabilem residentiam ad primæuum eius statum, & vt ius naturæ exigebat, abstulitque omnem dispensationem quoad solutionem huius vinculi traditam Hebræis, atque gentilibus, & sic nulli horum licet intra Hæbraismum, & gentilitatem relicta prima vxore aliam validè ducere, aut fœminæ secundas nuptias viuente primo, cum alio contrahere, sic determinauit Innocentius III. *cap. gaudemus de diuort.* ibi, *qui autem secundum ritum suum legitimam repudiavit uxorem cum tale repudium veritas in Euangelio reprobauerit, nunquam ea viuente potest aliam, etiam ad Christi fidem conuersus habere.*

Quod ante dixerat Aug. *lib. 1. de fide & operibus cap. 1.* loquens de gentilibus, qui ad Baptismum venientes primis vxoribus dimissis alias ducebant, & cætera, quod reprehendit S. Doctor, *quia hæc non coniugia, sed adulteria esse Dominus Iesus Christus sine aliqua dubitatione testatur,* quod latè prosequitur *cap. 19.* contra quasdam Ecclesias in quibus in Catechismis cõpetentium ante Baptismum hoc non inquirebatur, neque reprehendebatur, ex qua negligentia ortum fuit, quod licitum esse defenderetur, quod Aug. nullatenus defendi posse rectè iudicat, quare aliquarum Ecclesiarum in Affrica reprehendit negligentiam, quia in Cathecumenis non inquirebant an alter coniux infidelis vellet cohabitare, sine iniuria Creatoris, si enim nollet sine ea viuere, poterat conuersus ad secundas nuptias transire, si autem vellet sine Dei iniuria secum residere, & cohabitare, nequibat illo viuente con-

trahere secundo, & hanc doctrinam Catholicam, non explicabant Catechistæ baptizandis, ob quam negligentiam multi secundas contrahebant nuptias, imo & defēdentes eas licitas esse, eo ipso, quod alter maneret in infidelitate, volens cohabitare cum conuerso, sine Creatoris iniuria, quod defēdi non posse Catholicè dicit Augustinus.

3 Videant, ergo † qua conscientia Catechistæ in quadam Prouincia noui orbis obligationem non habendi duas vxores, & repudiandi in publico noluerunt, prædicare per duos annos, & solum eos qui erant in periculo vitæ de veritate instruebant, non vero alios, quare intra duos annos baptizabant Indos habentes plures vxores, & repudiantes legitimas, hoc enim iuxta Aug. Catholicam doctrinam fieri nulla ratione potest, cum cognitio legis naturalis ad Euangelium præmitti debet & contrarium damnabilis negligentia est, & omisio Diabolica non secus ac non prædicare Christum crucifixum illa doctrina de silentio licito circa sextum mandatum legis naturalis, inuenietur in libro cuius titulus est. *Conquista spiritual del Paraguay, §. 11.*

4 Hinc datur noua lux decreto Concilij Eliberitani, *Canon. 10.* vbi sic fantes Hispani Patres Doctissimi, *si eam quam Cathecumenus reliquit, duxerit maritum poterit ad fontem lauacri admitti. Hoc & circa fæminas Cathecumenas erit obseruandum.* Varias huius Canonis interpretationes adducit Basilius Legionens. *lib. 7. cap. 50. num. 4.* quod loquatur Concilium de Cathecumena ægotante, quæ constituta in extremo vitæ periculo, baptizari potest, etiam si non instruat de marito secundo deserendo viuente primo, si tamen pœnituerit de adulterio, sed voluntaria expositio. Deinde dicit, quod loquitur Concil. quū non conuersus, non vult cohabitare sine iniuria Creatoris, sed non placet, quia ibi loquitur Concil. de ea quæ Cathecumenus reliquit, at Cathecumenus dubio procul vellet cū illa sine iniuria Creatoris cohabitare, quare vera intelligentia est Patres Eliberitanos loqui de Cathecumeni prima vxore, quam reliquit in infidelitate, dū competens fieret & ipsa alium maritum sibi copulauit, cum iniuria primi, qui Cathecumenus est, hanc dicit admittendam ad baptismum, non obstante, quod secundus maritus sit viuus, quia iste non maritus, sed adulter est & eius matrimonium adulterium est, quare Cathecumeno restituenda, & secundus maritus repellendus.

7 Ex quibus colligitur clara enucleatio exceptionis, quam † D. Thom. in duplici solutione duplicis argumenti posuit in 4 dist. 39. *quest. vnic. artic. 3. ad 4.* dicendum, quod habere plures vxores est contra legem naturæ, vt

suprà dist. 33. dictum est, cui etiam infideles sunt adstricti, & ideo non est verum matrimonium infidelis nisi cum illa cum qua primo contraxit, vnde si ipse cum omnibus suis vxoribus conuertatur potest cum prima cohabitare, & alias debet abicere, si autem prima conuerti noluerit, & aliqua aliarum conuertatur idem ius habet contrahendi cum illa de nouo, quod cum alia haberet, & ad 5. dicendum, quod repudium vxoris, vt supra dictum est, est contra legem naturæ, vnde non licet infideli vxorem repudiare, & ideo si conuertatur, postquam vna repudiata, alteram duxit, idem iudicium est de hoc & de illo, qui plures vxores habebat, quia tenetur primam quam repudiarat accipere si conuerti voluerit & aliam abicere.


8 Quæ doctrina S. D. indubitata est apud Catholicos, vt dixi si vxor prima repudiata sit, & ista alteri nupserit matrimonium secundum nullum, & iure naturæ est adulterium non connubium, vt dicebat August. cur ergo tenetur vir si tam ipse, quam vxor conuertatur eam recipere, quamuis enim teneatur aliam non ducere viuente prima, & quod teneatur cum ea cohabitare, cum ex Christi Domini declaratione possit dimittere vxorem propter fornicationem, at ista repudiata verè fornicatur & mortaliter peccat alteri nubendo, quia quamuis in aliqua posset esse ignorantia inuincibilis excusans à mortali, tamen post promulgatam per totum vniuersum legem Christi ignorantia huius præcepti, quæ sit inuincibilis, nequit esse vniuersalis, vnde si vir, qui vxorem repudiavit, quæ existens infidelitati alteri nupserit, vir inquam aliam non duxit, (nam si duxit compensantur delicta mutuo adultero) etiam si prima vxor conuertatur, non videtur obligare ad cohabitandum cum illa.

9 Sed hoc non obstante dico, † quod non solum tenetur prima vxore viuente aliam non ducere, sed etiam eo ipso, quod libellum repudij dedit, si vterque conuertatur tenetur recipere primam vxorem & cum illa cohabitare & residere, ita definitur, *cap. Gaudemus de dinort.* & ratio est, quia eo ipso, quod libellum repudij dedit etiam concessit vxori, vt alteri, si vellet nuberet, vnde quamuis re ipsa adulterium committat vxor, & nullum fuerit secundum matrimonium, tamen vir non habet ius, si vxor conuertatur cognita veritate legis Euangelicæ, vt illam dimittat, quia ipse in causa fuit, vt alteri nuberet & adulteraretur, cum licentiam dederit, vt vxor prostitueretur alteri, vt dixi §. 2. Hinc est, quod licet *Codi. Instit. titul. 17. lib. 5. leg. licet. 6. & leg. consens. 8. & leg. si constante. 9.* libellus repudij fuerit impunè permissus, non tamen licitè, quia contra

ius



ius naturæ sicut permittuntur meretrices, ad maiora mala vitanda, has tamen leges Iustiniani libellum repudij permittentes, nequit Pontifex lege sua permittere tanquam Pontifex qui vt sic, omne peccatum tenetur prohibere, cum sit animarum nostrarum vniuersalis Pastor de illis redditurus rationem Deo, attamen tanquam Princeps politicus possit libellum repudij permittere, sicut etiam permittit meretrices in tota Ecclesia non quidem lege statuens quod sint, sed non prohibens, quod sint: existimo nullo modo, id posse neque aliquem Principem Catholicum, quia ex libello repudij maiora damna sequerentur, quam vitarentur, quare semper in Ecclesia receptum est, quod homo non separet, quod Deus coniunxit. Vnde Tridenti. sess. 24. canon. 5. definit, si quis dixerit propter hæresim, aut molestantam cohabitationem, aut affectatam absentiam à coniuge dissolui posse matrimonij vinculum, anathema sit, quibus verbis libellum repudij inter Christianos prorsus exterminat, & eliminat, vnde nullus Princeps Catholicus potest illum impune permittere, etsi permittat Pontifex tenetur cohibere, vtpote cum sit contra legem Christi, & bonum Sacramenti.



RESOLVTIO V.

Quæ causæ sint iusti diuortij, excusantes à residentia matrimoniali?

**S** A C R O-Sancta Trident. Synodus sess. 24. can. 8. definit si quis dixerit Ecclesiam errare cum ob multas causas separationem inter coniuges, quoad thorum, seu quoad cohabitationem ad certum incertumve tempus fieri posse decernit, anathema sit. Quare hæreticus est qui adfirmat non esse licitum diuortium inter coniuges nisi ob fornicationem carnalem quam Christus expressit Matth. 19. sunt etenim plures aliæ, vt fornicatio spiritualis, qualis est hæresis & infidelitas quæ breuiter examinandæ sunt in hac resolutione.

§. I.

De fornicatione spirituali quæ est Apostasia à fide Catholica.

S V M M A R I V M.

1. Apostasia latius patet à fide quam hæresis.

2. An non sit licitum diuortium inter duos ex eo quod alter sit lepra infectus.
3. An diuortium ob hæresim, aut alias causas quæ impellunt ad coniugum separationem ex natura sua non sit perpetuum.
4. Alexandri III. sensus assertur.
5. Quandonam diuortium non sit verum.
6. An celebrato diuortio non ob adulterium, sed ob alias causas non possit inuito coniuge alter conuolare ad religionem, ibique professionem emittere.
7. An propter hæresim externam possit vnus coniux alterum dimittere.
8. Nomen fornicatio vnde sit desumptum.
9. Exceptam facit dominus causam fornicationis.
10. S. Augustini mens adducitur.
11. An propter hæresim quæ est fornicatio spiritualis liceat dimittere uxorem.
12. S. Doctoris sensus assertur.
13. An sub fornicationis nomine hæresis comprehendatur.
14. Fornicatio est directe contra bona matrimonij, ex S. Doct.
15. An causa diuortij per hæresim non sit proxima propter animæ periculum.
16. Quodnam ius perpetui diuortij possit facere Ecclesia coniugi Catholico.
17. Pæna diuortij perpetui imponi nequit ab homine.
18. An mulier pro furto, vel alio crimine viri sui, ab eo separari non debeat.
19. Glossæ sensus adducitur.
20. An Ecclesia propter fornicationem spirituales possit dare in pænam perpetuum diuortium.

**L** Atius patet † Apostasia à fide, quam hæresis, illa enim continet infidelitatem, Iudaismum, & hæresim quare in titulo solum posuit Apostasiam à fide Catholica post contractum matrimonium, nam antequam contrahatur infidelitas, & disparitas cultus impedimentum est dirimens matrimonialem residentiam, hæresis vero, an dirimat vel impediatur, dicam §. 2. Hic autem solum examinabo, an Apostasia à fide Catholica, quæ est spiritualis fornicatio sit sufficiens causa ad diuortium faciendum, quoad thorum & residentiam matrimonialem?

Sed antequam difficultas hæc æqua lance trutinetur, ponderandum est argumentum, quod fecit Kemnitius, vt probaret Ecclesiam errare, dum absentiam à residentia matrimoniali & diuortium concedit ob aliam causam, quam fornicationis corporalis, arguit enim Hæreticus, quia Christus Dominus dixit solum esse licitum diuortium ob fornicationem carnalem,

ex quo testimonio concludit Alexand. III.   
 2 *cap. 2. de coniugio lepros.* non esse licitum diuortium inter duos, ex eo quod alter sit lepra infectus, sed contra hunc Hæreticum definiuit Tridentinum, *cano. 8. cit.* Quare responderetur hoc argumentum nullius ponderis esse, sed prorsus inane, & illius est adæquatissima, & sola solutio, in qua aliæ omnes quæ adduci possunt solidantur, & firmanur, Christum Dominum loqui de diuortio ex natura rei perpetuo, Ecclesia tamē dum ob alias rationes diuortium celebrat, non est perpetuum ex natura sua, sed quandiu subsistit ratio, quæ ad separationem, & absentiam à residentia, & consortio maritali impulit. Igitur diuortium ob fornicationem carnalem ex natura sua, perpetuum, quia oritur ex læsione ipsius matrimonij, quatenus est mutua coniunctio duorum in vna fide matrimoniali, quæ violata est, & hæc perpetua est iure naturæ, & diuino, & sic diuortium ob fornicationem carnalem perpetuum est in pœnam fractionis fidei matrimonialis, quare celebratur etiam inuito coniuge fornicante. † Ast diuortium ob hære-   
 3 sim, aut alia crimina aut causas, quæ impellunt ad coniugum separationem à mutuo consortio, & residentia ex natura sua non est perpetuum, sed quandiu durat causa diuortij, quæ obstabat incolumitati animæ & corporis, quare consortium maritalis incipit esse damnosum, & sic quandiu est periculum infectionis animæ ratione peccati, vel corporis ratione infirmitatis contagiosæ, aut valdè molestæ exercitio maritali potest esse diuortium, & licitè celebratur ab Ecclesia, causa tamen & periculo hoc cessante ex natura rei iure matrimonij & residentia maritalis cessat diuortium, neque tuto possunt permanere coniuges separati à consortio, & residentia cuius obligatio solum suspensa erat, non ablata sicut in diuortio ob fornicationem carnalem, quod cum perpetuum sit, obligatio ad residendum matrimonialiter fornicatione ipsa absorpta est, nisi per cōdonationem iniuriæ matrimonij iura ad pristinum statum reducantur, & huius perpetui diuortij non est causa lepra   
 4 coniugis, & hoc † vult inducere Alexander III. non tamen negat, quod sit causa diuortij ad tempus, siue certum, siue incertum, quia durabit quandiu durabit lepra, vel alia causa contagij spiritualis, aut temporalis.

Nisi velis dicere, quod Alexander loquatur de vero & proprio diuortio quale solum est, quod ex natura sua est perpetua separatio vnius coniugis ab alio. Diuortium enim in sua propria notione, est iuxta quam, vt habetur, *leg. diuortium 3. ff. de diuortijs*, teste   
 5 Paulo Iuriconsulto. † Diuortium non est

verum nisi quando animo perpetuam constituendi dissensionem fit, qualem animum nequit habere coniux dum separatur à coniuge ob aliam causam quamcumque, nisi ob fornicationem carnalem, alia vero quælibet causa ex natura rei non est perpetua, & ita nequeunt qui diuortiantur animum habere perpetuam constituendi dissensionem, & separationem, nisi quandiu durat causa, quæ causare potest contagium & periculum animæ, aut corporis, & sic non est propriè diuortium de quo loquitur Alexander III. sed est quædam separatio & absentia ad tempus, siue incertum, siue certum ob periculum contagij, ob quod etiam inter coniunctissimos licitus est recessus, vt late dicam dum tractem *de residentia tempore pestis, famis & belli.*

Ex qua doctrina constat benè me respondere noluisse consultum, † an celebrato diuortio non ob adulterium, sed ob alias causas, non posse inuito coniuge alterum conuolare ad Religionem, ibique professionem emittere, ratio est, quia cum hoc diuortium non sit ex natura sua perpetuum, sicut illud, quod sit causa fornicationis, sed est temporale, etsi ad incertum tempus, diuortium autem, quod causatur ob professionem solemnem perpetuum sit, celebrari nequit nisi consentiente vxore, aut marito, quod si consentiat, nequit in sæculo manere, si sit iuuenis, aut periculum habeat incontinentiæ, etsi hoc periculum non adsit, & sit senex, tenetur votum continentiæ emittere, vt est certum in iure, quam vt mox dicam ob hæresim, & alia delicta possit Ecclesia in pœnam eorum priuare, in perpetuum hæretico etiam si repiscat priuare consortio & residentia matrimoniali cum alio innocente, ita vt iste nullatenus teneatur cum illo reside-   
 6 re.

Igitur veritas inter omnes Catholicos recepta, quod † propter hæresim exter-   
 7 nam potest vnus coniux alterum dimittere, quamuis vinculum matrimonij semper maneat insolubile, vt definit Trid. *sess. 24. cano. 5.* & quod propter hæresim dimitti possit coniux etiam definitum est, *cap. fin. de conuers. coniug. cap. 2. & cap. quarto de diuortijs cap. idololatria 28. qu. 1.* & constat ex Scriptura *ad Titum cap. 3. num. .... hereticum hominem post vnam & secundam correctionem de vita.* vbi Apostolus nullum excipit, sed omnem, siue Patrem, siue coniugem comprehendit. Ita omnes Scriptores Catholici, neque est immorandum in eorum citatione.

Sed huius decisionis rationem non omnes eandem assignant, quia Christus Dominus dum *Matth. 5. & 19.* concessit diuortium propter fornicationem in sensu   
 8 literalis,

litterali, non solum intelligitur fornicatio carnalis, sed etiam spiritualis, quæ immediate opponitur dispensationi, quam per fidem facimus cum Deo *osea 2. n. .... desponsa-*  
 8 *bo te mihi per fidem*, quamuis enim † nomen fornicatio sit desumptum, tanquam à quò à fornicatione carnali, quia sub fornicibus fiebat, cum etiã idololatria fieret sæpius sub fornicibus, & in locis occultis etiam fornicatio spiritualis dicitur, quamuis autem Christus ad litteram loquatur de fornicatione carnali, tamẽ etiã secundũ sensũ litteralem loquitur de fornicatione spirituali; quia nomen fornicatio vtrumque significat in scriptura, quare in vtraque significatione vsus est Christus in sensu litterali, hæresis enim & idololatria maiori cum proprietate dicitur mæchia, & fornicatio, quam omnia alia crimina, quæ fornicationes dicuntur latissimo modo *cap. non solum 6. 28. q. 1. & ibi Glossa verb. simulachrũ & cap. idololatria. 5. eadem*, quod est August. *in serm. Dom. in monte cap. 28. ibi, quia † exceptam facit Dominus causam fornicationis, quam fornicationem generalem & vniuersalem cogimur intelligere: causa itaque fornicationis eam dimittit, vel ut si aliquem cogat vxor sacrificare idolis, qui talem dimittit causa fornicationis eam dimittit*, vbi glossa verb. *vniuersalem*, quod indefinitè dicitur generaliter debet intelligi. *leg. qui habet §. vlti. D. de tute. & quidem quod Christus Dominus nomine fornicationis hæresim, & infidelitatem litterali sensu intelligat, mihi videtur negari non posse.*

10 Neque † Aug. *lib. 1. retractat. cap. 19. circa medium*. Hunc sensum reiicit, sed supponit tanquam certum locum *Matth. 19.* esse etiã intelligendum de fornicatione spirituali, de hoc enim nullo modo dubitat August. nec in suis operibus aliquando dubitauit, sed semper illi arrisit, dicit tamen, *sed quatenus intelligenda, atque limitanda sit hæc fornicatio, & vtrum etiam propter hæc liceat dimittere vxorem latebrosissima quæstio est, licere autem propter istam quæ in supris committitur nulla quæstio est*, non ergo Aug. retractauit sententiam, quod locus Matthæi intelligatur de fornicatione spirituali, sed dicit esse latebrosissimam quæstionem, quam ipse nullibi aliter de latebris eduxit, cum ergo † Ecclesia & scriptores antiqui dicant, quod propter hæresim, quæ est spiritualis fornicatio licet dimittere vxorem, à posteriori euidenter colligitur. quod locus Christi de hac fornicatione intelligitur, nullibi enim Ecclesia dicit, quod propter aliud peccatum etiam grauissimum possit dari in pœnam perpetuum diuortium, sicut datur propter hæresim, ergo ideo est quia fundatur in sententia Christi, sumens argumentum à fornicatione carnali, in qua frangitur fides

coniugi, ad fornicationem spirituales in qua frangitur fides Deo, vt fit per hæresim, quam doctrinam eleganter expressit S. Doctor *in 4. dist. 39. quæst. 1. art. 6. ad 2. † ponens* 12 *manifestum discrimen inter infidelitatem, quæ est fornicatio spiritualis speciali ratione quam alia omnia peccata, quæ dicuntur fornicationes, largissima improprietate & remota significatione, quare primam intellexit Christus Dominus nomine fornicationis, non tamen alia peccata, etiam grauissima alias passim dissoluerentur matrimonia, quoad thorum, refidentiam, & cohabitationem.*

Vrgetur hæc ratio, ob quam Christus Dominus sub fornicationis nomine, quæ est causa diuortij comprehenderit hæresim, quia per fornicationem carnalem frangitur fides matrimonio debita, at per hæresim euertitur proles bonum, non enim educabitur proles in vero Dei cultu à parête hæretico, & sic hæc fornicatio opponitur bono matrimonij; hæc est ratio D. Tho. *in 4. dist. 35. q. 1. art. 1. ad 3. † fornicatio (inquit) est* 12 *directè contra bona matrimonij, quia tollitur per eam certitudo proles, & fides frangitur & significatio non seruatur, dum vnus coniugum carnem suam pluribus diuidit, & ideo alia crimina quamuis forte sint maiora fornicatione non causant diuortium, sed quia infidelitas quæ dicitur spiritualis fornicatio etiam est contra bonum matrimonij, quod est proles educanda ad cultum Dei etiam ipsa facit diuortium, sed tamen aliter quam corporalis fornicatio, quia propter vnum actum fornicationis carnalis potest procedi ad diuortium, non tamen propter vnum actum infidelitatis, sed propter consuetudinem, quæ pertinaciam ostendit in qua infidelitas perficitur.* Hæc ibi.

Ex quibus manifestum deduco argumentum, ad probandum quod † causa diuortij 13 per hæresim non sit proxima propter periculum animæ, quia si hæc esset adæquata ratio, cessante periculo & emendato coniuge hæretico, teneretur innocens cum illo cohabitare & residere, nec potest illum dimittere. Fatetur idem Thomas Sanchez n. 9. sed dicit, quod Ecclesia in pœnam hæresis facit ius coniugi catholico in perpetuum diuertendi ab hæretico, etiam resipiscenti & emendato, vt expressè habetur, *cap. fin. de conuersio. coniugato. & cap. de illa de diuortijs* sed fateor, & ego, quod † Ecclesia potest hoc 16 ius perpetui diuortij facere coniugi Catholico (quod qua ratione debeat fieri in fræno dabo) itavt quantumuis emendato, & correcto hæretico, Catholicus non teneatur cū illo residere, & cohabitare, sed liberè illo etiam inuito possit ad Religionem transvolare, at hoc Ecclesia facere nequiret nisi ius diuinum vrgeret, quod ius fieret Catholico



diuertendi à coniuge hæretico, etiam emendato propter fornicationem spiritua- lem, sicut propter fornicationem carnalem, cum enim cessante periculo subuersionis in fide, & religione emendato hæretico, coniux Catholicus teneatur iure diuino & naturali cum illo residere & cohabitare, debitumque reddere conjugale, nisi ius aliud altius ius diuinum sit, quod hoc impediatur, Ecclesia nequit in hoc iure dispensare, & diuortium illius in perpetuam pœnam constituere; pœna enim † diuortij perpetui imponi nequit ab homine, nisi in virtute alicuius iuris diuini, quod illam posuit, quia homo purus quantumcunque habeat iurisdictionem, nequit contra ius diuinum disponere.

Hinc est quod Alex. III. *cap. quæsiuit. de diuort.* dixit quod † mulier pro furto vel alio crimine viri sui ( nisi fidei suæ religionem corrumpere velit ) ab eo separari non debet, verum si coniugem suam ad infidelitatis maleficium à viro poterit separari, utique per sententiam perpetui diuortij, quod expressit Urbanus II. *c. de illa de diuort.* vbi determinat. *Quod mulier que viro suo labente in hæresim ipsius consortium sine iudicio Ecclesie declinat, videtur nobis quod mulier ( maxime si ea intentione discessit ut lapsus in hæresim tædio pariter & confusione affectus se ab errore suo conuerteret ) ei cum reuersus fuerit est reddenda ( & merito ( ait glossa ) quia per pœnitentiam est sanatus cap. quod sanatus 32. quæst. 1. ) que etiam si reuerti noluerit compellatur, si vero iudicio Ecclesie ab eo recessit, ad recipiendum eum nullatenus dicimus compellendam* id quod Gregor. IX. determinat *cap. mulier 21. de conuers. coniugat.* & glossa ad vtrumque textum dicit, quod † Ecclesia propter fornicationem spiritua- lem scilicet hæresim potest dare in pœnam perpetuum diuortium, etiam ab hæretico emendato, hæc autem pœnam nequit dare propter furtum, homicidium, mortis machinationem, & alia crimina, etsi grauissima; ad quæ si inducatur vnus coniux perpetranda potest diuertere, si tamen hæc inductio & periculum cesset, & sit emendatus coniux inducens, inductus tenetur redire ad consortium & residentiam matrimonialem, nec Ecclesia propter talia crimina, quit perpetuum diuortium imponere emendato ab illis, & potest propter hæresim, ergo manifestum est quod hoc ideo facit, quia ex traditione intelligit locum Christi *Matth. 5. & 19.* de fornicatione spirituali, qualis est hæresis & infidelitas.

## SVBRESOLVT. I.

*Discrimen inter fornicationem spiritua- lem & corporalem.*

## S V M M A R I V M.

1. *Inter fornicationem spiritua- lem & corporalem discrimen intercedit.*
2. *An vtraque fornicatio digna sit perpetuo diuortio.*
3. *Abulensis sententia affertur.*
4. *Quæ specialis ratio cur detur perpetuum diuortium propter hæresim.*
5. *Per hæresim præcisè non acquiritur ius innocens ad diuortium cum hæretico reconciliato.*
6. *Authoris iudicium, & n. 7.*
8. *Quæ fidelitatis & debiti absolutio non solum humano & canonico iure, sed etiam diuino roboratur.*
9. *Quid nomine fornicationis veniat intelligendum.*
10. *Ratio difficultatis enodatur, & n. 11.*
12. *Castro sententia adducitur, necnon multorum aliorum, & n. 13.*

Sed est † discrimen inter vtramque fornicationem carnalem, & spiritua- lem; quamuis enim aliqui de quorum numero est glossa *cap. de illa cit. verb. compellendam*, vbi asserit, quod siue in fornicatione carnali siue spirituali compellenda est vxor redire ad virum, nisi auctoritate Ecclesie factum sit diuortium; sitque hæc doctrina vera quantum ad forum iudiciale, tamen cum hic loquamur in foro animæ, in quo innocens in fornicatione carnali potest dimittere adulterum & ipso inuito ad religionem trās- uolare; quod de innocente in fornicatione spirituali negant Summi Pontifices in textibus adductis; huius discriminis ratio venanda ex aliis capitibus est, cur licet ex Christi Domini sententia † vtraque fornicatio digna sit diuortio perpetuo, & coniux innocens in vtraque fornicatione ius acquirit, ad dimittendum adulterum tam carnali quam spirituali adulterio; in adulterio carnali ut dimittatur vxor in foro conscientie non requiratur sententia Ecclesie, hæc tamen sit necessaria ut dimittatur propter hæresim fornicationem spiritua- lem?

Abulensis † *quæst. 70. ad cap. 19. Matth.* dicit, quod propter hæresim conceditur diuortium, non quia fornicatio sit, quia Christus solum loquitur de fornicatione carnali, vnde solum conceditur per accidens, & indirecte quatenus est necessarium ad tutelam coniugis, ne peruertatur, quod non conceditur ( inquit ) in aliis vitiis etiam si vir sollicitet ad illa, ne detur occasio faciliter dissoluendi matrimonia

monia, crimen enim hæresis periculosius est, cum errare in fide sit errare in toto quia fides est fundamentum. Cæterum hæc solutio non est admittenda primò, quia loquimur de hæretico iam emendato, & iuridice declarato tali, unde non est locus titulo de tutelane innocens peruertatur. Secundò, quia si non est specialis aliqua ratio cur Ecclesia possit concedere diuortium perpetuum propter hæresim cõuictam in iudicio, & declaratam, etiam si sit retractata per pœnitentiam, & emendationem, non est cur diuortium perpetuum non possit concedi propter alia grauissima crimina, quod non concedit, nec hucusque concessit Ecclesia, atqui † specialis ratio in hæresi est, quia contra fidem, quam Deo tenemur habere, illamque totaliter euertit sicut fornicatio carnalis euertit fidem matrimonialem, unde hæresis speciali titulo dicitur fornicatio spiritualis, & adulterium spirituale, quod non habent alia peccata, etiam grauissima, vt odium Dei, homicidium, &c. Quia ista non euertunt fidem, nec illi opponuntur, quare Ecclesia habet ius ad declarandum quod hæresis, etiam si sit emendata, & hæreticus correctus, digna est vt propter ipsam celebretur diuortium perpetuum, & sic quod non teneatur innocens cohabitare cum hæretico declarato, etiam si emendatus sit.

3 Thomas Sanchez *num. 9.* dicit † quod per hæresim præcise non acquirit ius innocens ad diuortium cum hæretico reconciliato, Ecclesia tamen potest in pœnam delicti, iam commissi, etsi pœnitentia delicti, hanc pœnam imponere, sicut potest ipsum bonis omnibus, fama, & honore priuare, & occidere, & sic innocens absoluitur ab obligatione reddendi debitum coniugale ipsi hæretico, sicut ob delictum, quo cum proprio coniuge quis affinitatem contrahit absoluitur innocens à iure reddendi, quare ante declarationem hæresis per Ecclesiæ sententiam innocens tenetur redire, quod secus est in fornicatione carnali, quam Christus expressit esse iure naturæ causam diuortij. Verum enim vero † nunquam potui huic sententiæ assensum præbere; opponitur enim antiquorum omnium placito expresso à D. Thom. *ubi supra*, cui magis assentire æquitas exigat, quia vt supra dixi nequit pœnam diuortij perpetui imponere nisi ob causam; quam Christus Dominus omnem aliam excludendo posuit *Matth. 5. & 19.* hæc autem est fornicatio, ergo si ista non comprehendit fornicationem spirituales nequit Ecclesia propter istam perpetuum diuortium celebrare, si hæreticus coniux est iam emendatus, habet enim ius naturale ad petendum debitum, quod etiam iure naturæ tenetur soluere alter coniux, neque ab eo potest ab-

solui, nisi propter causam positam à Christo Domino, etiam si propter hæresim iam commissam, etsi pœnitentia delictam possit vita corporali, fama, & bonis fortunis priuari, quia hoc exigit bonum publicum, quod exigere nequit, quod si hæreticus est emendatus, etsi talis per sententiam Ecclesiæ declaratus priuetur iure petendi debitum, nisi id concederet Christus Dominus, sicut concessit propter fornicationem carnalem, etiam si deleta sit culpa per pœnitentiam.

Igitur vera ratio differentie est quam paucis indicauit Castro *lib. 2. de iusta hæreticorum punitione cap. 7. column. 3. in paruis pag. 294.* dicens. Hæc † fidelitatis & debiti absolutio non solum humano & canonico iure *in cap. fin. de heret.* sed etiam diuino roboratur, nam sicut per adulteriũ corporale priuatur adulter iure debitũ exigendi, ita etiam per adulterium spirituale, quia peius est, quam corporale, quia videlicet † Christus Dominus sub nomine fornicationis intellexit adulterium, tam carnale, quam spirituale, quale est hæresis, quæ proprie euertit fidem debitam Deo sicut carnale frangit fidem matrimonij carnalis, quare sicut coniux, qui fidem frangit matrimonij potest dimitti & illi non est seruanda fides iure diuino, ita potiori iure, etiam diuino, frangenti fidem Deo, non est seruanda fides matrimonij, cæterum cũ hoc discrimine quod cum adulterium carnale iure naturæ opponatur matrimonio in quo duo fiunt vna caro, eo ipso quod innocens illud sciat non est necessaria alia sententia declaratoria, vt adulterum etiam emendatum dimittat in foro conscientie, ast adulterium spirituale per hæresim, etsi iure diuino dignum sit vt ratione illius in pœnam absoluat innocens à iure reddendi etiam si hæreticus sit conuersus, ipsoque iure diuino amiserit ipso facto ius exigendi, & debitum fidelitatis coniugalis, quod non recuperat etiam si emendetur, tamen vsque ad sententiam Ecclesiæ nequit innocens illum dimittere diuortio perpetuo, etiam in foro conscientie, quia vsque ad talem sententiam semper hæreticus est in possessione sui iuris, à qua nequit alter coniux expellere nisi sententia lata; quod secus est in fornicatione; & adulterio carnali in quo adulter, eo ipso, quod adulterium committit diuidit carnem suam ab innocente, & sic nec possessionem iuris petendi coniunctionem carnalem habet; & sic innocens in conscientia ante sententiam diuortij potest dimittere adulterum.

Hæc † adæquata ratio discriminis, cur altero coniuge carnaliter adulterante potest innocens absolutus à residentia matrimoniali etiam adultero inuito, & repug-

nante

nante ad religionem transuolare in foro cōscientiæ ante sententiam diuortij *cap. constitutus de conuers. coningat.* at coniuge adultere

11 rante per hæresim, etsi ipso iure diuino amittat ius petendi & innocens absoluatur à debito reddendo, tamen non amittit ius exigendi, quousque declaretur per sententiam esse hæreticum, quare in hac iusta professione tuetur iure Ecclesiastico *cap. mulier eodem & cap. de illa de diuort.* vnde innocens ante sententiam Ecclesiæ tenetur cum illo cohabitare, & residere nec potest ingredi religionem, sicut potest post sententiam iudicis, quæ non priuat iure petendi quo erat iure diuino priuatus hæreticus etiam emendatus, qui per emendationem ius amissum nō recuperauit, sicut ius amissum bonorum temporalium per hæresim, non recuperatur per pœnitentiam illius, quare sententia iudicis solum declarat crimen, ob quod ipso iure diuino lata est pœna amissionis iuris petendi.

12 Notat bene Castro *ubi supra pag. 297.* † iudicium istud Ecclesiæ quod dicitur necessarium ad hoc quod innocens possit non cohabitare & residere cum coniuge hæretico reconciliato, non aliud esse quam sententia iudicis Ecclesiastici, qui declarat virum illum esse hæreticum, qua declaratione iuridica existente sine alia diuortij perpetui, & separationis sententia, satis est vt possit à viro suo se separare & cum illo non residere, nec vt possit compelli ad recipiendum

13 illum ab hæresi redeuntem, idem † sentiunt Sanchez *ubi supra num. 20.* Couarr. 4. *Decretal. 2. p. cap. 7. §. 5. num. 5.* Barbosa *Rubrica D. solut. matrim. p. 2. num. 21. & 22.* quod ita verum existimo quod semel lata sententia declaratoria, quod coniux fuerit hæreticus, non sit potestas in Ecclesia, quæ possit cogere vt innocens ipsum recipiat quia lata sententia pœna statuta est, iure diuino, propter adulterium spirituale, sicut propter carnale ante sententiam, tenet etiam verum, etsi hæc sententia declaratoria adulterij spiritualis non sit publica sed secreto reconcilietur per DD. Inquisitores, sententia enim eo ipso quod iuridice feratur quod fiat intra Tribunal secreto vel publicetur in foro, est per accidens secreta & per se publica, quare si iuridice feratur iure diuino inducitur pœna diuortij perpetui in qua nulla humana potestas potest dispensare, nisi innocens remittat, & sibi nocentem reconciliet.

### SVBRESOLVT. II.

*Vtrum innocens possit in seculo manere?*

### S V M M A R I V M.

1. *An postquam hæreticus est talis sententia*

*declaratus & incurrit priuationem iuris petendi, & innocens absolutus ab obligatione reddendi, possit isie liberè manere in seculo.*

2. *An omnimoda libertas concedatur innocenti separato iudicio Ecclesiæ, non admittendi hæreticum reconciliatum.*
3. *An innocens libere possit siue in seculo manere siue ad religionem conuolare ibique profiteri.*
4. *Authoris iudicium, & n. 6.*
5. *Sub qua conditione remittatur priuatio iuris exigendi hæretico reconciliato.*
7. *An diuortium propter adulterium spirituale sit pœna lata ab Ecclesiæ, & iure humano imposta, & n. 8.*
9. *An propter adulterium spirituale declarato ab Ecclesiæ coniuge hæretico, innocens non solum possit ad religionem transire, sed etiam ad ordines sacros assumendos.*
10. *An siue fiat religiosus siue in sacris ordinetur innocens, non teneatur hæreticus reconciliatus religionem ingredi, aut voto castitatis se adstringere.*
11. *An coniux hæreticus quantum est ex vi iuris matrimonialis, nequeat vel sacros ordines suscipere, vel professionem solemnem emittere in religione repugnante altero coniuge innocente.*
12. *Quid nomine fornicationis veniat intelligendum, remissiuè.*

**D**Vplex superest in hoc §. dubium enucleandum quod deseruiet ad maiorem dictorum intelligentiam. Primum est, an † postquam hæreticus est talis sententia publica declaratus, & incurrit priuationem iuris petendi debitum, & innocens absolutus ab obligatione reddendi, possit iste libere in seculo manere separatus ab alio, an teneatur ad religionem conuolare, & in ea professionem emittere, ita vt possit ad eam faciendam cogi, vel cum coniuge cohabitare & residere. Duplex est sententia prima adfirmat'innocentē teneri Religionē ingredi, aut cohabitare cum hæretico etiam per sententiam reconciliato, ita videtur decisum *cap. fin. de conuers. coningat.* Vbi Pontifex solum concedit liberam facultatem vxori fideli, vt reuertēte marito ab hæresi à quo fuit iudicio Ecclesiæ separata, vt possit ad religionem libere conuolare, vnde *cap. de illa. de diuort.* in quo videtur omnimoda libertas concedi innocenti separato iudicio Ecclesiæ non admittendi hæreticum reconciliatum corrigitur per præfatum *cap. final. & cap. quanto de diuort. in fine* vbi glossa *verb. redire cogatur. nisi velit religionem intrare.* Quæ cōmuniter sequuntur iuris canonici interpretes, & multi ex Theologis quos citat Sanchez n. 17.

3 Secunda sententia est, quod † innocens liberè potest, siue in sæculo manere, siue ad Religionem cõuolare, ibique profiteri, quia ab Ecclesia declaratus hæreticus amisit ius omne, erga coniugem innocentem, & iste absoluitur à iure reddendi debitum coniugale. Ita Sanchez n. 19. Couarr. 4. *decret. ubi supra, etiam ubi supra Castro de iusta heret. punit. Abulensis ubi supra quest. 72. versic sed dicitur.* Fundamentum est, quia iuris correctio ita est odiosa, quod vt vitetur debent verba impropriari, *leg. sed & posteriores, iuncta glossa verb. pertinent D. de leg. Butrius cap. cum dilectus n. 15 de consuetud. ubi Immolanum. 12. Abbas cap. cum olim de sentent. & re iudic. Alexand. consil. 83. num. 12. lib. 4. cum ergo in cap. de illa absoluta libertas concedatur vxori, per iudicium Ecclesiæ separatæ propter hæresim mariti, caput finale citatum, etsi dicat quod liberè possit ad Religionem conuolare, hoc non dicitur taxatiue, sed solum exposuit Pontifex exemplum, in re difficiliore, vt est profiteri in Religione, non tamen negauit, quod posset in sæculo manere, in quo casu maior est facilitas, vt possit si velit marito reconciliari.*

4 Ego vero existimo † quod si pœna diuortij est à iure humano imposita propter adulterium spirituale hæresis, & non est necessaria alia sententia separationis, sed solum sententia declaratoria criminis, vt sentit Sanchez, & Authores secundæ sententiæ, non potest coniux innocens, altero emendato & correcto, manere in sæculo, sed, vel tenetur ad eum redire, vel si non vult redire, tenetur ad Religionem conuolare, potestque compelli, vt vnum horum faciat, & sic verissima est prima sententia glossæ, *cap. quanto de diuort.* Ratio est, quia pœna ista est ab Ecclesia imposita ob crimen hæresis, sicut est imposita pœna mortis, & amissio bonorum temporalium, eo autem ipso quod Ecclesia sibi reconciliat hæreticum, quia emendatus sicut remittit pœnam mortis, ita remittit priuationem fidelitatis matrimonialis & iuris exigendi debitum, nisi innocens ad religionem conuollet, sub hac enim † conditione remittitur priuatio iuris exigendi hæretico reconciliato, & conuerso, & absoluitur innocens à debito fidelitatis matrimonialis, quatum ad debitum reddendi, vt clarè deceditur, *cap. fin. cit. & sic cap. de illa* intelligitur si apponatur talis conditio, non vero si velit innocens manere in sæculo, & hoc modo melius conciliantur textus isti, qui aliqualem antynõmiam videtur habere, nam decreta posteriora, ubi expressè prioribus non aduersantur sunt mutuo ex illis supplenda, & intelligenda, vt legum correctio vitetur, *leg. sed & posteriores, cit. cap. autem de illa*, quod est Urbani III.

prius est quam *cap. finale*, quod est Gregorij IX. qui vixit anno 1227. Urbanus autem anno 1185. cuius decretum explicuit Gregorius IX. addens conditionem, quam non expressit Urbanus, quare ius quod fecit Urbanus, non correxit Gregorius, sed tanquam Legislator declarauit.

Existimo secundo, quod si pœna diuortij ob adulterium spirituale hæresis est lata à Christo, sicut est latum diuortium ob adulterium carnale, eo ipso quod declaratur ab Ecclesia hoc adulteriũ, innocens liberè potest manere in sæculo, siue transire ad religionem & sic potest intelligi secunda sententia. Ratio est perspicua, quia diuortium est pœna vtriusque adulterij tam carnalis, quam spiritualis à Christo Domino imposita *Matth. 5. & 19.* æqualiter est intelligenda, quantum ad qualitatem & quantitatem, quare sicut in diuortio propter adulterium carnale, innocens liberè vel in sæculo manere, vel ad religionem transuolare, potest ita in diuortio propter adulterium spirituale.

Dixi quod hoc modo potest intelligi secunda sententia, nam vt auctores illius autumant, quod † diuortium propter adulterium spirituale est pœna lata ab Ecclesia, & iure humano imposita, sicut est pœna mortis, sicut pia mater remittit hanc hæretico reconciliato, ita etiam remittit priuationem iuris petendi, debitumque fidelitatis, vnde nisi speciali sententia ad petitionem innocentis diuortium celebretur, innocens tenetur reddere & cohabitare cum hæretico emendato, & reconciliato, quia eo ipso, quod Ecclesia non exprimit in declaratione hæretici, quod est priuatus iure exigendi, sicut declarat, quod est priuatus bonis temporalibus cum priuatio priuati iuris humana sit pœna, non intelligitur executata nisi in sententia reconciliationis sit expressa, sicut exprimitur priuatio bonorum temporalium, quæ pertinent ad fiscum.

Cæterum circa huius dubij resolutionem datam, etiam iuxta meum dictamen duplici existimatione enucleatum duo, vel tria sunt aduertenda. Primum etiam † propter adulterium spirituale, declarato ab Ecclesia coniuge hæretico, innocens non solum potest ad religionem transire, sed etiam ad ordines sacros assumendos iuxta dicta de adulterio carnali, quod etiam tenet verum iuxta dicta *existimat. prima* quia assumptio sacri Ordinis habet intrinsecè annexum votum castitatis, & status perfectioris professionem, quare sicut conceditur prius secundum conceditur, quamuis ad dissoluendum matrimonium ratum solum valet professio in religione non assumptio sacri Ordinis, vt definit Ioan. XXII. *extrauag. antique de voto*, aduertit Thomas Sanchez n. 22. quod † siue fiat

fiat religiosus, siue ordinetur in sacris innocens, non tenetur hæreticus reconciliatus vel religionem ingredi, aut voto castitatis se adstringere, quia *cap. final. de conuers. coniugat.* libera conceditur facultas innocenti transuolandi ad religionem, non autem esset hæc facultas libera, si alter deberet ingredi aut castitatem vouere. Deinde quia in adulterio carnali si innocens vult ingredi religionem, adulter non tenetur ad idem aut ad vouendam continentiam.

- <sup>11</sup> Secundum est, quod † coniux hæreticus quantum est ex vi iuris matrimonialis nequit vel sacros ordines suscipere, vel professionem solemnem in religione repugnante aut non consentiente altero coniuge innocente, vt supra docui loquens de adulterio carnali, ita Sanchez *num. 24.* cum multis quos citat Syluester *verb. diuortium n. 13. quæst. 10.* postquam enim ex Hostiensis & Panormitano & glossa *cap. final. de conuers. coniug.* dixit, quod Christus *Matth. 5. & 19.*
- <sup>12</sup> † per fornicationem intellexit adulterium tam spirituale quam carnale, concludit dicens. *Nota secundum Panormita. quod verbum generale in materia pœnali intelligitur largo modo, si dispositio tendit in fauorem fidei, & sic cum Dominus dicit excepta fornicationis causa glossa dicit, carnalis vel spiritualis.* Ex qua doctrina colligitur, quod adulteri spirituali adulterio si innocens petit sibi reconciliari debet, & debitum reddere tenetur, nec eo inuito potest intrare religionem, quia introductum in fauorem meum, in damnum retorqueri non debet *leg. qui fauore. C. de leg.* quod intelligitur siue lata sententia diuortij, siue ante, iuxta dicta de adulterio carnali, quare in hoc puncto discurrendum est consequenter in vtroque adulterio.

### SVBRESOLVT. III.

*Vtrum in adulterio spirituali detur compensatio?*

#### S V M M A R I V M.

1. *An in adulterio spirituali propter hæresim detur compensatio.*
2. *An si innocens adulterio spirituali sit adulter carnali adulterio hæreticus declaratus emendatus ponat alteri exceptionem adulterij carnali, iste nequeat diuortium celebrare.*
3. *Christus Dominus per verbum generale, nisi propter fornicationem, an intellexerit vtrumque adulterium.*
4. *Sanchez sensus adducitur.*
5. *An idem prorsus acquirat innocens & amittat reus in adulterio carnali, ac in spirituali hæresis.*

6. *An si innocens adulterium committat eo ipso amittat ius negandi, & teneatur sibi reconciliare alterum.*
7. *An adulter spiritualiter per hæresim licite & validè possit ponere exceptionem alterius adulterij.*
8. *An fornicatio in sponsa de futuro nequeat compensari lepra sponsi.*
9. *An si vterque coniux sit damnatus de hæresi, vterque teneatur simul residere & cohabitare.*
10. *An diuortium ratione adulterij sit prorsus in fauorem coniugis innocentis.*
11. *Sententia Ecclesie diuortium celebrantis non est cogens ad separationem, sed licentiam præbens, & ideo absque retractatione præcedentis sententiae, potest reconciliatio sequi, ex S. Thom.*
12. *An diuortium propter hæresim principaliter & directè non detur in fauorem alterius coniugis, sed in pœnam delicti.*
13. *Thomas Sanchez mens assertur.*
14. *An quamuis Ecclesia dum damnat coniugem de hæresi independenter ab aliqua alia voluntate pœnam diuortij imponat.*
15. *An aliquando vinculo matrimonij manente, solvatur matrimonium quantum ad cohabitationem, & debiti solutionem.*
16. *An etiamsi hæreticus non sit sententia publica damnatus propter hæresim si coniux Catholicus accusetur ab eo de adulterio carnali, possit iste illi obiicere adulterium hæreseos.*
17. *S. Thomæ sententia assertur.*
18. *An infidelitas sit fornicatio spiritualis.*
19. *Matrimonium principaliter institutum est ad bonum tantum prolis generandæ.*
20. *An disparitas cultus non impediatur matrimonium ratione infidelitatis, sed ratione disparitatis in fide.*
21. *An fideles matrimonium contrahentes, illud contrahant perfectum non solum perfectione prima sed etiam perfectione secunda.*
22. *An adulterium carnale opponatur materiali perfectioni, & spirituale opponatur formali.*

Secundum dubium, an sicut in adulterio carnali datur delicti compensatio † detur etiam in adulterio spirituali propter hæresim? quod dupliciter potest intelligi, primo si vnus spiritualiter & alter carnaliter adulteretur, secundo si vterque adulterium spirituale commiserit. Thomas Sanchez *lib. 10. disp. 16. à num. 3.* negat in vtroque sensu dubij dari recompensationem nec pro se aliquem adducit authorem, sed ipse primus hoc docuit quem secutus est Perez *disp. 57. de matrim. sect. 3.* Horum fundamenta, infra dum probem meam sententiam diluta & sine



sine robore comparebunt. Legionens. l. 9. de  
matrim. c. 22. n. 6. quod valdè miror.

Sed mihi contrarium fammopere arridet  
2 in vtroque sensu, ita vt † si innocens adulterio  
spirituali sit adulter carnali adulterio  
hæreticus declaratus emendatus, tamen ponat  
alteri exceptionē adulterij carnalis, iste  
nequit diuortiū celebrare, sed vterq; tenetur  
simul residere, & cohabitare, sicut si vterque  
committeret adulterium carnale, & etiam  
pari modo dicendum est, si vterque hæresim  
commiserint sitque vterque Ecclesiæ recō-  
ciliatus, & emendatus. Hæc omnium anti-  
quorum sententia, tenent Syluester *verb. di-  
uort. n. 14. q. 11.* citans Gofred. & Hostiens.  
Panor. *cap. fin. de conuers. coniug.* vbi Io. Andr.  
& Butr. n. 4. Anchar. n. 3. Alberic. *in dictionar.  
verb. matr. 8.* Fiburg. *in Sum. lib. 4. tit. 22. q. 17.*  
D. Anton. 2. p. tit. 1. cap. 22. §. 6. *vers. nota.* Ro-  
fella *verb. diuortium in fin.* & Armilla n. 9. Ita  
etiam Syluest. *verb. Matr. 9. q. 8.* Greg. Lopez  
*leg. 8. tit. 2. p. 4.* Gaeta *ad c. ad limina 30. q. 1. n.  
234.* Hos omnes refert Tho. Sanch. quibus  
ego addo fundamenta, & vrgētes rationes.  
3 Prima fit quia, vt suprà ostensū est, † Chri-  
stus Dominus per verbum generale *nisi pro-  
pter fornicationem*, intellexit vtrumque adul-  
teriū carnale & spirituale, & sic per vtrum-  
que acquiritur ius ab innocente dimittendi  
adulterium in perpetuum; ergo quamuis  
adulteria valdè sint diuersa, ius autē acqui-  
situm dimittendi idem prorsus est quamuis  
à diuersa causa sicut D. Tho. *in 4. dist. 35. q. 1.  
art. 4.* dicit *quod in causa diuortij vir & vxor  
ad paria iudicantur, non tamen pariter, quia  
quamuis in vtroque sit causa ad diuortium, ta-  
men maior est causa in vno scilicet vxore quam  
in altero scilicet viro.* Cum ergo in fauorem  
fidei Euāgelicæ, per fornicationem & adul-  
terium spirituale hæresis concesserit diuor-  
tium; si vterque vel spirituale commiserit  
adulterium, vel vnum spirituale & aliud car-  
nale, si præcedat sententia Ecclesiæ declarās  
adulterium spirituale, manifestè sequitur,  
quod datur compensatio, & ille qui antequā  
alter commiserit adulterium spirituale, &  
ante sententiā reconciliatiuam Ecclesiæ cō-  
misit simile adulterium, vel carnale, nequit  
celebrare diuortiū, nec vti iure, quod habuit  
ad non reddendum debitum alteri adultero;  
quia alius coniux simile ius acquisiuit, per  
adulterium alterius & vnum ius alteri cōpē-  
satur, sicut quum vterque commisit adulte-  
riū carnale, ius ad diuortium æquale est in  
vtroque etsi à diuersa causa dimanās; quod  
valdè per accidens, quare vnū compensatur  
altero sicut ius, quod habeo ad centum ex  
promissione facta mihi à Petro recompen-  
satur iure quod habet Petrus contra me ex  
furto, quod ex rebus suis feci quamuis hæc  
iura à diuersa origine dimanent.

Respondet Sanch. † *vbi sup.* & ex ipso Per. 4  
n. 4. esse diuersam rationem: *nam in debitis  
est aliquid tradendum creditor, & cum idem  
creditor mihi tantumdem mille tradere tenea-  
tur optima datur inter huiusmodi debita com-  
pensatio, esset enim circulus inutilis, petere idē,  
quod statim restituendum est. At in diuortio ni-  
hil tradendū alteri, sed solum reus amittit ius  
petendi debitum, & habitationem mutuum, ma-  
nente illaso iure innocentis petentis reum inui-  
tum sibi reconciliare. Quare vbi causa, & iniu-  
ria ex quibus diuortia manant sunt diuersæ ra-  
tiones, & diuersis illata, sicut inter illas non da-  
tur compensatio, ita neque inter diuortia. Sicut  
in sponsis de futuro, si vterque sponsus habeat  
iustam causam dissolendi sponsalia, si tamen  
causa diuersæ rationis, nequit dari compensatio,  
sed vtrique erit integrum altero inuito resilire.  
Vt si spōsa fornicata sit, & sponsus lepra laboret,  
ipsi sponsa fidem petenti obstabit propria forni-  
catio, sponso autem lepra, ob qua neuter fidei  
sponsaliū stare tenetur, cum ob diuersas rationes  
vterque ius cogendi alterum amiserit. Sic simi-  
liter in nostro casu, nam vterque coniux ius co-  
gendi alterum ob diuersæ naturæ rationes perdi-  
dit liberum: ergo vtrique diuertere, nec dabitur  
hinc inde compensatio.* Hæc Perez ex Sanch.

Verum enimvero solutio hæc prorsus fri-  
uola est, & exemplum quo firmatur inane,  
quia † idē prorsus acquirit innocens & amit-  
tit reus in adulterio carnali ac in adulterio  
spirituali hæresis; postquam adulter est pu-  
blica sententia declaratus, & reconciliatus,  
atqui in adulterio carnali datur recompen-  
satio ergo & in adulterio spirituali, cōsequē-  
tia est euidentis, quia per adulterium carnale  
adulter solum amittit ius petendi, & inno-  
cens acquirit ius negandi exigenti, & ius re-  
conciliandi sibi adulterum semper retinet,  
vnde † si innocēs adulterium committat, eo  
ipso amittit ius negandi & tenetur sibi recō-  
ciliare alterum, ita vt non possit illum accu-  
sare, nec lucrari dotem & bona alterius, vnde  
etsi nihil tradat priori adultero, tamen sicut  
iste per adulterium ius petēdi amisit, ita al-  
ter per suum adulteriū, & sic manent pares  
in iuriū amissione & fit vtriusque delicti cō-  
pēsatio, & remittuntur iniuriæ mutuo sibi fa-  
ctæ, & euadit cōpensatio, ita fit dubio procul  
quū vnus carnaliter & alter spiritualiter, vel  
ambo spiritualiter adulterantur, vterq; enim  
pares sūt amissione iuris petēdi, & in iure ne-  
gandi exigēti, vnde quāuis denuo adulterās  
carnaliter, nihil tradat adultero spiritualiter;  
tamē quāuis causæ iniuriarū diuersæ naturæ  
& rationis sint, tamen cum iniuriæ eiusdem  
prorsus sint rationis dubio procul cōpēsatur;  
quare † adulter spiritualiter per hæresim li-  
cite & valde potest ponere exceptionem al-  
terius adulterij, iniuriæ enim istæ ordinatæ  
sunt in ordine ad dimissionē vxoris, & dis-  
solutionem

soluonē matrimonialis residētiæ, quare si-  
cut idē calor in specie causatur à principijs  
specie diuersis, quia semper calor est dispo-  
sitio ad grauatiōē, ita iniuriæ eiusdem ra-  
tionis causatur ab adulterijs specie diuersis,  
quia semper ordinantur ad eundē effectum  
scilicet soluonē matrimonialis residentia, quæ  
cum sit de iure naturæ, vt vidimus, hoc ius  
obligat vtrūque coniugem eo ipso quod  
quilibet causā dedit diuortij, quia vnus de  
obligatur à residentia, quia iniuriatus est ab  
alio, si ergo iste etiam iniuriatē iniuriauit,  
æquales sunt & nulla subest causa honesta  
excusās ab obligatione residētiæ mutua ma-  
rimonialis, hæc doctrina valdè notanda est,  
qua conuincitur falsitatis opposita sentētia.

8 Exemplum de sponsis de futuro, vt dixi  
inane est, non enim ideo fornicatio in spon-  
sa de futuro nequit cōpensari lepra spōsi, &  
ita teneantur stare cōtractui, quia sūt causæ  
diuersæ rationis, hoc enim dicere prorsus est  
ridiculū, sed quia res notabiliter sūt alteratæ,  
ac quādo contractus sponsalitijs initus fuit,  
& dissolui potest etiā si causæ essent eiusdem  
rationis, vt si vterque sponsus esset leprofus,  
vel vtrique nasus amputaretur, *cap. quemad.  
de iureiur.* vel si vterq; valdè esset formosus  
& effecti sūt notabiliter deformes, vt ait ipse  
Tho. Sanch. *lib. 1. disp. 37. n. 4* ex D. Th. *in 4.  
dist. 27. q. 2. art. 3. ad 3.* quæ sequuntur Innoc.  
*cap. quemadmodum n. 3.* & ibi Host. quia in-  
quiunt non manent res in eodē statu, ex hac  
enim radice pullulat, quod non detur compen-  
satio in sponsalibus præfatis non ex eo  
quod sint causæ diuersæ rationis.

9 Secunda ratio ex priori sic deducitur &  
formatur, quia † si vterque coniux sit dam-  
natus de hæresi, vterque tenetur simul re-  
fidere, & cohabitare, ergo datur compensa-  
tio inter adulteria spiritualia antecedēs mi-  
hi est indubitātū, quia vtrique pares sunt in  
delictō, & sic neque Ecclesia potest cum il-  
lis disponere, vt alter alteri debitum coniu-  
gale non reddat, & fidem matrimonij non  
feruet, quia hoc est de iure naturæ, quod nō  
amittitur nisi ob causam quā Innocens ha-  
bet datam ab altero. Sed respōdet Pater *n. 4.*  
rē satis nouam, & ab ipso solo primo excogi-  
tatā, *si vterque coniux hæresis damnatus sit, in-  
tegrum erit vtrique altero inuito diuertere, do-  
nec mutuo consensu ambo ad pristinum matri-  
monij statum, & amicitia redeant, quia nō sicut  
duo adulteria vtriusque coniugis datur compen-  
satio, ita inter hæc delicta hæresis. Nam † diuor-  
tium ratione adulterij est prorsus in fauorem con-  
iugis innocentis, ita vt ipse solus hanc pœnā pos-  
sit insigere adultero. Quare vbi alter non est  
innocens hoc priuilegio minimè gaudeat. At in  
hæresi non datur diuortium principaliter & di-  
rectè in fauorem alterius coniugis, sed in pœnam  
delicti, eo quod debitam fidem hereticus nō ser-*

*uauerit Deo, punitur in eo in quo reus fuit, & ita  
absoluitur alter à fide coniugali ipsi debita, quā-  
uis indirecte & consecutiue ea pœna cedat in  
alterius fauorem.* Hactenus ex Sanchez.

Verum enim vero solutio hæc vim argu-  
menti facti non eneruat, vt enim ait D. Th.  
*in 4. dist. 35. q. vnic. art. 6. ad 1.* † *sententia Ec-  
clesia diuortium celebrantis non est cogens ad se-  
parationem, sed licentiam præbens, & ideo abs-  
que retractatione præcedentis sententia potest  
reconciliatio sequi*; hæc S. D. ex quibus ma-  
nifestè impugnatur præfata solutio quum  
vterque est publica sentētia damnatus pro-  
pter hæresim vterque non cogitur ad di-  
uortium, sed ex vi sententiæ ipso facto, vter-  
que habet licentiam & facultatem cele-  
brandi diuortium in pœnam hæresis, qua  
quia negatur fides Deo dignus fit hæreti-  
cus, vt puniatur in hoc, quod alter absol-  
uatur à fide coniugali, quæ alias ipsi hæreti-  
co debebatur; ergo si iste alter sit damnatus  
hæreticus dignus etiam est, vt ille alius  
etiam absoluaatur à fide coniugali, ergo vter-  
que causam eiusdem rationis dedit, vt pu-  
niatur pœna diuortij & absolutione alte-  
rius coniugis à fide coniugali, ergo cum Ec-  
clesia non cogat, sed licentiam præbeat vtri-  
que ad diuortium celebrandum, ita vt vter-  
que possit reconciliari sibi alterum statim  
ac condemnati sunt, vt quotidie videmus,  
ad hoc tenentur in conscientia non secus ac  
si vterque adulterium commisisset carnale,  
consequentia est, ni fallor, euidens, quia  
vterque dedit causam culpabilem eiusdem  
rationis, vt delictum puniretur diuortio,  
scilicet hæresim, & vterque non cogitur  
ad celebrandum diuortium, sed etiam da-  
ta sententia quilibet habet facultatem sibi  
reconciliandi alterum ergo tenetur id fa-  
cere, quia vtrique pares sunt in delictō, &  
pares in causa, & dignitate pœnæ; ergo in  
conscientia tenetur alium non dimittere,  
ipso inuito statum mutare, sed obligantur  
præcepto naturali de residentia matrimo-  
niali. Quod enim † diuortium propter hæ-  
resim principaliter & directè non detur in  
fauorem alterius coniugis, sed in pœnam de-  
licti, quā pœnā infert Iudex & non alter cō-  
iux sicut in adulterio carnali innocēs potest  
imponere adultero, nihil omnino cōducit ad  
propositū, quia etiā si diuortium detur in pœnā  
delicti, tamē non cogit alterū coniugē ad di-  
uortium, sed liberū ipsum relinquit, vt si velit,  
sibi reconciliet consortem, hic enim fauor à  
nullo Legislatore humano potest auferri, er-  
go si vterque damnatus est de hæresi cum  
causam celebrandi diuortium in pœnam de-  
licti æqualiter dederint, neuter potest alium  
dimittere, sed obligatur in conscientia ad il-  
lum sibi reconciliandum,

Id autem quod dicit Tho. Sanchez, quod  
quam

12 quamuis † alter coniux eandem pœnam incurrat non eximitur altera pœna, in qua etiam incidit cum nullibi ea autē inueniatur, ut ius per pœnā amissum recuperetur altero obnoxio eiusdē pœnae, sed vterque illa pœna punietur, qua nō ab altero coniuge sicut in adulterio carnali, sed imponitur ab Ecclesia independenter à voluntate alterius cōiugis, quamuis possit alter eam remittere reconciliando sibi coniugem damnatū. Hæc ille, quæ nullatenus euertunt, imo solide firmant ea quæ diximus, quamuis enim hæc doctrina vera sit in pœna, cuius executio non pendet à voluntate alterius rei, eiusdem pœnæ, at quando remissio pœnæ ab alio reo pendet, si vtrique conueniant in remissione pœnæ, vterque liber ab ea & immunis manebit, & ita contingit in præsentī, quia vtrique coniuges possunt sibi pœnam diuortij positi, ab Ecclesia in pœnam delicti sibi remittere, & reconciliare inter sese, ergo eo ipso quod ambo sunt pares in causa diuortij, quia ambo damnati de hæresi & reconciliati Ecclesiæ, tenentur simul cohabitare, & residere, nec alter potest sine alterius licentia religionē ingredi, aut sacros suscipere ordines.

14 Quare quāuis † Ecclesia dū damnat cōiugem de hæresi independenter ab aliqua alia volūtate pœnā diuortij imponat, cæterū huius pœnæ remissio subditur volūtati eius, qui absoluitur ab obligatione reddendi debitum & fidelitate matrimoniali, quod satis sufficit, ut adulteriū hæreseos altero recompensentur. Præter quā quod cū vterque coniux dānatur propter hæresim, quā commiserunt vterque sua culpa fit dignus, ut separaretur ab alio per diuortium, quod opponitur matrimoniali residentia, & sic vnus dignitas ad hanc pœnā diuortij perpetui, altera dignitate alterius compensatur, sicut fit in adulterio mutuo carnali, quod egregiè contēplatus est D. Tho. in 4. dist. 39. q. 1. art. 3. in corp.

15 † aliquando (ait) vinculo matrimonij manente soluitur matrimonium quantum ad cohabitationem, & debiti solutionem in quo pari passu currunt infidelitas, & adulteriū, quia vtrumque est contra bonum prolis, vnde sicut se habet in potestate dimittendi adulteram, vel commanendi cū ea, ita se habet in potestate dimittendi infidelem, vel commanendi cū ea, ergo sicut adulteriū carnale altero carnali alterius cōiugis cōpensatur, ita adulteriū hæresis altero carnali. Vnde fit quod si coniux sit adulter carnaliter, & alter spirituali adulterio infectus, sitque reconciliatus & petat diuortium ob carnale adulteriū alterius, potest iste ponere illi hæresis & adulterij spiritualis exceptionē, nisi vterque fuerint inter se reconciliati, & post reconciliationem commiserit adulteriū carnale. Imo addo iuxta mea &

16 S. D. principia, quod † etiam si hæreticus non sit sententia publica dānatus propter hære-

sim, si coniux Catholicus accusetur ab eo de adulterio carnali, potest iste obiicere illi adulteriū hæreseos, quod si probauerit, dubio procul recompensabūtur iniuriæ, quāuis ex diuersis causis dimanent, & ratio est ex dictis, quia hæreticus ipso iure diuino incurrit pœnam diuortij, quare si probata sit hæresis, amittit ius alterum acculandi.

Tertio huius veritatis firmissimū iecit S. D. fundamētum dist. cit. art. 6. ad primū † quia quāuis adulteriū carnale magis directe opponatur matrimonio in quantum est inofficiū natura, quā infidelitas, tamen è conuerso est, secundum quod matrimonium est sacramentum Ecclesiæ, ex quo habet perfectam firmitatem, in quantum significat indiuisibilem coniunctionem Christi & Ecclesiæ, ex quibus tale formo argumētum ex Christi Domini institutione matrimonium, quod est iure naturali contractus mutuus inter virum & fœminam ad cohabitandum in speciei multiplicationem secundū indiuidua eius, eleuatum est ad rationē sacramenti; ergo qui in hæresim incidit, aut infidelitatis aliā specialē iniuriā facit sacramentum matrimonij, quatenus sacramentū est significans indiuisibilem coniunctionē Christi, & Ecclesiæ, quatenus isti Christus despōsatur per fidē, iuxta illud Osee c. 2. n. 20. spōsabo te mihi in fide, quæ sponsatio ad litterā intelligit PP. eā quam fecit Christus cū Ecclesia, quā significat matrimoniū quatenus est sacramētum, vnde ille qui hæreticus declaratur, aut infidelis, declaratur adulter adulterio spirituali, quatenus fecit iniuriā alteri coniugi quatenus illi est factus vna caro per sacramentū matrimonij, etsi vt sic directè nō opponatur matrimonio quatenus est inofficiū naturæ, vnde cū duplex iniuria fiat coniugi & quatenus matrimonium est inofficiū naturæ, & quatenus est sacramentum, duplex est adulteriū & fornicatio (quā Christus qui matrimonij sacramentū instituit, cōprehendit. Matt. 5. & 19.) & naturalis, quæ opponitur matrimonio, vt est inofficiū naturæ, & sacramentalis, quæ illi opponitur, vt est sacramentum, & sic vna compensatur per aliam.

Quæ doctrina adeo est vera, quod infidelitas sit fornicatio spiritualis, quam Christus Dominus nomine fornicationis comprehendit, quod aliquādo sit sufficiens ad dirimendū matrimoniū factum inter infideles, etiam consummatū, si vnū conuertatur & alius nolit cōverti, sed persistere in sua infidelitate cū contumelia Creatoris nolēs audire nomē Christi, vnde potest ille qui cōuertitur aliud matrimonium contrahere cum fideli, per quod absimitur prius vinculū cum infideli ex natura rei, quia cum matrimonium infidelium, etiam si sit verus contractus insolubilis, tamen est matrimonium, non ta-

men est ratum & perfectum, sicut est matrimonium fidelium, quod est perfectum & omnino insolubile, id autem quod est imperfectum ex natura rei destruitur per id quod est firmiter & perfectum si vinculum imperfectum opponatur vinculo perfecto, & rato, ut contingit in presenti, & hoc ius naturale explicuit Paulus 1. ad Corinth. 7. n. 12. quod si infidelis discedit, discedat, neque enim seruituti subiectus est soror aut frater huiusmodi, quod sic esse intelligendum definit Innocent. III. cap. quanto de diuort.

Huius tertiæ rationis firmum fundamentum posuit S. Doctor ubi supra art. 1. dicens, 19 quod † matrimonium principaliter institutum est ad bonum prolis non tantum generandæ, quia hoc sine matrimonio fieri posset sed etiam promouendæ ad perfectum statum, est autem in prole duplex perfectio consideranda, scilicet perfectio naturæ, non solum quantum ad corpus, sed etiam quantum ad animam per ea quæ sunt de lege naturæ & perfectio gratiæ, prima perfectio est materialis & imperfecta respectu secundæ, & ideo cum res quæ sunt propter finem, sint proportionata fini, matrimonium quod tendit ad primam perfectionem est imperfectum, & materiale respectu illius quod tendit in perfectionem secundam, & quia prima perfectio communis esse potest fidelibus & infidelibus, secunda autem est tantum fidelium ideo inter infideles est quidem matrimonium, sed non perfectum ultima perfectione, sicut est inter fideles & in solut. ad. 2. 20 dicit, quod disparitas cultus non impedit matrimonium ratione infidelitatis, sed ratione disparitatis in fide, Disparitas enim cultus non solum secundam perfectionem prolis impedit, sed etiam primam, dum parentes ad diuersa prole trahere intendunt, quod non est quum vterque est infidelis.

Ex qua doctrina euidenter deducitur, quod 21 † fideles matrimonium contrahentes illud contrahunt perfectum non solum perfectione prima, sed etiam perfectione secunda, & ex vtraque fit tanquam ex materiali & formali vnum matrimonium omnino perfectum, & insolubile, vnde coniuges ex Christi institutione ius habent, quod huius matrimonij vtraque perfectio conseruetur, & non excludatur per disparitatem religionis, vnde adulterium carnale opponitur materiali perfectioni & adulterium spirituale, opponitur formali, & fides matrimonialis vtrumque comprehendit, & non diuidere carnem suam in aliam, nec diuidere religionem suam veram in aliam eam assumendo, quare, qui fidem catholicam deserit fidem matrimonialem, quoad formale frangit, & sic iniuriam facit coniugi, quare si vterque fidem Catholicam deserit, vna iniuria alia compensatur, sicut, si vterque fornicatur carnaliter, vnum adulterium carnale altero carnali re-compensatur latius quam oportebat abso-

lute, diffudi calamum in hoc dubio ut veritatem antiquorum enuclearem, hoc enim intendunt, & eo tendunt mea scripta, ut nouitates excludantur, & vincat antiquitas.

## §. II.

De inductione ad peccandum.

## S V M M A R I V M.

1. Temporalis diuortij causa adducuntur.
2. Prima causa temporalis diuortij, quæ dicitur.
3. Fornicatio corporalis & infidelitas specialem habent contrarietatem ad bona matrimonij, ex S. D.
4. An hæresis secum non adferat magnum periculum peruertendi fidem & religionem alterius coniugis.
5. Hæresis siue infidelitas sicut & adulterium carnale specialiter habent vim separandi matrimonia.
6. An si vnus coniux sollicitet alium ad peccandum possit petere diuortium, & n. 8.
7. An diuersitas credulitatis & religionis perfectionem matrimonij euertat.
9. Quoddam diuortium sit concessum iure naturæ.
10. An ob inductionem ad peccatum mortale detur sententia diuortij.
11. An si maritus ob aliqua crimina sit publice diffamatus, vxor possit virum dimittere, & sic è contra.
12. An vxor non teneatur dimittere virum qui ipsam alit ex rebus furto acquisitis.
13. Nauarri mens adducitur.

Vtrumque adulterium tam carnale quam spirituale diximus ex sententia Christi esse causam sufficientem perpetui diuortij, nisi fiat compensatio, præter hæc autem nulla est alia causa perpetui diuortij nisi ad tempus siue determinatum siue indeterminatum, ut ait Trid. sess. 23. cano. ... † Huius temporalis diuortij causæ plures adducuntur ab auctoribus. In genere autem sunt sequentes quæ hic sunt examinandæ, prima est si vnus coniux alium pertrahat ad peccandum, secunda sciticia alicuius coniugis, tertia si fiat aliquis eorum furiosus, de quibus late Thomas Sanchez lib. 10. à disp. 17. vsque ad 19. Legionensis aliqua prælibauit lib. 9. cap. 23. & Perez disp. 60. Dicastillus pauca & summaria tr. ult. de matr. ego vero media via incedam.

Igitur † de prima causa quæ est pertrahatio ad peccatum, certum est, quod etsi vnus coniux alium suis peccatis scandalizet, quod si hoc non sit, quod illud pertrahat ad peccandum ipsum inducendo, persuasionibus, monitionibus, minis, promissionibus, &c. nõ licet petere diuortium, nec ab alio coniuge quantum

quantumuis grauibus delictis perpetrandis sit intentus (si non sit hæresis, adulterium, vt supra diximus, aut idololatria c. 2. de diuort.) diuertere, sed tenetur cum eo residere, quia ipse etsi malus sit nõ inducit alium ad malum, etsi enim malum operetur, tamen non intendit alium inducere ad malum, qui sua voluntate dumtaxat malum facit, si enim, quia malus est & vitiis intentus, non intendens, vt alius malus fiat nec inducit ad malum, licite concederetur diuortium ansa daretur, vt facillimè dissoluerentur matrimonia, id quod expressè cauetur cap. 2. de diuort. cit. & tenent vniuersi vtriusq; iuris interpretes & omnes Theologi cum D. Thoma in 4. distinct. 39. quæst. vnic. articul. 6.

3 quia ait, quod † fornicatio corporalis & infidelitas specialem habent contrarietatem ad bona matrimonij, vnde specialiter habent vim separandi matrimonia, quod non habent alia peccata, quare ista non esse causam sufficientem petendi diuortium coram iudice Ecclesiastico, quamuis vir si velit posset se subtrahere ad tempus à consortio vxoris ad castigationem subtrahendo ei presentie suæ solatium; vnde ad solut. ad 3. cum sibi obiecisset locum Matthæi 18. num. 9. si dextera manus tua scandalizat te abscinde eam & proijce abs te, quod glossa ibi intelligit de vxore. Respondet S. Doctor, quod hoc intelligendum est quum mulier præstat magnam occasionem ruinae viro suo, vt vir probabiliter sibi de periculo timeat, tunc enim vir potest se subtrahere ab eius conuersatione, vt dictum est in corp. articul. vt scilicet vxor eo solatio destituta respiciat.

4 Quare non ex eo præcisè, quod † hæresis secum adfert magnum periculum peruertendi fidem, & religionem alterius coniugis isti licitum est diuertere, quia ratione huius periculi si proximum est, etiam licet diuertere ob alia crimina, quibus assuescit alius coniux, quia iure naturali cuiunque est siue præceptum siue permissum fugere periculum mortis spiritualis ratione peccati mortalis, siue naturalis per homicidium, atqui Patres, Concilia, & omnes scriptores dicunt, quod † hæresis siue infidelitas, sicut & adulterium carnale specialiter habent vim separandi matrimonia, quia huiusmodi peccata specialem habent contrarietatem ad bona matrimonij, & sic vt supra probatum relinquimus Christus Dominus declarauit esse sufficientem causam diuortij perpetui, non ratione periculi, quia cessante hoc periculo peruersio à fide non liceret diuertere cuius contrarium supra dixi, sicut cessante periculo imitandi coniugem in aliis criminibus, non licet ab ipso diuertere, sed est obligatio cohabitandi & cum illo residendi, nisi ad tempus, vel

ad puniendum, & castigandum, vel ad fraternaliter corrigendum in quo pares sunt vir & vxor si probabilis sit spes, quod vir corrigatur tali temporaria separatione thori, & debiti denegatione.

Secundum certum est, quod † si vnus coniuX sollicitat alium ad peccandum mortaliter, siue ad furtum, siue ad homicidium, siue sortilegium, aut habendum pactum, siue explicitum siue implicitum cum dæmone, sollicitet inquam suasionibus, minis, aut aliis modis, potest petere diuortium si correctus fraternaliter per se & confessionem, aut amicum non vult se abstinere ab inductione & sollicitatione, nec hoc potest indubium verti inter Catholicos, nec contrarium dixit Abulensis ad cap. 19. Matth. q. 70. in sol. ad 3. versic. dicendum, quia fundatur in cap. quæsiuit. 2. de diuortijs, in quo Alexander III. hoc discrimen constituit inter hæresim & infidelitatem ex vna parte, & cætera alia crimina ex alia, quod ista non sunt causa diuortij, at illa sunt ex natura sua, & ex Christi lege, quia hæresis & infidelitas facto ipso inducunt ad simile, & sunt contra bona matrimonij, diuersitas enim † credulitatis, & religionis perfectionem matrimonij euertit, & parentes quilibet curant trahere prolem ad suam credulitatē, & alium coniugem, existimans id animæ saluti necessarium esse, vt aiebat S. Doct. vbi sup. quod non contingit in aliis delictis ex ipso natura, & id est quod dicit Abulensis. Cæterum quando coniux inducit expresse coniugē ad quodlibet aliud crimen mortale, & in hac inductione perseverat, nullus Catholicus negare quit, quod potest ab illo diuortari, quo vsque desistat ab inducendo ad peccatū, hoc enim docuit Christus. Matth. 18. n. 9. dicens si oculus tuus scandalizat te erue eū & proijce abs te, vbi per oculum PP. intelligunt vxorem, maritum, & ceteros propinquos, quia iure diuino tenemur vitare damnū animæ, & ruinam à gratia per peccatum mortale. Vnde quum coniux habitare & residere cum alio non vult, nisi cū participet in latrocinio, vel latrones protegat, occultet, vel tueatur, vel in sigillando falsam monetam, vel occultando falsificatores, aut falsa sigilla, non tenetur coniux cum illo residere, imo tenetur dimittere quo vsque emendetur, omnino enim diuertendum est à coniuge scelerato ad peccatum inducente, vel ponente in occasione proxima peccandi aliū. Ita Aug. lib. 2. de ser. Dom. in monte c. 28. neque † ad hoc diuortiū requiritur sententia iudicis Ecclesiastici, sed iure naturæ concessum est ad vitandum damnū animæ, quod tandiu durabit, quandiu inductio & occasio proxima durat, imo etiam si adsit sententia iudicis, non est perpetuum diuortium, sed ad tempus, quan-

diu durat inductio, nec aliter potest iudex iudicare, quod diuortium perpetuum, solum imponitur propter fornicationem corporalem & spiritualementem.

10 Verum est, quod, quum † ob inductionem ad peccatum mortale datur sententia diuortij, vt effectus huius sententiæ finiatur & cogatur alter innocens admittere ad cohabitationem & residentiam matrimonialem debet constare quod iam inductio cessauit, & est sollicitator emendatus, quod si innocenti id constet alias, tenetur ipsum admittere, dixi, quod inductio debet esse ad mortale, nam inductio ad veniale ex genere nõ est sufficiens, vt ad mendacium, siue ex leuitate materiæ, vt ad furtum leue, & similia, & similiter non sufficit quod vna vel altera vice inducat ad mortale, quod non est in damnum tertij, aut Reip. sed ad delectationem aut quid simile, quia ad hoc magis inducit delectatio, & concupiscentia, quam malitia, & non dicitur quis scelestus propter vnam inductionem, quod secus est de vtroque adulterio tam carnali quam spirituali, vnum enim istorum sufficit ad diuortium iuxta dicta in superioribus.

His addo primum, quod si maritus propter latrocinia aut alia crimina † sit publice diffamatus per sententiam per quam infamis efficitur per plateas fustigatus, aut ad triremes damnatus, aut vxor propter veneficia sit papyracea mitra ducta in publicum, vir potest vxorem dimittere, nec vxor virum, sed innocens tenetur cum damnato & infami cohabitare, & residere, quia iure diuino tenentur præcepto residentie maritalis.

12 Addo secundum, quod † vxor non tenetur dimittere virum, qui ipsam alit ex rebus ex furto acquisitis vel vsuris, quia ex hoc non fit pariceps delicti, nec ad illud sollicitatur quamuis maritus impotens fiat ad restituendum, nisi ipsa vxor sollicitet ad vsuras, aut ad furta, tunc enim peccat, etsi maritus alias habet hoc vitium, non tenetur ab eo diuertere, sed solum non sollicitare ad furta & vsuras iniquas, quod si ex istis ab ipso marito solo factis vxor sustentetur, etiamsi alias ipsa mortuo marito ad pinguiorem euenerit fortunam, non tenetur aliquid restituere, nisi id quod superflue ipsa expenderat, aut consensit quod maritus in eius sustentatione expenderit, & quidem quod non teneatur restituere, id quod maritus in ea honeste iuxta statum suum & qualitatem expendit, tenet

13 Nauarrus † in *summa* cap. 17. n. 268. quia ipsa non peccat his bonis se alendo, & ad hoc maritus tenetur priusquam ad restituendum, nam præceptum de alenda vxore prius obligat, quam restituendi absolute loquendo vnde vxor ad nihil tenetur, sed maritus, si iste ad pinguiorem deuenerit fortunam.

## §. III.

De scuitia coniugis.

## S V M M A R I V M.

1. Quid nomine scuitia veniat intelligendum.
2. Probationes scuitia necessaria & concludentes debent esse ad thori separationem.
3. An aestimare quæ causent metum cadentem in constantem virum sit res arbitraria.
4. An probabilitas & causa timendi non sit estimanda absolute secundum se, sed respectu subiecti malum timentis.
5. An si mulier non machinetur mortem viro, non sit sufficiens causa diuortij.

Nomine scuitia † quæ sufficientem præbet causam ad diuortium intelligunt Doctores hanc materiam tractantes, illam, quæ metum iustum cadentem in constantem virum incutit, huius timoris obiectum est malum graue ratione cuius vitandi, excusatur quis à præcepto residendi, & cohabitandi, cum coniuge scuo & crudeli, adeo quod etiamsi expoliatus sit ab vxoris possessione, vxor restitui non debet à iudice si coram ipso probata est scuitia eius, ita expresse decisum est *cap. litteras cap. transmissa de restit. spoliat.* vbi omnes Canonistæ, cum tamen separatio thori res sit ardua & grauissima, vt ait Rota apud Farin. in *vna Romana separationis thori* 3. Decemb. 1612. coram Pirouano num. 2. † probationes scuitia necessaria & concludentes debent esse, vt autem metus iste sit grauis & cadens in constantem virum, non requiritur, quod sit metus mortis, aut amissionis maioris partis bonorum, sed etiam potest esse ex aliis motiuis metus cadens in constantem virum, vt bene Thom. Sanch. *lib. 4. de matrim. à disp. 5. vsque ad 7.* Cæterum vt ait Rota *vbi supra decis. 372. in vna Romani Palatii* 16. Ianuar. 1612. coram Damaszeno num. 7. Ex qualitate personæ, & familiæ, eadem res dicitur magis, vel minus præiudicialis & damnosa, vnde timor damni, quod est leue respectu plebeie sceminae potest esse cadens in constantem hominem respectu sceminae nobilis, & tanto magis crescet quantitas damni, quanto magis creuit qualitas personæ, verbera quæ respectu sceminae ordinariae nõ arguunt viri scuitiam & acerbam cohabitationem, bene eam arguunt respectu sceminae nobilis iuxta notata à Barth. *conf. 116. num. 2. lib. 3.* Tiracquell. *tract. de penis caus. 31. n. 28.* Basil. Legionens. *lib. 9. cap. vlt. n. 5.*

Hinc est quod † aestimare quæ causent metum cadentem in constantem virum res arbitraria est, ita vt pro foro externo iudicio arbitrio, & pro foro interno boni & timorati viri iudicio relinquatur l. 3. *D. ex quibus*

*bus caus. maior. ibi. Non sufficit quolibet terrore adductum timuisse, sed huius rei disquisitio iudicis est, ita leg. autem, ff. si cui plus. ibi. Cum possint illusoria minæ fieri, ideo eam rem Prætor ad cognitionem suam reuocat.* idque multis citatis tenet Thom. Sanch. lib. 4. disp. 5. & l. 10. disp. 18. n. 13. non enim tantum obiectum timoris perpendendum est ad iustum metum cadentem in hominem constantem, sed etiã eius probabilitas, & subiecti qualitas, cui metus incutitur, vtrumque enim considerari debet à iudice, & bono viro, vt diiudicetur, an metus cadat in virum constantem, nec enim † probabilitas, & causa timoris æstima-  
 4 manda est absolute, & secundum se, sed respectu subiecti malum timentis, tam quoad grauitatem mali, quam quoad probabilitatem, & modum timendi, ille enim qui natura sua pusillanimis est ex faciliiori motu ad timendum ducitur, & sic respectu illius metus erit cadens in virum constantem, ille, qui respectu alterius leuis est, vnde sæuitia viri, quæ respectu mulieris est sufficiens causa diuortij si similis sit in vxore respectu viri, non erit sufficiens, sed multo maioris mali inferendi ab vxore æstimatio requiritur, vt vir exigat diuortium ratione  
 5 sæuitiæ vxoris, quare † si mulier non machinatur mortem gladio, vel veneno, vel intendat ipsum maleficiis fatuum reddere, vel quid simile non est sufficiens causa diuortij ratione sæuitiæ vxoris, ratione cuius posse fieri iudicis sententia diuortium, certum est cum in hoc pares sunt vxor & vir, & ad paria iudicantur licet ex causa diuersa. Hæc autem sæuitia non solum est consideranda ex metu graui illato, sed etiam ex metu mali futuri, quod probabiliter timetur. Ita Couarr. 4. decret. p. 2. cap. 7. §. 5. n. 2. Barb. Rubric. D. solut. matrim. p. 2. n. 32. Gutierr. l. qq. Canon. cap. 24. à n. 9. vt si vir ex vxoris genio terribili ira, natura inclinata ad veneficia, timeat ne ipsum aliquo veneficio liget similiter si inter coniuges sit lis excitata super maiore bonorum parte, tunc posset futura sæuitia præsumi attenda personarum genio qualitate & aliis circumstantiis.

**SVBRESOLVT. III.**

*Sufficit ad diuortium, quod mulier sit venefica aut strix.*

**S V M M A R I V M.**

1. An si mulier sit venefica aut strix sit sufficiens causa diuortij.

**E**X præfato principio multa deducuntur Corollaria primum sufficientem esse sæuitiam ad diuortium, & dimittendam

vxorem, & cum illa non residendum quousque emendetur & corrigatur, † si venefica sit, aut strix, quamuis enim hoc vitium non sit causa perpetui diuortij, at vir prudenter potest timere, ne si suis malis moribus non consentiat, quod aliquo maleficio lædatur, aut malè tractetur, sunt enim huiusmodi fœminæ pessimi genij, & facile capiuntur alterius amore, vel dæmonis tractu, ira facilè excitantur. Vnde solent maritos veneficiis, vel inficere, vel interficere. Habent enim huiusmodi veneficæ insigne nocendi studium & desiderium. Legendus est Petrus Greg. p. 3. Syntagmat. iuris lib. 34. cap. 1. sect. 2. 3. & 4. quare timor iste mali futuri prudens est, & cadens in constantem virum.

**SVBRESOLVT. IV.**

*Sæuitia parentum estne causa diuortij?*

**S V M M A R I V M.**

1. An sæuitia parentum sit causa sufficiens diuortij.

**S**ecundum † non solum sæuitia coniugum sufficiens ad petendum diuortium sed etiam parentum ipsorum, imo & fratrum si secum habent, & alter coniux est in causa, quod male tractetur volens vxorem illis cohabitare, consentiens simul residere in eadem domo, tenetur enim vir id periculum vitare & patrem, & fratres relinquere domoque eiicere, ne pax vxoria turbetur, nam propter vxorem *reliquet homo patrem & matrem.* & ad hoc tenetur in foro conscientiæ, & ad id facere potest iudex cogere censuris, potius quam celebrare matrimonij diuortium plura alia deducit Thom. Sanchez cit. disp. 18. à num. 26. quæ ad forum exterius maiori ex parte pertinent.

**SVBRESOLVT. V.**

*Lata sententia ob sæuitiam, innocens non potest ad religionem, aut Sacros Ordines transire.*

**S V M M A R I V M.**

1. An ob sæuitiam vel aliud crimen lata sententia diuortij non sit licitum quod coniux innocens transeat ad religionem.
2. An quod si iudex Ecclesiasticus absolutam protulerit diuortij sententiam.
3. Ratio difficultatis affertur.
4. Innocentij III. sententia adducitur.
5. In arduis potest quisquam nolle stare fragilitati cautionis.

6. An per sententiam absolutam diuortij ob scuitiam coniugis extinguatur ius omne coniugale.
7. An cum iudex Ecclesiasticus ob scuitiam diuortium celebrat sit hoc ex iure diuino.
8. Propter scuitiam coniugis probabiliter perpetuo duraturam possit separatio perpetua concedi, ex Nauar.
9. An post factum diuortium perpetuum liberum sit innocenti religionem profiteri.

**T**ertium est absolute loquendo † lata scuitia diuortij ob scuitiam vel aliud crimen quod nō sit adulterium carnale vel spirituale, non est licitum quod coniux etiā innocens transeat ad religionem, ibique professionem emittat solemnem, aut quod sacros Ordines suscipiat, inuito altero coniuge scuitiæ reo, professio enim nulla erit etsi in sacris ordinetur restituendus est si repetatur. Ratio est perspicua, quia diuortium, quod nō habet causam aliquam extra adulteria, non est perpetuum, & sic ius coniugale non est amissum, sed quasi consopitum & suspensum, eiusque executio impedita temporaliter, non perpetuo, sicut impeditur per vtrūque diuortium, potestque coniugis scuitia corrigi, quæ erat impedimentū, quo ablato statim consurgit expeditum ius, ad cohabitandum, & residendum, quod est ius naturæ, ut supra vidimus, & sic contra hoc ius nequit aliquis coniugum religionem solemniter profiteri, aut sacris Ordinibus insigniri.

2. Addo contra Sanchez n. 49. quod † etiam si iudex Ecclesiasticus absolutam protulerit diuortij sententiam, eo quod coniugis scuitiæ correctione desperetur, & arbitretur tantam esse coniugis scuitiam, ut nulla incolunitatis alterius sufficiens cautio præstetur, nihilominus innocens sic diuortiatu nequit religionem profiteri, aut Ordines sacros suscipere sine alterius coniugis scuitientis placito, & cōsensu. Hæc additio mihi indubitata videtur. Ratio est, † quia quodcunque diuortium (excepta vtriusque fornicationis causa,) quod sententia iudicis celebratur inter coniuges nequit extinguere ius, quod coniux habet in corpus alterius, quod est naturale, sed solum declaratur impeditum esse à scuitia coniugis scuitientis, ergo cum in voluntate istius sit positum, tollere hoc impedimentum, quo ablato exerit vires suas ius, quod habebat & potestas in corpus mulieris, ergo ista nequit validè in religione professionem solemnem validam emittere, nisi coniux scuitiens requiratur, an velit à scuitia cessare, quod si non vult, tacitè consentit, quod alter statum mutet. Vnde † Innocentius III. cap. Litteras. versic. si vero tanta (ait) sit viri scuitia, ut mu-
- 3
- 4

lieri trepidanti non possit sufficiens securitas prouideri, non solum non debet illi restitui, sed ab eo potius moueri. circa quæ verba Glossa ibi. verb. sufficiens. dicit, in hoc casu alicui honesta mulieri committenda est, ut securè moretur, supra. code. cap. ex transmissa. vbi Alex. III. id determinat, non ergo est aliquod ius quod concedat, quod coniux diuortiatu propter scuitiam alterius, possit & isto irrequisito professionem solemnem emittere, quod etiā tenet verum etsi coniux speciale odium habeat in alium, quia quamuis tunc non debeat vxor restitui viro, etiam si iste vellet cauere, & cautionem dare, ut ait Glossa ibi. in casus propositione versic. item quando quam sequuntur Aymon. conf. 31. n. 4. vol. 1. Decius cum Glossa cap. ex parte n. 15. de appellat. Zephalus conf. 384. à n. 64. volum. 3. ex notatis ad leg. qui ita §. 1. ff. ad Trebell. ex qua habetur, quod † in arduis posse quemquam nolle stare fragilitati cautionis, at nullus ex professo dixit, quod liceat coniugi irrequisito & inconsulto coniuge scuitiente professionem solemnem emittere. Nequit enim iudex sententia sua tollere ius in perpetuum, quod habet in corpus alterius, quod impeditum est, impedimento ad nutū amouibile, quare semper fundatur in præsumptione, quod scuitia semper durabit, cuius præsumptionis falsitas subsistit si coniux scuitiam mutat, vel gratia diuina mutante cor, vel ex aliis motiuis, & persuasionibus humanis.

Quare omnino falsum est, quod dicit 6 Thomas Sanchez, quod † per sententiam absolutam diuortij ob scuitiam coniugis extinguatur ius omne coniugale, sicut extinguatur ius omne coniugale, sicut extinguatur per adulterium, hoc inquam omnino falsum est, quia ex sententia Christi ius coniugale non extinguatur, nisi per adulterium, siue carnale, siue spirituale, ut vidimas, sic enim Christus ius naturale de residetia matrimoniali explicuit, quare per nullam humanam potestatem potest ius coniugale extingui, ita ut liceat statum mutare, iudex enim † Ec- 7 clestiasticus dum ob scuitiam, vel quia inducit coniugē ad mortale, celebrat diuortium cum hæc separatio thori & residentia cohabitationis coniugalis sit ex iure diuino concessa, quia est ex vi contractus matrimonialis, nequit fieri perpetua ab homine, nisi quandiu durat causa ob quam datur diuortium ad tutelam animæ & corporis coniugis innocentis, aliàs si vnus coniux sollicitaret ad peccatum alium, si sollicitatione nolbat se emendare potest innocens secluso scandalo valide profiteri in Religione, quod nullus dixit. Auctores autem quos ipse adducit Sanchez sententiam suam clarè non docent. Nam Nauarrus l. 4. consilior. concil. 5. de



8 de diuort. solum dicit, quod † propter scuitiam coniugis probabilitur perpetuo duraturam potest separatio perpetua concedi, non vero insinuat, quod possit religionem valide profiteri, similiter Henrriq. lib. 12. de matrim. cap. 5. litter. I. §. 10. solum dicit quod facto perpetuo diuortio ob adulterium vel aliud crimen potest vir, licet culpabilem dederit causam diuortij sacris inuitari, aut religionē profiteri, vbi clare dicit, quod † post factum perpetuum diuortium quod non fit nisi ob fornicationem carnalem, aut crimen hæresis, quod est fornicatio spiritualis, alias enim si coniux separatur ob affectatam cōiugis absentiam, licitum erit illo inuito innocenti religionem profiteri.

## §. IV.

De coniugis amentia, aut furia.

## S V M M A R I V M.

1. Quid nomine amentia sit intelligendum.
2. Amentes vnde dicti.
3. An quis possit esse amens sine furia, at nullus furiosus sine amentia.
4. Neque furiosus neque furiosa matrimonium contrahere possunt, si vero contractum fuerit non separentur, ex Fabiano Papa.
5. Augustini mens assertur.
6. Quam sit strictum præceptum naturale de residentia maritali ex Doctrina Patrum.

Supponimus quod amentia furiaue superuenit matrimonio iam celebrato per verba de præsentia, nam si antecedit, cum iure naturæ nullum sit matrimonium. Igitur † amentia est quando quis mentem expeditam non habet ad libere consentiendum, sed est priuatus rationis vsu, vnde notat Beroaldus in comment. 99. Tusculan. Cicero, amentia ab à particula priuatiua & mente, dicta, quasi sine mente, simile quid contingit in lingua Græca ἀνός & ἀνός, amentia amens, à priuatiua & νός quod significat mentem, vnde † Ar. proprie amentes dixit lib. 7. Ethicor. qui à natura expertes rationis solum solum munus exequuntur, immanes quidem belluarumque similes, habendi sunt. Quare amentia aliquando coincidit cum furia, quæ est mentis abalienatio vehemens circa febrim, & sic furia coincidit cum scuitia, quæ dimanat ex mentis abalienatione vehementi, vnde † potest esse quis amens sine furia, at non potest esse furiosus, sine amentia, furiosus enim ille est qui ex amentia agitated furit, & ferit, quem præ omnibus accipere quit. Igitur amens multipliciter cōsideratur, primò, quia omni-

no est mēte captus, vsū rationis penitus nō habens, vel ex infirmitate naturali ineptus ad discurrendum factus, vel ex maleficio demonis, aut veneficio à fœmina inducto, vel est mente captus, quia non bene circa agibilia, & domesticam œconomiam se gerit, vel circa proprias actiones, est tamen capax peccandi mortaliter, vel denique est mente captus, quia in aliqua materia distorte discurret, cum in aliis bene se gerat, similiter furiosus multipliciter potest considerari, aut enim semper agitur furia priuatus rationis vsu semper, aut fere semper feriens, quos potest ad manus haberi, aut non semper ferit, & damnum infert, sed habet lucida interualla, extra quæ, aut non furit sed amens est, sine rationis vsu, aut furit & ferit.

Igitur Fabianus Papa relatus cap. neque furiosus 26. 32. quest. 7. decernit, † neque furiosus, neque furiosa matrimonium contrahere possunt ( tempore furia & amentia ) sed si contractum fuerit non separentur ( si tuto habitare possunt ) & cap. hi 25. ead. caus. & quest. sic habetur, hi, qui matrimonium iam contraxit & vni ex duobus amentia, aut furor, aut aliqua infirmitas accesserit ob hanc infirmitatē cōiugia talium solui non possunt, similiter sentendum de his, qui ab aduersariis exuantur, aut membris truncantur, aut à Barbaris executi fuerint. Hactenus Nicolaus Papa ad Carolum Moguntin. Episcopum, & antea docuerat Aug. lib. de serm. domin. in monte cap. 32. † si uxorem ( inquit ) quis habeat sterilem, aut deformem corpore siue debilem membris, vel cacam vel surdam vel claudam, vel si quid aliud, siue morbis & doloribus langoribusque confectam, & quidquid excepta fornicatione cogitari potest terribile pro fide & societate sustineat. Quam doctrinam sequitur D. Thom. in 4. dist. 35. quest. 1. art. 4. & lect. 2. in cap. 7. epist. 1. ad Corinth.

Ex qua Patrum certa doctrina sequitur, quam strictum sit præceptum naturale de residentia maritali mutuaque vtriusque cōiugis societate, à qua non liberat, nisi aliud præceptum altius, qualis est conseruatio vitæ propriæque salutis, & incolumitatis, quum enim ista ratione residentia periculo proximo est exposita licita est absentia & fuga, quandiu adest tale periculum quia coniux habet ante ius ad suam tutelam & defensionem quod semper manet illæsum.

## SVBRESOLVT. VI.

Ob amentiam superuenientem, non licet sanā amentem relinquere.

## S V M M A R I V M.

1. An si amentia absque furia superueniat matrimonio

*matrimonio non liceat sano amentem relinquere, siue amentia sit perpetua siue ad tempus.*

2. *Variorum sententia adducuntur.*

**S** Equitur secundo, † quod si amentia absque furia superueniat matrimonio, non licet sano amentem relinquere, siue amentia perpetua sit, siue ad tempus, siue aliquo ex modis dictis, si tamen sit furiosus habēs, tamen lucida interualla in his tenetur cum eo residere, & debitum reddere, non tamen tempore furia, si sano damnum notabile imminet, vnde ob coniugis amentiam, vel furiam sine damno notabili, aut illius periculo nunquam licet fuga, aut absentia à residentia matrimoniali, nec est causa sufficiens ad diuortium celebrandum. Hoc autem damnum, aut illius periculum debet esse circa vitam, aut salutem, ne scilicet vulneretur sanus grauius, damnum aliud quod non sit huius generis non est sufficiens causa absentia, præceptum enim naturale de cohabitatione coniugum, & eorum correptione, nisi ab altiori præcepto non cohibeatur, sed semper exerit vires suas, & obligationem quia solum ius tuendi propriam vitam præualere potest, neque aliquis est antiquorum qui alio periculo eximat hanc obligationem, aliqui enim † indistincte dicunt debere imminere periculum, alij quod furor debet esse maximus, alij quod intolerabilis, quæ omnia vitæ aut vulneris periculum imbibunt quia aliorum damnorum periculum leuius est quam sufficiat ad separationem idque intendunt Patres citati dum dicunt, *quidquid morbis, laboribus, & quidquid excepta fornicatione excogitari possit terribile pro fide, & societate sustineat.*

### SUBRESOLVT. VII.

*Vtrum coniugi leproso, aut gallico morbo infecto teneatur sanus reddere debitum?*

#### S V M M A R I V M.

1. *An si coniux sit leprosus vel morbo gallico infectus, alter sanus teneatur debitum reddere.*
2. *An cum coniux sanus ante matrimonium agnouit lepram alterius, & nihilominus contraxit, teneatur etsi adsit infectionis periculum leproso debitum reddere.*
3. *An quamuis coniux sanus non teneatur reddere debitum leproso cum periculo notabili infectionis, at si reddat meritum opus exercebit, si ex amore matrimonij id efficiat.*
4. *Authoris iudicium, & n. 16.*
5. *Necnon S. Doctoris & Caiet. sententia, &*

*num. 6.*

7. *Alexandri III. sensus adducitur, & numer. 8.*
9. *Obligatio reddendi debitum est ex iustitia.*
10. *Matrimonium an sit institutum in remedium concupiscentia.*
11. *Quod discrimen intercedat inter redditionem debiti, & cohabitationem cum leproso.*
12. *Multorum DD. sensus afferuntur, & n. 13. & 14.*
15. *An si lepra adueniat post celebratum matrimonium teneatur reddere debitum sanus.*
17. *An coniux sanus non teneatur cohabitare in eodem lectulo cum leproso, sicut tenetur reddere debitum.*
18. *An cohabitatio in eodem lecto aut domo non sit per se præcepta.*
19. *S. Bonaventura sententia affertur.*
20. *An non possit celebrari diuortium propter lepram.*

**H** Inc deciditur illa grauissima difficultas † an si coniux sit leprosus vel morbo gallico infectus teneatur alter qui sanus est debitum reddere? negat Thomas Sanchez lib. 9. de matrim. disp. 24. à num. 17. multis citatis addens primum, quod hoc intelligitur de frequenti coitu ex quo frequenter potest timeri infectio, semel autem vel iterum reddere non infert hoc periculum, quare ad hoc tenetur, addit secundum, quod quando vir leprosus vel morbo gallico infectus, sūt horribiles aspectu, ob morbi plagas, & membra vt nasus & alia decidunt non tenetur reddere etiam si cesset infectionis periculum, quia horum fœtor, & horribilitas aspectus rem facit moraliter impossibilem, ad quam cogere sub mortale durissimum est, addit tertium, quod † quum coniux sanus ante matrimonium agnouit lepram & morbum gallicum in alio, & nihilominus contraxit tenetur etiam si adsit infectionis periculum leproso coniugi debitum reddere, quia sciens, & prudens ad id se adstrinxit contractu matrimoniali, cum ex vi huius contractus coniuges obligentur ad mutuam residentiam & cohabitationem, addit quartum, quod † quamuis coniux sanus non teneatur reddere leproso aut gallico, cum periculo notabilis infectionis, at si reddat opus meritum exercebit si ex amore matrimonij id efficiat. *Quia* (inquit) *in morbis diuturnis, & quasi habitualibus, neque ad mortem tendentibus præponderat coniugalis amor & vitatio periculi inconstantia in utroque aut saltem in altero coniuge, fere semper contingens illi infectionis periculum.*

Verum enim vero licet hæc sententia probabilis

4 habilis sit vna cum additamentis, † ego aliter discusso iuxta principia vtriusque Thomæ. Affero igitur quoties coniux sanus potest licitè reddere debitum coniugi leproso tenetur reddere sub mortali. Hæc est expressa sententia D. Thom. in 4 dist. 32. q. vn. art. 1. ad 3. dicentis, quod lepra soluit sponsalia, sed non matrimonium, vnde vxor viro leproso tenetur debitum reddere, non tamen tenetur ei cohabitare (in eodem lecto continuè,) quia non ita cito inficitur ex coitu, sicut ex frequenti cohabitatione, & quamuis proles generetur infirma, tamen melius est ei sic esse, quam penitus non esse. Angelicum D. sequitur Purgatus Caiet. 2. 2. q. 154. art. 1. §. ad tertium

6 dicitur. vbi ex eo, quod sanus potest reddere debitum leproso colligit, quod tenetur sic enim (ait.) Videmus quotidie nostris temporibus coniuges non se deserere quondam thorum & habitationem propter tam grande malum & contagiosum quale est malum vulgariter appellatum gallicum. extra quoque de coniugio leproforum. Alexand. III. dicit, quod nulla ex hoc casu exceptio inuenitur à generali præcepto debiti coniugalis reddendi. Hactenus Cardinalis.

Idem videntur decidisse Patres supra citati ex 32. quest. 7. & clarius in specie huius difficultatis Alex. III. quoad hoc, quod sanus non debeat deserere leprosum. cap. peruenit. vbi eam dat rationem, † quia cum vir & vxor vna caro sint non debet alter sine altero esse diutius. Mandamus quatenus, vt vxores, viros & viri vxores, qui lepra morbum incurrunt sequantur, & ei coniugali affectione ministrent sollicitu exhortationibus inducere non postponas, si vero ad hoc induci non poterunt arctius iniungas, vt altero viuente continentiam seruet, quod si mandatum tuum seruare contempserint vinculo excommunicationis adstringas. Hæc ibi, vbi Glossa verb. ministret, dicit, quod sanus non debet compelli ad continuo manere in eodem lecto, bene tamen in eadem domo, vt coniugali affectione sanus ministret infirmo, & rationem dat Pontifex, quia, vir & vxor sunt vna caro, & sic ex iure naturæ tenentur simul residere & vnus alteri ministrare.

8 Deinde, quoad debiti redditum idem Pontifex, cap. quoniam. sic fatetur, si virum, siue vxorem leprosum fieri contigerit & infirmus à sano carnale debitum exigat, generali præcepto Apostoli, quod exigitur, est soluendum cui præcepto nulla in hoc casu exceptio inuenitur. hoc ibi, quo nihil clarius, nec video, quid rationabiliter dici potest ad tam manifestum testimonium, etsi enim, vt S. Doctor dicit art. 1. cit. 4. sent. in corpo. secundum ordinem nature nutritiua non deseruiat generatiue (ad cuius actum ordinatur matrimonium) nisi secundum, id quod superfluit ad conseruationem indiuidui, quia hic est ordo naturalis, vt prius quis in se

ipso perficiatur, & postmodum alteri de perfectione sua communicet, ideo cum vxor in viri potestatem non habeat, nisi quantum ad generatiuam virtutem, non tamen quantum ad ea que sunt ad conseruationem indiuidui ordinatam vir tenetur vxori debitum reddere indiuidui ordinatam vir tenetur vxori debitum reddere in his que ad generationem prolis spectant. salua tamen prius persone incolumitate. etsi enim doctrina ista verissima sit & fundamentum decisionis Apostolicæ, tamen eo ipso, quod quis potest reddere leproso, euident est ad id teneri ex Apostoli & Christi præcepto, quia † obligatio reddendi debitum est ex iustitia cum vir non habeat potestatem sui corporis, sed vxor &c. at quum est obligatio ex iustitia, & potest impleri, tenetur creditor soluere, quod exigitur, neque in hoc aliqua exceptio inuenitur, vt ait Pontifex, si enim debeo centum & possum, si voluero soluere, quis dicat non teneri, quamuis cum aliquo periculo damni futuri, neque enim hoc releuat obligationem iustitiæ, si sine peccato possum soluere, & attentis omnibus circumstantiis à sola mea voluntate pendet soluere, vel non soluere; ergo eo ipso, quod coniux sanus potest soluere debitum etiam si adsit periculum infectionis lepræ, morbi gallici, & morbi S. Lazari, & similibus, qui diurni sunt & non tendunt immediatè ad mortem sicut pestis, epidemia & similibus.

Deinde idem confirmatur, quia † matrimonium est institutum in remedium concupiscentiæ, quare ex vi suæ institutionis coniux sanus reddere corporis sui debitum congruum & vsum alteri leproso, ne concupiscentia illectus peccet mortaliter, etiam si sit cum periculo infectionis morbi, ex vi enim contractus matrimonij hoc periculum tenetur subire, vt probat egregiè S. Bonauent. infra adducendus, si potest tuta conscientia; quare † hoc est discrimen inter redditionem debiti & cohabitationem cum leproso, & cum coniuge infecto peste, & epidemia tendente ad mortem, quod cum isto potest si vult alter coniux habitare non tamen tenetur, at cum illo tenetur si moraliter potest, quia vt aiebat D. Thom. vnus coniux non habet potestatem in corpus alterius, nisi in ordine ad generationem & sedandam concupiscentiam; generatio enim ad multiplicandam speciem præsupponit conseruationem indiuidui generantis & suæ persone incolumitatem, vnde si cohabitatio est cum periculo vitæ, etsi ob charitatem possit tenentur iuri, quod habet ad vitæ incolumitatem, sicut potest pro aliis infirmis curandis, at non tenetur, si autem est cum periculo infirmitatis habitualis, & quæ non dicit ad mortem immediatè, si potest reddere debitum

debitum tenetur reddere, ex vi contractus matrimonialis, maior enim obligatio est reddendi debitum, quam fugiendi periculum incurrendi in infirmitatem.

- 12 Et hoc est motiuū Alexandri III. *in decis. c. quoniam*, & D. Th. quem sequuntur D. Bonauent. *ibi art. 2. quest. 1.* Ricardus *q. 2. art. 4.* Carthuf. *quest. 1.* & alij quos citat Sanchez idem sentiunt Petrus de Ledesma *de matrimon. quest. 64. art. 1. dub. 2. concl. 3.* Manuel Rodrig. *tom. 2. meæ summa cap. 243.* Vega *tom. 1. cap. 78. casu 3.* asserentes quod quando coniux est in graui periculo incontinentiæ, tenetur coniux sanus illi reddere debitum, etiā cum notabili salutis suæ corporalis detrimento, quia ad hoc obligatur ex vi contractus matrimonialis, ex vi cuius teste Sanchez *additione 4.* magis ponderat vitatio periculi incontinentiæ, in vno, vel in vtroque coniuge, quod fere semper contingit, quam vitatio periculi infectionis, quod argumentum euidentia est morali euidentia ad intentum nostrum, quod etiam tenentur defendere illi, qui dicunt, quod si lepra, aut morbus gallicus vel S. Lazari præcessit matrimonium, tenetur coniux sanus, etiam si sit probabile infectionis periculum reddere debitum alteri coniugi eo morbo laboranti, quia sciens & prudens ad id se obligauit per matrimonij contractum, ita Sanchez *num. 22.* & sequuntur Petrus Ledesma, Rodriguez, Vega & alij, quod enim antecedit lepra matrimonium, vel illud subsequatur nihil refert, cum enim non sit (vt ait Sanchez) in domo coniugis sani salus & vita sua sicut post contractum matrimonij, si superueniat lepra nequit reddere debitum cum probabili periculo infectionis, quia cum non sit dominus salutis corporis nequit illi renuntiare, ita si ante coniugium celebratum coniux lepra sit infectus, & hoc sciens contrahit sanus non tenetur reddere, quia etiam nequit cedere iuri suo, ad quam cessionem faciendam non est Dominus siue ante siue post celebratum matrimonium; quare si tenetur, sciens lepram inesse alteri coniugi ante contractum celebratum, ideo est quia
- 15 ex vi contractus tenetur, quare † etiam si lepra adueniat post celebratum matrimonium tenetur, quod secus est in aliis contractibus, in quibus si vitium rei sit occultum vitiat contractum non vero in matrimonio, huius enim adeo est stricta & immutabilis obligatio, quod respectu illius, nihil possit eam immutare, & cohibere nisi periculum damni quod conseruationem indiuidui & personæ incolumitatem euertat, quale non est nisi periculum mortis, vel infirmitatis, quæ toto vitæ tempore impediatur vsum matrimonij.

Quod si ex morbo gallico aut lepra, &

S. Lazari infirmitate membra decidant, & fætor sit valde grauis, & deformitas horribilis, † existimo quod si sanus potest moraliter se vincere ad reddendum debitum tenetur reddere, quia si debitor potest soluere tenetur soluere, quod debet ex iustitia, si tamen non potest sanus seipsum vincere propter fætores, & deformitatem, vt reddat quia horret animus, & prouocatur ad nauſeam & ita fugit coitum, cum illo, sicut mortem, nec enim obligandus est coniux sanus cum tanta naturæ suæ repugnantia debitum reddere, hæc enim repugnantia, non ex voluntate non soluendi nascitur, sed ex speciali complexione naturali, ex qua nascitur voluntas honesta non soluendi debitum habens animi præparationem ad soluendum semper quod naturam suam vincere possit, vnde etsi semel vel iterum soluat, quia se vincit non sequitur quod teneatur ad semper soluendum, quia non semper se vincere potest.

Ex quibus inferitur S. D. & multos alios quos supra dedi recte dixisse † coniugem sanum non teneri cohabitare in eodem lectulo cum leproso sicut tenetur reddere debitum, quia non ita cito inferitur ex coitu sicut ex frequenti cohabitatione in lectulo, & consortio matrimoniali continuo, cuius discriminis ratio non est præcisè periculum infectionis, quod magis timetur ex cohabitatione vt falso putat Sanchez *num. 29.* siue in eadem domo siue in eodem lecto, sed ratio est quia non ita strictè iure naturali diuino tenentur coniuges ad residendum in eadem domo aut lecto, sicut tenentur reddere sibi debitum coniugale, cum ex vi matrimonij vir habet potestatem, & dominium corporis vxoris, & vxor viri, quare semper quod potest reddere debitum tenetur, etiam cum periculo infectionis lepræ, cum periculum hoc non euertat obligationem principalem matrimonij, at † cohabitatio in eodem lecto, aut domo non est per se præcepta, nisi in ordine ad reddendum debitum coniugale, & domus gubernationem, & marito officia præstanda, filiorum educationem, & similia, quare cum non sit tam stricta obligatio cohabitationis cum hæc omnia possint absolute præstari sine cohabitatione, in eadem domo & lecto, vt bene Armlila *verb. lepra num. 3.* Syluester *eodem quest. 3.* periculum infectionis sat est ad non obligandum ad cohabitandum, non tamen est ad non obligandum reddere debitum, quanto enim strictior est præcepti obligatio, tanto maior requiritur causa illam releuans, vt latius dixi *tom. 1. moral. tract. 1.* neque enim cuiuscunque damni timor, aut periculum sufficit ad quamcunque legis obligationem auferendam, vnde egregie † S. Bonauent. *ubi supra 19 ad 1.*

ad 1. & 2. dicit non bene sequi non tenentur cohabitare, ergo non tenentur reddere debitum, cuius pulchram rationem dedit in argumento, tum quia cum vinculum matrimonij per lepram superuenientem non solvatur manet ius, & potestas petendi debitum, tum quia leprosi non tenentur ad continentiam, neque ad eam possunt cogi: ergo cum de fornicatione tentantur, necesse est vxores eorum eis reddi, & istæ tenentur reddere, & ad hoc cogi censuris.

Ex his quæ de diuortio propter furiam diximus in superioribus † quod non potest celebrari diuortium propter lepram, quam medici periti iudicant *leoninam*, & insanabilem. dicuntque esse periculum proximum infectionis grauis, sitque horribilis aspectu leprosus, aut gallico morbo infectus, quare nequit coniux sanus ad religionem conuolare sine consensu coniugis infirmæ, etiamsi celebraretur diuortium à iudice Ecclesiastico, quod probandum est eodem fundamento, ac probaui supra.

## §. V.

## De coniugis absentia.

## S V M M A R I V M.

†. Ex quot causis coniugis absentia potest dimanare.

**H**Æc cōiugis absentia ex multiplici causa dimanare potest † primò, quia maritus negotiationis causa aliò vadit, quod fieri potest vel animo ad propriam domum redeundi, vel alibi domicilium constituendi. Secundò, quia vult vagari & nullam certam sedem habere. Tertiò, quia ob delictum mittitur in exilium, vel ad tempus, vel perpetuum. Quartò, quia vir ad triremes, vel præsidium conclusam damnatur. Quintò, quia ad bellum mittitur contra infideles. Sextò, cum peregrinationis causa. Septimò, cum obstinata absentia alibi moratur contra alterius coniugis voluntatem. Octauò, cum vir vult domicilium mutare, quo non vult ire vxor.

## SVBRESOLVT. VII.

*Vtrum contractui sponsalium possit conditio apponi, quod vir teneatur in hac ciuitate, aut domo habitare?*

## S V M M A R I V M.

1. An possit in sponsalibus apponi conditio quod vir cum vxore teneatur in hac ciuitate vel domo cohabitare.

Tom. II.

2. An pactum de nouo initum vt maritus teneatur residere in ciuitate vel domo cum vxore, in foro conscientie non obliget.
3. Variorum Doctorum sensus afferuntur.
4. An nullus possit adstringi ad domicilium in vno tantum loco habendum.
5. An vir iure diuino & naturali vxori superior sit quoad domesticam & æconomicam dispositionem.
6. A qua obedientia mulier nequeat absolui per quodcunque pactum initum ante matrimonium.
7. An maritus mutans domicilium non obstante quocumque pacto possit cogere vxorem vt ipsum sequatur secumque cohabitet.
8. Si aliquod pactum eximeret vxorem ab obligatione sequendi virum, daretur vterque coniugi occasio adulteria committendi.
9. An contrahens matrimonium nequeat ponere pactum quod sit oppositum institutioni & unitati matrimony.
10. Lex non cohabitandi cum leproso non admittitur iure canonico.
11. Quid ex traditis sit deducendum.

**P**Rius tamen quam per hæc discurremus examinandum est † an possit in sponsalibus apponi conditio, quod vir cum vxore teneatur in hac ciuitate aut domo cohabitare, taliter quod si vir aliò migret non teneatur vxor illum sequi: adfirmat Thomas Sanchez lib. 1. de matrimon. disp. 40. à num. 2. multis citatis quia in traditione rei suæ potest quis pactum interponere leg. 1. C. de pactis & cap. verum de condit. apposit. ergo in traditione sui per matrimonium. Secundò, quia licet leg. Titio centum 71. §. Titio centum D. de condit. & demonstr. conditio de residendo in in aliquo loco detur pro non adiecta, tamen hoc intelligitur cum ea conditio est vana in nullius fauorem cedens, vt multis adductis tenet Mieres de maiorat. 1 p. 9. 57. n. 3. at in præsentis conditio hæc cedit in maximum vxoris fauorẽ, ne patria desertacogatur inter extraneos habitare, ex quo colligitur, quod si vir non obstate pacto inito absque noua causa superueniente domicilium mutet, non teneatur vxor illum sequi, sed immunis est ab obligatione cum illo residendi & cohabitandi, quia (inquit) lex diuina in hoc euentu non obligat.

Sed contrarium est omnino tuendum, pactum hoc † de nouo initum, vt maritus teneatur residere in hac ciuitate, aut domo simul cum sua vxore, in foro conscientie non obligare, & dato quod obliget si pacto non stans maritus domiciliũ mutet, teneatur vxor illum comitari. Hanc sententiam tenent Couar. de matrim. p. 2. cap. 7. n. 6. & 7. vnde quoad vtrumque punctum egregie loquitur Anton. Gomez. l. 2. variar. c. 10. n. 24. † Azeuedo. lib. 2.

recopilat. tit. 6. leg. 11. à num. 21. Lopez p. 2. tract. de matrimo. cap. 54. in fine Probatum primò ab Illustrissimo Præsìde, quia est species seruitutis in vno & eodem loco habitare. leg. Titio centum cit ubi hoc notant omnes, & leg. 2. D. de liber. hom. exhib. leg. antiquitas. C. de usufruct. notat Romanus singula. 629. Atque modus adiectus legato, ut in illa ciuitate legatarius perpetuo commoretur ab ipso legato reiiicitur dicta leg. Titio §. 2. fitque omnium concors sententia dicta leg. Antiquitas ubi notat Salustius pactum valere quo quis se adstrinxit ad habitandum in certo loco, ita ut ad id quod alterius interest, teneatur si non habitauerit non tamen si præisè habitare teneatur, non video cur opinio DD. in dicto cap. 1. qui matrimon. accus. possunt, probanda sit, cum ex illo pacto seruitus inducatur homini libero, nec res ista estimatione recipiat, & ideo ex prædicto pacto maritum cogendum esse in certo loco habitare, nec decens, nec simile pactum inire conuenit, unde præcedente dicta pactione non esse obligatum maritum ad habitandum in certo ac ignaro loco, sed uxorem debere eum sequi, cum vxoribus competat obtemperare maritis. Hæc ibi.

Id autem quod Sanchez dicit leg. Titio citat. intelligendam esse, quum conditio posita habitandi in certo loco vana est, & in nullius fauorem cedens, vanum est, quia ibi relictum est legatum in fauorem defuncti ut eius memoria conferuetur, & tamen Papinianus dicit, ut notat ibi Gotifred. quod  
4 † non potest, quis adstringi ad domicilium in vno tantum loco habendum unde (ait) posset ex hoc videri iniquas esse institutiones, quibus parentes certi loci incolatum & domicilium liberis iniungunt.

Id ipsum Theologicè probatur, quia vt supra vidimus residentia matrimonialis est de iure naturali, rursus vir est caput mulieris, & sub viri potestate erit, quare † est illi iure diuino & naturali superior, quoad domesticam & æconomicam dispositionem, huic autem iuri nulla pactione potest renuntiare vir, quia hæc superioritas data est in bonum familiae, & matrimonij, vnde pactum factum contra hoc ius diuinum nullum est, nec obligare queit, ita vt vxor sit immunis ab obligatione sequendi maritum, quocunque mutarit domicilium. Vrgetur primò, quia dato quod pactum teneret, & quod vir teneretur sub mortali residere in hoc loco, aut domo, nihilominus, etiamsi maritus peccet mutando domicilium, tamen mulier tenetur sub mortali ipsum sequi, nec immunis est ab obligatione residendi & cohabitandi cum marito, quia mulier iure naturæ tenetur obedire viro, & cum illo cohabitare, vt mutuo sibi dent coniugale debitum, cui obligationi nisi ex mutuo con-

sensu nequeunt renuntiare, quæ renuntiatio nisi facta sit immobilis per votum, semper mulier tenetur viro obedire, tanquam superiori, vnde † ab hac obedientia nequit absolui per quodcunque pactum initum ante matrimonium, est enim pactum hoc contra naturam matrimonij, non secus ac esset pactum, quod superior se obligaret ante professionem monachi non remouendi illum ab hac ciuitate aut domo, esset enim tale pactum contra obedientiam quam professurus est.

Vrgetur secundò, quia vir superior est vxoris, ergo ista tenetur sequi opinionem viri, atqui est probabilis opinio, quod tale pactum est nullum, ergo † maritus mutans domicilium non obstante tali pacto potest cogere vxorem vt ipsum sequatur secumque cohabitare & resideat: prima consequentia est certa, quia vt tom. 2. moral. in speciali tract. ostendi subditus tenetur obedire Superiori præcipienti. Iuxta opinionem probabilem, quamuis probabilior sit contraria. Vnde mihi certum est quod non obstante pacto inito de permanentia in hac ciuitate, si vir vult mutare domicilium vxor non est immunis ab obligatione ipsum sequendi in his casibus, in quibus tenebatur sequi si non esset tale pactum.

Vrgetur tertio, quia † si pactum istud eximeret vxorem ab obligatione sequendi virum, daretur occasio vtique coniugi adulteria committendi, quod est contra contractum matrimonij. Hoc autem exigit vtiusque coniugis residetiam, quod adeo certum est, quod Alexander III. cap. peruenit. de coniug. leprof. quamuis esset consuetudo, & lex approbata à iure Canonico, cap. cum dicat, de Eccles. edificand. & etiam à Deo in lege veteri. Num. 21. & Leuit. 13. & 14. qui morbum lepræ incurrunt à communione hominum separentur, neque vxores viros, nec viri vxores taliter ægrotantes sequuntur. Hanc consuetudinem reprobatur, dicens: Quoniam igitur vir & vxor vna caro sint, non debet alter sine altero esse diutius. Mandamus quatenus vt vxores viros, & viri vxores, qui lepræ morbum incurrunt sequantur. Si ergo hanc consuetudinem vt pote contra vnitatem, & inseparabilitatem matrimonij Pötifex reiiicit, dicens non obligare etiam quum alter coniugum lepra est infectus, nec per hanc legem aliquis eorum liber est, & immunis ab obligatione alterum sequendi, etiam non erit immunis ab hac obligatione, etiamsi ad sit pactum prædictum. Ratio enim Pontificis, quia vir & vxor, vna caro sunt, & ideo non debet alter sine altero diutius esse, non solum eneruat legem & consuetudinem, sed etiam pactum iuramento firmatum.

Ad ea, quæ adducit Sanchez pro sua sententia respondetur ad primum, quod † contrahens matrimonium nequit ponere pactum, quod sit oppositum institutioni, & vnitati matrimonij, quale est pactum de quo loquimur. Ad secundum respondetur, quod lex Titio centum citata vt vidimus loquitur etiam de illo pacto, quum cedit in fauorem alicuius, & in conseruationem suæ memoriæ, vt constat ex textu, quare vt dicit D. Couarr. illud pactum nullum est quia inducit seruitutem, & insuper in casu nostro, & si sit in fauorem vxoris, tamen hic fauor proponitur vnitati matrimonij vt vidimus ex Alex. III. † etsi enim lex de non cohabitando cum leproso sit in fauorem sani, tamen non admittitur iure canonico, quia etiam non admittit dictum pactum taliter, quod immunem reddat vxorem ab obligatione sequendi virum.

Ex quo fit † quod licet, valeat conditio apposita in primogeniis, vt successor sub pœna amissionis maioratus teneatur in certo loco habitare, quia hoc interest ad defuncti memoriam, & honorem, & fundator non vult transferre dominium nisi sub hac conditione, ne nomen eius aboleatur, & decidat ab hominum memoria, vt tenet Sanchez num. 7. tamen nequit conditionem apponere, quod mulier immunis sit ab obligatione sequendi virum, si iste velit amittendo maioratum, domicilium mutare, quia hoc ex contra naturam contractus matrimonij, & eius vnitatem.

## SVBRESOLVT. VIII.

Quando maritus abest negotiationis causa, cum intentione redeundi.

## S V M M A R I V M.

1. An cum maritus negotiationis causa vadit, & ipse non vult vxorem ducere, ista non teneatur ipsum comitari, si ad domum redire intendat.
2. Si vir peregrinetur longinquas terras causa negotiationis, animo redeundi non teneatur vxorem ducere.
3. Si maritus vagari velit non temerè sed iuste, tenetur tunc vxor se marito sociam exhibere, ex Couar.
4. Sanchez sensus contrarius assertur.
5. Societas matrimonij & mutua obsequiorum exhibitio est de iure natura.
6. Si vir causa voti implendi vagetur extra domum longa vel breui peregrinatione, an teneatur vxor ipsum comitari.
7. An cum vir in exilium mittitur ad tempus vel perpetuò teneatur eum sequi vxor.
8. Multorum DD. sensus adducuntur.

Tom. II.

9. Authoris iudicium assertur.
10. An condemnatum ad triremes vxor teneatur sequi.
11. An vxor teneatur consentire in absentiam viri praliaturi in infideles.
12. S. Doctoris mens assertur, necnon Alexandri III. & n. 13.
14. Ire ad bellum ob defensionem boni communis est ita honestum, quod vir etiam sine consensu vxoris possit ire.

EX dictis sequuntur decisiones casuum qui in principio sunt positi, quod † quum maritus vadit negotiationis causa, & ipse non vult vxorem ducere, ista non tenetur illum comitari, si ad domum redire intendit: secus vero si aliò domicilium vult mutare & sedem figere, tunc enim cum sint vna caro non debet alter sine altero diutius esse, Ly diutius, iuxta Glossam, cap. peruenit supra cit. verb. diutius, quæ dicit: Hic non determinatur quantum extendatur istud diutius, & ideo in arbitrio boni viri consistit, cap. de causis. de offic. delegat. leg. nit. prator. ff. de iur. delib. permittuntur tamen mariti, quandoque ab vxoribus recedere, & abesse per multa tempora, in fauorem tamen terra Sanctæ, cap. ex multa de voto. Diutius quumque extenditur vsque ad biennium, leg. cum Domini horreorum, ff. locati. quandoque vsque de quinquennium, leg. i. §. quod dicatur, ff. de separatio. Hæc ibi aliquando Diutius, est triennium, leg. si nepos. 9. leg. si ita pater. 10. ff. de ritu nupt. aliquando quadriennium, leg. sepe. 17. ff. de sponsal. ibi, aut longiores peregrinationes, quæ ex necessitate fiunt, necessitate inquam vtilitatis, vel propriæ, vel Reip. vt bene notat Syluester verb. necessitas. ex cap. licet. de feriis. Igitur † si vir negotiationis causa peregrinetur terras longinquas animo redeundi domum suam, non tenetur quandiu exigente negotiatione peregrinatur in vtilitatem familiæ, & vxoris, cuius negotium etiam gerit, non tenetur secum ducere vxorem, aut ista illum sequi, nisi domicilium mutetur in terra ad quam peruenire vxor non horreat, vt inter hæreticos, & infideles, & vbi vt perueniat longa nauigatio periculosa requiratur. Ex qua doctrina saluantur, & excusantur viri, qui apud Indos negotiationis causa detinètur relictis vxoribus in Hispania, & vxores quæ nolunt ire illuc propter periculosam nauigationem, quamuis vt hæc excusentur valde periculosa debeat esse peregrinatio.

Ad secundum respondet Couarr. vbi supra † si maritus vagari velit, non temere, sed iuste, tenetur & tunc vxor se marito sociam exhibere, sin vero vagatio temeraria sit, nullaue iusta ratione fiat, vxor virum sequi non tenetur, nisi ab initio contractus

sciuerit maritum esse vagabundum, eiq̄e vitiodeditum, sicut explicat Gloss. *cap. si quis 34. quest. 2. & cap. vnaquaque 13. quest. 2.* quā dicit singularem Imola *D. solut. matrim. in Rubric. num. 6.* & est communis opinio pro qua multos citat Sanchez *disput. 41. num. 6.* addit tamen *num. 8.* † contra Couar. & alios quos citat quod quamuis vir iuste vagari velit nō tenetur vxor se illi sociam præbere cum illo cohabitans, & residens quia inquit hoc est grauissimum onus mulieri impositum ad continue vagandum, vt enim dicunt Hostiensis, Abbas & Henricus, vxor non tenetur sequi virum transfretantem, vel perigrinantem longe, ratione voti implendi, at hæc vagatio ex iustissima causa dimanat. Sed fallitur in hoc Sanchez si absolute loquatur, quia † societas matrimonij & mutua obsequiorum exhibitio & de iure naturæ. Vnde Lactantius *lib. 2. instit. cap. 21.* *Quia seruari non potest charitas nisi habitauerint semper vnâ.* & Cicero *primo Officiorū* ait, *Prima societas in ipso coniugio est.* Quare lex ista societatis præscribens mutuam coniugum habitationem semper vrget, cum iusta adest causa diuagandi à proprio lare, quum enim talis causa adest in viro tenetur vxor adulterij pericula in quæ ex iusta causa se coniicit maritus sua societate impedire, quod ego limitarem nisi vxor valde nobilis, aut virgo tenera esset, & incapax viribus ad vagandum tunc enim propter nobilitatem indecorum est valde fœminæ vagare, & impossibile moraliter, si vires ad itinera deficiant, argumento *ex his* quæ docet glossa *cap. relatum de his qui matr. accus. possunt verb. exiuit.* † Si vero vir causa voti implendi vagetur extra domum, & peregrinetur siue transfretum, siue sine maris transitu, longa vel breui peregrinatione, existimo non teneri vxorem illum comitari, quia in hoc casu mutuo consensu separantur religionis ergo, sicut dum causa vtilitatis temporalis, aliò etiam transfretando diuertit vir, quod si iste nihilominus velit vxorem sibi sociam itineris habere respondendum est iuxta dicta.

7 Ad tertium † quum vir aut vxor deportatur, aut in exilium mittitur vel ad tempus vel perpetuo, vel ad præsidium conclusum, vel ad perpetuum carcerem, de exilio adfirmat Sanchez, *disput. 41. cit. num. 12.* *quia inquit hoc non est puniri vxorem ob viri delictum, sed pœna imponitur viro, & quia vxor iure diuino tenetur maritum sequi ex causa necessaria & inuitabili aliò migrantem per accidens id infortunium patietur vxor, vel vt seruus maritum id infortunium pateretur dominum comitans, non per modum pœna, quia innocens est sed quia iure seruitutis tenetur Dominum sequi, sic tenet glossa cap. 1. qui matrim. ac-*

*cus. poss. iuncto textu, agit enim textus de viro, qui exiuit à ciuitate ob homicidium admissum, & ita culpa sua, & ait Glossa tunc teneri virum sequi.* Hæc ibi aliquibus pro se citatis.

At non teneri sequi tenent † Bart. *leg. si 8 cum dotem §. si maritus num. 1. D. solut. matrim.* Vbi Imol. *num. 17.* Alex. *leg. Mania §. fin. D. de ann. legat. Lupus, cap. per vestras de donatio. inter virum & vxorem §. 9. n. 13.* Henriquez, *lib. 11. de Matrim. cap. 10. num. 4.* quia si mulier in exilium missa viro tenetur ipsum sequi, & patrios lares deserere incommodum portat ex viri delicto, quod decens non est.

Sed ego aliter discuro † si vir in exilium missus alibi ponit domicilium, quo vxor potest absque vitæ periculo, & magno incommodo valde longæ peregrinationis potest accedere, tenetur (sicut adire carcerem, vbi maritus perpetuo est inclusus, & si ibi non teneatur habitare, vt illi debitum reddat) eò ire & ibi cum marito commorari, & hoc probat argumentum primæ sententiæ, si vero maritus vagari vult, cum non possit eum sequi non tenetur, hoc est dictamen glossæ citatæ, si enim vir occidit alium & fugit à ciuitate timore mortis, si vagabundus vult discurrere, non tenetur mulier eum sequi, & hoc est quod dicit secunda sententia & iuxta hoc intelligenda; & quidem non video quam consequenter loquatur Sanchez, dum dicit teneri vxorem sequi virum in exilium missum, & dicat *num. 8.* non teneri sequi maritum ex iusta causa vagantem, quia hoc esse intolerabile onus mulieri ipsam adstringere ad vagandum cum marito, nonne etiam est intolerabile onus si vir eius deportetur, aut in exilium in valde distantem regionem, aut extra regnum mittatur cogere vt ipsum comitetur, quare bene Tiraquellus, *leg. conub. gloss. 1. p. 1. n. 39. circa fin.* ex Bartolo & Baldo cum aliis multis dicit, quod vxor si facile, atque honeste maritum sequi potest, id certe facere tenetur, quæ doctrina valde est notanda, ex illa enim multi casus occurrentes decidentur.

Ad quartum † de condemnato ad triemes certum est, quod vxor eum sequi non tenetur, quia non permittitur ibi mulieribus cum damnatis habitare, tum quia non facile & honeste id faciet vxor, si vero ad mineralia argenti viui damnentur, existimo quod cum viri non sint semper in mineralibus, sed inde exeant, & retineantur in carcere similiter facile, & honeste potest cum illo residere, & cohabitare tenentur.

Ad quintum de bello contra infideles, hæreticos & rebelles, & quidem † vir potest ire ad bellum, vel quia cogitur à Principe



Principe aut Magistratu, vel quia necessitas publica id exigit, vel quia fecit votum ire ad bellum contra hæreticos pro defensione Ecclesiæ, vel quia sine voto sumit cruciatam ad recuperanda loca sacra ab infidelibus iniuste occupata, & quidē in primo casu quādo cogitur à principe ad bellum ire, si sit necessarius in aliquo officio exercendo militari, dubio procul coactio licita est, cum sit pro bono publico & mulier tenetur consentire in viri absētiā: huius resolutionis & casuū frequentium rationem dedit S. D. in 4. dist. 32.

- <sup>12</sup> *quest. unic. art. 4. ad 1. dicens † satis probabile est, quod vxor debet velle continere ad tempus pro subueniendo necessitati Ecclesie generalis, & ideo in fauorem negotij pro quo coniux sibi datur institutum est, quod vir possit absque consensu vxoris crucem accipere, nec tamen omnino subtrahitur mulieri ius suum, quia vxor potest eum sequi, neque est simile de vxore ad virum, quia cum vir debeat regere vxorem, & non e conuerso, magis tenetur vxor sequi virum quam e conuerso. Et propterea vxor cum maiori periculo castitatis discurreret per terras, quam vir, & cum minori Ecclesie utilitate, & ideo vxor non potest huiusmodi votum facere sine viri consensu. Hactenus D. Thom. quæ videntur desumpta ex cap. multa §. in tanta de voto vbi Alexander III. dicit † in tanta quoque necessitate populi Christiani, ne terra sancta impediatur subsidium, viri prater vxorum assensum huiusmodi peregrinationis propositum vouere libere valent, & quod vouerint libere implere, vt autem consentiant sunt attentius commonenda. circa quæ notat ibi Glossa verb. viri. Specialissimus casus est iste quod vir potest emitte votū prater licentiam vxoris contra illa iura. 33. quest. 5. cap. quos Deo & 27. quest. 2. cap. si tu abstines.*

- <sup>14</sup> Ex quibus liquido constat quod † ire ad bellum ob defensionem boni communis est ita honestum, quod vir etiam sine consensu vxoris possit ire, ratio est perspicua, quia de hoc potest fieri votum, quod libere potest exequi & impleri etiam renuente vxore, quia prater rationem inhuit, quia propter bonum commune tenetur ipsa iuri suo, & commoditati renuntiare, & ad tempus contineri, si ergo de hoc potest fieri votum sine consensu vxoris, id etiam potest fieri sine voto, quia hoc præsupponit obiectum suum esse de meliori bono, hic & nunc, nec etiam votum facit, quod obiectum suum sit de meliori bono.

## SVBRESOLVT. IX.

*Princeps pro defensione boni communis potest cogere vxoratum ire ad bellum.*

1. *An Princeps possit cogere vxoratum ire ad bellum pro necessitate urgente boni publici.*
2. *An Episcopus si necessarius est ad bellum contra infideles, cogi possit.*
3. *An si Episcopus indicetur à Principe necessarius ad negotia ardua perficienda in regno suo, possit inconsulto Pontifice ipsum cogere vt absens sit ab Ecclesia sua, possitque Episcopus tuto non residere ultra tres menses.*

**C**onstat secundum † quod Princeps pro necessitate urgente defensionis boni publici potest cogere virū vxoratum vt eat ad bellum vel ad pugnandum, vel ad regendum aut consiliandum vel quid simile, argumento ex cap. ex multa cit. §. secundo quæsiuisti, quia hoc est honestum secundum se & exigitur à bono communi, quæ exigentia quum adsit Principi, & magistratui conuenit determinare, quod si præcipiat, tenetur obedire, etiam si sequatur damnum particulare vxori, præterquam quod vt ait D. Th. non omnino subtrahitur mulieri ius suum, quia vxor potest eum sequi, & quidem hac ratione boni publici tuendi causa fundantur leges Hispanæ quibus cōtra infideles pugnare coguntur clerici, & sacerdotes l. 6. tit. 19. par. 2. & leg. 3. eodem, quanto ergo magis possunt cogi vxorati, imo † Episcopus et si vxoratus Ecclesiæ suæ, si necessarius est ad bellum contra infideles, cogi potest, & quamuis de iure diuino teneatur residere, potest (seclusis bullis Pontificiis) ire ad bellum, si à Principe ire cogatur, & non vacet locus consulendi Pontificem, qui tenetur consultus consentire si vrgens ad modum sit necessitas.

An vero † si Episcopus indicetur à Principe necessarius ad negotia ardua perficienda in regno suo, vt ad visitationem Cancellariæ, vel Audientiæ publicæ possit inconsulto Pontifice ipsum cogere, vt absens sit ab Ecclesia sua, Episcopusque possit tuto non residere ultra tres menses, quos Concilium pro absentia determinat his diebus valde controuersum fuit ad instantiam Illustriſſ. D. D. . . . Carrillo Episcopi Salamantini, qui ex ordine Regio mittebatur ad visitandam Granatensem Cancellariam, ego vero vt id quod sentio libere pronunciem, miror valde, quod hoc ponatur in controuersia inter Catholicos DD. & profitescentes subiectionem ad Summum Pontificem, vt enim supra lib. 2. monstratum est, residentia Episcopi est de iure diuino, & Concilium Tridentinum declarauit hoc ius obligare, & quod ultra duos vel ad summum tres menses nequit absens esse, &

in huius decreti confirmationes plures publicatae sunt constitutiones Apostolicae quas comprehendit Urbanus VIII. ea celebri Bulla quam edidit *ann. 1635.* & ad verbum ego adduco in appendice. Quare mihi omnino certum est quod inconsulto Pontifice id fieri nequit, sed de hoc iterum infra.

### SVBRESOLVT. X.

*Nequit hoc Princeps, si non adest necessitas tuendi bonum commune.*

#### S V M M A R I V M.

1. *An cum non est vrgens necessitas tuendi bonum commune, nullatenus Princeps possit vxoratos cogere ad bellum ire.*
2. *Authoris mens affertur.*
3. *Ad transmarinam peregrinationem peragendam cum viro non potest cogi vxor.*
4. *Sanchez. sententia adducitur.*
5. *Etiam si mulier nolit ire quòd maritus domicilium constituit potest cogi.*
6. *Vxor ex vi contractus matrimonij tenetur sequi viri domicilium, non vir vxoris.*
7. *Tiraquelli sensus affertur.*
8. *Tam stricta est vtriusque coniugis residentia, vt inter illos sit quedam individualis identitas, ex Burgenfi.*

**C**ONSTAT tertium, quod † quum non est vrgens necessitas tuendi & defendendi bonum commune, nullatenus Princeps aut Magistratus potest cogere vxoratos ire ad bellum, quia est contra ius diuinum naturale, quod habent coniuges ad cohabitandum, & residendum simul, cui iuri cum non adest publica & vrgens necessitas non tenentur renuntiare, sic consultus respondi *ann. 1653.* in hac ciuitate Hispalensi dum Regis ordinatione congregabantur etiam iniuti (vulgo *se hacian leuas*) ad bellum contra rebelles, & iniustos Regni oppugnatores, & occupatores, dixi enim primū, † quod si non sunt sufficientes nisi vxorati mittantur isti possunt mitti si non habent multos filios & familiam magnam sustentandam, vel nisi sint debiles, aut senes, vel vxores eorum vel si istae sunt iuuenes, formosae, & pauperes, manent enim expositae adulteriis, vel propter necessitatem, vel quia ob pulchritudinem sollicitantur. Secundum, quod si vxoratus est in carcere detentus, & ob delicta meretur pœnam grauem potest ista aditione ad bellum commutari. Tertium, quod soluti, qui nullo officio vacant debent cogi ad bellum. Quartum, quod ex officialibus & artistis possunt cogi, si multi sunt eiusdem artis, maxime si non sit admodum necessaria reipublicae, vt barbitonso-

res, factores, & similes, secus si sint armorum factores, & politores, bibliothecarij, & librorum ligatores, pharmacopolae, & similes.

Ad sextum † de peregrinatione etiam si non sit transmarina, quia ad istam cogi nequit vxor, maritum sequi *ex cap. ex multa S. penult.* constat, sed si sit terrestris si facile & honeste non potest sequi, non tenetur vxor sequi virum, si sit brevis, & maritus exigat tenetur ire, si commode & absque notabili incommoditate potest, si vero non exigat non tenetur, quia censetur renuntiare ad tempus iuri petendi, & mulier accipit renuntiationem, quod potest si non est in aliquo incontinentiae periculo.

Ad septimum, quum aliquis coniugum obstinata absentia alibi moratur, respondetur, quod aut iste coniux est vir, & ibi ponit domicilium & sic respondendum est vt ad 8. vel non vult ibi domicilium ponere, sed vitiiis, ebrietatibus, comestationibus, & voluptatibus vacare, non cogens vxorem, vt eo vadat & sic ista non tenetur, imo potest petere diuortium, vt vir emendetur per separationem iuridicam, aut iste coniux est vxor, & pariter, ex potiori tamen causa idem est respondendum.


Ad octauum respondetur, ex egregio discrimine, quod ponit † Sanchez *disp. 41. n. 15.* quantum ad hoc inter virum & vxorem, & antea constituerat S. Doctor. *vbi supra*, sic enim loquitur Doctissimus Sanchez. *Ex dictis infertur in hoc consistere differentiam inter virum & vxorem quantum ad comitandi obligationem, vt cum vir caput sit, ipsiusque sit gubernare possit eligere ad libitum domicilium, & vxor tenetur eum comitari, vxor autem cum subdita sit nequeat habitationem eligere, & virum cogere vt ipsam sequatur, tum tamen necessitate coacta domicilium mutat, ius matrimonij compellens virum cohabitare vxori, consequenter compellit, vt in eo euentu ipsam comitetur, quia hoc expectat ad mutua obsequia coniugalia, in quo pares sunt.* Haec tamen ibi, quare † etiam si mulier nolit ire quo maritus constituit domicilium potest cogi, & nisi alleget & probet aëris insalubritatem, aut quod est periculum in itinere, vel aliquod grauis damni periculum animae vel corporis, cogenda est ire eo, & non absoluenda in foro animae nisi maritum suum sequatur, sicut nec absoluendus, qui cum possit non vult restituere alienum. Haec responsio adeo certa est, quod vt notant Panormita. *cap. 1. de coniug. leprosor.* quod non valet consuetudo, statutum aut lex in contrarium.

Vnde omnino certum est, quod † vxor ex vi contractus matrimonij, & residentiae matrimonialis tenetur sequi viri domicilium, & proprium deserere, non vir vxoris, *leg.*

*cum quadam. ff. de iurisdic. omn. iud. vbi Gothifredus à contrario sensu, id colligit cum communi sententia, leg. exigere. ff. de diuort. vbi Baldus dicit, quod vxor trahitur ad domicilium vi matrimonij, & idem Baldus, cum Cyno, l. 2. C. de iurisdic. omn. iudicum, quod ita vir trahit vxorem ad suum domicilium, vt ea nullo pacto teneatur respondere in domicilio pristino, tanta est vis matrimonij, ex vi residentia matrimonialis, quam necessario inducit, quod dicatur etiam eiusdem Ciuitatis cuius est ciuis maritus, taliter quod in priuilegiis comprehendatur sub statuto loquente de ciuibus, aut de his, qui sunt alicuius Ciuitatis, vt multis citatis tenet Tiraq. leg. 1. conub. gloss. 1. p. 1. n. 29.*

- 7 Hanc autem mutuam residentiam, & cohabitationem matrimonialem, & quod vxor teneatur sequi mariti forum, domicilium, & habitationem: variæ rationes ductæ naturali instinctu, & rationis distamine variis cæremoniis explicarunt, vt egregiè adnotauit Tiraquell. *vbi supra, num. 31. Labeo (ait) Iurisconsultus egregius, lib. 4. ad edictum Prætoris. Sor (inquit) appellata est (vxor) quod quasi seorsum nascatur, separaturque ab ea domo in qua nata est, & in aliam familiam transgreditur, quod repetit Aulus Gellius, aut Agellius lib. 10. noctium, cap. 13. Hoc autem & quod apud Bœotios currus axis, quo vecta erat in domum mariti noua nupta comburebatur, vt id signum esset eam ibi perpetuo remansuram, vt retulit Plutarch. *Problem. Rom. cap. 28. cui cæremoniæ confinis est, & alij Romanorum apud quos sponsa iam obtecto, flammeo capite cum extulisset pedem è primis ædibus, vertebatur in girum, atqui ita ducebatur in domum sponsi ne sciret viam redeundi ad domum parentum, adeo enim strictam obligationem inducit residentia matrimonialis, vt quancunque aliam quæ secum non compatiatur excludat & euanescere faciat, vnde rectè inspirante authore naturæ Deo, dixit Adam propter hanc relinquet homo patrem & matrem & adharebit vxori suæ, id est, illi cohabitabit, residebit, simul commanebit, vt egregiè ibi Abulensis, Thomas Anglicus & alij expositores, & optimè adnotauit Burgenfis ibi**
- 8 *addit. 5. † tam stricta est vtriusque coniugis residentia, vt inter illos sit quædam indiuidualis identitas, qualis non est inter filium & parentes eius, nam vir & vxor sunt vna caro, at filius ad summum dicitur pars patris, nō idem, aut vnus cum Patre, quod vnitas inter virum & vxorem adeo stricta est & tam arcta residentia, quod priuilegium concessum ratione domicilij alicui, & omnibus descendentibus masculis, & fœminis, fœminis ita competit, si nondum in matrimoniū*

transferint, quia postquam marito iunguntur & cum illo fiunt vna caro, ad alium dicuntur se transferre, & statum suum & forū mutarunt, vt notarunt Barthol. *leg. quoties C. de priuileg. scholast. libro 12. vbi Angelus & Ioannes Platea Romanus leg. 1. ff. de S. C. Syllan. & alij quos citat & sequitur Tiraquell. vbi supra n. 34. quare Doctores contrarium tenentes quos citat idem Tiraquell. num. 34. ego intelligo de illis priuilegiis, quæ conceduntur ciuibus alicuius ciuitatis, ratione originis quam nunquam perdit vxor, quia semper est ab illa oriunda, sed de priuilegiis quæ conceduntur ratione domicilij.*



## RESOLVTIO VI.

*Vtrum Papa possit dispensare in residentia matrimoniali inter infideles ad fidem conuersos?*

**R**AVISSIMA est præsens difficultas quæ anno 1588. Romæ fuit valde agitata, vt refert Pater Vasquez *infra citandus*, qui nunquam potuit opinioni affirmatiuæ assentiri & subscribere, quamuis enixè ab eius defensoribus sollicitaretur quos semper repellit & præscripsit. Igitur dupliciter potest hæc controuersia agitari. Primò, si vterque infidelis conuertatur ad fidem. Secundò, si aliter tantum conuertatur, & alter velit habitare & residere cum eo sine iniuria creatoris.

## §. I.

*Expenditur primus sensus.*

## S V M M A R I V M.

1. *An summus Pontifex possit soluere matrimonij consummati vinculum inter infideles.*
2. *An matrimonium infidelium etiam in infidelitate consummatum solum habeat firmitatem ex ratione contractus inter coniuges initi.*
3. *Matrimonium infidelium etiam consummatum non habet significationem vnionis Christi cum Ecclesia, ratione vnionis hypostaticæ.*
4. *S. Doctoris sensus afferitur, necnon authoris iudicium, & n. 5. 6. & 7.*
8. *In iure canonico ratum dicitur quod est firmatum, & stabilitum.*
9. *Matrimonia infidelium non sunt rata licet sint legitima.*
10. *Matrimonium infidelium est imperfectum comparatum ad matrimonium fidelium.*

11. *An matrimonium infidelium sit ratum sumpto rato pro firmo.*
12. *An fidelium matrimonium ratum & non consummatum possit dissolui per professionem solemnem in religione approbata.*
13. *Matrimonium infidelium est imperfectum ex S. Thom.*
14. *Inseparabilitas matrimonij est de iure natura.*
15. *Trident. sensus adducitur, & num. 16.*
16. *An sit relicta in Ecclesia potestas dissoluedi matrimonium ratum.*
17. *Matrimonium infidelium conuersorum eo ipso, quod baptizentur efficitur ratum.*
18. *Bellarmini opinio assertur, & n. 19.*
20. *An possit dissolui ab Ecclesia de plenitudine potestatis matrimonium, & n. 21.*
22. *Ratio difficultatis diluitur.*
23. *Inseparabilitas competit matrimonio secundum quod est signum perpetue coniunctionis Christi cum Ecclesia, & numer. 24. & 25.*

1 **P**osse † Summum Pontificem soluere vinculum matrimonij consummati inter infideles si conuertatur vterque coniux ad fidem, si postquam conuersi & baptizati sunt non consummarunt, sentiunt Nauarr. lib. 3. consilior. tit. de conuers. coniugat. consil. 3. in meis n. 12. §. ad secundum dubium. Thom. Sanchez lib. 2. de Matrim. disp. 17. n. 2. vnde consequenter docent Papam posse hos infideles baptizatos absoluere ab obligatione residentiae matrimonialis, quae nititur vinculo & vnitati matrimonij probatur. Primò, quia probabile est, quod Pontifex potest dispensare in matrimonio rato, non consummato fidelium, ergo cum non subsit ratio aliqua efficax idem poterit in matrimonio consummato, siquidem Sacramentum matrimonij fidelium firmitus est quam consummatum infidelium, illud enim ratum dicitur, istud vero ratum non est, cap. quanto de diuort. & cap. fin. 28. quest. 1.

2 Secundò, quia † matrimonium infidelium etiam consummatum in infidelitate solum habet firmitatem ex ratione contractus inter coniuges initi, atqui Princeps supremus licet regulariter non possit dissoluere subditorum contractus, at quando interuenit causa publica, id potest, vt latè monstraui tom. 2. Moral. tract. vlti. Ref. 6. quamuis enim Princeps supremus, non debeat tertio præiudicium inferre, at consentiente tertio ( cum iã non sit præiudicium, quia scienti & volenti nec fit iniuria, nec præiudicium ) bene potest dissoluere contractum etiam matrimonij, & per consequens absoluentur coniuges ab obligatione matrimonialiter residentendi.

3 Tertiò, quia † matrimonium infidelium,

etiam consummatum non habet significationem vnionis Christi cum Ecclesia ratione vnionis hypostaticæ, à qua significatione habet matrimonium omnimodam insolubilitatem cap. debitum de bigamis. & expressit D. Thom. in 4. dist. 33. quest. 2. art. 1. ad 2. dicens, quod inseparabilitas matrimonio competit secundum, quod est signum perpetuæ coniunctionis Christi cum Ecclesia, & secundum, quod est in officium naturæ ad bonum prolis ordinatum, sed quia separatio matrimonij magis directè repugnat significationi, quam prolis bono, cui ex consequenti repugnat inseparabilitas matrimonij, magis in bono Sacramenti intelligitur quam in bono prolis quamuis in vtroque intelligi possit & secundum, quod pertinet ad bonum Sacramenti, ergo cum hæc significatio non sit in matrimonio etiam consummato fidelium, eius inseparabilitas non est omnino indispensabilis à Pontifice, sed sicut dispensari potest in matrimonio rato, quod significat vnionem Christi cum anima, vt ait S. Doct. 4 in 4. dist. 37. q. 1. art. 3. quest. 2. ad 1. quæ per contrariam dispositionem rumpitur, at per eandem copulam significat coniunctionem ad Ecclesiam, quantum ad assumptionem humanæ naturæ in vnitatem personæ quæ omnino est indiuisibilis, in matrimonio fidelium consummato, non vero in matrimonio etiam consummato infidelium in quo nulla est talis significatio.

Quartò, quia ad minus videtur, quod si intra duos menses infideles qui conuertuntur & baptizantur alter eorum velit transire ad Religionem ibique profiteri poterit facere altero inuito, sicut de fidelibus dicitur, quod intra bimestre si matrimonium sit tantum ratum potest alter ad religionem conuolare, matrimonium enim infidelium solum est contractus factus in infidelitate in qua ignorabatur status perfectior religionis, quare dum ad fidem veniunt non est illis denegandum tempus, in quo talem statum possint eligere per quod dissoluetur eorum matrimonium, et si consummatum, sicut dissoluitur ratum fidelium.

Sed † nihilominus negatiua sententia mihi indubitata est, & omni rectè sentienti debet esse, sic respondi consultus pro quibusdam Indis qui in sua infidelitate discordes semper erant & conuersi ad fidem intendebant ex aliquorum suasionem, quod Pontifex eorum matrimonium dissolueret, vt iterum possent contrahere, dixi enim, id quod refert Pat. Vasquez, quod simile quid intentatum est tempore Sixti V. qui summa prudentia qua vigeat semper eos repulit, & exclusit. Ita defendunt contra Sanchez & Nauarrum Basilius Legionens. l. 9. de Matr. cap. 2. à num. 8. Perez disp. 20. sect. 10. num. 8.

Diana qui vt affolet horum Authorum verba refert & sequitur, *quest. 8. tract. 1. resol. 66.* Castro Palao, *tom. 5. disp. 2. punct. 2. §. 3. num. 2.* Coninch, *disput. 26. dub. 5. num. 66.* Azor, *p. 2. lib. 5. cap. 2. §.* His positus Dicastillus, *disput. 2. dub. 59. n. 496*

- 6 Et quidem hanc esse S. Thom. sententiam manifestum est, & quidquid sit an Papa possit dispensare in matrimonio fidelium rato non consummato quod supra dixi probabile, quamuis contrarium sim secutus, vt probabilius & securius; tamen de matrimonio consummato siue fidelium siue infidelium ad fidem conuersorum, & baptizatorum, non video qua probabilitate practica Theologia defendi possit, id enim probant argumenta S. D. *in 4. dist. 27. q. 1. art. 3. & distinct. 33. quest. 1. art. 1.* Vt autem rectius & facilius comprehendatur notandum quod *ratum* ex sua impositione & notione significat id quod firmum & stabile & immutabile est, iuxta linguæ latinæ proprietatem Terentius *in Hecub. Ne quod egissem, esset ratum.* Cicero, *de natura Deorum lib. 2. Astrorum in omni aternitate rati & immutabiles cursus,* id est fixi, constantes, firmi & inruptibiles. Hinc est quod *ratus* & *ruptus* sunt contraria. Cicero de Orato. Hinc testamentum *ratum* & *raptum*, quæ inuenies in Ambrosio
- 8 Calepino. Hæc tamen † firmitas, & stabilitas aliquando in aliquo casu potest rumpi & dissolui, vnde in iure canonico, *ratum* dicitur quod est firmatum, & stabilitum sacramento fidei, hoc est sacramento baptismi in re suscepto, qui imprimit caracterem, qui est prorsus indelebilis, & irruptibilis, quo firmantur matrimonia fidelium, ita vt dissolui non possint si consummata sunt, & non consummata, solum per ingressum religionis approbata, & in hoc sensu dicit Innocentius III. *cap. quanto de diuort.* quod
- 9 † matrimonia infidelium non sunt rata quamuis sint vera & legitima; matrimonia vero fidelium rata sunt, quia sacramentum fidei quod semel est admissum nunquam amittitur, sed ratum efficit coniugij sacramentum vt iam in coniugibus illo durante perduret. Hæc est mens omnium Scholasticorum *in 4. dist. 39. cap. ult. vbi dicit matrimonium infidelium non esse ratum quia sine fide,* intellige professa in baptismo quæ semper retinetur in caractere contenta, quæuis habitus fidei amittatur, & quis hæreticus aut infidelis fiat. Hinc est quod vt supra notabamus ex D. Thom. *in 4. dist. 39. quest. 1.*
- 10 *art. 2. in corpo.* quod † matrimonium infidelium est imperfectum comparatum ad matrimonium fidelium, quod est perfectum vltima perfectione gratiæ, infidelium tamen perfectum perfectione naturæ, quæ est materialis respectu perfectionis gratiæ; vnde

egregie Thomas de Argentina ibi *q. 1. art. 1.* infidelium matrimonium effici ratum transendo ad fidem sine nouo consensu aut contractu, huius doctrinæ rationem dedit S. Thomas *art. 2. cit.* quia prima perfectio est materialis respectu secundæ, sicut natura est materia, & subiectum respectu gratiæ, quæ illam perficit sine aliqua dispositione ex parte ipsius naturæ, ita baptismus, qui est sacramentum fidei, & gratiæ perficit contractum naturalem matrimonij initi inter infideles dum baptizantur & *in solutione ad 1. profundè dicit. Quod cum matrimonium non tantum sit institutum in sacramentum, sed etiam in officium naturæ quamuis infidelibus non competat matrimonium vt est sacramentum in dispensatione ministrorum Ecclesiæ, competit tamen eis in quantum est in officium naturæ, & tamen etiam matrimonium tale est, aliquo modo sacramentum habitualiter eo quod actu non contrahunt in fide Ecclesiæ, quare eo ipso quod fides in baptismo adueniat sine nouo consensu aut contractu sit ratum, & sacramentum quia eo ipso tacite confirmant contractum, quem in infidelitate inierant.*

Vnde fit quod † matrimonium infidelium etiam fuit ratum, sumpto rato, pro firmo, immutabili & fixo quamuis non totali firmitudine, quam accipit à sacramento fidei, ratione cuius iam non licet fideli, ad aliud matrimonium transire quod licebat ex iure diuino, si alter non conuerteretur, quia dum vterque conuertitur matrimonium consummatum in infidelitate, & erat ratum intra ordinem naturæ cuius firmitas poterat rumpi propter ordinem gratiæ, iam fit ratum & omnino immutabile.

Ex quo licet colligere vnum quod veritatem nostræ sententiæ declarat cur quamuis matrimonium fidelium ratum & non consummatum, possit dissolui per professionem solemnem in religione approbata, dicatur ratum sitque fixum & firmum matrimonium tamen infidelium, & si sit verum matrimonium non tamen dicatur ratum & immutabile, cum tamen illud, quam istud sit verus contractus ex natura rei perpetuus & insolubilis. Ratio ergo est quia matrimonium fidelium dissolui nequit per aliud eiusdem ordinis, quod intra eundem ordinem sit perfectius vnde ante consummationem semper intra suum ordinem est ratum, fixum, stabile, & insolubile, status enim Religionis, quo dissoluitur altior est & alterius eleuationis ordinis propter quod id quod ratum & fixum erat in sua linea per altiolem ex iure diuino dissoluitur. Ast matrimonium infidelium etsi intra ordinem naturæ fixum sit & firmum (quia libellus repudij est contrarius iure naturæ & eo prohibitus etsi aliquando ab Auctore naturæ dispensa

dispensatus) tamen intra ordinem, & lineam contractus matrimonij per aliud matrimonium contractum, si alter conuix non vult conuerti, ab altero iam baptizato, dissoluitur iure naturali & diuino, vt supra monstrauimus, & repetam, §. sequenti.

13 Quam doctrinam desumpsi ex Diuo Thoma in 4. distinct. 39. question. 1. artic. 5. ad 1. dicente, † quod matrimonium infidelium imperfectum est, sed matrimonium fidelium est perfectum, & ita firmiter, semper tamen firmiter vinculum soluit minus firmum si sit illi contrarium, & ideo matrimonium, quod post, in fide Christi contrahitur soluit matrimonium, quod prius in infidelitate contractum erat. vnde matrimonium infidelium non est omnino firmum, & ratum, sed ratificatur postmodum per fidem Christi. Vnde apparet cur si ex fidelibus coniugibus vnus incidat in hæresim, vel infidelitatem altero perseverante in fide, non dissoluatur matrimonium, quia videlicet est matrimonium omnino ratum, & fixum per Sacramentum fidei, scilicet baptismi, quo perseverante semper fixum & ratum manet illorum matrimonium.

Ex dictis iam apparent manifesta & luce clariora fundamenta quæ fecit D. Thom. vt firma & rata maneat sententia nostra quæ ad hanc formam reduco. Primum sit, quia

14 † inseparabilitas matrimonij est de iure naturæ, quia contractus hic ex intentione naturæ ordinatur ad prolis educationem, non ad aliquod tempus determinatum, sed per totam vitam prolis & est sic de lege naturæ, quod parentes filiis thesaurizent & filij parentum hæredes sint, cumque filij sint commune bonum viri & vxoris, oportet eorum societatem & residentiam perpetuo manere indiuisam secundum legis naturæ, dictamen, quare vt coniugium dissoluatur necessaria est diuina dispensatio data ab Auctore naturæ, solus enim ipse separare quit, quod coniunxit, & nullus homo quauis autoritate pollens, quo argumento vsus est Christus Matth. 19. n. 9. cum enim Iudæi quærerent ab eo, an liceret vxorem dimittere, quacunque ex causa? ex hac inquisitione ansam & occasionem assumpsit, vt veram de matrimonio doctrinam traderet, illudque in pristinam institutionem reduceret quam haberet si homo non esset ordinatus ad finem supernaturalem, sed ex vi creationis masculi & fœminæ. Vnde ait, non legistis, quia qui fecit hominem ab initio masculum & fœminam fecit eos, & dixit (Deus) propter hanc relinquet homo patrem & matrem & adhaerebit vxori suæ. ex quibus verbis sumptis pro antecedente colligit Christus matrimonij firmitatem insolubile vinculum dicens, quos ergo Deus coniunxit homo non sepa-

ret. vnde Trid. sess. 24. de matrim. cap. 1. † hoc argumentum Christi, vt à nonnullis est propositum sic colligit, dicens matrimonij perpetuum insolubilemque nexum primum humani generis parentem diuini Spiritus instinctu pronunciasset, cum dixit hoc nunc os de ossibus meis & caro de carne mea propter hanc relinquet homo, &c. quare cum Sacro-sancta Synodus ex verbis dictis ab Adamo, vinculum matrimonij insolubile esse concludat, sicut fuit in ipso Adamo, qui dum hoc protulit non respexit ad coniunctionem Christi cum Ecclesia per vñionem hypostaticam, quæ conuenit matrimonio ex Christi institutione manifestè tam Christus quam Concilium colligunt firmitatem & insolubilitatem matrimonij, ex natura ipsius contractus, ex vi creationis, masculi & fœminæ, non ex ratione Sacramenti, & significationis, & quauis testimonia hæc explicentur ab aduersariis de matrimonio dumtaxat consummato, præterquam, quod hoc falsum sit, vt alibi monstro, tamen ad præsens institutum sufficit, quod matrimonium consummatum omnino sit insolubile ab homine, quia Deus coniunxit masculum & fœminam, qui facti sunt vna caro per copulam, ergo nisi Deo dispensante in fauorem fidei, & religionis dissolui nequit.

At dices quod sicut Christus Dominus reliquit potestatem in Ecclesia, vt ob iustas causas dissoluat matrimonium ratum fidelium, ita vt dissoluat matrimonium infidelium, qui ad fidem conuertuntur, cum illisque dispenset, vt aliud ineant matrimonium, sed contra est.

Primò, quia vt supra diximus etiam non est relicta potestas Ecclesiæ, vt dissoluat matrimonium ratum, sed ne res grauissima qualis est præsens videatur pendere ab opinione probabili, qualem esse diximus, quod Pont. potest dispensare in matrimonio rato sæpiusque est dispensatum.

Insto secundò, contra eandem solutionem, 16 quia quod sit relicta in Ecclesia potestas ad dissoluendum matrimonium ratum ex plurium doctorum tam antiquorum, quam neotericorum applausu constat esse probabile, taliter, quod negare esse id probabile non vacet temeritate, ergo cum vsque ad Nauarrum, nullus Catholicus dixerit, quod sit relicta potestas ad dissoluenda matrimonia infidelium, qui ad fidem conuertuntur absque fundamento in re grauissima necessitas ista introducitur, quam falsissimam esse, iure dicit Gabriel Vasquez, neque enim ita facile relicta est ad hoc potestas à Christo Domino, qui de eadem materia loquens dixit, quos ergo Deus coniunxit homo non separet.

Tertiò, quia † matrimonium infidelium 17 conuerso

conuerforum, eo ipso, quod baptizentur efficitur ratum, cum antea esset consummatum & effecti vna caro, omnino insolubile manet *vt supra* monstraui. Vnde ex matrimonio consummato ante baptismum nascitur post baptismum affinitas, & bigamia, & sic accedente Sacramento fidei ad consummationem factam ante baptismum fit omnino ratum & insolubile, aliàs talia impedimenta non orirentur ex consummatione facta ante baptismum.

Secundum fundamentum sit, quod & præcedens solidabit, quia si Ecclesiæ relicta est potestas, vt matrimonia consummata infidelium conuerforum ad fidem dissoluat dispensetque, vt alia matrimonia ineant manifestè sequitur, quod etiam sit relicta potestas eidem Ecclesiæ, vt matrimonia rata consummata fidelium etiam dissoluat atque dispenset, vt coniuges à priori matrimonio soluti aliud ineant, quod erroneum aliqui iudicarunt, aut saltem in re grauissima contra praxim & traditionem Ecclesiæ ab primo sæculo vsque modo, vt latè ostendit Bellarminus *lib. 1. de matrim. cap. 16.* † sequelam probo, quia matrimonij inseparabilitas oritur ex eo, quod est signum perpetuæ coniunctionis Christi cum Ecclesia, & ex eo quod est institutum in officium naturæ ad bonum proles ordinatum, illud est ex institutione Christi in Euāgelio instituentis matrimonium in Sacramentum, & istud ex institutione Dei authoris naturæ, atqui vt dispensetur in iure naturæ quantum ad hoc relicta est in Ecclesia potestas, ergo etiam vt dispensetur in institutione Christi instituentis, quod matrimonium consummatum fidelium significet perpetuam coniunctionem ipsius cum Ecclesia, quam significationem tandiu habebit matrimonium consummatum fidelium, quandiu non fuerit ex causa solutum vinculum eius ab Ecclesia per potestatem sibi à Christo relictam sicut si matrimonium consummatum fidelium à Deo dissoluatur nõ significabit hanc coniunctionem, quam semper retinebit si non dissoluatur, quare quod matrimonium consummatum fidelium, etsi ex natura rei sit insolubile & etiam iure diuino noui testamēti immutabile propter præfatam significationem, tamen † posse dissolui per Ecclesiam de plenitudine potestatis quam ad hoc reliquit Christus Dominus, vt dicunt Socinus *consil. 28. vol. 1. colum. penult.* Decius *cap. quod Ecclesiarum colum. 5. de constitut.* Hieronym. Grati *consil. 1. nu. 31. vol. 2.* Sigismundus Lofredus *consil. 50. n. 41.* quorum opinio nitebatur responso Gregor. XIII. *ad Bonifac. Episcop. rescribentis refertur, cap. quod proposuisti. 32. quest. 7.* ad quod variè respondent Couarr. *de matrim. p. 2. cap. 7. §. 4. n. 25.* & Glossa *ibi*

*verb. nubat.* & tamen hæc sententia omnino est reiicienda, etsi tot grauissimos Doctores Canonistas habeat, Socinus enim & Decius etsi non sint Superiores, ad Nauarrum, & Thomam Sanchez, at sunt æquales, tum sapientia, tum autoritate, ergo pari modo horum sententia, quod in Ecclesia sit potestas ad dispensandum & soluendum matrimonium infidelium conuerforum in infidelitate consummatum. Hoc argumentum demonstrationem existimo, certè quidem si matrimonium consummatum fidelium non posset dissolui, quia significat vnionem Christi cum Ecclesia, ratione vnionis hypostaticæ, quam significationem non habet matrimonium consummatum infidelium & ideo potest dissolui à Summo Pontifice potestas dissoluedi matrimonium consummatum reduceretur ad quoddam incertissimum fundamentum, quod in re tanti momenti & in qua Ecclesia à suis primordiis semper insistit, sustineri non potest, vbi benè notat Basilius *ubi supra numer. 11.*

Fundamenta opposita futilia sunt, ad primum de matrimonio rato iam constat ex dictis disparitas, † ad secundum respondetur negando, quod quum contractus posituè est perpetuus & insolubilis iure naturæ possit Princeps supremus nisi solus Deus illum dissoluere, quia si ex iure naturæ exigit insolubilitatem illam habet Deo auctore, & quod Deus author naturæ coniungit homo separare nequit, ad tertium respondetur, quod à priori non ideo matrimonium consummatum fidelium est omnino insolubile, quia significat vnionem Christi cū Ecclesia in vnitate personæ, imò à priori ideo hanc significat, quia in se respectu humanæ potestatis est omnino insolubile, sicut est vnio hypostatica. Vnde egregiè S. Doct. solum dixit, quod † inseparabilitas & insolubilitas competit matrimonio secundum, quod est signum perpetuæ coniunctionis Christi cum Ecclesia, quare semper matrimonium ex natura sua etiam antequam ordinaretur ad finem supernaturalem erit capax huius significationis, quam illi Christus tribuit, & sic antequam actu significaret erat iure naturæ capacitas perpetua in matrimonio, vt perpetuam coniunctionem Christi cum Ecclesia significaret, & hoc est, quod supra dicebat D. Thom. quod matrimonium in quantum est institutum in officium naturæ est aliquo modo Sacramentum habitualiter quauis non actualiter, eo quod non contrahunt infideles actu in fide Ecclesiæ, quare matrimonium habet intrinsecam perpetuitatem in qua fundatur perpetuitas, quã habet ab extrinsecò ex eo, quod Christus pro beneplacito suo illud eleuauit, vt actu

actu significaret coniunctionem suam perpetuam cum Ecclesia, hæc autem actualis significatio non immutauit naturam matrimonij, sed eam perfecit, sicut perficit naturam, & eam eleuat ad altiorem finem, si enim intellectus noster non haberet proportionem sibi connaturalem ad intellectionem non posset eleuari virtute supernaturali ad attingendum verum supernaturale, quam doctrinam non omnes extra scholam Thomisticam capiunt iuxta quam ego intelligo Aug. lib. de nupt. & coniug. cap. 10. dum dicit matrimonium insolubile esse ratione huius significationis, quod etiam faciunt alij ex Patribus.

Ad quartum respondetur, quod quum ambo conuertuntur & baptizantur si ante baptismum consummatum est matrimonium, ipso fidei Sacramento fit matrimonium ratum & Sacramentum, atque ita nullus potest ad religionem transire altero inuito, si vero vnus conuertatur altero in infidelitate relicto, dicam §. 3. an conuersus id possit facere, & an ex vi professionis dissoluatur vinculum matrimonij.

## §. II.

*Enucleatur sensus secundus.*

## S V M M A R I V M.

1. Si alter tantum conuertatur ad fidem alio remanente in infidelitate, an ex vi conuersionis vnus matrimonij vinculum dissolui possit.
2. Innocentij III. sensus.
3. In quo casu fidelis non possit cohabitare cum infideli.
4. An si volente coniuge infideli commanere cum fidele sine iniuria creatoris, possit autoritate humana matrimonium quoad vinculum dissolui.
5. S. Doctoris mens assertur, n. 19.
6. Necnon Basilij sententia, & n. 7.
8. Infidelitas est adulterium spirituale, remissum.
9. Chrys. opinio adducitur.
10. Quæ sint officia matrimonialia quæ exhibere tenetur vxor marito, quando cum illo commanet.
11. Licet coniugi fidele ex eo præcisè quod nolit conuerti infidelis, matrimonium dissoluere altero inuito.
12. Eo ipso quod infidelis obstinatus nolit conuerti illico si vult saltem implicite cohabitare cum fidele.
13. An seclusa lege Ecclesiastica qua prohibetur quod fidelis conuersus cohabitaret cum infideli, coniux fidelis nequeat dissoluere matrimonium, nec Summus Pontifex.

14. Quandonam fidelis possit dissoluere matrimonium cum infideli, & n. 15.
16. Matrimonium consummatum fidelis cum infideli, ex eo præcisè quod non vult conuerti non potest dissolui à fidele.
17. Variorum DD. sensus, & n. 18.
20. Cur fidelis possit dimittere infidelem ratio assertur, & n. 21. 22. & 23.
24. Cur Ecclesia prohibeat fidele cum infideli cohabitare ratio assertur, & numero 25.
26. Quid veniat notandum.
27. Discrimen inter duos coniuges fideles assertur.
28. An fidelis conuersus possit transire ad secundum matrimonium, altero perseuerante in infidelitate.
29. Pontificis sententia adducitur.
30. Priuilegium Christi de soluendo matrimonij vinculo fidelis qui conuertitur, & infidelis qui persistit in infidelitate pro quibus casibus concessum sit.
31. Quandonam contractus matrimonij non esset ortus legitimis contrahentium consensibus.
32. Authoris iudicium, & n. 34. & 37.
33. Per peccatum mortale intelligit infidelitatem S. Doctor.
35. An infidelis petendo cohabitationem, peccat id quod sibi debetur iure nature, & num. 36.
38. D. Caiet. sententia assertur.
39. Necnon multorum aliorum.
40. An infidelis pertrahat ad peccatum contra legem prohibentem, quod fidelis habitet cum infideli.
41. Quæ oblatio facta ab infideli coniuge suo fidele non cooperetur cohabitationi.
42. An priuilegium Christi Dom. datum fidelibus, ut possint dissoluere vinculum matrimonij, cum infideli, datum sit independenter à lege Ecclesiastica prohibente cohabitationem fidelis cum infideli, n. 43. & 44.
45. Quodnam contractum initum dicatur matrimonium irritum à Trid.
46. Quod coniux fidelis in utroque casu debeat manere in celibatu, unde oriatur, & num. 47.
48. Quid ex traditis sit deducendum.
49. An priuilegium Christi datum sit pro omnibus casibus in quibus fidelis cohabitatio cum infideli est illicita ex parte infidelis.

SI aliter tantum † conuertatur ad fidem alio remanente in infidelitate, an ex vi conuersionis vnus matrimonij vinculum dissolui possit, quod multipliciter potest intelligi, an possit dissolui autoritate Pontificis, vel per ingressum in religionem, ita



vt alter possit aliud contrahere matrimoniam verum, vel perseuerans in sua infidelitate, vel conuerso ad fidem, & quidem conueniunt DD. Catholici, quod si infidelis nolit habitare cum fideli sine iniuria creatoris, potest fidelis soluto matrimonio cum infideli, aliud inire, sic intelligit Ecclesia locum Pauli 1. ad Corinth. 7. num. 14. quod si infidelis discedit, discedat, non enim seruituti subiectus est frater, aut soror in huiusmodi, in pace enim vocauit nos Dominus, cui testimonio nixus Innocentius III. hoc definiuit,

2 † cap. quanto, & cap. Gaudemus de diuortis. qui agnoscit speciale priuilegium, & concessionem datam à Christo Domino ad dissoluendum matrimonium, etiam consummatum & absolutionem à præcepto naturali residendi matrimonialiter fidelis, cum infideli, qui non vult cohabitare sine iniuria, vel contumelia creatoris, ipsum vel Christum blasphemando, & impediendo ne illis debitus cultus, exhibeatur, vel retrahendo familiam à fide Christi, vel compellendo coniugem fidelem ad peccatum

3 mortale, cum enim † fidelis in tali casu non possit habitare, & residere cum infideli, æquum est, vt possit matrimonium dissolvere quoad vinculum, noluit enim Christus lege sua obligare ad cœlibatum sine propria voluntate, aut culpa, quem ducere teneretur, si nec posset habitare cum infideli propter periculum, & ex alia parte non posset soluere matrimonium & aliud contrahere, cap. simili modo, cap. si vxor. 28. quest. 1. cap. infidelis quest. 2. Legantur Perez de matrim. disp. 36. sect. 4. Valentia tom. 4. disp. 10. quest. 1. punct. 3. Henriquez lib. 1. de matrim. cap. 4. Rebellus lib. 3. de obligat. iusti. quest. 10. sect. 2. Basilius Legionens. lib. 9. cap. 4. n. 13.

4 Quare superest dubium circa hunc sensum, † an si volente coniuge infideli commanere, & residere cum fideli sine iniuria creatoris, vel inductione ad mortale, possit autoritate humana matrimonium hoc quoad vinculum dissolui, & quidem ad habitationem & residentiam inaritam cum infideli liberum est conuerso, potest enim si vult cum illo cohabitare, etsi ex vi conuersionis ad fidem infidelis amittat ius matrimonij, & exigendi debitum & alia officia coniugalia, quod ex dicendis liquescet, & docuit S. Thom. in 4. dist. 39. quest. 1. art. 2. in corpor. vbi dicit, quod quantum ad habitationem & debiti solutionem pari passu currunt adulterium & infidelitas, quia vtrumque est contra bonum prolis, vnde sicut se habet in potestate dimittendi adulteram, vel commanendi cum ea ita se habet in potestate dimittendi infidelem, vel commanendi cum ea. Potest enim vir innocens liberè cum adultera com-

manere spe correctionis, non autem si in adulterij peccato fuerit obstinata, ne videatur Patronus turpitudinis, quamuis etiam cum spe correctionis possit eam dimittere similiter fidelis conseruus potest infideli manere cum spe conuersionis, si eam in infidelitate obstinatam non videat, & bene facit commanendo tamen non tenetur, & de hoc est consilium Apostol. 1. ad Cor. 7. n. 12. 13. & 14.

Huius veritatis rationem aliam dedit egregiam † art. 3. eiusdem quest. 1. quia homini secundum aliam, & aliam vitam, diuersa competunt & expediunt, & ideo qui moritur priori vitæ, non tenetur ad illa ad quæ in priori vitæ tenebatur, & inde est, quod ille qui in vitæ seculari existens aliqua vovuit, non tenetur illa, quum mundo moritur vitam religiosam assumens, perficere: Ille autem qui ad baptismum accedit regeneratur in Christo, & priori vitæ moritur, cum generatio vnius sit corruptio alterius, & ideo liberatur ab obligatione, qua vxori tenebatur reddere debitum, & ei cohabitare, non tenetur quum conuerti non vult, quamuis in aliquo casu liberè id possit facere, vt dictum est art. 1. sicut & Religiosus liberè potest perficere vota, quæ in seculo fecit, si non sunt contra Religionem suam, quamuis ad ea non teneatur.

Ex quo apparet minus benè dixisse † Basilius lib. 9. de matrim. num. 6. in primis illis Ecclesiæ temporibus non tantum licuisse habitationem fidelis cum infideli secluso periculo peruersionis, sed eo tempore iustissime fuisse præceptum, quo facilius infidelis, fidelis viri, vel vxoris consortio ad veram religionem alliceretur, & ne etiam molestè ferrent, se ab vxoribus, vel coniugibus dilectis deserere, atque ita reuocarentur, vel retardarentur infideles à capeßenda Catholica disciplina; hæc enim sententia etsi fuerit Græcorum Patrum calculo approbata, tamen nō videtur textui admodum consona, dicit enim Apostolus ceteris ego dico non dominus, &c. quasi dicat hoc non est Domini præceptum, sed Pauli consilium, ego dico consulendo non præcipiendo, vt interpretantur ibi. D. Th. lect. 2. Aug. l. 1. de Adult. coniug. c. 13. Anselm. Cornel. Iustin. ibi, & communiter expositores. Noluit enim Apostolus onus imponere, quod vel non oriatur ex rei natura, vel non sit à Christo Domino impositum & ideo dixit, se priuato nomine id scribere non domini autoritate sicut Paulus non sicut Apostolus, quasi velit consilium tunc temporis fuisse non præceptum cum enim, vt supra est monstratum † infidelitatem esse adulterium spirituale, sicut fornicatio vxoris adulterium carnale, & ex Christi concessione propter vtrumque licitum sit vxorem dimittere, qua

qua ratione præciperet Apostolus, vt fidelis infidelem non dimitteret, etiam nolentem se conuertere, quare dubio procul expositio Aug. & D. Thom. amplectenda.

Quam etiam sequitur ibi Chrysofom. *homil. 19.* sic loquens egregiè ad illa verba quæ *num. 15.* subiungit Apostol. † *Vnde scis mulier si virum saluum facies? aut unde scis vir si mulierem saluam facies? si seditionem non agit,* (ait Chrysofomus) *mane, nam & lucrum habes, mane, & admone, & consule, & persuade.* Nullus enim Doct̃or tantum potuerit valere quantum mulier, & neque imponit ei necessitatem, neque rem ab ea exigit, ne virus faciat grauius, neque iubet animum despondere, ac desperare, sed propterea, quod futurum sit incertum id relinquit suspensum. id est cadens sub consilio, non sub præcepto, quod pulchrè etiam Primasius ibi, *sapè contingit vt lucri fieret per mulierem ideo, ait B. Petrus, vt si qui non credunt verbo per mulierum conuersationem, sine verbo lucri fiant, vt cum viderint ex ebriosis sobrias, ex superbis humiles, dicant verè lex Dei est quæ sic potuit mutare mores insolitos.* Hæc Primasius. Vnde historix Ecclesiasticæ plenæ sunt ex conuersionibus virorum factis suasionibus, & persuasionibus vxorum, sic Cæcilia, sic mulier Clodouei Regis Francorum, sic B. Monica, viros suos ex infidelitate sua ad fidelitatem traxere, quare si tunc temporis probabili & morali certitudine mulier speraret reducere ad fidem virum suum, &c. ex præcepto Charitatis teneretur, cum illo habitare & officia matrimonialia exercere.

10 Sed † quæ sint officia ista matrimonialia quæ exhibere tenetur vxor marito, quando cum illo commanet, refidet, & cohabitatur, Ioannes Andr. & Panormit *cap. Litteras de conuers. coniug.* quod vxor tenetur viro lauare pedes, & caput & parare cibos, & alias semper, vel Phrygio seruire marito, coquinariam facere, & lectum parare, vt tradit Benedictus Capra *consil. 72. colum. 4.* etenim, vt scribit Herodotus *lib. 8.* apud priscos populos etiam Regi vxor sua coquebat cibaria, quare etsi mulier nobilis sit, si maritus vult ob aliquem finem honestum, vt sibi cibum faceret, tenetur id facere, sic enim, vel sua humilitate maritum reducet ad bonos mores, & ad fidem, dicet enim maritus infidelis hæc vera lex Dei est, quæ sic potuit mutare mores insolitos, legendus est Barbartus *in additionibus ad Baldum in leg. si uxorem colum. 1. C. de conditio inser.* neque enim deterior debet fieri conditio creditoris, propter nobilitatem debitoris, nisi alter sit iure cautum, vt benè Andreas Tiraquell. *tract. de nobilit. cap. 20. n. 94.*

Igitur circa præsentem quæstionem. Prima sententia absolutè docet † licere coniu-

gi fideli, ex eo præcisè, quod obstinate conuertere nolit infidelis matrimonium dissoluere altero inuito, cum fideli. Ita Bellarm. *l. 1. de matrim. cap. 12.* Ægidius Coninch. *disp. 26. dub. 5.* & alij recentiores. Probatur primò, quia Paulus *1. ad Corinth. 7. num. 14.* vt supra vidimus non præcipit, sed dat consilium, vt fidelis habitet cum infideli, si iste vult cohabitare, sine iniuria creatoris, atque ibi Apostolus loquitur de dimissione non solum quoad vsum matrimonij, & officiorum coniugalium, sed quoad solutionem vinculi, ergo si solum est hoc consilium poterat fidelis illud vinculum soluere. Secundò, quia † eo ipso, quod infidelis obstinatus 12 in sua infidelitate nolit conuertere & baptizari illico si vult saltem implicite cohabitare, & commanere cum infideli sine iniuria creatoris, moraliter enim non videtur posse infidelis non blasphemare Christum, & in illius Ecclesiam effutire contumelias, si videat coniugem fidelem Christum adorare, venerari sacras imagines, Eucharistiam sumere, indulgentias lucrari, diffinitionibus Pontificiis assentiri, vt infallibilis veritatis, rursus obstinatio in infidelitate contumelia est creatoris, & blasphemia in Christum.

Secunda sententia tenet duo, primò, quod † seclusa lege Ecclesiastica, qua prohibetur, 13 quod fidelis conuersus cohabitetur, & commaneat cum infideli, coniux fidelis nequit dissoluere matrimonium, nec Summus Põc. Secundum, quod supposita lege Ecclesiastica prohibente talem commanentiam & cohabitationem, si infidelis non vult conuertere, potest fidelis dissoluere matrimonium aliud contrahens cum fideli, hanc sententiam tenent Thom. Sanch. *lib. 7. de matr. disp. 74. n. 9.* Dicastil. *tr. 10. disp. 2. dub. 37. n. 460.* Basil. *l. 9. c. 4. n. 22.* Perez *disp. 36.* Henriq. *lib. 11. c. 8. n. 4.* Sà Emendatus *verb. matr. de dirimentibus n. 8.* Manuel Rodriguez *t. 2. Sum. c. 230.* Sotus *in 4. dist. 39. q. vnic. art. 4. vers. est tamen.* & alij.

Hanc secundam partem probant multis (nã prima verissima est, vt cõstabit.) Primò, quia iuxta Paulum explicatum, *c. quanto, & c. Gaudeamus de diuort.* tunc † fidelis potest dissoluere 14 matrimonium cum infideli, quum iste recedit, & nõ vult cohabitare nisi pertrahendo fidelem ad peccatum, at supposito, quod lex Ecclesiastica prohibet, quod fidelis habitet cum infideli, fidelis peccat cuius peccati causa est perseuerantia infidelis in sua infidelitate, ergo iste reipsa discedit, ac per consequens ex Christi priuilegio cõcesso in fauorem fidei, fidelis iste potest matrimonium dissoluere, alias esset subiectus seruituti matrimonij cum infideli, & inculpabiliter maneret obligatus, ad cœlibatum, quousque alter conuerteretur.

Secundò,

15 Secundò, quia privilegium Christi in fauorem fidei concessum, vt dissoluatur matrimonium fidelis cum infideli, cum iste discedit, concessum fuit à principio pro omnibus illi euentibus in quibus illicita est cohabitatio cum coniuge infideli, quamuis esse illicitam, à iure Ecclesiastico dimanet, quia quamuis Ecclesia nequeat dissoluere vinculum matrimonij consummati, etiam cum infideli, tamen supposita prohibitione cohabitationis cum illo, iam iure diuino potest dissolui hoc matrimonium, sicut ante Tridentinum matrimonium clandestinum, validum erat & contractus factus, sine Parrocho, & testibus eleuabatur ad rationem Sacramenti, at post Trident. quod sua lege declarauit non esse legitimos consensus, qui fiunt sine Parrocho & testibus, iure diuino est nullum matrimonium, sic celebratum sine solemnitate requisita à Trident. & introducta lege humana.

Tertia sententia cui tanquam verissimæ adhæreo, est, quod † matrimonium consummarum fidelis cum infideli ex eo præcisè, quod non vult conuerti, si tamen quantum est ex parte sua vult pacificè cohabitare cū coniuge fidei sine iniuria creatoris, aut blasphemia Christianæ Religionis, & sine inductione ad peccatum, non posse dissolui hoc matrimonium à coniuge fidei, (an vero possit Pontifex dicam modo) hæc est omnium ferè Magistrorum antiquorum sententia Petrus Lombardus in 4. dist. 39. vbi D. Th. art. 5. in corp. Bonauent. art. 2. quest. 1. Richar. art. 2. quest. 2. Durand. quest. 2. n. 12. Paluda. quest. vnic. art. 2. n. 12. Gabriel art. 2. conclus. 6. D. Anton. 3. p. 1. cap. 6. notab. 3. Decretistæ cum Gratiano, c. fin. dist. 28. vbi Turcremata. Decretalistæ ad c. quanto, & cap. Gaudemus de diuort. vbi Hostiensis, Butrius, Præpositus, Henriquez, Panormitanus, Archidiaconus, Innocentius, Summa Angelica, quos citat Syluester infra adducendus.

17 † Summistæ omnes antiqui, Goffred. Raynerius, Friburgus, Rosella, Armilla, Pissana, Tabienna, Nauarrus, Syluester quos citat Sanchez num. 8. expositores Sacræ Scripturæ, Arboreus, Claudius, Gagneus, Phorius & multi alij, in cap. 7. epist. 1. ad Corinth. & vt dixi vsque ad Victoriam nullus antiquorum contrarium sensit, quod apud me validum est argumentum confirmans huius sententiæ veritatem.

18 Quam ni fallor decidit Pontifex Innocentius III. cap. quanto, & cap. Gaudemus de diuort. vt autem huius Pontificis determinatio præfatæ veritatis omnibus pateat, & clarescat, duo sunt notanda. Primum, ex D. Thom. in 4. dist. 39. q. 1. art. 3. qui explicans textum in cap. Iudæi 28. quest. 1. (qui desumptus est ex Concilio. IV. Tolet. canon. 62. quod

celebratum fuit à Gallis & Hispanis an. 650. & à Concilio V. Toletano cap. 2. quæ dicitur magna & vniuersalis Synodus, quæ congregata est in vrbe Toletana, quo Pontifice, & quo Rege, non satis constat, nam aliqui dicunt fuisse celebratum an. 633. Legatur Garzia de Loaysa & Binnius, (ibi) in quo sic habetur; non potest infidelis in eius coniunctione permanere, quæ iam in Christianam translata est fides. circa quæ verba D. Tho. ad secundum † dicendum, quod in primitiua Ecclesia tempore Apostolorum passim conuertebantur ad fidem, & Iudæi, & Gentiles, & tunc vir fidelis poterat habere probabilem spem de conuersione vxoris, etiamsi conuersionem non promitteret. Postmodum tamen tempore procedente, Iudæi sunt magis obstinati, & gentes adhuc intrabant in fidem, sicut tempore Martyrum, & tempore Constantini Imperatoris circa illa tempora, & ideo tunc non erat tutum fidei cum vxore infideli cohabitare, nec erat spes de conuersione eius, sicut erat spes de conuersione vxoris gentilis, & ideo tunc fidelis conuersus poterat habitare cum gentili, sed non cum Iudæa nisi conuersionem promitteret, & secundum hoc loquitur decretum illud, sed nunc pari passu ambulant utrique, scilicet Gentiles & Iudæi, quia utrique obstinati sunt, & ideo nisi vxor infidelis conuerti velit non permittitur ei cohabitare, siue sit Gentilis, siue Iudæa. Hactenus S. Doctor.

Ex qua verissima doctrina quæ stillata est ex August. lib. 1. de Adult. coniug. ad Pollentium à cap. 13. vsque ad 28. duo colliguntur. Primum ratio, † cur cum Dominus licentiam dederit, vt fidelis conuersus posset si vellet dimittere infidelem si non vult conuerti, nihilominus Apostolus tunc temporis consilium det vt fidelis non dimittat infidelem, si iste vult habitare cum illo licitè, & sine iniuria Creatoris, quia videlicet est fidei probabilis spes conuertendi infidelem, vnde et si liceat fidei, dimittere non tamen expedit. Audi Augusti cap. 13. in quo post multa valdè egregia sic concludit. Quia coniux fidelis relinquere coniugem potuit infidelem, ideo fieri non Dominus, sed Apostolus prohibet. Quod enim Dominus prohibet fieri omnino non licet. Monet enim Apostolus quomodo possit esse multorum occasio lucrandorum, vt fideles coniuges in dimittendis infidelibus permessa licentia non utantur. Tibi autem videtur infideles quoque dimitti à fidelibus non licere, quia hoc vetat Apostolus, cum ego dicam licere, quia hoc non vetat Dominus, non tamen expedire, quia hoc ne fiat monet Apostolus qui reddit etiam rationem cur fieri non expediat quamuis liceat. Quomodo enim scis (inquit Apostolus) mulier, si virum saluum

*saluum facies? aut unde scis vir si saluum facies uxorem? & infra: Cur ergo non expediat infideles coniuges dimitti à fidelibus causa euidenter expressa est. Non enim propter vinculum cum talibus coniugale seruandum: sed ut acquirantur Christo, recedi ab infidelibus coniugibus vetat Apostolus, &c. Quæ eleganter prosequitur, cap. 28. concludens de coniuge infidele dimittendo, vel non dimittendo: Quoniam vnum horum non expedit, aliud expedit, dici non oportet, qui dimittit bene facit, & qui non dimittit melius facit, sed dici oportet non dimittat, quia etsi liceat, non expedit. Sic enim possumus dicere, melius esse fidelem coniugem non dimittere, quamuis liceat & dimittere, quemadmodum rectè dicimus, melius esse quod licet, & expedit, quam id, quod licet, & non expedit. Hactenus August. qui admirabili ingenio concordat licentiam Christi, vt infidelis possit dimitti à fidele, quia ille adulterium spirituale committit, quare licet fidele dimittere illum sicut licet innocenti dimittere adulterum carnalem, vna cum consilio Apostoli, quod actu non dimittat, quia fidelis ex cohabitatione cum infidele istum potest lucrifacere, & saluare, id quod etiam determinat Innocentius III. cap. gaudemus cit.*

23  
24  
25  
26

Secundum, quod colligitur est † ratio prohibitionis Ecclesiæ, quæ prohibet habitare fidelem cum coniuge infidele est, ob periculum subuersionis, fidelis ab infidele, quare ob hoc motiuum iustissimum vult, quod coniux fidelis vtatur licentia Christi & non consilio Apostolico, quia hodie semper expedit quod fidelis non cohabitare cum coniuge infidele, quia siue gentilis sit siue Iudæus, vtrique obstinati sunt, & sic Ecclesia rectè præsumit non esse probabilem spem in coniuge fidele ad conuertendum infidelem ad fidem, & sic vtriusque commanentiam prohibet, & quamuis in aliquo particulari præsumptio deficiat, & falsa sit, nihilominus lex Ecclesiastica obligat, quia est præsumptio iuris & à iure, & ob vniuersale motiuum lata, quod semper firmum stat quamuis in aliquo casu particulari non verificatur præsumptio, quæ ratio manifesta, est in his legibus, quæ vel ius naturale, & diuinum, aut Religionem Christianam concernunt, vt in superioribus meis scriptis sepius est inculcatum.

Notandum secundò, † quod Ecclesia potuit hoc prohibere, etiam si Apostolus contrarium consiliauerit, quia tunc temporis, etsi licitum esset fidele infidelem dimittere, tamen hic & nunc, & attentis circumstantiis illius temporis non expediebat dimissio propter graua inconuenientia, quæ agnoscebat Apostolus, tamen videns Ecclesia, quod spes conuersionis infidelis

non est hodie probabilis, & euersio fidelis probabilis sit multo magis quam illius conuersio, iustissime ex altiori motiuo charitatis, quæ semper à se ipso incipit, prohibet talem cohabitationem, quæ hodie illi omnino illicita est, attentis regionibus, & aliis, si commode potest coniux fidelis infidelem dimittere.

His igitur prælibatis iam ostenditur ex cap. quanto citat. nostra & Antiquorum sententia, ibi Pontifex rescribens Ferrariensi Episcopo discrimen ponit inter duos coniuges fideles, † quorum alter in hæresim, vel errorem qualitatis labitur, etsi ex duobus infidelibus coniugibus alter ad fidem Catholicam conuertatur; & dicit, quod in hoc vltimo casu: Si alter infidelium coniugum ad fidem Catholicam conuertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemiam diuini nominis, vel vt eum pertrahat ad mortale peccatum ei cohabitare volente, qui relinquitur ad secunda si voluerit vota transiit, & in hoc casu intelligimus, quod ait Apostolus, si infidelis discedit discedat; frater enim vel soror non est seruituti subiectus in huiusmodi. Et canonem etiam in quo dicitur contumelia creatoris soluit ius matrimonij circa eum qui relinquitur. Hactenus Pontifex, quid in hoc casu tenendum sit determinans. Vnde Glossa, ibi in casu fornicationis dicit, Nota quod matrimonium infidelium potest separari altera ad fidem conuerso, altero remanente in infidelitate in tribus casibus hic contentis, quos his versibus comprehendit Vincentius Glossator.

*Desere spernentem, vel blasphemare volentē  
Vel te credentem scelus ad mortale trahentē,  
Nā sunt absq; mora sic vincula rupta priora.*  
Easdem tres species huius casus refert idem Pontifex rescribens Tibiadensi Episcopo, & refert, cap. Gaudemus cit.

Ex qua decisione sumitur valde efficax, meo iudicio insolubile argumentum quod † fidelis conuersus possit transire ad secundum matrimonium, altero perseverante in infidelitate, habetur ex Christi priuilegio, cuius promulgationem fecit Paulus 1. ad Corinth. 7. verbis citatis ab Innocentio, quod priuilegium ad solos illos extendi debet, ad quos Ecclesia extendi intellexit (cum enim matrimonium iure naturæ sit insolubile, solum potest solui priuilegio Christi) at Ecclesia solum in his tribus casibus intellexit posse dissolui matrimonium consummatum inter infideles, si vnus eorum conuertatur ad fidem, quando scilicet infidelis non vult cohabitare, vel quum non vult cohabitare sine iniuria creatoris, vel quum cohabitando infidelis pertrahit fidelem ad mortale peccatum, ergo quum vult cohabitare sine iniuria creatoris, & sine inductione ad peccatum,

29 non soluitur vinculum matrimonij, cuius rationem dedit Pontifex, † *cap. Gaudemus, fideles* (ait) *huiusmodi (cum infidelibus) matrimonialiter copulari libere possunt, & licite remanere coniuncti, cum per Sacramentum baptismi non soluantur coniugia, sed crimina dimittantur, exceptis scilicet tribus casibus, quos posuit cap. quanto. & imponit infra in eod. cap. Gaudemus.*

Sed respondent Sanchez & Dicastillus, quod Pontifex colligit ex loco Pauli quem intelligit non solum de discessu physico infidelis, quia recedit à fidei à quo se absentat, & cum quo physicè in eodem lecto & domo non vult cohabitare, sed etiam de discessu morali, quando vult cohabitationem illicitam, vel blasphemando creatorem, vel trahendo ad peccatum coniugem fidelem, vnde eo ipso, quod cohabitatio sit illicita definit Pontifex, quod infidelis moraliter discedit, & sic quod fidelis potest ad secundas nuptias transire, supposito autem, quod ex lege Ecclesiastica illicitum sit fidei habitare cū infidei, si iste vult habitare cum illo, iam infidelis trahit fidelem & inducit ad peccatum, & sic ex definitione Innocentij, fidelis potest ad secunda vota transire. Vnde Sanchez n. 10. & Dicastillus n. 467. dicunt, 30 quod † priuilegium Christi de soluendo vinculo matrimonij fidelis, qui conuertitur & infidelis qui persistit in sua infidelitate concessum est pro omnibus casibus in quibus est illicita cohabitatio, eo autē ipso, quod interposita sit lex Ecclesiastica qua interdicitur habitatio fidelis cum infidei, etiam si iste velit pacificè habitare iam adest casus pro quo Christus priuilegiū concessit, quod exemplo declaratur, matrimonium clandestinum olim ante Concilium Trident. erat validum, & nunc est vbi non est receptum Trident. & post istud iam non est validum, sed ex natura rei irritum, non quia mutata est materia, & forma huius Sacramenti, quia id nequit facere Ecclesia, atqui ista potest facere, quod contractus sit, vel non sit legitimus, statuit 31 S. Synodus, quod contractus matrimonij nō esset ortus ex legitimis contrahentium consensibus, nisi coram Parrocho, & duobus testibus, & Christus constituit pro materia consensus legitimos. Cum ergo Ecclesia possit statuere, quod cohabitatio fidelis cū infidei sit peccatum mortale, eo ipso priuilegiū Christus dedit, vt possit matrimonium dissolui, quia eo ipso, quod sit talis lex infidelis trahit ad peccatum fidelem, nam infidelis est causa moralis, quod fidelis peccet habitando cum illo contra præceptum Ecclesiæ, si enim inducit ad habitandum, cum habitatio sit illicita moraliter inducit ad mortale.

Verum enim vero hæc solutio quæ fun-

damentum est oppositæ sententiæ si prematur inanis apparebit. Quare contra eam sic confurgo. † Primo, quia si hoc ita est, vt isti dicunt, eo ipso, quod alter non inire validū matrimonium, si alter requisitus, quod conuertatur, non conuertitur, etsi pacificè velit cohabitare, consequens autem omnino absurdum est, quia Pont. expressè *c. Gaudemus.* dicit, *qui (infidelis) secundum ritum suum legitimam repudiavit uxorem cum tale repudiū veritas in Euangelio reprobauerit, nunquam ea uiuente, licite poterit aliam, etiam ad fidē Christi conuersus habere, nisi post conuersionem ipsius illa renuat habitare cum ipso, aut etiam si consentiat, non tamen absque contumelia creatoris, vel vt cum pertrahat ad mortale peccatum,* atqui † per mortale peccatum D. Th. *vbi supra in corpore art.* intelligit infidelitatem, vel quodlibet aliud contra legem naturæ, non vero quæ prohibet habitationem, nisi inducat ad cohabitandum ex intentione, quod fidelis mortaliter peccet, nam si præcisè, ex eo, quod infidelis velit cohabitare cum infidei supposita lege Ecclesiastica infidelis pertrahit ad mortale, quia talis habitatio est illicita, quia prohibita & sic infidelis potest secundo nubere & soluere vinculum matrimonij cum infidei non esset necessarium illos, tres casus exprimere, quibus ex priuilegio Christi licitum est transire ad secundas nuptias, sed sat esset dicere hoc licere, quum alter coniux non vult conuerti præcisè, quia ex hoc præcisè habitatio sit illicita, quod dici nequit, maximè, quum tempore Innocentij III. circa annum 1200. iam erat prohibita talis habitatio.

Secundò impugnatur eadem solutio, 34 quia infidelis dum non conuertitur, & vult cohabitare pacificè & sine contumelia creatoris, quamuis cohabitatio sit illicita fidei, tamen non trahit infidelis ad peccatum mortale, nec ad illud fidelem inducit, sed tantum vitur iure suo naturali, quod habet ad vsum matrimonij, & ad residendum cum vxore, cum qua factus est vna caro: prohibitio autem non tollit hoc ius, etsi impediatur eius vsum lege sua, vnde † infidelis petendo cohabitationem petit id quod sibi debetur iure naturæ, quamuis ob periculum ne fidelis peruertatur prohibet cohabitationem, & iuri illi ponit impedimentum ex parte fidelis, vnde si infidelis debitum petat à fidei & iste reddat neque in petitione, aut redditione est peccatum contra legem naturæ, vnde manifestum est quod dum infidelis vult hodie pacificè cohabitare cum fidei non sollicitat ad peccatum mortale, sed solum vult, quod sibi detur id ad quod habet ius naturæ, ipse enim non tenetur assentiri tali impedimento, cum non teneatur obedire 35 Ecclesiæ

Ecclesiæ & sic respectu infidelis idem prorsus manet oblatum post prohibitionem de non cohabitando, ac antequam prohiberetur, & sic respectu suæ voluntatis semper petit licitum, nec quantum est ex se pertrahit ad peccatum, & idem est si haberet aliquod motuum honestum ad hoc, quod alter coniux non exequeretur aliquod Ecclesiæ præceptum, non in contemptum Ecclesiæ, sed ob suam conuenientiam sibi licitam iure naturæ, quia sibi, id quod est licitum iure naturæ non fit illicitum, quia prohibitum iure Ecclesiastico, sed infideli, quod est licitum ante ius Ecclesiasticum est illi licitum iure Ecclesiastico posito, & sic per accidens respectu sui pertrahit ad peccatum, quod est tale, quia prohibitum lege Ecclesiastica, quod secus est de tractione ad peccatum contra legem naturalem, & diuinam, quia ista ligatur infidelis, qui non habet ignorantiam inuincibilem illius, pertractio enim ad peccatum contra huiusmodi leges est talis per se respectu infidelis, & de hac manifestè loquitur Pontifex *in præfatis capitibus*, quorum hic est genuinus intellectus quem non vult aduertere Dicastillus, quare fidelis, qui contra prohibitionem Ecclesiæ cohabitât cum infideli, mortaliter peccat ab sua concupiscentia abstractus, & illectus, quod est per accidens respectu infidelis, qui exigit, quod sibi licitum est.

Tertiò doctrinam traditam explico & confirmo exemplo, † si coniux conuersus non obstante lege Ecclesiastica prohibente commanere & cohabitare, inuitetur ad cohabitationem ab infideli iste non inuitat, aut pertrahit ad peccandum, sed ad actum matrimonialem, & officia coniugalia mutuo obeunda, quamuis per accidens ista habere sit prohibitum fideli, sed solum se præbet facilem ad exequenda pacifice mariti munera, est exemplum si Dominus die ieiunij iubeat, coquo, ut paret cibos prohibitos ad comedendum, vel ad frangendum ieiunium, etsi Dominus peccet, non tamè coquus, aut ministrantes tales cibos, quia isti non concurrunt, nec inuitant ad fractionem ieiunij, sed ad sustentationem naturæ, vel ut ait D.

38 Caiet. † 2.2. q. 147. art. 4. §. & ad hoc dicitur. non cooperantur comestioni, quatenus est solutiua ieiunij, sed quatenus est actus deseruiens nutritiæ, siue inseruiunt illi actui, ut est actus hominis, non vitij. Ratio huius est manifesta, quia parare cibos non est quid malum secundum se, imo potius est ex se honestum, neque quatenus prouenit à præparante, est medium ad violandum ieiuniū, nec illam præparationem ciborum, aut illorum ministeriū ad talem violationem ordinantur, quamuis reipsa talibus cibis præparatis, & ministratis ieiunium frangatur à

manducante, quod non intendit præparans & ministrans, ita tenent † Diana p. 1. tr. 9. 39 Resol. 38. Villalobos 1. p. summ. tr. 23. difficul. 3. n. 1. & 2. Trullenc. l. 3. in Decalog. c. 2. dub. 5. n. 11. & 12. Reginald. in praxi l. 4. n. 194. Molphes 1. p. Sum. tr. 10. c. n. 3. Victor. in additionibus ad Toletum l. 5. c. 5. verb. seruus sciens, & alij plures quos refert Doctus Patqualig. in praxi ieiun. decis. 370. & 373. ita fit in præfenti, quia † infidelis non pertrahit ad peccatum contra legem prohibentem, quod fidelis habet cū infideli ex eo præcisè, quod nolit conuerti si offerat separationem ad habitandum sine iniuria creatoris, & sine eo, quod inducat ad infidelitatem, ex vi cuius oblationis non inducit ad hoc, quod fidelis cohabitaret contra legem Ecclesiæ, neque ad hoc cogit fidelis infidelem neque inuitat, aut pertrahit ad fractionem legis, sed ad residentiam matrimonialem, quæ iure naturæ sicut est præcepta, ita est iure naturæ licita, quare talis † oblatio facta ab infideli coniugi fideli non cooperatur cohabitationi, quatenus est actus deseruiens ad officia matrimonialia, quæ iure naturæ sunt licita, & honesta, etsi ista reipsa exercentur à coniuge infideli illicitè, quia lege Ecclesiastica prohibita, sicut contingit in exemplo de præparante cibos qui licitè præparat, etsi Dominus illicitè illis vtatur frangens illorum comestione legem Ecclesiasticam ieiunij.

Quartò, eandem sententiam & solutionem impugno, quia † priuilegium Christi datum fidelibus, ut possint dissoluere vinculum matrimonij cum infideli datum est omnino independenter à lege Ecclesiastica prohibente habitationem fidelis cum infideli coniuge. Vnde antequam lex ista esset, non licebat fideli soluere præfatum vinculum ex eo præcisè, quod infidelis nollet conuerti si vellet habitare sine iniuria creatoris & sine pertractione ad peccatum, ergo neque hodie lata præfata lege poterit: consequentia me quidem iudice manifesta est, quia lex Ecclesiastica nequit extendere priuilegium hoc est ius diuinum circa insolubilitatem matrimonij in ea dispensans, quod nulla potestas humana quit facere, si matrimonium sit consummatum, etiam inter infideles, nisi in casibus à Christo exceptis, & declaratis ab Ecclesia in præfatis cap. quanto, & Gaudemus, ut autem probauimus penes hoc, quod infidelis non conuertatur & velit pacificè cohabitare cum fideli non cogit istum, nec pertrahit ad peccatum, quamuis supposita lege Ecclesiastica fidelis cogatur ad vitam cœlibem ducendam, quod per accidens est, & non intendit infidelis, qui semper respicit, id quod sibi licet iure naturæ, quod autem fidelis ad cœlibatum cogatur

non ex infidelis non conuersione per se sequitur, sed ex lege Ecclesiæ. Hoc argumentum ita me concludit, vt iudicem nihil solidum posse ad illud responderi in eoque fundati sunt omnes antiqui magistri, quos citauimus, & qui locuti sunt post legem latam de non cohabitando fidelem cum infideli, quare inerudite Dicastillus *num.* 458. dicit non constare, an omnes loquantur supposita lege Ecclesiastica, loquuntur vtique hac facta suppositione, siquidem, vt dicebam etiam tempore Innocentij III. iam erat facta lex ista.

- 44 Exemplum quod adducunt de matrimonio clandestino quod validum erat ante Concilium Trident. & post istud, vbi viget, non est validum sed omnino irritum, nisi fiat coram Parocho & testibus prorsus est ineptum ad præsens institutum, nam Christus contractum matrimonij eleuauit ad rationem sacramenti, quæ fundatur in vero contractu, quod autem contractus sit validus dependet ex hoc quod princeps supremus ponat talem vel talem conditionem, vt contrahentes legitimum præstent consensum,
- 45 quod fecit Trid. declarans expresse & aliter contractum in iure esse irritum, & inane, quod potestate sibi data à Deo potuit facere Ecclesia, aut nequit facere quod priuilegium Christi comprehendat nisi casus quos definitum est ab Innocentio III. comprehendendi, in quibus nullatenus comprehenditur casus de quo est præsens dubitatio, vt manifeste ni fallor ostensum est siquidem infidelis volens habitare cum fidele sine creatoris contumelia, si ipsum non cogit moraliter inuitando, & suadendo, sed solum non se conuertendo ad fidem vtens iure mariti, & residentia maritalis, nõ pertrahit ad peccatum mortale per se, quamuis per accidens sequatur, vel quod coniux fidelis peccet cohabitando contra præceptum Ecclesiæ, vel quod maneat in cœlibatu, quod non prouenit per se ex non conuersione infidelis, sed ex Ecclesiæ præcepto quod respicit fidelem non infidelem, qui Ecclesiæ præcepto non obligatur, & sic non tenetur attendere ad damnum fidelis qui permanere debet in cœlibatu sine culpa sua, sicut ait Innocent. III. *in cap. quanto cit.* fidelis permanens sine culpa sua manet in cœlibatu quando coniux fidelis incidit in hæresim aut in infidelitatem, id quod in multis aliis casibus contingit, vt dicit Pontifex, & notat glossa
- 46 *ibi verb. multis.* Quod ergo & coniux fidelis in vtroque casu debeat permanere in cœlibatu, oritur ex indissolubilitate matrimonij iure naturæ, quo coniuges quoad vinculum manent semper coniuncti, semper inseparabiles, nisi in casu in quo Christus Dominus concessit, quod vinculum istud rumpe-

retur, quare non ex eo dicendum est, quod ex non conuersione infidelis supposita prohibitione Ecclesiæ sequatur cœlibatus in conuerso, ne hoc sequatur potest rumpi vinculum matrimonij cum infideli, & aliud cum fidele contrahere, cum ex non conuersione infidelis non sequatur per se pertractio ad mortale, sed per accidens sequatur, quod supposita lege Ecclesiastica cohabitatio sit illicita fidele, aut quod maneat in cœlibatu, cum ergo infidelis ad habitationem illicitam ne cogat suasionem, neque inducat, aut pertrahat, sed solum ad officia maritalia facilem se præbeat iure mariti sicut seruus iure serui ministrat cibos prohibitos in die ieiunij, quibus Dominus frangit legem Ecclesiæ, vt supra dicebamus, quod vxor nolit illicite cohabitare propter legem Ecclesiæ, sed velit persistere in cœlibatu, manifestissimum est, quod maritus infidelis nihil facit cõtra matrimonium, quatenus iure naturæ est institutum ex eo quod præcisè, quod non vult conuerti, atque ita ex hoc præcisè ex priuilegio Christi Domini dissolui nequit, ne alter conuersus in cœlibatu maneat, hæc omnia olim meditabar Romæ consultus *ann.* 1626. quæ tantum apud me ponderis habet, vt iudicem contrariam opinionem non posse ad praxim reduci inconsulto Summo Pontifice, vt quid faciendum sit determinet, quod etiam senserunt viri docti à me consulti.

Ex quibus corruunt & euanescent fundamenta oppositæ opinionis & ad primum respondetur, negando quod fidelis ex eo præcisè quod perseueret in sua infidelitate, & non conuertatur pertrahat fidelem ad peccatum, supposita lege Ecclesiastica prohibente cohabitationem, vt abunde probatum est, & sic per accidens sequitur, quod fidelis maneat in cœlibatu, vt etiam diximus. Ad secundum respondetur, quod & priuilegium Christi datum est pro omnibus casibus in quibus cohabitatio fidelis cum infideli est illicita ex parte infidelis, non enim *frater subiectus est seruituti peccati*, vt ait Paulus, fit autem illicita illis modis, quos ponit Innocentius III. explicans locum Pauli, & eius intelligentiam definiens, in quibus nullatenus continetur, quum solum est illicita ex parte fidelis, qui lege Ecclesiastica inhibetur, non habitat cum infideli ad quam non pertrahit ex eo præcisè, quod non conuertatur, si ex parte sua se facilem præbet ad residentiam matrimonialem, quæ intra naturæ ordinem per se est debita coniugibus, quare non sollicitat ad cohabitationem, vt illicitam iure Ecclesiastico, sed eam desiderat vt honestam iure naturæ.

## §. III.

*Varia corollaria ad praxim utilia.*

Quamuis difficultas discussa valde sit ardua & difficilis, nihilominus ex eius decisione plura practicabilia deducenda sunt corollaria.

## SVBRESOLVT. I.

*Qua ratione in partibus Indiarum doctrina tradita practicetur?*

## S V M M A R I V M.

1. *An ordinarij, Parochi in Indiarum partibus possunt in privilegiis dispensare.*
2. *Thomæ Sanchez sensus affertur.*
3. *Bullæ Gregor. XIII. verba adducuntur.*

Primum, quod licet ex Bulla Gregor. XIII. quam ad verbum refert Basilius Legionensis *lib. 7. de matrim. cap. 48. num. 13.* quâ *lib. 6.* inter alia Pontificia diplomata referam, licet enim ex vi huius Bullæ † Ordinarij, Parochi, & Regulares Societatis, & alij, qui in illis partibus communicant in privilegiis possint dispensare, ut quilibet illarum regionum infidelis conuersus ad fidem, qui ante Baptismum matrimonium contraxit etiam superstitite coniuge infideli liber & expeditus sit ad contrahendum matrimonium, & matrimonialiter residere cum alio infideli non requisito aut expectato infidelis consensu: rursus licet in causis matrimonialibus Indorum Regulares qui designati sunt ad eorum animarum curam in utroque foro, de plano, & sine strepitu iudicij procedere, ut Thom. Sanch. † *lib. 10. de matrim. disput. 19. ex Vera Cruz in speculo, part. 3. art. 10. & 11.* vbi id probat ex variis Summorum Pontificum privilegiis, tam Bullatis, quàm viuæ vocis oraculis: cæterum non possunt facere quod si alter infidelis non conuersus vult cohabitare sine iniuria creatoris, & siue inductione ad mortale fidelis allud matrimonium contrahat, & cum alio cōiuge fideli matrimonialiter resideat, quia ut vidimus ex hoc præcise, quod alter non vult conuerti, si velit cohabitare sine iniuria creatoris, & sine inductione ad peccatum non dissoluitur ex privilegio Christi, sed sine culpa fidelis manet in cœlibatu, & priuatur re sua per accidens quidem, ex suppositione legis Ecclesiasticæ, sicut ille, qui contraxit nuptias sine culpa sua sit irregularis, & bigamus, priuaturque potestate ad sacros ordines suscipiendos, hoc autem ita esse dicendum non obscure declarauit Greg. XIII. in præfatæ Bullæ pro-  
3 cœmio, dicens † *Coniuges infideles tam longo*

*intervallo disunctos, an sine contumelia creatoris secum habitare velint, ut par est monere nequeant, &c.* ergo à contrario si sine iniuria creatoris habitare velint, non interuenit ea necessitas, qua existente possunt matrimonia consummata infidelium dissolui, iuxta Christi Domini priuilegium ab Apostolo publicatum primæ, *cap. ad Corinth. 7.* & sic nequeunt Parochi huiusmodi, aut PP. Societatis in vim huius Bullæ Gregorianæ dissoluerè matrimonium celebratum inter infideles, ex eo præcisè, quod alter non vult conuerti, si vult cohabitare sine iniuria creatoris.

## SVBRESOLVT. II.

*Quid de Ætyopibus, Mauris, & Turcis captiuis?*

## S V M M A R I V M.

1. *Quid de Ætyopibus, Turcis captiuis veniat dicendum, & n. 7. & 8.*
2. *Qua dispensatione Pontifex dissoluat matrimonium consummatum infidelium.*
3. *An ad hoc quod infidelis non requirat coniugem infidelē, requiratur declaratio Papæ.*
4. *An si sit probabile quod infidelis peruertat fidelem possit hoc matrimonium dissolui.*
5. *Non esse legem Ecclesiasticam prohibentem habitationem fidelis cum infideli existimat Rebellus.*
6. *Si sit periculum peruersionis ad quem pertineat examinare.*

Secundum, quod colligitur est, quod † Ætyopes, Turci, Mauri, & Indi, qui † captiui, & serui efficiuntur, vel emuntur, & ad nostras regiones transfuehuntur, in quibus difficile, & fere impossibile moraliter est de alterius coniugis voluntate, an velit cohabitare sine iniuria creatoris inquirere, isti si conuertantur ad fidem non posse contrahere secundum matrimonium sine dispensatione Pontificia, qua dispensetur in monitione necessaria, & requisita ut fidelis possit contrahere secundum matrimonium, sic dispensauit Pius V. pro Indis & Gregorius XIII. in Bulla adducta; dummodo constet summarie, & extraiudicialiter coniugem absentem moneri legitime non posse. Neque enim ut bene aduertit Basilius *vbi supra num. 12.* † ex hac dispensatione colligitur Pontificem dissoluerè matrimonium consummatum infidelium, sed cum Pontifex possit ius diuinum interpretari, ut ex diuino priuilegio dissoluatur matrimonium in fauorem fidei, cum infidelis non vult cohabitare cum fideli declarat Pontifex eum casum verificari, quum tanto tempore fidelis  
non



non requiritur ab infideli, & tanta terrarum spatia impediunt, atque adeo iam posse vti diuina concessione, & ad secundas transire nuptias.

3 Ex quo sumitur manifestum argumentum pro resolutione principali, quia ad hoc, quod, quum infidelis non requirit coniugem infidelem, vel quia non vult cohabitare, quia id impediunt longa terrarum spatia interposita, vel quia etsi sciat, quod coniux sit fidelis ipse tamen in sua infidelitate perseverans non curat cum illo cohabitare, requiritur declaratio Papæ, tanquam Interpretes iuris diuini, & dispensatio in monitione, vt fidelis vti possit diuino Christi priuilegio, vt transeat ad secundas nuptias, ergo cum non sit Pontificia declaratio quod ad transitum istum sufficiat, quod infidelis non velit conuerti, etsi velit cohabitare sine iniuria creatoris, & sine pertractione ad peccatum manifestum est, quod hoc non sufficit ad dissoluendum matrimonium consummatum infidelium.

4 Ex quo fit primo, quod † si est probabile proximum periculum, quod ex cohabitatione fidelis cum infideli iste illum peruerteret, & ad infidelitatem iterum pertraheret etiam si non esset lex Ecclesiastica (vt non erat in primitiua Ecclesia) prohibens cohabitationem istorum poterit matrimonium istud dissolui, & aliud contrahi. Ratio est clara, quia periculum istud imbihit voluntatem virtualem in infideli pertrahendi fidelem ad mortale, & ad infidelitatem, estque hoc periculum lege diuina, & naturali prohibitum: quare si re ipsa adest dubio procul potest dissolui matrimonium hoc infidelium, iuxta doctrinam traditam, *cap. quanto. & cap. Gaudemus. de diuort.* non tamen si cesserit hoc priuilegium, etiam si ad sit lex Ecclesiastica, quæ fundatur in præsumptione, quod infidelis pertrahat infidelem ad suam infidelitatem, quæ præsumptio sufficit, vt lex humana obliget fidelem ad non cohabitandum, & in ea se fundauit Concilium Tolet. I V. generale, *can. 62. & 63. ne eorum fortè (Iudæorum) participatione subuertantur*, quæ præsumptio maior est in Iudaismo, quam in gentilitate cuius, etsi reliquæ adhuc perseverassent in Hispania, & Gallia, & multo etiam post, vt constat ex Concil. *can. 12. & 16.* nihilominus hæc prohibitio solum fuit facta respectu Iudæorum, ex quorum pertinacia, improbitate & odio in Christum, & eius Religionem Patribus huius Concilij iniecta est specialis suspicio, & præsumptio quod coniugem fidelem subuertent. Ita Basilii Legionens. *ubi supra n. 9.*

5 Vnde Rebellus *lib. 3. de oblig. iust. quest. 10. sect. 1.* putat † non esse legem Ecclesiasticam quæ prohibeat habitare fidelem cum infi-

deli coniuge, bene tamen vxorem Christianam cum marito Iudæo, non anteaquam Episcopus moneat istum vt ad fidem conuertatur, quod constat ex *can. 63. cit. at Coninch. disp. 26. de matrim. num. 56.* quam sequitur Dicastillus *num. 455. & 457.* dicit talem esse legem hodie ex consuetudine ortam, quia scripta nullibi in iure canonico reperitur, sed ego contra hos puto talem non esse vniuersalem consuetudinem, quæ obligationem sub mortali inducat, sed † ad Episcopum pertinere examinare, an sit tale periculum peruerfionis, quo existente potest, & tenetur eos separare, ex vi obligationis altioris præcepti diuini, non declinandi à fide, quam de residendo cum coniuge, imo si adest tale periculum, vt dixi, potest coniux fidelis alterum inire matrimonium, quo dissoluetur prius initum, & consummatum cum infideli, quæ doctrina satis innuitur in præfato Concil. Tolet. *cano. 63. cit.* vbi priusquam vxor Christiana separetur à viro Iudæo requiritur quod iste moneatur, vt conuertatur ad fidem ante quam monitionem, non potest fieri separatio.

7 Ex quo etiam fit secundo, † quid sentendum sit de Æthyopibus, & aliis infidelibus qui captiui fiunt, & ad terras Christianorum deportantur ibique venduntur, & suscipiunt Christianam religionem, & cum inter suos matrimonium contraxerunt persistentibus coniugibus in infidelitate, quid faciendum sit de illis, qui sunt in propriis laribus, & ibi conuertuntur iam determinauit Gregor. XIII. in Bulla *citat.* cuius priuilegium est concessum Ordinariis, Parochis, & confessoribus deputatis ibi à suis Superioribus qui possunt dispensare ea ratione, & forma quam præscribit Pontifex, quod priuilegium non diuagatur extra illas regiones quas connumerat in quibus est specialis ratio, vt non expectetur dispensatio noua à Papa, at dum in terris Christianorum adueniunt; existimo consultandum esse Summum Pontificem, vt dispense, sicut fuit necessaria dispensatio vniuersalis pro illis regionibus.

### S V B R E S O L V T. III.

*Matrimonium consummatum in infidelitate non dirimitur ingressu religionis.*

### S V M M A R I V M.

1. An matrimonium consummatum in infidelitate non dirimatur, & dissoluatur eius vinculum per professionem solemnem in religione approbata.
2. Matrimonium consummatum infidelium solum soluitur per aliud matrimonium contractum

*tractum cum fidei ex S. Thoma.*

3. *An non sit privilegium aliquod diuinum ex vi cuius dissoluatur vinculum.*
4. *Vnde sit onerosum infideli vinculum matrimonij.*
5. *An statim post discessum iuridicum solvatur vinculum matrimonij.*
6. *Ratio difficultatis assertur.*
7. *Matrimonium ratum posterius contractum à fidei dissoluit matrimonium consummatum initum in infidelitate, ex Thoma Sanchez, Quid item Castro Palao ex sententia eiusdem Sanchez colligat, & num. 8.*
9. *An Christus dederit facultatem Ecclesia dissoluendi matrimonium consummatum infidelium in fauorem religionis.*
10. *An ex hoc quod matrimonium ratum dissolvatur sit per se fauor respectu fidelis, & per accidens sequatur quod infidelis maneat liber à iugo, & residentia matrimoniali.*
11. *S. Doctoris mens assertur.*

- 1 **T**ertium infertur † matrimonium consummatum in infidelitate non dirimi & dissolui eius vinculum per Religionem solemnem in Religione approbata. Ita tenent Basilius Legionens. *lib. 9. de matr. cap. 4. num. 19.* Castro Palao *de matr. disp. 2. punct. 2. §. 3. num. 12.* Coninch. *disp. 26. num. 65.* Perez *disp. 36. sect. 8. num. 3.* Gaspar Hurtado *disp. 8. difficult. 14.* problematice defendit Dicastillus *ubi supra dubit. 39. à num. 496.* colligitur plane ex D. Thom. *in 4. dist. 39. quest. 1. art. 5.*
- 2 *ad primum*, vbi dicit quod † matrimonium consummatum infidelium solum soluitur per aliud matrimonium contractum cum fidei; hæc enim duo vincula ex natura rei sibi contrariantur & vnum aliud excludit, at vinculum religiosi status non opponitur vinculo matrimonij sed vsui vnde simul cõpatiuntur, vt constat dum coniuges ex mutuo consensu religionem profitentur, in quibus manet vinculum matrimonij, vnde ex natura rei vinculum status religiosi non dissoluit vinculum matrimonij.
- 3 Rursus † non est privilegium aliquod diuinum ex vi cuius dissoluatur vinculum cū illud solum conceditur in tribus casibus, de quibus *cap. quanto & cap. gaudemus de diuort.* ne scilicet cogatur coniux fidelis cœlibem vitam agere, quum infidelis non vult cohabitare sine iniuria creatoris, aut inducit ad peccatum mortale, vt *suprà*, est explicatum, at dum fidelis ingreditur religionem voluntariè, agere intendit cœlibem vitam, vnde necessum non est quod dissoluatur matrimonium ex Christi privilegio à Paulo
- 4 publicato. Siquidem † vinculum matrimonij solum est onerosum infideli, quem nec

Christus, nec Ecclesia ob onere hoc reuelare vult: sicut Christus, vel Ecclesia releuat à vinculo matrimonij rati inter fideles, dum alter intra bimestre ingreditur religionem, & transacto anno nouitiatus professionem emittit, illum qui manet in sæculo.

Sed P. Thomas Sanchez contrarium tenet *disp. illa 79. num. 9.* qui plures pro se adducit ex quibus multi id sentiunt: quia existimant † statim post discessum iuridicum solui vinculum matrimonij, ita Bonaventura *in 4. dist. 39. art. 2. quest. 3. in corp.* Ricardus & Maior. *ibi Argentina, quest. 1. art. 2.* Petrus de Tarant. *q. 6.* & multi ex Antiquis Scholasticis quod corollario sequenti expendam, quid ergo mirum, quod coniux fidelis possit ingredi Religionem per cuius ingressum redditur incapax iterum coniungendi se cum altero coniuge infideli, etiamsi conuertatur, per discessum, siue physicum siue moralem requisitus cõiux infidelis, vt cohabitaret sine iniuria creatoris, & sine pertractione ad mortale, eo loco est iam solutum matrimonij vinculum, ita vt libeum sit conuerso alium statum assumere, siue cœlibatum in sæculo cum voto simplici castitatis, siue statim religionis, per vota simplicia, aut solemnna siue sacros ordines, siue matrimonium, huiusmodi enim status non solvunt vinculum matrimonij, quod iam solutum erat eo ipso, quod fidelis sit derelictus ab infideli non volente cohabitare legitime, & iuxta naturæ leges, quare hi status reddunt dumtaxat incapacem fidelem, vt si alter conuertatur coniugatur cum illo, & iterum reuniantur vir & mulier non vero dissolunt vinculum matrimonij, quod iam dissolutum fuit eo ipso quod infidelis requisitus, & commonefactus noluit cohabitare legitime.

Quare † huius difficultatis punctum in eo 6 vertitur, an sicut matrimonium contractum ab infideli conuerso dissoluit matrimonium quod erat consummatum cum infideli, ita professio solemnns aut assumptio sacri ordinis rumpat etiam idem vinculum, ita vt si infidelis conuertatur quum fidelis est professus, aut sacerdos possit iure naturæ valide contrahere aliud matrimonium, adfirmat vt diximus Thomas Sanchez de professione solemnns, *quia* (ait) † *matrimonium ratum posterius contractum à fidei dissoluit matrimonium consummatum initum in infidelitate,* sed matrimonium ratum siue fidelium siue infidelium dissoluitur per solemnem professionem, ergo ista fortius vinculum inducit, quam matrimonium ratum, ergo sicut istud rumpit matrimonium consummatum infidelium, ita & professio solemnns, quia si vinco vincentem à fortiori vincam te. *leg. de accessionibus 14. D. de diuers. ac tempo. prescrip.*

Respondetur

8 Respondetur hoc fundamentum nullum esse, quia ut bene Castro Palao, si ex hoc argumento colligitur, quod matrimonium consummatum in infidelitate potest dissolui si fidelis ingrediatur religionem, sequetur quod coniux infidelis si conuertatur etiam cum alio & post conuersionem non consummet matrimonium, etsi antea in infidelitate fuisset consummatum, posset inquam ingredi religionem, & profiteri, & sic soluere vinculum, quod nullus dixit, sequela est manifesta, quia fortior est unio religionis, quam vinculum rati si delium, & consummati in fidelium, ut infert Sanchez, quare sicut illatio hic nulla est ita ibi, sunt enim ut dixi diuersae rationes in utroque, quare priuilegium Christi solum est de matrimonio contrahendo, quod contractum irritat prius non tamen extenditur ad professionem, aut ad sacros ordines, & lex ciuilis intelligitur de his quae ciuilitate contingunt, non vero potest intelligi in iis quae supernaturaliter sunt disposita.

9 Quare Dicastillus ubi supra aliter respondet *ann. 497.* quod sic Ecclesiae Christus dedit facultatem dissoluendi matrimonium ratum fidelium per professionem solemnem, probabiliter dici potest quod etiam dederit ad dissoluendum matrimonium consummatum infidelium in fauorem religionis, sed contra est. Primo, quia matrimonium ratum fidelium non soluitur ab Ecclesia, sed priuilegio Christi Domini, quod concessit in fauorem religionis, ne alter coniux fidelis sine culpa sua maneret obligatus ad coelibatum, quare in fauorem utriusque coniugis dedit priuilegium, aut in praesenti si Christus simile priuilegium concessisset ad dissoluendum matrimonium consummatum infidelium esset non in fauorem religionis aut fidei, sed in fauorem infidelis, & infidelitatis, cum si dissolueretur matrimonium liber esset ad valide contrahendum, unde subleuaretur illi onus primo est per se, & sic illi esset concessum priuilegium non fideli, cui nullatenus est onerosum dum profiteretur religionem quod maneat vinculum matrimonij, quod secus est dum matrimonium ratum infidelium dissoluitur, si aliquis coniugum conuertatur & religionem profiteatur, quia hoc est magnum priuilegium respectu conuersi, quod intra bimestre etiam si alter velit cohabitare & residere sine iniuria creatoris, & sine inductione ad peccatum, non possit cogi ad consummandum matrimonium, sed si velit transire ad religionem, quare ex hoc quod matrimonium ratum dissoluatur est per se fauor respectu fidelis, & per accidens sequitur quod infidelis maneat liber à iugo, & residentia matrimoniali; & idem iudicium esto, si uter-

que fidelis post matrimonium ratum professionem, mittante dissoluitur vinculum, & si nulli esset onerosum, quod vinculum permaneret, ratio enim est, quia Christus Dominus in fauorem religionis, sic instituit & Ecclesia declarauit, non sic declarauit Ecclesia de matrimonio consummato infidelium, non est aliquis canon qui hoc declarat sicut est de matrimonio rato cuius vinculum cum sit spirituale rumpitur, & dissoluitur per mortem spirituales, qualis est professio in Religione solemnem, at vinculum matrimonij consummati est vinculum carnale, quod non dissoluitur nisi per mortem naturalem, ut egregie aduertit D. Th. in 4. dist. 27. quest. 1. art. 3. quest. unc. 2. in corp. <sup>14</sup> *vir enim, & uxor sunt una caro ex vi matrimonij consummati, quare nisi ex vi dispensationis diuina datae per priuilegium Christi dissolui nequit, quod solum extat, ut fidelis contrahat matrimonium ex vi cuius sequitur dissolutio alterius, quia iure natura ne unus vir plures uxores, nec una uxor plures viros potest habere, at vero ex vi mortis spiritualis non soluitur vinculum carnale, quia non est illi oppositum, quam doctrinam manifestam existimo, quam si aduertisset Diabolus non problematicè tueretur hanc conclusionem, quae amplius enucleatur sequenti corollario.*

## SVBRESOLVT. IV.

*Quando dissoluatur matrimonium infidelis conuersi ad fidem?*

## S V M M A R I V M.

1. *Quando nam dissoluatur matrimonium cum infideli, & obligatio restituendi & cohabitandi.*
2. *An cum iure natura sit verum matrimonium, iure etiam natura sit insolubile.*
3. *Thom. Sanchez triplex sententia adducitur.*
4. *Vinculum matrimonij, & matrimonialis residentia iure natura duo dicit necessario, & num. 5.*
6. *Innocentij III. sensus adducitur, & num. 9; necnon multorum aliorum, & n. 7.*
0. *An ex vi vinculi matrimonij coniux derelictus non habeat ius ad soluendum matrimonium.*
11. *An seruitus à qua liberatur coniux derelictus sit pars vinculi matrimonij.*
12. *Quid ex traditis veniat colligendum, & num. 13.*
14. *Si post conuersionem viri sit aliqua probabilis spes de conuersione uxoris, non debet votum continentiae vir emittere, neque ad aliud matrimonium transire ex S. Thom. & num. 15.*
16. *Authoris iudicium affertur, & n. 17.*

18. *An si professio ex privilegio Christi soluat matrimonium consummatum infidelium soluat etiam Ordo sacer. n. 19. & 20.*

1 **Q**uartum infertur quæstionis illius decisio quam latè disputat Thom. Sanchez *lib. 7. disp. 75. †* quando dissoluatur matrimonium cum infideli, & obligatio residendi & cohabitandi, an statim ac vnus conuertitur ad fidem, an quãdo contrahit secundas nuptias, & quidẽ certum est, quod non statim ac vnus coniux conuertitur dissoluitur vinculu matrimonij, vt est dogma Catholicum, vt probat August. *lib. 1. de adulter. coniug. à cap. 13. vsque ad finem libri contra Pollentium hereticum*, contrarium adseuerantem, & definit Innocentius III. *cap. Gaudemus. de diuort.* cum enim † inter infideles iure naturæ sit verum matrimonium, iure etiam naturæ insolubile, per Sacramentum Baptismi non soluuntur coniugia, sed crimina dimittantur planum est, quod ex vi conuersionis non dissoluitur matrimonium, sed infidelis post residere, & cohabitare cum fideli, vt dixit Paul. I. *ad Corinth. 7. num. 14.* quare requiritur quod infidelis discedat, siue physicè fugiendo, siue moraliter cohabitando cum iniuria creatoris, aut inducendo ad peccatum, quare punctum dubij est, an statim quod, discedit infidelis aliquo ex his modis, dissoluatur matrimonium consummatum, an quando fidelis transuolat ad secundum matrimonium.

3 **T**riplex adducitur sententia à Thoma Sanchez *disp. 75.* Prima dicit, quod † statim ac discedit infidelis soluitur matrimonium si monitus renuit legitimè cohabitare, & residere. Secunda sententia addit huic, quod requiritur quod infideli assignetur terminus ab Ecclesia intra quem si non vult legitimè residere, & cohabitare dissoluitur illico matrimonium. Tertia sententia est, quam ipse Sanchez multis citatis sequitur asserens nõ dissolui prius matrimonium, donec fidelis ad alias nuptias transeat, ita vt generatio vnus sit corruptio alterius: vnde si fidelis nunquam mutet statum perseuerabit prius matrimonij vinculum, & quotiescumque infidelis conuersus fuerit ad fidem, tenebitur fidelis illum tanquam verum coniugem admittere.

Verum enim vero prima & tertia sententia si recte negotium vtriusque diggeratur, non dissident inter sese, sed vtraque ex parte veritatem quæ negari nequit, attigit.

4 **P**ro quo noto, quod † vinculum matrimonij, & matrimonialis residentia iure naturæ duo dicit necessario, vnum est inseparabilitas & coniunctio vtriusque coniugis, ita vt cum sint vna caro inseparabiliter commanere, & residere debeant, alterum quod

ex vi huius necessario sequitur est, quod vnus coniux nequit alium dimittere & repudiare alterum sibi adsumendo, cum quo matrimonialiter resideat & cõiungatur. Vnde Christus *Matth. 5. & 19.* libellum repudij qui erat licitus in lege Moyfi exclusit in lege Euangelica, vt pote oppositum legi naturæ, vt est fidei dogma ab omnibus Catholicis admissum, quare hæc suppositio indubitata est in Ecclesia quoad vtramque partem, vnde vinculum matrimonij constat quasi ex duplici filo quo omnino ligantur coniuges vnus qui causat inseparabilitatem inter sese, alter quo impeditur coniux ne alteri matrimonialiter cõiungatur, quæ duo separari possunt, nam dum erat licita polygamia id est multitudo vxorum erat vinculum matrimonij quoad filum inseparabilitatis viri cum vxore, non tamen quoad secundum, quod lege naturæ impeditur ne alteri vxori vir coniungatur.

Hoc supposito quod est indubitatum vtraque sententia verum dicit, quælibet tamen respicit filum suum. Prima quod ante secundum matrimonium, prius soluatur constat *ex cap. final. 28. q. 2. ex Amb. 1. ad chorint. 7.* quem canonem canonizauit Innocent. III. *cap. quanto de diuort.* ibi † *qui relinquitur ad secunda si voluerit vota redibit, & in hoc casu intelligimus canonem in quo dicitur contumelia creatoris soluit ius matrimonij circa eum qui relinquitur* Ita definiuit Pontifex, & tenet glossa ibi referens versus, quos supra dedi & concludit in vltimo.

*Nam sunt absque morâ sic vincula rupta priora.*

Idem sentiunt † Altissiodorus *lib. 4. summ. 7. tract. 9. cap. 6. q. 2.* Abulens. I. *Regum. 8. q. 30.* Rodriguez *in mea summ. tom. 1. cap. 250. num. vltimo* Angelus *verb. matrimonium. 3. imp. 10. num. 3.* Astensis 2. p. *summ. lib. 8. tit. 21. art. 2. quæst. 5.* D. Bonauent. *in 4. dist. 39. art. 2. q. 2. in corp. ibi. Ideo dicendum quod statim post discessum soluitur vinculum à parte viri, quia potest alteri coniungi statim, qui in fine quæst. nostrum dictamen positum in suppositione facta satis clare innuit dicens. Satis rationabiliter potest dici quod vinculum illud non omnino soluitur statim, cum mulier discedit, sed cum vir alligatur alteri fideli vinculo inseparabiliter, tunc enim fortius vinculum soluit minus: & si prius aliquo modo esset solutum & tunc perfecte solutum est illo vltimo persistente, hæc ibi satis bene sequitur ibi Ricardus *quæst. 2. art. 2. & alij.**

Et ratio pro hac sententia est demonstratio, quia † ex vi vinculi matrimonij coniux derelictus non habebat ius ad soluendum matrimonium, hoc enim ius incompatible erat iure naturæ cum vinculo & residentia matrimoniali quod ex natura rei dat inseparabilitatem

rabilitatem cum qua non potest compati, quod homo habeat ius ad separandum se ab alio coniuge, ergo si habet ius ex diuino priuilegio Christi, manifestum est, quod quantum ad hoc solutum est vinculum matrimonij quia ex tunc non manet firmum, & insolubile sicut erat antea, & sic ius matrimonij solutum est quantum ad hoc, quia antea ius naturale matrimonialis vinculi erat, quod non posset dissolui.

Secunda etiam sententia quoad suum filium verissimam continet doctrinam, quam me quidem iudice nullus catholicus hodie negare queit, † quam determinauit Innocentius III. *cap. Gaudemus de diuort. ibi. Quod si conuersum ad fidem, & illa conuersa sequatur, antequam propter causas prædictas legitimam ducat uxorem, eam recipere compellatur.* Si ergo compellitur recipere, non erat omnino solutum prius matrimonium, nam si solutum erat non potest compelli, ad recipiendum, eum qui verus cõiux non est, nec enim in fauorem religionis Christianæ compellendus est coniux ad secundo celebrandũ matrimonium cum eodem coniuge, cum quo est omnino dissolutum prius matrimonium, quia nec delictum commisit dum fuit derelictus, nec promissionem fecit secundo contrahendi, & sic si prius matrimonium omnino est dissolutum quoad vinculum, ita vt nihil illius super sit nullum illius ius superesse potest, ita vt iure postliminij compellatur ad alium coniugem recipiendum, sicut si mortuo viro resurgat miraculose non est illi restituenda vxor, quia omnino solutum est vinculum morte naturali, alia moriua adducit Sanchez quæ in adducto continentur, & pro hac sententia plures adducit authores n. 4. Quorum intelligentia iuxta dictã concordiam est manifesta, & solum dicunt id quod nos dicimus, si enim eo ipso quod coniux derelictus est, potest nouum cõtrahere matrimonium huius vinculum ex parte solutum est, nam antequam esset derelictus, aliud matrimonium iure naturæ contrahere nequibat.

Huius concordia motiuum mihi subministravit Doctissimus Syluester † *verb. matrimo. 8. quest. 10. versic. sextum.* vbi sic ait. *Opinio S. Thom. est, quod per peccatum coniugis infidelis reliquus absoluitur à seruitute, qua contrahere non poterat altero viuente, sed deinde per secundum matrimonium contractum in fide Christi tãquam per firmiter soluitur primum, ita quod culpa illa dat ei licentiam nubendi, & consequenter frangendi primum vinculum, & ista est veritas: cuius signum est, quod si antequam contrahatur secundum matrimonium infidelis conuertatur, reliquus tenetur illum recipere, quod non est virtute sponsalium vt dicit*

*prima opinio, alioquin oporteret, quod nouiter contraherent quod nullus dicit, & hoc est quia stat vinculum.* Hæc ille † seruitus enim à qua liberatur coniux derelictus iuxta Apost. 1. *ad Corinth. 7. num. 15.* est pars vinculi matrimonij qua contrahere non poterat altero viuente, à qua soluitur eo ipso quod infidelis discedat, quamuis maneat vinculum carnale coniungens virum & sceminam, quod non soluitur nisi per matrimonium contractum in fide, hoc satis innuit Glossa *cap. gaudemus verb. compelletur versic. & est argumentum, & hoc modo potest, imo debet intelligi caterua illa Theologorum, Canonistarum, & Summistarum quam pro se adducit Sanchez, omnes enim fateri tenentur iuxta Sanctorum PP. intelligentiam loci Pauli citati, frater enim vel soror non est seruituti subiectus in huiusmodi.* quam definit Innocentius *cap. quanto,* seruitus autem est vinculum quo detinetur, ne alteri possit matrimoniali vinculo iungi, quod fieri omnino implicat, nisi vinculum quantum ad aliquod rumpatur, & dissoluatur.

Ex qua resolutione colligitur. Primum, quam bene sit resolutum in anteriori corollario, quod vinculum matrimonij, quoad vtrumque filum quo ligat coniuges nõ soluitur nisi per alium matrimonium in fide Christi contractum, huius enim vinculum est iure naturæ impossibile cum vinculo alterius matrimonij, quare ad hoc solum se extendit priuilegium Christi non ad alios status, quorum vincula non excludunt iure naturæ vinculum matrimonij alias contracti, vt est vinculum solemnis professionis, & vinculum Sacri Ordinis in Ecclesia Latina, cui adnexum est votum continentia, vinculum etiam voti castitatis in cœlibatu emissi, hæc enim omnia vincula diuerforum statutum potest infidelis conuersus altero manente infideli, sibi assumere, illisque ligare. Audi D. Thom. in 4. dist. 39. quest. 1. art. 5. ad 5. (ait) *dicendum. Quod si post conuersionem viri sit aliqua probabilis spes de conuersione uxoris, non debet votum continentia vir emitte- re, neque ad aliud matrimonium transire, quia difficilius conuerteretur vxor viro suo, sciens se priuatam: si autem non sit spes de conuersione potest ad sacros ordines, vel ad religionem accedere prius requisita uxore, quod conuertatur, (vtique si possibilis est talis monitio iuxta Bullam Gregorij XIII. supra inductam,) & tunc si postquam vir sacros ordines accepit vxor conuertatur, non est ei vir suus reddendus, sed debet sibi imputare in penam tarde conuersionis, quod viro suo priuatur.* Hæc ibi quæ multo fortiori titulo tenent, si conuersus professionem solemnem emittat.

- 15 Vnde clarè liquet, quod mēs D. Th. cōfistit in hoc, quod eo ipso, quod infidelis discedat nollens cohabitare legitimè potest derelictus alium quemcunque statū sibi assumere ex vi priuilegij quo liber est à seruitute prioris matrimonij, qua non poterat assumere alium statum sibi repugnantem, siue sit religio, siue ordo sacer, siue cœlibatus, cum voto continentia, siue sit aliud matrimonium, quāuis ad quemcunque statum ex his assumendum præmonendus sit coniux infidelis, an velit cohabitare vt bene probat Thomas Sanchez *disp. 74. n. 12.* quamuis hoc sit notandum discrimen quod
- 16 ex ipso hac *disp. 74. & disp. 76. n. 2.* deduco inter matrimonium contrahendum cum fideli vt matrimonium cum infideli penitus euanescat, ex vna parte, & ex alia inter Religionis solemnem professionem sacrum ordinem, & cœlibatum coniunctum cum voto castitatis, quod si infidelis non vult conuerti ad fidem, vult tamen cohabitare sine contumelia creatoris, & sine pertractione ad peccatum, fidelis nequit aliud
- 17 contrahere matrimonium, quia tunc non discedit infidelis nec physicè, nec moraliter, sed vult legitimè residere & commanere cum coniuge fideli, & iste si infidelis, non vult conuerti monito prius quod conuertatur, et si velit cohabitare legitimè, potest tamen fidelis vel profiteri solemniter in aliqua religione, vel eligere cœlibatum, vnà cum voto castitatis simplicis, vel assumere sacrum ordinem eo modo quo dicebat S. D.

Colligitur secundum, contra Sanchez *disp. 76. num. 11.* Perez, Coninch. *ubi supra*, quos sequitur Dicastillus *dub. 39. num. 501.*

- 18 quod † si professio ex priuilegio Christi soluit matrimonium consummatum infidelium pari ratione dissoluet ordo sacer; licet enim iste non dissoluat vinculum matrimonium ratum fidelium vt determinauit Ioannes XXII, in *extrauag. vt antiqua de voto*, tamen hæc definitio non est extendenda ad matrimonium infidelium, quod non est sacramentum nec ratum vt dicitur *cap. quanto de diuort.* quare si hoc infidelium dissoluitur per professionem solemnem, non video cur non dissoluatur per quemcunque statum impossibilem cum matrimoniali residentia, maxime in sententia horum authorum, qui existimant quod votum solemne religionis non dirimat matrimonium ex natura rei, sed tantum iure Ecclesiastico sicut votum adnexum sacris ordinibus, imo addo quod si huius scholæ sequantur principia etiam cœlibatus, vnà cum voto castitatis absolutæ cum istud licite non compatiatur cum matrimoniali residentia etiam dissolueret vinculum matrimonij infidelium,
- 19
- 20

quod satis innuit Maior. in *4. dist. 39. quest. vnica versic. ad aliud.* satis enim rationabile est, quod si priuilegium Christi extenditur ad solemnem professionem, etiam extendatur ad illum statum, qui sine mortali non potest consistere cum matrimoniali residentia, hoc autem non admittunt isti authores, quare nec admittere debent, quod Religionis solemnis professio dirimat matrimonium consummatum infidelium.

### SUBRESOLVT. V.

*Verum infidelis licite possit contrahere secundas nuptias, si conuersus alium statum accipiat?*

### SUMMARIUM.

1. *An dissoluto matrimonio quia fidelis aliud contraxit, vel professus est religionem, possit infidelis non solum vtiuidè, sed etiam licite, siue conuertatur, siue in infidelitate persistat contrahere aliud matrimonium.*
2. *Authoris iudicium.*
3. *An contumelia creatoris soluat ius matrimonij circa eum qui relinquitur.*
4. *An ius dissoluendi matrimonium per aliud matrimonium fideli competat, non infideli qui relinquit.*
5. *An dissoluto matrimonij vinculo ex parte alterius.*
6. *D. Thoma sententia adducitur.*
7. *An vinculum matrimonij possit manere dupliciter, ex S. Bonauent.*
8. *Infidelis discedens peccat in Deum & in matrimonium, ex S. Ambros.*
9. *Quodnam impedimentum maneat etiam si vir fidelis moriatur, aut redeat in infidelitatem.*
10. *Ratio difficultatis assertur.*

Quintum inferitur contra Sanchez *disput. 77.* Dicastill. *dub. 40. n. 50.* Castro Palao *disp. 2. punct. 2. §. 3. num. 14.* Gasparem Hurtado *disp. 8. difficult. 13. in fin.* Coninch. Henriquez & alios quos referunt citati, asserentes, quod † dissoluto matrimonio, quia fidelis aliud contraxit, vel professus est religionem potest infidelis non solum validè in quo omnes conueniunt, sed etiam licite, siue conuertatur, siue in infidelitate persistat obstinatus contrahere aliud matrimonium, quia sicut moruo coniuge fideli, infidelis licite contrahit secundo, ita si viuente fideli omnino soluatur vinculum matrimonij, cū nulla sit ratio nullusve textus ad contrarium cogens, cum ita sit ex priuilegio Christi matrimonium solutum, ac si per mortem naturalem dissolueretur.

Igitur

2 Igitur contra hos authores infero † quod viuente vno coniuge conuerso ad fidem & dissoluto matrimonio, infidelis nequit licite altud contrahere. Hæc est omnium ferè antiquorum sententia D. Thom. in 4. vbi supra ad 3. vbi egregiam rationem tribuit D. Bonauent. art. 2. quest. 2. Ricardus art. 2. q. 3. Sotus q. vnic. art. 4. versic. contra hoc. Angl. matrim. q. 12. art. 2. dub. 6. Turrecr. cap. simili 28. quest. 1. in sol. ad 3. Lopez 2. p. instruct. cap. 53. de matrim. Astensis 2. p. summ. lib. 8. tit. 21. art. 2. q. 12. Altissiod. lib. 4. summ. tract. 9. cap. 6. q. 1. Vega tom. 1. cap. 13. casu 5. Ledesm. dub. 56. de matrim. post concl. 4. omnes antiqui Canonistæ cum glossa ca. 4. de diuort. verb. qui relinquitur, vbi Innocentius Hostiensis Antonius, Præpositus, & alij quos omnes videns Durand. in 4. dist. 49. q. 2. dicit hanc esse communem quam sequuntur Pontius lib. 7. de matrim. cap. 48. num. 25. Diana p. 9. tract. 7. Resol. 48. quamuis dicat contrariam sententiam tenuisse olim cum Sanchez.

Nostra sententia clarè videtur colligi ex cap. quanto de diuort. vbi Innocentius II. approbat dictum dicentis, † contumelia creatoris soluit ius matrimonij circa eum qui relinquitur. vbi glossa, verb. qui relinquitur. dixit, de eo qui relinquitur, quia ille solus potest contrahere sine peccato, ille qui relinquit transeuntem ad fidem peccat, & sola contumelia creatoris soluitur non per Ecclesiam; Hæc glossa id autem quod respondet Sanchez n. 7. textus istos, & text. in cap. infidelis 28. quest. 2. vbi

4 idem expressè dicitur intelligi, quod † ius dissoluendi matrimonium per aliud matrimonium fideli competit qui relinquitur, non infideli qui relinquit, tamen semel soluto matrimonio liber manet infidelis vt licite possit contrahere, hæc inquam responsio nulla est, & textibus præfatis non satisfacit, quia contumelia creatoris soluit seruitutem, quã habebat fidelis ad infidelem, & sic liber manet fidelis, ad contrahendum cum alio, at infidelis, etsi maneat solutus à vinculo matrimonij cum fideli, at non manet liber à seruitute matrimonij cum peccet in Deum & in matrimonium, nec enim ex peccato consequitur libertatem; quare semper in illo virtute manet seruitus quam ex vi matrimonij acquisiuit, vt non possit viuente alio coniuge licite cum alio contrahere.

5 Itaque † aliud est vinculum matrimonij & hoc dissoluto ex parte vnius dissoluitur ex parte alterius, eo enim ipso quod fidelis contrahat cum fideli, infidelis solutus manet à vinculo matrimonij, aliud enim est seruitus qua tenebatur alteri coniugi vt non possit cum alio contrahere, & hæc seruitus oritur à vinculo, quo soluto, illa permanet virtualiter iure naturæ, quæ impedit ne infidelis licite cum alio contrahat.

Hæc est expressa mens D. Thomæ à nullo bene intellecta in illis verbis in 4. dist. 39. quest. 1. art. 5. ad 3. † Postquam fidelis contraxit solum est vinculum matrimonij, quia matrimonium non claudicat quantum ad vinculum, sed quandoque claudicat quantum ad effectum, vnde in pœnam vxoris infidelis ei inducitur quod non possit cum alio contrahere magis quàm ex virtute matrimonij præcedentis. Hæc ibi, Manet ergo in coniuge infideli virtus præcedentis matrimonij, quantum ad hunc effectum, etiamsi matrimonium sit dissolutum, & non existat, sicut non existente homine manet eius virtus in semine, à se deciso, & hanc virtutem impeditiuam iure naturæ introductam declarat, non imponit Ecclesia manere in infideli ex præcedente matrimonio.

Hanc sententiam eleganter enucleauit S. Bonauent. art. speciali proposito de hoc puncto, vbi dicit, quod vinculum matrimonij potest manere dupliciter aut secundum virtutem sacramenti, id est, significationis rei sacræ, aut in pœnam peccati, & dum vir manet in statu in quo non potest ei coniungi, vxor, vt si alteram ducat, mulier est soluta secundum veritatem sacramenti, quia amplius non est vxor, sed tamen alligata est in pœnam peccati, vnde non licet ei nubere quorsque soluat à culpa, & hoc non est quandiu est infidelis & infra. Si tu obiicias, quod commodum reportat de malitia responderetur, quod falsum est, quia quandiu manet culpa diuino iudicio est alligata, sed cur puniatur à Deo in hac seruitute ita vt maneat vxor infidelis alligata, vt licite non possit nubere B. D. rationem dedit in primo argumento. Sed contra, quia vt Ambrosius dicit. † Infidelis discedens peccat in Deum & in matrimonium, ergo si in bono matrimonij est puniendus non potest nubere. Quare Bonauentura D. Angelicum enucleat, impedimentum igitur quod manet in infideli fundatur in hoc, quod ex virtute prioris matrimonij contra quod peccat dum non vult sequi coniugem fidelem ad quod ex lege diuina tenetur Deo ipso sic declarante, Ecclesia punit illum vt non possit cum alio contrahere, quare quandiu infidelitas perseuerat diuino iudicio manet coniux infidelis alligatus in pœnam quia discedens peccabit, contra matrimonium, & sic punitur à Deo in bono matrimonij quam punitionem declarat & publicat Ecclesia.

Vnde fit quod hoc † impedimentum manet etiam si vir fidelis moriatur vel iterum transeat ad infidelitatem, quia impedimentum, quod datum est in pœnam quia infidelis nollens sequi fidelem peccauit in matrimonium, & hoc peccatum perseuerat quo vsque dimittatur per Baptismum semper perseuerat pœna, à Deo imposita

cum vero per baptismum omnia peccata quoad culpam, & pœnam dimittantur, infidelis, si baptizetur potest licite aliud matrimonium inire absque dispensatione aliqua, quia ablata culpa nulla remanet pœna, quæ erat impedimentum, quum autem D. Thom. *ubi supra* dicit, *quod si infidelis conuertatur potest ei concedi dispensatiue ut alteri nubat si vir eius alteram uxorem duxit.* Non est intelligendus quod sit dispensatio superioris necessaria, ut licite possit nubere, ut falso intelligit Sanch. *ubi supra*, sed quod ex vi Baptismi potest dici, quod dispensatiue potest alteri nubere, quia illud impedimentum relictum per modum pœnæ dispensatur eo ipso quod Baptizetur.

- 10 Totum hoc confirmatur † quia quod infidelis persistens in sua infidelitate habeat hoc impedimentum impediens ad contrahendum, cum sit ex libera Dei voluntate inductum, sit quæstio de facto, nobis innotescere debet ne temerarie loquamur ex Ecclesiæ sensu, & Doctorum classicorum intelligentia, at quod Ecclesia ita teneat in præfatis textibus docent duo Doctores Sancti, quos sequuntur principaliores Sacrorum Canonum interpretes vna cum glossa illius cap. quanto. & glossa ad cap. fin. 28. qu. 2. verbo in matrimonium. quam pro se citat Sanchez, quod miror cum expresse dicat nostram sententiam ut legenti constabit, ergo sententia nostra ut à nobis enucleata iuxta Sanctorum DD. verba amplectenda, ut superior est, præcipue cum opposita sententia nullum solidum fundamentum pro se adducat, & ea quæ pro ipsa adduximus quam debilia sint, & inania constat ex dictis.

### SVBRESOLVT. VI.

*An coniux conuersus qui aliam duxit, si ista moriatur, & prior conuertatur, teneatur istam admittere.*

### S V M M A R I V M.

1. *An fidelis qui legitime ad aliud matrimonium transit, eo quod infidelis monitus legitimè renuerit habitationem, teneatur soluto matrimonio per mortem alterius coniugis, admittere in consortium conjugale priorem coniugem infidelem, si tunc ad fidem reducat, & numero 2. & 3.*
4. *D. Thomæ sensus assertur.*
5. *An privilegium Christi absoluat à seruitute coniugem fidelem cum illo dispensando, & n. 6.*

Sextum inferitur, quid sentiendum sit de Sententia Innocentij cap. quanto num. vii. Hostiensis cap. gaudemus num. 13. & ibi Ioannes Andr. num. 15. de diuort. fidelem † qui legitime ad aliud matrimonium transit, eo quod infidelis monitus legitimè renuerit habitationem, teneri soluto eo matrimonio per mortem alterius coniugis admittere in consortium conjugale, & residentiam matrimonialem priorem coniugem infidelem si tunc ad fidem reducat, quam sententiam impugnant Abulens. 1. Reg. quæst. 117. Sanchez disp. 75. num. 10. Dicastillus *ubi supra* dub. 38. num. 92. quia prius matrimonium solutum est omnino, quoad vinculum posteriori contracto, quare non est cur post huius dissolutionem mortuo secundo coniuge, cogatur fidelis stare priori matrimonio, etiam si infidelis reducat ad fidem.

Sed hæc impugnatio non est efficax, tum quia valdè probabile est, quod matrimonium cum infideli nolente cohabitare legitimè statim soluat, quoad vinculum eo ipso, quod infidelis monitus nolit legitimè cohabitare antequam fidelis contrahat cum alio, tamen Innocentius III. dicit in cap. Gaudemus, *quod si infidelis conuertatur, antequam fidelis ineat secundas nuptias, iste illi est restituendus.* ergo ex dissolutione matrimonij, non sequitur, quod non teneatur fidelis recipere in consortium conjugale mortuo coniuge cum quo contraxit secundo infidelem, si tunc conuertatur, etenim possunt dicere hi Doctores, quod matrimonium cum infideli ex privilegio Christi solutum est non absolutè, sed in gratiam fidelis, quandiu adest impedimentum infidelitatis in alio nolente cohabitare legitimè, hoc autem stante, si fidelis contrahit verè contrahit & ab hoc coniugio separari non potest, etiam si alter infidelis conuertatur, at si matrimonium secundum dissoluatur, & prior cõiux infidelis cõuertatur ablato impedimento quasi iure postliminij reuertitur ad priorè coniugè, ut vinculum, quod erat solutum sub cõditione impedimèti resurgit iure naturæ.

Cuius rei est nõ incongruum exemplum, quod posuit D. Thom. † in 4. dist. 39. quæst. 4. unic. art. 5. in ultim. argumento Filius, qui remanet in infidelitate patre cõuerso, amittit ius naturale, quod habebat ad hæreditatem paternam, & tamen si postea conuertatur redditur ei sua hæreditas etiam si alius in possessionem eius intrauerit, quia ius illud fuit amissum ob impedimentum infidelitatis quo ablato iure postliminij resurgit ius ad hæreditatè paternā, quæ illi datur etiā si alius in eius possessionem intrauerit, quia cessat impedimentum. Ita coniux fidelis ex privilegio Christi altero nolente habitare legitimè valide contrahit cum alio. Vnde soluitur



uitur vinculum prioris matrimonij non absolute, sed sub conditione duplicis impedimenti vnum infidelitas, alterius nolentis cohabitare legitime, alterum, matrimonium secundo contractum valide, quo ablato duplici impedimento, obligatio naturalis prioris matrimonij ad cohabitandum, & residendum matrimonialiter reuiuiscit, quia † priuilegium Christi absoluit à seruitute coniugem fidelem, cum illo dispensando, vt ob impedimentum stans obligatio naturalis prioris matrimonij non exerat vires suas, ad irritandum secundum matrimonium, quare ablato impedimento statim exerit vires suas obligatio prior, & quidem cum hoc modo possit intelligi priuilegium Christi, & licentia concessa coniugi fideli, & ex altera parte saluetur melius insolubilitas naturalis matrimonij, sententia Innocentij satis probabilis est, nec iuxta eam est necessarius nouus consensus, ad nouum matrimonium, sed ex vi prioris ablatis impedimentis resurgit obligatio commanendi, sicut si infidelis qui prius nolebat cohabitare legitime conuertatur antequam fidelis ad secundas venerit nuptias, etsi solutum sit vinculum matrimonij, cum infideli tenetur fidelis illum admittere, vt tenent Bonauent. Ricardus, & alij quos supra corollario. 4. ita similiter tenetur si postquam contraxit secundo coniux moriatur, & prior infidelis conuertatur.

## SVBRESOLVT. VII.

*Si fidelis conuersus filios generet ante matrimonium non sint adulterini?*

## S V M M A R I V M.

1. An fidelis conuersus antequam matrimonium alius contrahat filios generet, filij sint adulterini.
2. An isti filij legitimentur per subsequens matrimonium.
3. Authores iudicium, necnon multorum aliorum. & n. 4. & 5.

**S**eptimum infertur decisio illius dubij † an infidelis conuersus si infidelis nolit habitare legitime, si interim fidelis antequam matrimonium aliud contrahat fornicetur committat adulterium, & filij si sint geniti sint adulterini. Etenim iuxta sententiam quæ asserit matrimonium cum infideli eo ipso dissolui quo iste non vult cohabitare legitime, si post monitionem factam decedat fornicatio non est adulterium nec filij geniti adulterini, quare legitimentur per subsequens matrimonium, vt late dixi, tom. 2. moral. tract. 12. n. 567. vsque ad 748.

Tom. II.

vbi plura non vulgaria de legitimatione dixi, si tamen non dissoluitur matrimonium cum infideli, nisi post contractum secundum si ante contractionem fidelis fornicetur est adulter, & filij adulterini; sicut si vxor sit diuortata à marito si fornicatur adultera est.

Sed est dubium an † isti filij adulterini legitimentur per subsequens matrimonium Dicastillus citata dubit. 39. num. 492. dicit problematicè posse vtramque partem defendi, & quod legitimentur, & quod semper maneant adulterini, & sic non hæredes sui, vtrumque probat ex cap. tanta. qui fil. sint legit. Sed ego existimo certum in iure † quod quamuis isti filij sint adulterini (quia adhuc perseuerat fides prioris matrimonij, quod iuxta à me resoluta in superioribus non adæquate dissoluitur quo vsque contrahatur secundum matrimonium) tamen si eo tempore quo geniti sunt, vel nati iuxta ea quæ dixi loco cit. parentes licite poterant contrahere verum vel præsumptum matrimonium, dubio procul legitimentur filij, sique efficiuntur. Tanta enim est vis matrimonij (ait Alexander III.) vt qui antea sunt geniti post contractum matrimonij legitimi habeantur, sicut enim filij geniti à Religiosis militaribus ante matrimonium contractum qui habent solum votum solempne castitatis coniugalis, & si isti sint sacrilegi, tamen contracto matrimonio legitimentur, & abstergitur macula sacrilegij, ipso facto ac contractum est matrimonium, etiam si non consumetur, quamuis enim sint sacrilegi, at sunt vere & propriè naturales, & non spurij, spurij enim propriè oppositus est naturali propriè, & filius spurij ab omnibus iuris interpretibus definitur, qui natus est ex his parentibus inter quos contrahere matrimonium lex vetat. Ita Couarr. de sponsalib. p. 2. cap. 8. §. 1. à princ. Menchaca quest. Illustr. cap. 102. num. 7. Surd. de aliment. tit. 7. quest. 10. à num. 30. Tusch. tom. 5. litter. S. concl. 409. num. 23. vnde filius naturalis, qui legitimatur per subsequens matrimonium, talis autem est qui generatur ex fidei conuerso derelicto ab infideli, antequam fidelis contrahat matrimonium quod potest licite contrahere, postquam monitus est infidelis vt legitime cohabitare si cohabitare non vult. Vnde si cum fœmina fidei in qua habuit filium post cõtrahat indubitanter legitimatur filius, & est suus & legitimus hæres iuxta notata ab Auctor. Authentic. quibus modis naturales efficiantur sui §. vltim. cum autem hic filius non sit ex adulterio damnato lege ciuili Christiana macula adulterij eluitur matrimonio subsequuto.

X 3

RESOLV



## RESOLVTIO VII.

*Vtrum possit quis tuto habere residentiam matrimoniatem sine ordine ad copulam carnalem?*

**R**A VISSIMA est, quæ in præsentiarum distribuenda proponitur difficultas ex cuius decisione, etsi aliquantum speculatiua sit plura sunt corollaria ad praxim adducenda, quare grauitè est discutienda, vt mens vtriusque Thomæ constet, & aliquorum recentiorum dicta ex mala Patrum intelligentia dimanantia, corrigantur.

## §. I.

*Sententia nonissima Basilij Legionensis suis vallata fundamentis adducitur.*

## S V M M A R I V M.

1. *An sine eo quod consensus contrahentium implicite saltem feratur in copulam sit verum sacramentum matrimonij.*
2. *In quo consistat essentia matrimonij.*
3. *Augustini sententia adducitur, & num. 5. & 6.*
4. *Inter B. V. & S. Ioseph fuit verum cum omni proprietate matrimonium.*
7. *Duplex consensus admittitur.*
8. *Matrimonium est viri mulierisque coniunctio inter legitimas personas, vitam insolubilem retinens.*
9. *In matrimonio duplex continetur virtualiter consensus.*
10. *Quis præcipuus finis matrimonij.*
11. *An ex societate in diuerso sexu vel coniugali coniunctione duæ obligationes nascantur.*
12. *An in matrimonio iam contracto dominium utile distinguatur à directo.*
13. *An contractus matrimonij prout respicit copulam & dominium utile, pariat obligationem sub conditione si alter seruauerit.*
14. *An consensus implicitus in copulam & filiorum requiratur essentialiter ad verum matrimonium.*

**L**Oquimur de residentia matrimoniali, quæ orta sit ex vero & proprio matrimonio, quod iure naturæ est insolubile vinculum, & in lege noua est vnum ex septem sacramentis, & inquirimus an † sine eo quod consensus contrahentium implicite saltem feratur in copulam sit verum Sacramentum matrimonij, in lege Euangelica, cuius vnio sit inseparabilis iure naturæ ex

coque toriatur præceptum posituum de residendo coniuges inter sese matrimonialiter.

Igitur perdoctus & eruditus Pater Magister tom. de matrim. lib. 1. cap. 18. à num. 7. in ea est sententia, quod essentia matrimonij, ait consistit in animorum amicabili, & germana coniunctione, sine ordine ad commixtionem carnalem. Hanc sententiam (ait) tenent omnes qui dicunt B. Virginem, & S. Ioseph, emisisse votum absolutum castitatis, antequam contraheret matrimonium; & illi qui dicunt sub conditione expressa seruandæ castitatis matrimonij iniri posse. Et etiam illi, qui adfirmant inter impotentes cognita impotentia, & inter Eunuchos iure naturali valere matrimonium, & idem (dicit) tenet Thomas Sanchez lib. 1. de matrim. disp. 28. num. 4. sed vtinam Basilij, id quod sentit Thomas Sanchez sentiret, non enim se opponeret diuinæ matrimonij institutioni.

Igitur tribus argumentorū classibus suam corroborat sententiam. Prima ab autoritate, secunda rationibus, & tertia ab inconuenientibus, & ex omnibus infert plura quorum opposita, nos §. 5. deducimus. In prima harum classium sunt duo clarissimi, & fortissimi Duces Ecclesiæ vnus, & alter Augustinus & Augustissimi ambo veritatis defensores. Primus est Magnus Augustinus, qui rem videtur in terminis tetigisse † lib. 3. de bono coniug. cap. 1. Consequens ergo est (ait) *connexio Societatis in filiis, qui vnus honestus fructus est, non coniunctionis maris & femine, sed concubitus; poterat enim esse in utroque sexu etiam sine tali commixtione alterius regentis, alterius obsequentis amicabilis quedam, & germana coniunctio, & cap. 3. vbi ex eo probat coniugium esse bonum, quod mihi non videtur (ait) propter solam filiorum procreationem, sed propter ipsam etiam naturalem in diuerso sexu societatem, alias non diceretur coniugium in senibus præsertim si vel amisissent filios, vel minime genuissent, &c. vbi S. Doctor ipsa sola societas naturalis in diuerso sexu dicit, quod est finis adæquatus matrimonij essentialis, id quod probat in coniugio B. Virginis, & S. Ioseph. lib. 23. contra Faustum, cap. 8. & lib. 1. de nuptiis, & concup. cap. 11.*

In quibus locis duo colliguntur certa apud August. ex quibus colligitur intentum primum † inter Beatam V. & S. Ioseph. fuisse <sup>4</sup> verum cum omni proprietate matrimonium, quod hodie sine temeritate nullus negare quibit. Secundum B. V. castitatem virginalem vouisse, antequam matrimonium iniret cum S. Ioseph, vt dicit, lib. de Sancta Virginit. cap. 4. atqui ita votum hoc non fuit conditionatum, sed absolutum, ex quibus manifeste videtur inferri quod consensus ad castè

castè viuendum, etsi nullus licitus consensus possit esse in copulam, validum posse esse matrimonium, ac per consequens quod finis intrinsecus & essentialis sufficiens ad validum matrimonium est animorum coniunctio germana & amicabile alterius regentis, & alterius obsequentis.

Idem quod Augustinus Magnus docuit Aug. minor Hugo inquam Victorinus, qui magni August. spiritum ebibit, & suo sæculo alter est dictus Augustinus. Hic enim *lib. de incorrupta Deip. integrit. Discutiamus ut postulas quid sit coniugium, & ex eius definitione proposita consideremus, si simul esse potuerunt in Virgine Matre, & consensus conjugalis & propositum Virginitatis. Quid enim est coniugium nisi legitima societas inter virum & feminam, in qua videlicet societate ex pari consensu uterque semet ipsum debet alteri, spontaneus ergo consensus inter virum & feminam legitime coniunctos facit quo uterque alteri debitorem sui se spondet, iste est qui coniugium facit, & coniugium est ipsa societas tali consensu confederata, que altero viuente alterum ab altero nõ dissoluit est alius adhuc consensus, sed carnalis commercij ad inuicem exigendi atque reddendi simile inter virum, & mulierem pactio nõ constituens comes, non effector coniugij, officium, & non vinculum, qui & ipse tamẽ cum pari ab utroque voto suscipitur, pari etiam necesse est debito teneantur. Huius debiti necessitas illos coniugatos sibi ad inuicem non subiicit, in quibus dum coniugium contraheretur vel sanciretur huius operis consensus non precessit. Nec tamen hoc officio cessante veritatem seu virtutem coniugij cessare credendum est, imo potius tanto verius ac sanctius coniugium esse, quod in solo charitatis vinculo & non in concupiscentia carnis fundatum est. Hæc ibi, quod testimonium ita egregie clarum, & tanta claritate egregium est, vt nihil dici illustrius queat, distinguit enim Doctor egregius † duplicem consensum vnum in legitimam coniunctionem, & hic est effector coniugij & de illius essentia, alterum in carnale commercium, & iste comes est non effector coniugij, officium, & non vinculum, vnde concludit quod solo charitatis vinculo verum est coniugium, ergo secluso omni ordine ad copulam & contentum, in illam saluatur quidditas & essentia matrimonij.*

Classis secunda, componitur ex argumentis ostensiuus, quorum primum est, quia definitiones traditæ tam in iure utroque quæ à Theologis sine vilo ordine etiam implicito ad copulam carnalem saluantur, ergo cum definitio rei essentiam declaret, sine tali ordine essentia matrimonij saluatur; antecedens constat ex definitione Magistri quem omnes Scholastici sequuntur in 4. dist. 27.

8 matrimonium † est viri, mulierisque coniunctio

*inter legitimas personas vitam insolubilem retinens, alia traditur 2. 2. quæst. 2. Quod sit coniunctio maris & femina inter personas legitimas indiuiduam vitæ consuetudinem retinens, & tertia habetur §. nuptia Institut. de patri. potest. Viri & mulieris coniunctio indiuiduam vitæ consuetudinem retinens. Quorum omnium definitionum sensus & verba cum omni proprietate saluatur sine vilo consensu in copulam separato omnino dominio vtili à directo, & absque vilo contractu in vsum, itaque † in matrimonio duplex continetur virtualiter consensus, vnus in coniunctionem mutuam indiuiduam animorum amicabilem, & germanam viri regentis, & fœminæ obsequentis, at hęc consensus, & contractus ex illo dimanans est matrimonium essentialiter tendens ad dominium directum corporis vtrius coniugis, alter est consensus in corporalem commixtionem, & corporum mutuam vsum, & iste consensus consequitur priorem, qui sine ordine ad illum saluatur.*

Secundum, quia † præcipuus finis matrimonij est, vt aduersus pericula, & infortunia societas vitæ vtriusque sexus obsequiis, præsidio, atque solatiis iuuetur, vt bene Quintilianus declamat. 368. Tacit. lib. 4. & Spartianus in vita Imperatoris Aelij veri, *matrimonia à natura sunt inuenta, vt imbecillior sexus præsidium mutua societate sortiatur. Vxor enim dignitatis nomen est non voluptatis.* Vnde fit quod sicut respectu fundi duplex dominium distinguitur, vnum directum, quod est circa proprietatem, alterum vtile, quod pertinet ad vsumfructum, & potest fieri contractus circa prius, nullo habito ordine ad vsum: ita in contractu matrimonij nihil vetat, quod duplex etiam dominium consideretur, vnum directum circa corpora ipsa ratione cuius vnus dicatur maritus, & alter vxor, denegato ex alio fine superiore dominio vtili, circa vsum carnalis corporis etiam in perpetuum.

Tertium, quia † licet ex Societate in diuerso sexu, vel ex coniugali coniunctione duæ obligationes resultent, & nascantur, quam nullus Catholicus negat, & sunt veluti proprietates ad fidem coniugalem pertinentes, vna est obligatio negatiua de non cognoscendo alienam, in qua sola potest saluari bonum fidei in Sacramento matrimonij, vt fuit in B. V. per hoc quod nullo modo committatur adulterium, altera est obligatio positiua reddendi debitum si ab altero coniuge exigatur, prior obligatio fuit ab essentia matrimonij inimpedibiliter, ast secunda fuit impedibiliter cum impedire possit, ne influat ex mutua vtriusque conuentione.

Quartum, quia, † quod in matrimonio i

contracto dominium vtile distinguatur à directo multa manifestè ostendunt, quæ negari nequeunt. Ergo dum primo inicitur, & contrahitur potest contractus fieri de dominio directo sine ordine, aut consensu implicito ad copulam, & dominium vtile, consequentia valdè efficax est, & antecedens certum, quia si vterque coniux professionem solemnem emittat ex vi illius amittit, dominium vtile cum neuter possit petere, aut reddere, *cap. cum sis. cap. uxoratus, cap. veniens de conuers. coniug.* & tamen manet dominium directum cum vinculum permaneat insolubile. Secundo, † contractus matrimonij prout respicit copulam, & dominium vtile parit obligationem sub conditione, si alter fidem seruauerit, quare si adulterium committat amittit ius ad exigendum & ad vsum à se petendum, at obligatio orta ex dominio directo omnino est absoluta & sine vlla conditione cum sit vera coniunctio maris & fœminæ, vt explicat Trid. *sess. 24. cap. 1.* est enim vnio duorum qui fiunt *vna caro.*

Tertia classis est ordinata ex inconuenientibus, & absurdis. Primum, quia † si ita est, quod consensus implicitus in copulam, & filiorum requiritur essentialiter ad verum matrimonium sequitur, quod inter B. V. & S. Iosephum, non fuerit verum matrimonium, quod sine temeritate dici nequit, sequela ex eo videtur manifesta, quia votum castitatis & virginitatis emissum à B. Virgine fuit absolutum antequam contraheret cum Iosepho, vt probat Basilius *vbi supra num. 7. & 8.* & sic nequiuit verè contrahere licitè si esset necessarius consensus in copulam, quod fuerit votum absolutum & non conditionatum, nisi Deus aliter disposuerit ex eo fit manifestum, quia tunc temporis non erat illicita Virginitas, si enim esset, illicita dicere debemus, Beatam Virginem quando matrimonium verum contraxit animo procreandi filios contraxisse eo scilicet modo, quo tunc secundum legem debebat contrahere, imò nec aliter contrahere licuisse, quod horret animus, vel leuiter de Virgine cogitare, ait Basilius Legionens. alia inconuenientia ex quibus potest hæc classis construi & ordinari §. 4. euanescent, proposita.

## §. II.

*Libamina pro tuenda vera S. Thom. sententia.*

## S V M M A R I V M.

1. *Matrimonium iure natura institutum est à Deo primario & per se ad filiorum procreationem.*

2. *Variorum DD. sensus afferuntur, & num. 7. necnon Concilij Tridentini mens, & num. 3. & 4.*
5. *An ex vi presentis prouidentia quam nobis Christus proposuit subsistere nequeat matrimonium, sine ordine & consensu implicito ad copulam, & n. 6.*
8. *An cum matrimonium sit institutum in ordine ad multiplicandum genus humanum, nequeat subsistere matrimonium sine aliquo consensu ad copulam.*
9. *S. Doctoris sensus adducitur.*
10. *Quis prior consensus implicitus dicatur.*
11. *An posterior consensus virtualis in copulam possit esse ex parte contrahentis liberè appositus.*
12. *An virtualis consensus liberè appositus necessarius non sit ad validitatem matrimonij.*
13. *Quid ad validitatem matrimonij requiratur.*

**V**T tamen veritas clarescat quæ lucem adferat multis doctrinis quæ in antiquorum Theologorum & vtriusque iuris interpretum libris conscripta inuenientur, circa perpetuo impeditorum à natura matrimonia, aliqua sunt prælibanda certa documenta, quibus instructus intellectus docilis facile amplectetur veritatem. Igitur primum sit, quod certum de fide existimo † matrimonium iure naturæ institutum esse à Deo primario & per se ad filiorum procreationem, quod institutum executioni esset mandatum, etiam in statu Innocentiæ in quo ex commixtione maris & fœminæ humana species erat multiplicanda, sicut & quælibet alia species perfectorum animalium, vt latè probant expositores D. Thom. 1. p. q. 98. art. 2. vbi Caiet. & Bannez, quod doctè enucleat & confirmat Pater Suarez 1. 5. de operibus sex dierum, cap. 1. & Patres aliquos Græcos qui contrarium videntur inuenire explicat, Aug. vero, qui aliquando dubius fuit locutus, se ipsum temperat, corrigit, & emendat *lib. 1. retract. cap. 10. & 13.* nam quod esset in statu Innocentiæ vsus matrimonij per coitum, ex professo probat *lib. 9. de Genesi ad Litteram à cap. 3. & lib. 14. de ciuit. à cap. 21. vsque ad 26.* vbi Leonardus Coqueus egregiè commentatur & illustrat S. D. mentem qui, & ex ipso D. Thom. & Caiet. egregiam subministrant rationem ad comprobendam veritatem, quam præ manibus terimus † quam neque Nissenus *lib. de opificio homi. cap. 17.* Damascenus *lib. 2. de fide cap. 30. & lib. 4. cap. 25.* negarunt, etsi negassent, in statu Innocentiæ homines fore multiplicandos per coitum maris & fœminæ, imò quod adfirmant, quod dum Deus dixit primis nostris parentibus Genes. 1. *cre-*  
*scite*

*scite & multiplicamini & replete terram.* instituisse matrimonium respiciens ad futurum statum mortalem naturæ corruptæ. Quare existimo negari vltatenus salua fide non posse, matrimonium fuisse institutum ad generis humani propagationem, & multiplicationem.

Quod probat Sacro-Sanctum Concilium Tridentinum *sess. 24. in proæmio*, quod continet doctrinam de Sacramento matrimonij sic decernens. † *Matrimonium perpetuum indissolubileque nexum primus humani generis parens diuini Spiritus instinctu pronunciauit, cum dixit hoc nunc os ex ossibus meis & caro de carne mea, quamobrem relinquet homo patrem & matrem & adheret uxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Hoc autem vinculo duos tantummodo copulari & coniungi Christus Dominus apertius docuit, cum postrema illa verba tanquam à Deo prolata inferens dixit. Itaque iam non sunt duo, sed vna caro. Quibus verbis manifestè determinat Concilium matrimonium ad copulam inter virum, & uxorem ex sua primæua institutione esse ordinatum, ex vi præsentis prouidentia, copula enim duo fiunt *vna caro* per seminum commixtionem, & sic institutum fuisse à Deo dicit Christus Trid. Dominus apertius docuit, id quod Deus satis declarauit, dum postquam creauit hominem masculum & foeminam benedicens dixit, *crescite & multiplicamini & replete terram.* vnde ex diuersi sexus productione vnus qui sit agens & alter patiens, sicut in omnibus aliis perfectis animalibus euidentis est, quod iure naturæ coniunctio maris & foeminæ ex vi huius coniunctionis honestæ, quæ est matrimonium, ordinatur ad copulam, quia agens ex se ordinatur ad passum, & passum respicit agens, quam demonstrationem, (quæ verè est talis iudicio meo ex vi præsentis prouidentia) nobis dedit D. Th. *vbi supra*, & enucleat, vt assolet alter Thomas.

Dixi, quod sex vi præsentis prouidentia, quam nobis Christus proposuit & tenet sèper Ecclesia matrimonij subsistere nequit, sine ordine, & consensu implicito ad copulam; quia non dubito, quod ex vi alterius prouidentia potuerit Deus instituere coniugium absque eo, quod contrahentes etiam in diuerso sexu existentes copulam ad filios procreandos respicerent expressè, nedum implicitè, sed semper impermixti manerent, essetque perpetua animorum vnio, ad se mutuo iuuandum in operibus cuiusque sexui conuenientibus, & mulier esset in adiutorium viri, illique subdita in œconomica gubernatione, & familia directione, Deusque alio modo prouideret ad genus humanum multiplicandum, hoc autem possibile fore non dubito, variis, & miris

modis, imò ita futurum in statu innocentia, si in eo conseruaretur humana natura, sentiunt Damascenus & Nissenus *vbi supra*, & docuerunt Aug. *lib. 1. Genes. contra Manich. cap. 19.* Chrysoptom. *hom. 18. in cap. 4. Genes.* vbi Procopius Gazeus, Euthymius *in Ps. 50. 7* satis innuit Hieronym. *lib. 1. contra Iouinianum.* vnde Iacobus Billyus Prunerus in cõmentario *cap. 30. l. 2. de fide.* sic fatur defendens Damasceni sententiam. *Si quibusdam mentis animantibus id præstitit Deus, vt sibi è foliis natos, & suauibus herbis ore legant, si apes mellifera expertes concubitus edunt virgineos fetus, non potuisset idem præstitisse primis parentibus si præstitissent in suæ nature integritate, quamprimum acceperunt? verum de hac inquisitione amplior & latior habetur sermo in annotat. 18. propositionis Sexti Libri Richardi de Trinit.* Hæc ille, eius adnotationes non vidi, si ergo de facto dicunt hi Patres in statu innocent. foret concubium prout est animorum in vitæ societate coniunctio absque consensu, etiam implicito in copulam, hoc ad minus nõ repugnat, nec quod genus humanum alio modo quam per coitum multiplicaretur, sed quod tam viri quam foeminæ virgines permanerent, vnde tunc esset coniugalis residentia, *sine vllò complexu carnali non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu, ille enim solum propter generandos filios est adhibendus.*

Secundum libamen est, quod cum vidimus † sit institutum matrimonium in ordine ad multiplicandum genus humanum, nequit subsistere matrimonium, quod est institutum sine aliquo cõsensu in copulam, hic autem consensus dupliciter esse, vt profundè adnotauit D. Thom. *in 4. dist. 30. art. 1. quæstionc. 2. ad 3. vbi sic fatur. † Copula carnalis cecidit implicitè sub consensu B.V. sicut actus implicitè continetur in potentia. Potentia autem ad carnalem copulam non contrariatur virginitati, nec diminuit aliquid de puritate ipsius nistratione actus qui quidem nunquam fuit in proposito B.V. sed erat iam certificata, quod actus nunquam sequi deberet.* Hæc ibi, quibus verbis claritate & profunditate altissimi sui iudicij duplicem consensum in copulam carnalem implicitum distinguit, cui est alius duplex dissensus oppositus. † Prior consensus implicitus est qui respicit copulam possibilem ex natura contractus matrimonij ex vi cuius, diuina primaria institutione, vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier, &c. sed vterque coniux ex vi contractus matrimonialis ordinatur, vt fiant vna caro per seminum commixtionem, vnus vt agens, & alter vt patiens, & huic consensui implicito in copulam est oppositus consensus explicitus absolutus negatiuus copulæ, vt si in matrimonio ponetur conditio, quod coniuges

coniuges non tenerentur commisceri essentque deobligati ad coeundum, *talis enim conditio* (ait D. Thom. *ubi supra ad 2.*) *cum sit contra matrimonij bonum, scilicet prolem procreandam, matrimonium tolleret*, quod §. 4. magis comprobabo. † Posterior consensus virtualis in copulam potest esse ex parte contrahentis liberè appositus, quam habet quis eo ipso, quod vult contrahere matrimonium, vt communiter contrahitur inter virum & vxorem, iuxta quem modum vsitatum contrahendi dixit Aug. *lib. 19. contra Faust. cap. 26. matrimonium ex hoc appellatum, quod non ob aliud mater nubat, quam, vt mater fiat.* Sed aliàs Ethymologias matrimonij adducit P. Thom. *ubi supra questiuic. 3. quas §. 4. enucleabo.*

12 Et hic † consensus virtualis liberè appositus necessarius non est ad validitatem matrimonij, imò etsi quis habeat actum contrarium, quod ex parte sua nunquam reddet debitum validum matrimonium contrahet sicut contraxit B. V. cum S. Iosepho, quæ nunquam habuit liberum consensum, etiam sub conditione habendi copulam, quia certificata fuit, quod S. eius maritus, & sponsus simile habebat votum, aut propositum castitatis & virginitatis, quod etiam si Deus vult, potest contingere aliis coniugibus, qui certificati, quod vterque habent simile votum virginitatis, & quod nullus ab alio exiget debitum, possint licitè & validè contrahere, quod non liceret nisi esset specialis reuelatio de securitate ista ex Dei dono, vnde clarè liquet, quod † ad matrimonij validitatem, & vt sit residentia matrimonialis inter coniuges requiritur consensus implicitus in copulam qui necessariò continetur continetur in consensu requisito ad contrahendum, ex vi cuius datur mutuuum ius, & potestas in corpus alterius ad filios procreandos, quibus genus humanum multiplicetur fiatque vterque coniux vna caro, iuxta diuinam ex vi præsentis dispositionis & prouidentie institutionem. Qui consensus implicitus in copulam, nec in puncto opponitur virginitatis voto, quod solum frangit actualis vsus copulæ, aut consensus voluntarius in illam, aut periculum proximum, & voluntas se constituendi in tali periculo, & nihil horum fuit in B. V. & quilibet alius potest diuina reuelatione certificari qua certitudine existente licitè contrahit, vt amplius enodabo §. 4.

## §. III.

*Residentia Matrimonialis non subsistit sine consensu implicito in copulam carnalem, Auctorum intelligentia probatur.*

## S V M M A R I V M.

1. *An matrimonialis residentia non subsistat sine consensu implicito ad copulam carnalem.*
2. *An impotentia perpetua ad copulam iure nature impediatur matrimonium, ipsumque dirimat.*
3. *Impotens potest esse quis tripliciter, & numero 4.*
5. *Quod non ius sit de essentia matrimonij, sicut consensus implicitus in copulam.*
6. *Quid ex traditis veniat colligendum.*
7. *Augustini mens assertur, & numero 9. & 12.*
8. *Nuptiarum essentia in sola carnali coniugum commixtione sita erat, ex hæretico.*
10. *An actualis commixtio, vel si maris voluntas expressa ad illam non sit de essentia matrimonij.*
11. *An matrimonium non solum contrahatur propter filiorum procreationem, sed propter ipsam etiam naturalem in diuerso sexu societatem.*
13. *An nuptie & matrimonium consistat in voluntate expressa commixtionis carnalis.*
14. *An spontaneus consensus inter virum & feminam legitime coniunctos faciat, & numero 15.*

Cum † matrimonialis residentia matrimonium licitum & validum supponat si matrimonij essentia non est sine consensu implicito in carnalem copulam, nec residentia matrimonialis erit sine tali consensu in potestatem ad talem copulam, & quidem quod sine illo non subsistat matrimonium, quod ex vi præsentis prouidentie est institutum mihi omnino indubitatum est, & ita certum quod existimem nullum ex antiquis siue Patribus, siue Scholasticis, Summistis, aut vtriusque Iuris Interpretibus contrarium sensisse, taliter quod si sit dissensus expressus nunquam se copulandi, cum hic sit contra bonum matrimonij, scilicet prolem procreandam matrimonium tolleret, vt aiebat S. Tho. *ubi supra*, vel saltem ad mitigandam carnis pruriginem & concupiscentiam. Hinc enim fit quod aliqui dixerint Eunuchos carentes utroque testiculo potentes virgam erigere validè contrahere, quia copulam possunt habere & aliquale semen etsi euanium & aqueum intra vas emittere.

Hinc est quod omnes dicunt, quod † impotentia perpetua ad copulam iure nature impediatur matrimonium ipsumque dirimat, siue talis impotentia perpetua proueniat à natura siue à dæmonis maleficio, aut veneficio, quod duret in perpetuum, siue quia virilia

virilia sunt ita radicitus secta, vt intra fœmineum vas non possit seminare, etsi enim aliqui sentiant, quod cum impotentia ad copulam consurgit maleficio non dirimat matrimonium, ideo hoc dicunt, quia defendunt nullum veneficium, aut dæmonis maleficio ita esse perpetuum, quod auferri non possit, quod falsissimum est, tamen ex hoc falso suam opinionem colligunt, quæ illo supposito, probabilis est, cum sit tacitus & implicitus consensus in copulam.

Et tandem etsi aliqui ex Antiquis inter quos est D. Tho. in 4. dist. 34. quæst. 1. art. 2. ad 4. quem malè intellexit Legionens. lib. 9. de matrim. cap. ... n. ... & Thom. Sanchez lib. 7. disp. 97. num. 1. vbi viginti quatuor Authores pro eadem sententia D. S. refert, asserentis, quod *† impotens potest esse tripliciter, vno modo, quia non potest soluere de iure, & talis impotentia facit omnibus modis contractum esse nullum, siue sciat ille cum quo facit talem contractum hanc impotentiam siue non. Alio modo, quia non sit soluendo de facto, etsi sciat ille cum quo contrahit hanc impotentiam, & nihilominus contrahis ostenditur, quod alium finem ex contractu querit, & ideo contractus stat, si autem nescit, tunc contractus nullus est, & ideo frigiditas, quæ causat talem impotentiam, vt homo non possit de facto soluere debitum & conditio seruitutis per quam homo non potest de facto liberè reddere impediunt matrimonium, cum alter coniugum ignorat, hoc quod alius non potest reddere debitum, impedimentum autem per quod aliquis de iure non potest reddere debitum, vt consanguinitas annullat contractum matrimonij siue sciat alter siue non.* Hæc ibi.

Id quod etiam expresse docuit Magister *ibid. cap. 1.* & sentiunt omnes Summistæ antiqui: omnes enim dicunt *†* huiusmodi impotentes frigiditate perpetua, aut ob eximium calorem, aut ob nimiam virgæ longitudinem, aut quia mulier nimis stricta est, dum contrahunt non habere dissensum se copulandi expressum, sed habere consensum implicitum in copulam quamuis de facto non sit futurus ob frigiditatem, aut maleficio, quod si auferretur copula sequeretur, & sic, quod non sequatur de facto per accidens est, & qui sciens impedimentum contrahat cedit iuri suo, quod habebat ad petendum de facto, quamuis non possit cedere iuri quod habet, vt possit petere, quia hoc *†* ius est de essentia matrimonij sicut & consensus implicitus in copulam, quod, vt dixi, mihi esse indubitatum nullus hucusque contrarium, vel leuiter insinuauit, sicut neque vllus dubitauit, quod ad verum matrimonium iurè naturæ requiritur sexuum diuersitas, ita vt vnus sit agens & alter recipiens, ita vt possint ex natura contractus fieri vna caro per feminum com-

mixturem, vel per copulam mitigare concupiscentiam intra vas coeundo, quod enim in aliquo particulari hoc de facto non contingat non euertit matrimonialis contractus & residentia obligationem, & naturam, si talis impotentia ad coeundum intra vas non ignoretur, nam si ignoratur, contractus nullus est iure naturæ, quod secus contingit dum abscissa est virilis virga, ita radicitus, vt nullatenus possit intra fœmineum vas ingredi; iste enim ab intrinseco est incapax coeundi ac si esset eiusdem sexus.

Ex qua vera solidaque doctrina priusquam ad probationem nostræ sententiæ deueniam *†* colligitur manifesta intelligentia Aug. & Hug. quos pro se adducit Legionensis ipso, etsi valde eruditus eruditione sua non attingens, nec eorum mentem penetrans iuxta intentum de quo agebant, vt autem mens Aug. luce meridiana clarior appareat notandum S. Doctor. agere contra Pelagium, & eius sectatores maxime Iulianum, qui duo dicebat inter alia. Primum (vt constat ex lib. 2. cap. 7. contra ipsum) quod sola libido extra coniugium, & matrimonium erat damnabilis, & quælibet libido intra vas, si esset intra coniuges erat licita & honesta *† Tibieni libido* (ait Aug.) *non nisi præter uxorem videtur esse culpabilis & infra, in quibus (nuptiis) licentiosissimum tribuisti libidini spatium, quod magis explicans lib. 5. contra eundem cap. 9. dicit temperantiæ totam honestatem de concubitu coniugum abstulit* (Iulianus) *vt nemo sibi videretur in morbo desiderij suum vas possidere quantacunque libidine in vxoris genitalibus potuisset insanire, & nunquam in eis fruari concupiscentiam, sed quotiescumque se commoueret satiari auidam regnare securam,* vnde tria dicebat Iulianus. Primum mulierem non nisi causa generandi esse institutam, sic refert August. lib. 2. cap. 7. secundum naturalem esse vsum fœminæ ita cap. 19. & lib. 30. cap. 20. Tertium quod refert idem Aug. quod voluptas coniugalis pudicitia debeat nominari.

Ex quibus propositionibus duo colligebat hæreticus, primum quod *†* nuptiarum essentia in sola carnali coniugum commixtione sita erat. Ita refert August. lib. 1. contra illum folio mihi 78. *quam commixtionem* (aiebat) *de nuptiarum conditione, & natura venire perspicuum est, imo in qua sola quantum ad constitutum nostrum respicit, nuptiarum veritas est, & lib. 5. c. 16. Nihil aliud esse dicis nuptias, quam corporum commixtionem.* Secundum inter Sanctiss. V. Mariam & Ioseph, quia concubitus defuit nullo modo fuisse coniugium, ita refert lib. 5. cap. 12. dicebat enim Iulianus, *quasi maritus Ioseph in opinione omnium erat, & secundum hanc opinionem, non secundum*

*dum veritatem locutam fuisse scripturam, ut Virginem Mariam eius coniugem diceret.*

- Iam manifesta apparet Aug. mens & germanus sensus, qui ita clarus est ut cæcutiat luce meridiana, qui non videat & assentiri recuset, agit enim S. Doct. contra Iulianum & alios ex Pelagianis, qui eo dementia deuenere, ut assererent matrimonij essentiam non consistere, nisi ubi erat carnalis commixtio corporum diuersi sexus, cõtra quos determinat S. Doctor *loc. cit. in §. 1. pro sententia Legionensis*; in quibus solum dicit, quod hæc † actualis commixtio, vel si maris voluntas expressa ad illam non est de essentia matrimonij, ut falso putabat Iulianus; vnde *lib. de bono coniugali* dicit quod poterat esse in utroque sexu etiam sine tali commixtione alterius regentis & alterius obsequentis amicabilem, quædam & germana coniunctio, quod repetit *cap. 3. dicens, quod*
- † *matrimonium non solum contrahitur propter filiorum procreationem, sed propter ipsam etiam naturalem in diuerso sexu societatem.* Vbi S. Doctor manifestè loquitur de intentione libera ex qua mouetur homo ad contrahendum matrimonium, quia hæc vel est ad procreandos filios, vel ad amicabilem, & naturalem societatem in diuerso sexu, non tamè negat quod sit necessario imbibitus implicitè consensus in copulam, eo ipso quod contractus matrimonialis celebratur inter personas legitimas iure naturæ diuersi sexus, vna agens, & altera patiens in vsu matrimonij, imo quia est talis consensus implicitus in copulam, ut vterque fiat vna caro vnus est regens, in aliis ministeriis, & alter est obsequens iure naturali, vir est caput mulieris.
- Hunc esse manifestum August. sensum quis potest in dubium vertere; solumque S. Doctor excludere voluntatem deliberatam ad coitum, *cap. nuptiarum bonum 27. quest. 1. constat ex lib. 23. contra Faustum Maniche. cap. 8. loquens de B. Ioseph. ut Ioseph maritus Mariæ diceretur habens eam coniugem nõ commixtione corporum, sed copulatione, quod est charius, animorum, & ex hoc concludit in fine capituli, quod fideles multo magis habent fidelia coniugia quanto potuissent imitari parètes Christi, & lib. 5. de nuptiis, & concupiscent. Coniux (Ioseph) vocatur (V. Maria) ex prima fide desponsationis quam concubitu, nec cognouerat, nec fuerat cogniturus, nec perierat, nec mendax fuerat coniugis appellatio, ubi nec fuerat, nec futura fuerat vlla carnalis commixtio.* Hæc ibi, quibus similia docet *lib. 2. de consens. Euang. cap. 2.* quare dubitare nequit, S. Doctorem his sententiis exclusisse Pelagianorum falsum & hæreticum dogma, quod † nuptiæ & matrimonium consistebat in voluntate expressa commixtionis carnalis, tuncque

celebrari, quando coniuges commiscebantur, quos euidenter repellit magnifico exëplo matrimonij Iosephi & Mariæ, quo insinuatur fidelibus coniugatis etiam seruato pari consensu posse permanere vocarique coniugium non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu; vnde liquet S. Doct. non exclusisse consensum implicitum in copulam non aliquando futuram, qualis non fuit in B. V. sed impossibilem ex vi contractus matrimonij instituti à Deo, quem sensum amplius confirmabo §. sequenti, quem solum intendit sui æui alter Augustinus Hugo de S. Victore *lib. de incorrupta Deipara virginitate*, ut legenti clarissimè constabit, ait enim † *spon-*

† *taneus consensus inter virum & feminam legitime coniunctos facit, quo vterque alteri debitorem sui se spondet, iste est qui coniugium facit & coniugium est ipsa societas tali cõsensu confederata, qua altero viuente alterum ab altero non dissoluit.* Ecce ubi ponit egregius Doctor cõsensum implicitum in copulam, cum ponat consensum quo vnus coniux alteri se sui debitorem constituit; & in hoc consensu est essentialiter constitutum matrimonium, nam alter consensus carnalis commercij ad inuicem exigendi, atque reddendi comes est, non effector coniugij, quia hîc recipit futuram commixtionem, quæ ad essentiam matrimonij attinere nequit, ut attinere dicebat Iulianus, quamuis enim cesset huius consensus carnalis executio veritas & essentia matrimonij non cessat, quæ est legitima societas inter virum & fœminam, in qua videlicet societate ex pari consensu vterque semetipsum debet alteri, sic enim definit matrimonium ipse Victorinus alludens ad illud Pauli, *vir, potestatem corporis sui non habet, sed femina, &c.*

#### §. IV.

*Ostenditur roboratur sententia Angelici Doctoris, auctoritatibus Aristotelis, S. Augustini, & aliorum Patrum.*

#### S V M M A R I V M.

1. Duplex consensus qui ab Hugo. Victorino admixtus fuit enodatur.
2. An sit requisitus semper essentialiter consensus implicitus in copulam, vel possibilem vel futuram sub conditione.
3. Augustini sensus adducitur, & n. 4. & 5.
6. Quodnam adiutorium respiciat prolem generandam per copulam maris & feminae.
7. Ad quod femina adiutorium sit necessaria viro.
8. Initium primum degenerandi est feminam generari non marem.
9. An consensus matrimonialis implicitè feratur



feratur in copulam destinata à natura ad filios procreandos.

10. Connubium & matrimonium institutum est ad prolem generandam ex S. Doctore.
11. Quid ex doctrina Augustini colligatur.
12. Patrum sensus assertur, necnon S. Doctoris & n. 13. & 14.
15. An ratione coniunctionis sit magis diligenda uxor quam mater.
16. D. Caiet. sententia assertur, & n. 17.

VT clarior hæc ostensio appareat ex August. & Patribus, imo & Philosophis naturali ductis ratione & dictamine, iterum repetenda, est duplex ille consensus, quem egregie enucleauit † Hugo Victorinus & nos intentionem contrahendi diximus, utraque enim in copulam fertur, sed cum discrimine nam prior, qui est spontaneus consensus inter virum & foeminam legitime coniunctos, quo uterque alteri debitorem sui se spopondit implicitè fertur in copulam carnalem possibilem inter virum & foeminam. Posterior vero qui comes est non effector coniugij est consensus liberè adhibitus à coniugibus, priori consensui (in quo essentiam matrimonij consistere certum est) & respicit pro obiecto non copulam possibilem contentam in corporum traditione, sed futuram contentam in iure exigendi, & petendi expedito, tenditque tanquam in obiectum in commixtionem futuram, aliquando ad petitionem vnus & debiti carnalis redditionem alterius. hic enim consensus matrimonij comes etiam communiter insit, dum contrahitur matrimonium, at non necessario ex vi contractus matrimonij, qui solùm respicit copulam possibilem inter contrahentes, vel futuram sub aliqua conditione, quæ de facto nunquam subsistet.

2 Igitur quod † sepe sit essentialiter requisitus consensus implicitus in copulam, vel possibilem, vel futuram sub conditione, ex vi cuius copulæ filij possint generari, aut saltem temperari concupiscentia, docuit Arist. lib. 1. Polit. c. 1. Maxem & foeminam (ait) quorum alter alterius indiget societate copulari necesse est procreandi causa, idque non consilio, sed natura, quemadmodum in cæteris animantibus & stirpibus vsu venit in quibus natura insitus est appetitus sui simile relinquendi, ergo societas maris & foemina copulari necesse est à natura non consilio procreandi causa; ergo consensus qui fertur expressè in societatem viri & foeminae implicitè fertur in ipsam copulam procreandi causa.

Quod eleganter docuit & probat Aug. lib. 9. de Genes. ad litter. c. 4. explicans illud Gen. 2.

- 3 n. 18. † faciamus ei adiutorium simile sibi, vbi ita loquitur, si queritur ad quam rem fieri oportuerit hoc adiutorium, nihil aliud probabiliter occurrit, quam propter filios procreandos, sicut adiu-

torium semini, terra est ut virgultum ex utroque nascatur, hoc enim & in prima rerum conditione dictum erat masculum & foeminam fecit eos Deus, crescite & multiplicamini & implete terram, qua ratio conditionis & coniunctionis masculi, & foeminae, atque benedictio Dei, nec post peccatum hominis panamque defecit, aut ad hoc adiutorium gignendi filios non est facta mulier viro, ad quod ergo ad iutorium facta est? si ut simul operaretur terram, nondum erat labor, ut adiumento vir indigeret; etsi opus esset, melius adiutorium masculus fieret, hoc & de solatio dici potest si solitudinis fortasse tadebat, quanto enim congruentius ad conuiuendum & colloquendum duo amici pariter, quam vir & mulier habitarent.

Quam doctrinam strictius repetit & enucleat lib. 14. de ciuit. c. 22. ibi, cum scriptura dixisset masculum & foeminam fecit eos continuo subdidit & benedixit eis Deus, dicens crescite & multiplicamini & implete terram, que omnia quamquam non inconuenienter possunt etiam ad intellectum spiritalem referri, sed sicut euidentissime apparet in diuersi sexus corporibus masculum & foeminam creatos, ut prolem generando crescerent & multiplicarentur & implerent terram, cui sententia tam euidenti magna absurditatis est relictari, & infra aperte de vinculo coniugali, quo inuicem sibi uterque sexus obstringitur, Dominus interrogatus utrum licet quacunque ex causa dimittere uxorem? Respondit, atque ait. Non legistis qui fecit hominem ab initio masculum & foeminam fecit eos, & dixit propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne vna? Itaque iam non sunt duo, sed vna caro, quod ergo Deus coniunxit homo non separet. Certum est igitur masculum & foeminam ita primitus institutos, ut nunc homines duo diuersi sexus vidimus & nouimus. Hactenus S. Doct. quo testimonio nihil illustrius.

6 Siquidem ex vi creationis hominis in diuerso sexu, ita quod mulier sit creata in adiutorium viri, euidenter colligit, quod † hoc adiutorium respicit prolem generandam per copulam maris & foeminae, quare ex vi huius diuinæ institutionis necessario sequitur, quod qui vult matrimonium contrahere, implicitè vult copulam, quam ex natura rei respicit matrimonium, etenim † foemina ad nihil aliud est viro necessarium adiutorium nisi ad generationem, & ad prolem genitam nutriendam & alendam, ad cætera autem domesticam œconomiam, familiam gubernandam, societatem amicabilem & commercium habendum etiam utilis sit foemina, at non necessaria simpliciter sicut est ad duo illa munia. Vnde foemina non per se & primaria intentione producta est, sed propter virum, ut esset ei adiutorium simile sibi ad prolem generandam, & nutriendam, si enim hæc duo munia vir se solo

posset efficere non utique mulier esset generata cum vir sit multo præstantior, & perfectior, quam fœmina, hæc enim, ut ait Ar. est animal occasionatum & mas læsus, ut ait l. 2. de gener. animal. id est non per se, & primaria naturæ intèntione productū, sed propter imbecillitatē virtutis generatiuæ, quæ si perfecta esset, virū sēper generaret, at ex natura rei aliquādo deficit, & debilitatur, ut fœmina fit adiutoriū, semen intercipiēs ad prole generandā, sicut terra est adiutoriū semini, plātarū, ut virgultū nascatur, quod egregie Ar. dixit lib. 4. de gener. anim. cap. 3. † *Initium* (ait) *primum degenerandi est fœminam generari nō marem, verum hoc necessarium est naturæ, genus enim seruari oportet, eorum quæ fœmina & mare distinguuntur.*

Dubitari, ergo nequit, quod iuxta Aug. mentem † consensus matrimonialis implicitè fertur in copulam distinctam à natura ad filios procreandos, quam copulam prescribunt tabulæ matrimoniales, (ait S. Doctor l. 3. contra Iulian. cap. 21.) ut scilicet non coniungantur vir & fœminæ, nisi propter filios generandos, quorum generatio cum sit matrimonij bonum principaliter & primario intentum à Deo institutore matrimonij, cui sententiæ reluctari magnæ absurditatis est ab intrinseco cum implicat, quod sit legitimus cōsensus in matrimonium, quin implicitè feratur in talem copulam saltem sub conditione futuram, etsi conditio nunquam sit in executione ponenda.

Totum hoc confirmat. S. D. l. 1. de nupt. & concup. (postquam enim c. 8. dixerat. † *Conubiū & matrimoniū institutum esse ad prole generandā, & sic aliquando ex dispensatione diuina Patres veteris testamēti plures habuisse uxores, non ut appetitus voluptatis variaretur, sed ut proles multiplicaretur, ob quod nō est cōcōsū, quod mulier haberet plures viros, quia si vna cōcūbit cum pluribus, non est ei hinc multiplicatio prolis, sed frequentatio libidinis, & sic coniux nō potest esse, sed meretrix.*) concludit. c. 11. *Quibus autē placuit ex consensu ab usu carnalis cōcupiscētiæ in perpetuū cōtineri, abest ut inter illos vinculū cōiugale rumpatur, imo firmiter erit, quo magis ea pacta secum inierint, quæ charius conformiusque seruāda sunt, non voluntariis corporū nexibus, sed voluntariis affectibus animorum.* quam vniuersalem doctrinā confirmat exēplo B. V. & S. Ioseph, inter quos fuit verū coniugium & propriū matrimoniū, non permixto corporū sexu, sed custodito mentis affectu.

Ex qua doctrina August. euidenter collitur, † quod potest esse, quod postquam duo contraxerunt matrimonium ex mutuo consensu, siue confirmetur voto simplici, aut solemni, vinculum coniugale rumpitur, imò firmiter erit, ut ait Aug. nequit tamen esse, quod duo contrahant apponendo in consē-

su matrimonij conditionē, quod debent abstinere in perpetuum à carnali copula, talis enim conditio (ut ait D. Tho.) cum sit cōtra matrimonij bonum scilicet prolem generandam matrimonium tolleret, vnde nunquā in August. aut aliquo ex antiquis Patribus, aut scholasticis inuenitur, quod sit validum matrimonium si contrahatur ea conditione, ut non possint in perpetuum coniuges carnaliter commisceri, sed postquam contractum est, secum possunt ea pacta inire, ut non coeant, quæ charius, conformiusque seruāda sunt, non voluptariis corporum nexibus, sed voluntariis animorum affectibus, & hanc esse Aug. mentē nullus cordatus dubitabit.

Id ipsum sensere Patres † qui hanc materiā tractarunt, matrimonium definientes in ordine ad copulā, & corporum diuersi sexus commixtionem. Clem. Alexand. lic. 3. Strom. definit matrimonium, quod sit prima legitima viri & mulieris coniunctio ad librorū procreationē, idē dicit Chrysol. ser. 92. Chryl. hom. 16 in Genes. & eius alij Græci affectæ. Glossa ordinaria, quæ sequitur Tho. Angel. c. 1. Genes. n. 28. nullo modo sunt damnandæ nuptiæ cuius rationem dat, quia eas ad propagationē suprema benedictio instituit, dum dixit crescite & multiplicamini & replete terram, & c. 2. dicit idem Angelus, (non Angelicus,) si queritur, quare Deus non fecit, quod solus vir esset generationis principium? dicendū, quod id magis cōpetebat, & ordini naturæ, & societati humanæ, & proli propagandæ, & sic postquam completa est subsistentia hominis singularis determinatur de fornicatione mulieris propter multiplicationem speciei hominis, vnde euidenter est, quod supposita institutione diuina, quæ & ordini naturæ & societati humanæ & proli propagandæ conueniebat, impleat, quod sit legitima coniunctio maris & fœminæ, quæ matrimonij insolubili vinculo vtrumque constringit, & quod consensus huius coniunctionis expressus nō sit implicitus in copulā.

Hanc autem coniunctionem egregie enucleauit vterque Thomas, Angel. lect. 10. ad cap. 5. epistol. ad Ephesios explicans illud Genes. 2. num. 24. *Quamobrem relinquet homo patrem & matrem, &c. his verbis* (ait S. Doct.) *triplex coniunctio viri & mulieris designatur, prima per effectum dilectionis, quia tantus est affectus vtriusque inter ipsos, ut parentes suos relinquant, quia homo respectu patris & matris est inferior non superior, ideo ad uxorem cuius est superior & ad filios naturaliter plus afficitur, quam ad parentes, & etiam quia uxor sibi coniungitur ad actum generationis, altera coniunctio viri & uxoris est in artissima eorum conuersatione, vnde dicitur & adheret uxori suæ, in singulari autem numero dicitur uxori suæ, ut intelligatur pluralitas uxorum per se non esse bona nec congruens perfecta rationi matrimonij*

ut fuit à Deo primitus institutum. Tertia coniunctio est per carnalem copulam, quod significatur illis verbis, & erunt duo in carne una, id est in carnali opere, in qualibet enim generatione est virtus actiua & passiva, sed in plantis utraque simul est in eodem subiecto, in perfectis autem viventibus distinguuntur, & ideo in actu generationis, ita se habent masculus, & femina in animalibus sicut in plantis solo eodem uno corpore fit. Hæc ibi in quibus tribus coniunctionibus imbibitus est consensus implicitus in copulâ, ut constat, alias nõ esset coniunctio matrimonialis, ut à Deo de facto est instituta, sed alia quam quis ex proprio Marte poterit celebrare, unde non erit insolubili vinculo adstricta ut §. 4. enodabo.

- 15 Quod extricavit 2. 2. q. 26. art. ... dicens. Quod ratione coniunctionis magis est diligenda vxor, quam pater, quia vxor coniungitur viro, ut una caro existens, quia quantum ad vnionem carnalis copula, & cohabitationis, relictis omnibus parentibus homo adheret vxori suæ. Vnde manifestum est, quod duæ priores coniunctiones tertiam respiciunt, & in illa solidantur, rationeque illius insolubiles sunt iure naturæ, & sine respectu ad illam rumpi possunt, quod egregie enucleauit ibi D. Caiet. dicens † cum dicitur in calce quod homo diligit vxorem principaliter ratione carnalis coniunctionis non denotatur finis amoris sed species vnionis causantis amorem. Non enim principale bonum, quod homo vult vxori est coniunctio carnalis, cum hoc sit bonum utile ad generandum & delectabile, & velit ei bonum honestum, quod est maius, sed principalis ratio amoris ad vxorem, ut vnio est ratio amoris est coniunctio carnalis, quia hanc sequitur quæcunque alia est inter eos vnio sine voluntatum sine rerum. Hactenus admirandum semper Caietan. eminentissimum ingenium, his enim verbis declarauit nullam esse coniunctionem, aut vnionem insolubilem, & conjugalem quæ à carnali copula implicite volita ex vi cõtractus matrimonij, ut ab adæquata radice, non dimanet, & illo consensu implicito in copulam semoto homo non diligit plus vxorem quam parentes.

## §. V.

Rationibus firmatur eadem sententia adductis ex S. Augustino & D. Thoma.

## S V M M A R I V M.

1. Quicumque contrahit matrimonium & nuptios celebrat debet habere intentionem eas contrahendi & celebrandi qualiter instituta sunt à Deo authore naturæ.
2. An ubicunque est cõiunctio sit adunatio quædã.
3. Quenam sit coniunctio matrimonij essentia.
4. Augustini sensus adducitur, & num. 5.
6. Vagans concubitus & simplex fornicatio est

Tom. II.

iure natura illicita.

7. An à matrimonio honestetur concubitus, & commixtio corporum maris & feminae.

PRIMA, principalis & à priori sumitur ex Doctrinis traditis ab utroque S. Doctore in anteriori. §. & sic formatur, † quicumque contrahit matrimonium, & nuptias celebrat debet habere intentionem eas celebrandi & contrahendi qualiter instituta sunt à Deo authore naturæ, rursus conficiendi sacramentum ea intentione, qua à Christo est institutum & euectum matrimonium quatenus est contractus ad rationem sacramenti nouæ legis, atqui Deus ut author est naturæ, & Christus ut inductor gratiæ ille instituit matrimonium, & iste huiusmodi cõtractum euexit ad rationem sacramenti nouæ legis, quatenus ordinatur ad copulam carnalẽ, & filiorũ procreationẽ, ergo qui vult celebrare matrimoniũ implicite debet velle illud perficere, ut Christus Dominus instituit & facit Ecclesia, & D. Th. ait 3. p. q. 64. art. 8. egregie enodat in solut. ad. 1. 2. hæc ratio à priori euidentis est, cuius minor propositio satis liquet ex adductis Patrum testimoniis.

Secunda est D. Th. in 4. dist. 27. q. 1. art. 1. 2. quæstiunc. 1. Augusti & Hugonis de S. Victore, quia matrimonium essentialiter est coniunctio, vel duarũ legitimarũ personarũ maris, & feminae de coniunctione consensus, ut ait Hugo l. 1. de sacram. p. 11. c. 4. ubicunque autem est cõiunctio est adunatio quædã, unde dicitur Genes. 1. nu. 28. & erunt duo in carne una, quæcunque autẽ adunantur, in ordine ad aliquod vnũ adunantur, sicut multi homines adunantur ad vnã militiã, vel ad vnã familiã & Religionem, atqui ex vi matrimonij vir & vxor adunatur, ergo cõiunguntur, ergo in ordine ad aliquid vnũ scilicet ad vnã generationem, & educationem prolis, & iterũ ad vnã vitam domesticam, ratione cuius coniunctionis dicitur maritus coniungi vxori, & vxor marito, unde relatio quæ est matrimoniũ ex vna parte habet vnitatem in utroque extremorum, scilicet ex parte causæ, quia ad eãdem numero generationem ordinantur, sed ex parte subiecti habet diuersitatem secundum numerum, & ideo hæc relatio est vna, & multiplex & secundũ quod est multiplex ex parte subiecti significatur his nominibus vxor & maritus: secundum autem quod est vna significatur hoc nomine matrimoniũ, atqui est vna quia ordinatur ad vnã generationem, ergo matrimoniũ quod est consensus de coniunctione implicite fertur ad copulam, matrimonij autem † essentia est coniunctio præfata, ut ait D. Th. ibid. quæstiunc. 2. & hæc respicit cõsensus, qui nõ fertur directe in virũ ex parte mulieris, nec fertur directe in femina ex parte viri, sed in cõiunctione ad virum

virum ex parte vxoris, & in coniunctione ad vxorem ex parte viri, quæ coniunctio ficut & vinculum matrimonij vnum est, quia ad vnam numero generationem ordinatur.

Tertia ratio sumitur, ex Aug. lib. 2. de nu-  
4 priis & concupisc. cap. 4. † vbi sic loquitur approbans tanquam Catholicum, quod dicebat quidam Pelagianus discipulus Iuliani. *Ipse Adam dixit propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhaerebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna, quod tamen Dominus in Euangelio Deum dixisse commemorat, quia Deus utique per hominem dixit, quod homo prophetaando pradixit, ergo quæ sequuntur intueri. Prima (inquit Pelagianus) compellatione cui operi parata esset, ostendit & dixit crescite & multiplicamini & replete terram. Quis enim nostrum negat ad opus pariendi à Domino Deo Creatore omnium bonorum bono preparatam fuisse mulierem: Adhuc, vide qui adiungat Deus igitur (inquit) maris creator & femina convenientia generationibus membra formauit, & gigni corpora de corporibus, etiam hoc esse Catholicum confitemur, & quod deinde subiungitur, si igitur (inquit) non nisi per sexum factus, non nisi per corpus sexus, non nisi per Deum corpus, quis ambigat fecunditatem Deo, iure reputari? Post hæc quæ veraciter & Catholicè dicta sunt, imo in libris diuinis veraciter scripta, &c. quibus manifestum concluditur argumentum, quia si Deus omnium bonorum creator ad opus pariendi feminam preparauit, & tam ipsi quam mari convenientia generationibus membra formauit. implicat, quod ex vi præsentis institutionis mas & femina matrimonio legitimo coniungantur sine implicito consensu in copulam sine quo matrimonialis residentia licita non subsistit.*

5 Quarta sumitur ex eodem S. Aug. l. 5. contra Iulianum Pelagij discipulum accerrimum c. vlt. *Vides ergo quam inconsiderate nuptias definieris, dicendo eas aliud non esse nisi corporum commixtionem tolerabilius, forte diceres eas non inchoari nisi per corporum commixtionem, quia filiorum procreandorum causa utique ducuntur vxores, & aliter non possunt filij procreari.* quibus verbis clarè docet, quod non potest quis vxorem ducere, nisi implicitè consentiat in copulam sine qua nequeunt filij generari, & vxor ducitur, vt filij generentur.

6 Quinta est desumpta, ex D. Thoma 2. 2. quæst. 154. art. 1. & 2. quia † vagans concubitus, & simplex fornicatio est iure naturæ illicita, & prohibita, quia mala, vt egregiè enodat Eminentissimus Caiet. *ibi. §....* huic autem concubitu vago opponitur concubitus coniugalis, qui est licitus ex vi matrimonij, cum sit secundum rationis metas, & regulas, eo ipso, quod sit à matrimonio, ergo matrimonium implicitè respicit concubitus, iuxta regulas rationis, consequentia

est euidens, quia † à matrimonio honestatur & concubitus, & commixtio corporum maris, & femina, qui sine illo malus est ab intrinseco, consensus igitur ex quo fit matrimonium & diuersi sexus coniunctio, implicite fertur in copulam quam honestat, vt egregiè explicat, Aug. l. 3. contra Iul. c. 16. & l. 4. c. 3.

## §. VI.

Occurritur fundamentis adductis in oppositum.

## S V M M A R I V M.

1. An consensus explicitus de matrimonio contrahendo sit implicitus in copulam & filiorum procreationem.
2. Augustini mens adducitur.
3. An post contractum matrimonij celebratum possint coniuges speciali pactione obligari ad non se carnaliter cognoscendum, vel voto simplici absoluto, vel solemniter.
4. Finis primarius matrimonij à Patribus assignatur.
5. Quæ obligationes fluant ab essentia matrimonij.
6. Ratio difficultatis assertur.

**R**obustior euadet sententia nostra, si fundamentis oppositis fiat satis, quod perficere facile, erit ad argumenta quæ in prima continebantur classe ex Patribus depròpta vnico verbo, respondetur, iam enim abudè enucleauimus mentem Aug. & Hugonis non enim loquuntur de consensu implicito necessario contento in consensu matrimoniali, quod qua ratione sit intelligendum §. 7. enodo & extrico.

Ad primum argumentum eorum quæ continebat classis secunda. Respondetur, omnes illas definitiones matrimonij continere implicitè ordinem ad copulam, quare † consensus explicitus de matrimonio contrahendo est implicitus in copulam, & filiorum procreationem, vt expressè dixerunt Patres, & specialiter Alexandrinus Clemens, matrimonium definiens, cuius verba §. 4. dedi, vnde etsi in aliis rebus quæ contractibus humanis distrahantur & non sunt vsu consumptibiles, possit esse diuersus contractus circa dominium directum à contractu circa vsu rei cuius dominium directum, quis transfert in alium, at in matrimonio à principio cum ex sua institutione sit ad copulam & filiorum productionem implicat, quod, dum quis transfert sui corporis dominium in coniugem speciali pacto excludat copulam, & filiorum generationem, quia hæc exclusio est cōtra institutionem cōtractus ex vi præsetis institutionis, qua filij non gignuntur nisi per coitum, qui nō liceret si sine cōmixtione

2 mixtione carnali possent filij procreari. Audi Aug. lib. 5. *contra Iulian. c. 12.* † *Dico & aliter bonum esse coniugium ubi proles nisi per concubitum non potest procreari, si tamen aliter posset, & tamen concumberent, coniuges apertissime libidini cederent, atqui illo malo uterentur male, cum vero propter quod sexus ambo instituti sunt nisi eorum commixtione non nascitur homo propter hoc mixti coniuges illo malo utuntur bene.* hæc ibi, & quod illustrius? verum  
3 est, ut supra dicebam, quod † post contractum matrimonij celebratum possunt coniuges speciali pactione obligari mutuo ad non se carnaliter cognoscendum, vel voto simplici absoluto, vel solemni, & hoc est, quod intendit August. possunt enim coniuges mutuo cedere iuri, quod habent ad exigendum, semper tamen retinetur ordo ad copulam, & commixtionem carnalem in qua fundatur, & vinculum matrimonij indissolubile, & matrimonialis residentia.

4 Ad secundum responderetur, † melius assignare Patres Ecclesiæ finem primum matrimonij ob quem, est institutum à Deo, quam illi Auctores Gentiles, quibus nimiam fidem adhibet Legionens. præterquã, quod isti illos assignant fines præsupponendo illum, qui principalis est scilicet licita filiorum procreatio. Ad illud, quod inducit, quod sicut respectu fundi potest esse duplex contractus, sicut est duplex dominium vnum circa directum, & alium circa vsum fructum, iam diximus, quod dum matrimonium primo contrahitur implicat, quod tradatur dominium directum, excludendo ius circa vsum corporis, quod habet hic contractus ex sua institutione diuina.

5 Ad tertium responderetur verum esse, quod † ab essentia matrimonij fluunt duæ illæ obligationes vna de non cognoscendo alienam, quæ inseparabiliter inest coniugibus, ne sint adulteri, altera de reddendo debito proprio coniugi exigenti, & hæc non inseparabiliter inest matrimonio, quia possunt coniuges etiam in perpetuum à concubitu & copula abstinere ex mutuo pacto & consensu, postquam iam contraxere matrimonium, at in ipso contractu nequeunt excludere per conditionem appositam, quod debitum non reddatur, nec copula intersit, ad filios procreandos, quia hoc est contra institutionem matrimonij.

6 Ad quartum responderetur, quod † iam ex dictis constat ratio discriminis inter matrimonium contractum post, quod manente vinculo & dominio directo in corpus, potest amitti ius ad vsum corporis, & ad copulam, at inter ipsum matrimonium dum contrahitur, in quo nequit separari dominium directum à dominio in vsum & copulam saltem possibilem, quod discrimen ex Patribus

constat, & ex Ecclesiæ sensu, quem noluit aduertere Legionens. de hoc iterum redibit sermo infra, dum de residentia matrimoniali Eunuchorum & impotentium sit sermo.

## §. VII.

De residentia matrimoniali inter sanctissimam Virginem Mariam, & eius purissimum sponsum Iosephum.

## S V M M A R I V M.

1. *Matrimonialis residentia sine vinculo matrimonij non subsistit.*
2. *Patrum sensus assertur. & n. 3. 4. & 5.*
6. *Autoris iudicium adducitur. & n. 7.*
8. *Beata Virgo an non opinione, sed re ipsa fuerit Iosephi coniux.*
9. *Ruperti sententia.*

CVM † matrimonialis residentia sine vinculo matrimonij non subsistat, huic enim debetur, quod coniuges simul commaneant, cohabitent, & resideant, & inter B. V. & Iosephum sit cõmunis sententia, quod intercesserit vinculum matrimonij: duo sunt breuiter discutienda in præsentia, primum quam certum sit in Ecclesia verum fuisse matrimoniũ inter hos duos Sanctissimos coniuges V. Mariã & Iosephum. Secundum, qua ratione componatur qua B. Virgo votum virginitatis absolutum emiserit, antequam contraheret matrimonium cum hoc, quod verum fuerit connubium inter ipsam & Iosephum.

Et quidem † circa primum fuerunt multi & graues Ecclesiæ Patres asserentes, non interuenisse hic re ipsa verum matrimoniũ, sed putatiuum apud populum, sicut Ioseph non fuit verus Christi Pater, sed putatiuus, vnde dicunt, quod B. Virgo nõ fuit vera coniux, & vxor, nec Ioseph verus maritus, & vir eius, ita sentiunt Hilarius Chryl. Hier. in cap. primum Matthæi. Nisen. in orat. de Christi natali. Epiph. heres. 78. Tertullianus omnibus his antiquior. lib. de velam. virg. c. 6. Chryl. serm. 175. Greg. hom. 26. in Euangel. Bern. hom. 2. super missus est. Pseudo-Cypr. in serm. de passio. Domini. vbi affirmat Iosephũ sola opinione non re ipsa maritũ fuisse, & quod magis est hoc clarè videtur docuisse, Aug. l. 1. de nupt. & concup. vbi ex professo agit de hoc Beatissimo coniugio V. & Iosephi, vbi ita dicit, *vocari verum coniugium quo Ioseph dicitur Pater Christi Luc. 2. n. ... & erant pater eius, & mater mirantes super his quæ dicebantur ab illo, & n. dixit mater eius ad illum ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* sicut ergo hic Ioseph dicitur absolute Pater Christi nõ re ipsa, sed opinione, ita virgo dicitur cõiux Ioseph nõ re ipsa, sed opinione, quia ita expediens fuit, quod

quod etsi satis efficaciter impugnaverit contra Iulianum *lib. 5. cap. 12. circa finem.*

3 Imponebat ergo Iulianus August. quod ita senserit, & S. Doctor contrarium concludit, sed subdit *verum de isto coniugio (V. & Ioseph) quodvis existima nos tamen non, ut calumniaris dicimus*; quare ad minus tempore Augustini, ita licitè poterat opinari, quod non esset verum coniugium, sed putativum dūtaxat vulgi existimatione, quamvis non fundamento Iuliani putantis nuptias & matrimonium consistere, in carnali commixtione corporum ad filios præcreandos, quod tanquam erroneum reiicit Aug. tam in libris contra ipsam editis, quam *lib. 2. de nupt. & concup.*

4 Benè video Patres inductos explicari nõ incongrue, quod loquantur quod non fuerit matrimonium, hoc opere consummatum & ita in hoc sensu non fuisse B. V. verã vxorem, nec Ioseph verum maritum, quia hic & illa propriè videntur dici, quando re ipsa vacant ad filios gignendos, sed hæc interpretatio etsi sit pia, non tamen videtur omnino quadrare, & quod dicunt Patres *opinione, non re ipsa, nomine, non conscientia,*

5 Ioseph maritum & virum Mariæ fuisse, sicut nomine non conscientia, opinione, non re ipsa fuisse est omnino certum Patrem Christi, ut his verbis dicit Bernardus *hom. 2. cit. virum Maria nominat Evangelista Iosephum, non quia maritus, sed quod homo virtutis erat, nec vir matris nec filij pater Ioseph extitit, quamvis utrumque ad tempus & appellatus sit & putatus, nec videtur esse efficax ratio cur cum scriptura, ita dicat Iosephum fuisse Patrem Christi sicut Virginem Iosephi coniugem paternitas Iosephi respectu Christi fuerit putativa, & non coniugeitas*

6 Virginis respectu Iosephi. Vnde † existimo non esse de fide, quod inter B. V. & S. Iosephum fuerit verum matrimonium ratum, cuius contrarium sensit aliis citatis Petrus Morales *in cap. 1. Matth. lib. 2. tract. 3. n. 8.* quamvis sit omnino improbabilis, & temerarium negare, inter B. V. & S. Iosephum verũ & perfectum matrimonium fuisse perfectione essentiali, quæ consistit in mutua coniunctione per vinculum prorsus insolubile, ut bene omnes fere scholastici, cum Magistro *in 4. dist. 37.*

7 Et quidem, quod quamvis Ioseph fuerit Pater Christi putativus, re ipsa & non solum opinione vulgo fuisse virũ Mariæ, & S. Virginem: non opinione simili, sed re ipsa cõiugem Iosephi, cui desponsata fuit verbis de præsentis, his verbis, & docuit & probavit S. August. *lib. 5. contra Iulianum c. 12.* asserbat enim hæreticus, quod quasi maritus Ioseph in opinione omnium erat, secundum hanc opinionem, non secundum veritatem locu-

tam fuisse scripturam, ut Virg. Mariam eius coniugem diceret, contra quæ sic argumentatur S. D. *Hoc putemus Evangelistã facere potuisse, cum vel sua, vel cuiuslibet alterius hominis verba narraret, ut secundum hominum opinionem loqueretur, nunquid & Angelus loquens vnus ad vnum contra conscientiam & suam, & eius cui loquebatur, secundum opinionem potius, quam secundum veritatem esset locuturus, quæ dixit, noli timere accipere Mariam coniugem tuã? Deinde quid opus erat, ut usque ad Ioseph generationes producerentur, si non ea veritate factum est, quia coniugio sexus virilis excellit? Quod ego in libro (lib. 1. de nupt. & concup. c. 11.) cui respondes, cū posuissem, tu prorsus attingere timuisti, dicit autem Evangelista de Domino, quod putabatur filius Ioseph, quia ita putabatur quod per eius concubitũ genitus crederetur. Hanc falsã voluit remouere opinionẽ, non Mariam illius viri negari coniugẽ contra Angelum testem, quamquam & tu ipse etiã ex dispensationis fide eã nomen coniugis accepisse fatearis. Quæ fides utique inuiolata permansit. Neque enim cū vidisset iam Virginẽ sacrã divina fecunditate donatã ipse aliã quæsiuit uxorem, cum utique nec istam quæsiisset si necessariam coniugẽ non haberet, sed vinculum fidei coniugalis non ideo iudicavit esse soluendum, quia spes commiscenda carnis ablata est.*

Hæc Aug. quibus in Iulianum profunde 8 argumentatur ipsum cõvincens † B. V. fuisse non opinione, sed re ipsa Iosephi coniugem, quod ostendit à priori ex cõmuni & vsitato loquendi more, tũ ex sacra Scriptura, tũ ex stylo populi Hebræorũ, in quo ob viri excellentiã supra vxorẽ genealogiæ ab illo exordiebantur, tũ argumento ad hominẽ ex cõcessis ab hæretico, quæ argumẽta ita cõvincunt difficilẽ intellectũ Catholicũ, ut iam de veritate ista (ut dixi) nullatenus in Ecclesia dubitari liceat, ita vt suspectus de fide mihi videatur, ille, qui negaret verũ matrimoniũ fuisse inter B. V. M. & S. Iosephũ; vnde Rup. † *lib. 1. de gloria & hon. filij hom. c. 18.* tractans 9 hoc punctũ, dixit, *õ coniugium verũ & sanctũ, coniugiũ cæleste, non terrenum! Quomodo enim vel in quo coniuges fuerunt? Nimirum in eo quod vnus spiritus, vna fides erat in eis, sola enim ibi desit corruptio carnis, quod multo ante docuerat August. lib. 1. de nupt. & concupisc. cap. 13. omne (ait) nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi proles fides, & sacramentum, prolem cognoscimus ipsum Dominum Iesum Christum, fidem quia nullum adulterium, sacramentum quia nullum diuortium, solus ibi nuptialis concubitus non fuit, & c. quod optimè extricat sanctus Isidorus lib. 7. ethymolog. cap. 7. vbi tractat de coniugiis, coniuges enim (ait) verius appellantur à prima desponsationis fide, quamvis adhuc inter eos ignoretur coniugalis concubitus; sicut Maria Iosephi*

Josephi coniux vocatur, inter quos neque fuerat neque futura erat carnalis ulla commixtio.

§. VIII.

Extrahatur qualis matrimonialis ista B. V. cum S. Josephi residentia compatitur cum voto Virginitatis ante matrimonium emissio?

SUMMARIUM.

1. An votum castitatis simplex etsi non dirimat matrimonium, non impediat.
2. Authoris mens assertur. & n. 17.
3. An Virginitas ante legem Evangelicam non fuerit in populo Dei opprobriosa. & num. 4. & 5.
6. Patrum sensus adducitur. & n. 7.
8. An si lege veteri non erat laudabilis virginitas, & Augustini sensus assertur. & n. 9. 10. 11. & 12.
13. An nullus ante legem Evangelicam observavit virginitatem ex motivo honestatis sua.
14. An ante Dominam nostram nulla feminarum in veteri lege siue cum voto siue sine voto observavit virginitatem.
15. An Maria Moysis soror virginitatem coluerit.
16. An votum virginitatis emissum à Domina nostra fuerit absolutum. & n. 27.
18. Quando nam officiosissima fuerit propagatio filiorum.
19. An B. V. fuerit prima qua fecerit votum Virginitatis.
20. An votum Virginitatis emissum à Domina prima fuerit conditionale.
21. Doctoris Angelici mens assertur. & n. 22. 26. & 49. necnon Caiet. & n. 23.
24. Quid ex traditis veniat colligendum, & num. 26.
28. An etiamsi B. V. votum Virginitatis emisserit, nihilominus contraxerit matrimonium.
29. Abulensis opinio assertur. & num. 30. usque ad 33. necnon Scoti. & n. 34.
35. An votum emissum B. V. de virginitate perpetua seruanda haberet conditionem imbibitam, nisi à parentibus suis renocaretur. & num. 37.
36. Ad quem finem non esset prohibita Virginitas in lege veteri.
38. An B. V. votum virginitatis emisserit ante conceptionem verbi.
39. An Virgo antequam dispensaretur cum Joseph emisserit votum Virginitatis.
40. An virgo vouerit post desponsationem.
41. Legionensis sensus assertur.
41. An in instanti conceptionis supposito quod in illo fuerit ab originali peccato praeservata diuinitus, & in utero existens Vir-

ginitatem vouerit B. V.

43. An B. V. in utero habuerit plenissimum rationis usum.
44. Authoris iudicium. & n. 47.
45. Variorum DD. sententia afferuntur, & n. 46. & 48.
50. Discrimen inter usum liberi arbitrij infantibus concessi, & usum loquendi, venit notandum.

Certissimum est inter Catholicos votum castitatis simplex, etsi non dirimat matrimonium at impedit, ita vt ille qui tali voto adstrictus est, licite matrimonium non contrahat, quamuis sit in opinione positum, an iste si habeat firmum propositum non consummandi matrimonium, sed vel transeundi intra bimestre ad religionem, vel quia scit alterum coniugem simile votum emisisse, & sic caste esse victuros, solumque ineant matrimonium ad legitimandam prolem, ante habitam: an iste peccet contra votum, quia periculo ipsum frangendi se exponit, etsi enim hoc sit positum in opinione de qua alibi. Cæterum in præsentibus, cum hæc motiua non videantur concurrere, cum matrimonium in veteri lege esset sub præcepto, quo vsque semen benedictum Abrahamæ promissum adueniret, non videtur quod B. V. præhabito voto virginitatis potuit matrimonium, contrahere, vel si ipsum contraxit non videtur qualiter votum emisserit.

Ego cum communi antiquorum sententia tom. 5. de vero Martyrio tract. 9. resol. 54. §. 4. & 5. duo dixi † efficaciter probavi. Primum, quod virginitas toto tempore quo duravit dispensatio diuina quod maritus posset in lege Moyse & naturali habere plures vxores fuit opprobriosa & implicite prohibita, Secundum, quod B. Virgo votum virginitatis emisserit non simpliciter, sed sub conditione si Deo placeret, vel nisi Deus aliter ordinauerit.

Contra hæc duo late insurgunt Gabriel Vasquez tom. 2. in 3. p. disp. 124. cap. 2. Alfonso Mendoza in quolib. quest. 4. expositiua, & plures ex recentioribus, qui duo ex diametro meis assertis opposita asserta inducunt. Primum, quod † virginitas ante legem Evangelicam non fuit in populo Dei opprobriosa aut ignominia digna, quod probant ex multis Patribus an bene perpensis (nescio) ipsi viderint eos enim manifeste extricati, regula assignata à D. Thom. in 4. dist. 49. q. 5. art. 3. questiunc. 1. ad 3. agens de Laureola Virginibus debita postquam dixit quod in statu Innocentiæ non deberetur virginibus, concludit, Sed mutata humane nature conditione virginitas specialem decorem habuit, & ideo speciale premium ei redditur, etiam tempore

legis Moysi, cum cultus Dei etiam per carnalem actum propagandus erat, non erat omnino laudabile à commixtione carnis abstinere, unde nec tali proposito speciale premium redderetur, nisi ex diuino processisset instinctu, ut creditur de Hieremia, & Helia, quorum coniugia non leguntur.

- 4 Ex quibus verbis liquida manet Patrum intelligentia quorum cateruam introducunt contrarij vt vel ipsa multitudine relata confundantur legentes; nullus enim Patrum est, qui expresse adfirmet quum multitudo vxorum libebat in Populo Dei, licuisse perpetuo à commixtione carnali ad multiplicandum populum Deum vero cultu colentem, abstinere; nisi id præstaret ex Dei speciali reuelatione, & speciali instinctu diuino (qui subesse falso nequit, vt egregie vterque Th. 2. 2. q. 171. art. 5. Angel in corp. art. & Cardin. §. in eod. art.) quo à præcepto nubendi agnoscebant esse absolutos, sicut de Hieremia, & Helia quorum coniugia non leguntur & fuerint vitæ sanctitate eximij, prudenter iudicatur virginitatem coluisse ex Dei speciali instinctu, & idem iudicium esto de aliis quos refert Hieronymus l. 1. & 2. contra Iouinianum, & multos etiam retulit S. Ignatius epist. ad Philadelphos ante medium & alios Damascenus lib. 4. de fide cap. 25.
- 6 Itaque † horum Patrum intentum fuit docere in natura corrupta post Adami peccatum, quod omnes infecit nos, virginitas secundum se (quæ det specialem excellentiam super omnes alios continentia gradus) est perfectior matrimonio, purior ab omni contagione, & fæditate concupiscentia, & libidinis, à qua vix liberatur matrimonium consummatum, hoc clare constabit legenti Damascenum cap. 25. cit. vbi post multa concludit. Ex quo fit vt quanto Angelus hominem antecellit, tanto virginitas quoque matrimonio præstet. Idem sensit Hieronymus vbi supra, contra Iouinianum, qui asserbat nuptias æquales esse apud Deum gradus & præmij sicut est virginitas, consentit Ignatius, quibus consentit Iodocus Clitoveus cap. 25. cit. Damasceni, hoc autem asserere est hæreticum, quod Patres intendunt euertere, non tamen dicunt, quod tempore legis in quo erat licita vxorum multiplicitas ad multiplicandum Dei populum eiusque cultum verum augendum, laudabilis esset virginitas, tam in viris quam in fæminis; non enim semper, quod est secundum se melius est magis laudabile, imo in aliquibus circumstantiis potest esse hoc vituperabile, & in ipso dignum opprobrio quis dubitat, quod secundum se status religiosus est perfectior, quam matrimonium, & tamen si Rex potens habere successorem regni, sine quo magna sequentur inconuenientia in Ecclesiastica pace non
- 7

nubat, sed religionem profiteatur non erit illi hoc laudabile, nisi id faciat ex speciali diuino instinctu, sicut aliqui fecerunt, unde Pontifex potest illi præcipere ne statum religiosum accipiat, sed quod matrimonium contrahat, vt regno det successorem, & vitentur inconuenientia, quæ timentur.

Hinc est quod † in lege veteri non erat laudabilis, imo ignominiosa virginitas, imo erat necessarium nubere ad filios procreandos, vt expresse Aug. l. 1. de nupt. & concupisc. cap. 13. sed audi doctissimum Tostatium q. 12. ad cap. 30. Numerorum. Ipsi qui erant viri multum perfecti desiderabant filios, & qui non habebant eos, erant tanquam ignominiosi inter ceteros, & femine steriles in magno opprobrio, sicut patet genes. 30. cap. Rachel cernens quod esset infæcunda ait marito suo da mihi liberos alioquin moriar, cum vero postea peperit dixit, abstulit Dominus opprobrium meum, quasi antea hoc fuisset in opprobrium, & sic fuit postea communiter in veteri testamento, nam quando Iepte Galadites vouit quod immolaret primum, quod occurreret de domo sua, & occurrente filia dixit ei, quod occideret eam; at filia hoc solum mihi presta quod deprecor, vt duobus mensibus circumeam montes, & plangam virginitatem meam cum sodalibus meis, cumque abiisset cum sociis & sodalibus suis flebat virginitatem suam in montibus; flere autem virginitatem est, quod fleuit quia moriebatur in virginitate non genita prole, si tamē apud Iudæos observatio virginitatis fuisset aliquid laudabile non plorasset ista, sed magis gauderet; quia moriebatur in virginitate. Dicendum tamen est quod quamquam verissima esset virginitatis observatio in veteri testamento, non erat illicitum votum virginitatis. In mulieribus tamen in veteri testamento non reperitur observatio virginitatis cum voto aut sine voto, sed omnes accipiebant viros: Domina autem nostra fuit prima quæ virginitatem obseruauit & vouit; & Ecclesia cantat de ea.

Sola sine exemplo placuisti femina Christo. id est ante te non fuit aliqua qua daret tibi exemplum virginitatis, sed tamen fuisti prima in hoc voto, de viris autem magis reperitur nam quamquam non habeatur expressum votum de virginitate, patet autem quod aliqui obseruauerunt eam, vt fuerunt Hieremias, vt ait S. Hierony. in prolog. ad illum & B. Ioann. Baptista. Hactenus ibi Abulensis.

Sed ipsemet Illustrissimus q. 33. loquens de proposta difficultate in titulo. §. sic fatetur. Dicendum est quod Ioseph proposuit obseruare continentiam, quia Deus inclinabat eum ad hoc, nesciebat tamen ad quem finem cum Deus vratur hominibus tanquam instrumentis, ipsis nescientibus interdum quid Deus per eos velit operari, sic enim fecit in B. V. nam ipsa à principio virginitatem vouit, & hoc manifestum est, quod fuit, quia Deus specialiter inclinauit eam



12 *ad faciendum hoc propter dignitatem Salvatoris inde nascituri, nam nulla femina ante hoc virginitatem vouerat inter Iudeos, aut obseruare legitur conformiter; ergo de Ioseph dicendum est, quod Deus inclinavit eum ad votum continentie perpetue, & hoc solum erat ad custodia matris sue, ex quo infertur, quod Domina nostra firmiter credebat, quod nunquam carnaliter cognoscenda esset, sicut enim Deus inclinauerat eam ad vouendam virginitatem, ita & inclinabat ad hoc suspicandum, ideo quamquam traderetur viro, semper tamen credebat, quod aliter disponderet de ipsa, & sic utrumque scilicet votum & matrimonium manebat sine preiudicio.*

13 Ex quibus constat bene me dixisse, ubi supra §. 4. vers. hoc inquam & §. 5. vers. quod ostendo † nullum ante legem euangelicam obseruasse virginitatem ex motiuo honestatis suae, sine specialis Dei instinctu, & inclinatione interiori ad illam, neque enim Elias, Elisaeus, Hieremias, Ioanes Baptista & alij de quibus Patres citati perfectius obseruarunt, etsi vis vouere castitatem & virginitatem, quam Domina nostra & Sanctus eius sponsus Ioseph; atqui isti etiam satis multiplicato populo Israelitico non vouerunt virginitatem sine speciali Dei instinctu, & inclinatione qua certo sibi persuadebant non obligari ad filios procreandos; per commixtionem carnalem, ut egregie Abulensis, & sensus omnium fere Patrum, & videtur colligi manifeste ex eo quod virginitas erat illi genti ignominiosa & magnum opprobrium in lege veteri, apud cordatos & prudentes, ergo ideo quia erat prohibita, & erat maledictus in lege Moyfi homo, qui non reliquerit semen in Israel. Quicumque igitur sub lege Moyfi, tunc viuens si volebat contemplationi vacare rerum diuinarum & a commixtione carnali ad filios procreandos vacare, liberisque, careret sollicitudinibus erga illos & vxores; tenebatur specialem hunc instinctum expectare & sine illo licite nequibat a matrimonio ad multiplicandum populum tunc precepto; abstinere in lege tamen euangelica in qua Religiosi solemniter professi, qui nequeunt matrimonium contrahere, ex vi voti castitatis nequeunt illud contrahere dicentes se habere instinctum diuinum ad hoc, quia cum sit ad libidinem explendam non diuinus, sed diabolicus est censendus & iudicandus.

14 Sed cur dicat & bene Abulensis, quod † ante Dominam nostram nulla feminarum in veteri lege, siue cum voto; siue sine voto obseruauit virginitatem, sed omnes accipiebant viros, quod secus est de viris, quorum multos ex Patribus nominauimus, siue voto, siue sine voto (quod incertum est) Respondetur primo, quia hoc erat reseruatum Virgini Matri Dei, quae ut mihi est indubi-

tatum, nulla ante ipsam virginitatem seruauit in lege veteri ex motiuo honestatis huius virtutis. Respondetur secundo, quia non ita necessarij erant viri multi, ad multiplicandum populum Dei, sicut erant multae mulieres, quia fuit dispensatum, quod vnus vir multas haberet vxores in quibus plures conciperet filios, & tamen non fuit dispensatum, quod vna mulier plures haberet viros, quia impediretur multiplicatio, quare stante hac dispensatione Deus inspirabat viris aliquibus, ut abstinerent a concubitu carnali, non tamen foeminis vsque ad B. Virginem, & eius sponsum S. Iosephum, id autem, quod quidam dicunt † Mariam sororem Moyfi virginitatem coluisse falsum est, constat enim ex Iosepho lib. 3. antiquitatum cap. 2. vbi Mariae huic Vronem maritum designat, qui simul cum Aaron manus Moyfi Dominum deprecantis indefinenter sustinebant, dum alij pugnabant contra Amalecitas: Iosepho autem maior fides est adhibenda, quam alijs.

15 Secundum, quod dicunt Vasquez & Medoza quos sequitur Legionens. lib. 1. de matr. cap. 19. num. 8. † votum virginitatis emissum a Domina nostra fuisse absolutum non conditionale non statim obligaret, sed posita conditione antequam, manet voti obligatio suspensa; at votum B. V. statim coepit obligare, quia de re licita & honesta etiam tunc temporis, sed Magister sententiarum dist. 30. cap. 2. D. Th. ibi q. 2. art. 1. questunc. 2. ad 1. & 2. adfirmant votum B. V. fuisse conditionale, quod etiam tenet Gratianus cap. Beata Maria 17 quest. 2. quod caput, ut docent Correctores decreti compactum est ex varijs locis S. August. & Petrus Lombardus vti S. Doctoris sententiam, eam docet.

16 Ego vero dico quod † fuit hoc votum & absolutum, & conditionale, utrumque hoc modo explico. Fuit absolutum & statim obligauit B. Virginem ad illius obseruantiam quatenus erat de re licita & secundum se honesta, quamuis, ut ait Aug. lib. 1. de nuptiis & concup. cap. 13. Propagatio filiorum, quae in sanctis Patribus propter generandum & conseruandum populum Dei officiosissima fuit, nunc iam non habet illam necessitatem, patet enim ex omnibus gentibus spiritaliter gignendorum, vnde cumque carnaliter nati fuerint copia filiorum, & quod scriptum est tempus amplectendi, & tempus continendi ab amplexu; per illud atque hoc tempus fuisse distributum, illud quippe fuit amplectendi, hoc autem continendi ad amplexu. Ex quibus Aug. verbis clare constat, quod quamuis virginitas secundum se honesta sit, & licita, tamen in populo Hebraeorum inhibita erat, quia † propagatio filiorum tunc officiosissima erat & necessaria ex vi legis, ut populus Dei & generaretur, & conseruaretur

tur, vnde erat tempus amplectendi, & sic vt virginitas amplecteretur, vel cum voto, vel sine voto fuit necessarius specialis instinctus diuinus, quo quis certo sciret se liberum esse à lege de propagatione, quem instinctum B. V. habuisse ex dictis constat, ex cuius fecit votum virginitatis, quamuis non esset certa de fine ad quem Deus ordinabat, quod ipsa vouerit virginitatem, quousque salutata fuit ab Angelo, tunc enim reuelatum est illi mysterium Incarnationis, & certificata, quod à viro non esset cognoscenda, imo vt ait D. Tho. *in sol. ad 2. B. V. antequam contraheret cum Iosepho fuit certificata diuinitus, quod Ioseph in simili proposito erat, & ideo non se commisit periculo nubens.* Ex quibus liquido constat, quod votum factum à B. V. fuit absolutum, obligationem inducens independentem ab aliqua conditione à virgine posita, eo ipso quod ablatum est diuina dispensatione impedimentum legis de vacando filiorum procreationi.

Et in hoc sensu intelligēdi sūt PP. absolute  
19 docentes † B. V. & fecisse votum virginitatis & fuisse primam, quæ illud fecit. Ambr. *lib. de instit. virg. c. 5.* Hier. *epist. 22. quæ est 2. ad Eusto.* Abdias Babyl. *in vita B. Barth.* (qui et si Apocryphus ab aliquibus censeatur, ita est, quatenus non est Canonicus liber, at veram Historiam continet, vt enim bene Franciscus de Biuar *in commentariis ad Marcum Maximum in Apologetico pro Flauio Dextro §. 2.* non omnis liber qui Apocryphus dicitur *cap. sancta Romana 15. dist.* autoritate caret, & omnes qui Apocryphi sunt, nō gaudent autoritate infallibili, id quod etiam adnotauit antea doctissimus Couarr. *in adnotationibus ad præfatum cap. sancta Romana,* quod debuit aduertere doctus Apologista pro historia Eliæ) Bernardus *homil. 2. super missus est.* Rupertus *lib. 3. in Cantica aliquantum ante finem.* Beda *ad cap. 2. Luca.* Ludolphus Carthusianus *1. p. vitæ Christi cap. 2.* Origenes *in cap. 13. Matth. & alij.*

20 † Secunda nostræ sententiæ pars est, quod votum virginitatis emissum à Domina nostra fuit conditionale, quod latè probauit *tom. 5. resol. 54. §. 4.* conditionem tamen dupliciter explicuit D. Tho. primo modo, *si Deo placuerit,* secundo modo, *nisi Deus aliter ordinauerit, aut iusserit,* quæ conditiones votum faciunt conditionale non respectu vouentis, vt falso intelligunt Legionensis & Vasquez, vtique ex parte vouentis Virginitatis absolutum fuit, vt probauimus, nō enim B. V. posuit hanc conditionem tanquam suspensiuam ex parte sua voti obligationem. Iam enim sibi constabat & certificata erat, quod Deo placebat votum & quod ordinabat, quod emitteretur, siquidem ex diuino instinctu agnoscebat Virgo se dispensatam

esse à communi lege de propagando populo Dei eoque cōseruando libere à procreatione per carnalem copulā, fuit itaque hoc altissimum & singulare votum conditionale, quia non firmum absolute & simpliciter, quia simplex eius cōseruatio pendet à voluntate Dei Legislatoris legis veteris, qui potuit illud irritare, vt sibi placuerit, sed antequam irritet votum obligat, & absolutum est, et si non omnino firmum.

Quæ doctrina, vt intelligatur notanda  
est alia D. Tho. *2. 2. quæst. 88. art. 8. ad 4.* vbi ait, *quod licet votum eorum, qui sunt alterius potestati subditi, non sit firmum sine consensu eorum quibus subiiciuntur, non tamen peccant vouendo, quia in eorum voto intelligitur debita conditio scilicet, si suis superioribus placuerit, vel non renitentur, & art. 9. ad 2.* ait, *quod vota eorum, qui sunt in potestate aliorum habent conditionem implicitam, scilicet si non reuocentur à superiore ex qua licita redduntur & valida, si conditio extat, vt dictum est art. 8. in corp.* tamen dicit, *quod potest quantum in ipso est se obligare, sed votum eius potest irritari per eos quorum cura manet subiectus,* quam doctrinam manifestat in votis religiosorum, quæ valida sunt & obligant quousque reuocentur à superiore, quam conditio. im ex vi subiectionis suæ habent implicitam, quæ non suspendit obligationem voti, sed ipsam facit infirmam, quia eo ipso quod superiori non placet, aut iste renititur votum euanescit, tamen si non renitatur eius obligatio exerit vires suas, & ligat vouentem quousque reuocetur à superiore, cui est subiectus vouens.

Secundo notanda est profunda doctrina  
Caiet. *art. 8. cit. §. in responsione ad tertium & §. ad primum, qui loquens de voto Religiosorum,* vbi dicit, *cum omne votum habeat pro materia operationes ipsius religiosi, constans est, vt religiosus non sit Dominus materia voto promittendæ, operationes autem religiosi, quoad duo possunt subiecti prælati. Primo quoad exercitationem, quia scilicet Prælati potest illas, vel earum omissiones præcipere exequendas à subdito, vt sunt ire ad chorum, seruire infirmis, secundo quoad qualitatem operationis, quia scilicet prælati potest de operatione illicita facere licitam dispensando, vt comedere bis feria sexta, loqui tempore silentij, quæ sunt operationes secundum regulam illicitæ, quas tamen secundum regulam potest, quum ei videbitur prælati dispensando facere licitas huic suo subdito, & infra opera illicita ex regula, quæ prælati potest facere licita suo subdito dispensando, constat, quod subditi prælati quoad qualitatem, quia potest secundum regulam de illicitis facere licita, &c.* ex quibus egregiè enucleat D. S. doctrinam ibi *in solutione ad tertium,* qui ex eo dicit, quod nullum votum religiosi est firmum, nisi

nisi consensu prælati, quia religiosus subditus est prælato quantum ad suas operationes secundum professionem regulæ, consensus autem iste non est nisi quod non renitatur quum sciat votum, vel quod ipsum non reuocet aut irritet, quare ex natura subiectionis ad alium sequitur, quod votum factum à subdito habeat hanc conditionem implicitam quousque Superior non reuocat votum tenet, imo etiamsi dispensatione materia voti quæ alias illicita ob humanam prohibitionem, est facta licita semper est imbibita conditio, si superior perseuerauerit in dispensatione.

Ex quibus solidissimis principiis, & doctrinis plura non iniocunda colligere licebit.

- 24 Primum, quod † Beatæ Virginis votum de virginitate seruanda perpetuo, cum tunc temporis fuit emisum fuit materia voti tunc licita non omni populo, sed virgini præordinatæ à Deo vt esset virgo, & mater ipsius, quia Deus cum ipsa in hoc præcepto legis vt vacaret amplexibus, ad populū Dei multiplicandum speciali instinctu dispensauit. Vnde votum fuit de re licita B. Virginis, quāuis esset illicita, quia prohibita lege veteri, & secundum illam legem prohibita in qua dispensauit Dominæ Nostræ Deus vt legislator illius.
- 25 Secundum, quod votum B. V. fuit absolutum, quia B. V. non posuit aliquam conditionem ex parte sua, quæ suspenderet vires voti ad obligandum, fuit tamen in illo voto implicita conditio, si Deo placuerit, si non renitatur, si non reuocetur à suo superiore scilicet Deo, & ratione illius conditionis imbibitæ conditionale dicitur, quia quāuis quantum ad fieri nulla sit posita à vouente conditio, tamen quantum ad conseruari dependet à voluntate Superioris cui subdita erat Beatæ Virginis scilicet Deo, vt supra dicebamus de subdito religioso ex
- 26 D. Thom. & D. Caiet. Hoc explico exemplo Prophetiæ, quæ dicitur comminationis, & vt ait D. Thom. 2. 2. *quæst.* 174. *art.* 1. & *quæst.* 12. *de verit.* *art.* 10. respicit veritatem Prophetiæ secundum ordinem, & inclinationem causarum secundarum, quæ prophetica cognitio absoluta est, vt respicit causas secundas, at vt respicit authorem prophetiæ scilicet Deum non est absoluta, sed conditionalis, scilicet si alia non superueniant quæ ordinem illum immutent & impediant, ne executioni mandetur, vt explicat S. D. *quæst.* 171. *art.* ult. *ad* 2. Vnde semper intelligitur conditio, nisi Deus aliter disposuerit ordinem causarum secundarum ad suos effectus.
- 27 Ita pariter philosophandum est de voto B. V. quod secundum quod à Virgine emisum, est vtique absolutum, est enim lex

quædam quam sibi B. V. imposuit de seruanda perpetua virginitate, quæ lex ipsam obligabat vt respicit causam secundam vouentem, tamē cum hæc lex sit lata à persona subdita alteri, semper habet imbibitam conditionem, nisi Superior *aliter disposuerit*, vel si Superiori *placuerit*, & ob hanc conditionem dicitur votum virginis conditionale idest non omnino firmum, sicut dicitur votum factum à Religioso professo. Itaque dicitur conditionale non ex parte vouentis, qui quantum est ex parte sua nullam conditionem suspensiuam obligationis posuit, sed dicitur conditionale ex natura ipsius voti, quod ex vi subordinationis vouentis ad aliū hanc sibi vendicat essentialē conditionē, vnde qui vouit implicite necessario hanc vult conditionem, nec voluntarie illam apponit, imo si apponeret nihil amplius operaretur nec faceret votū conditionale quod suspenderet eius obligationem, nisi ex speciali motiuo voueret apponendo, quod superior expresse consentiat voto suo, tunc enim votum non obligaret nisi posito expresse consensu superioris, & esset votum conditionale ex parte vouentis, quale non fuit votum B. V. & sui sponsi Iosephi, sed supposita dispensatione legis de propagando populū per commixtionem, votum fuit absolutum ex parte ipsorum, & conditionale ex parte subiectionis ad alium: quam doctrinam valde commendo, quam noluit Vasquez attendere.

Tertium, quo respondetur titulo, difficultatis colligitur ex D. Thom. *in* 4. *dist.* 30. *q.* 2. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 1. & 2. qualiter † etiam si B. V. votum virginitatis emisit, nihilominus licite contraxit matrimonium. Quia scilicet non fuit solemne, sed simplex *in corde expressum non absolutum*, sed sub conditione, & ideo potuit sine peccato ex speciali Spiritus sancti cōsilio, cuius dispositio in suo voto conditionaliter cadebat in matrimonium consentire, quia B. V. antequam contraheret, cum Iosepho fuit certificata diuinitus, quod Ioseph. in simili proposito erat, & ideo non se commisit periculo nubens.

Quam doctrinam sic mirifice enucleat Doctissimus Abulensis *ubi supra* † *quæst.* 32. sic loquens, *Modus voti & matrimonij B. V. sic fuit quod ipsa à parua atate cum peruenit ad annos discretionis à Deo multum illuminata vouit virginitatem obseruare, & tunc nihil suspicabatur de contrahendo matrimonio, sed vouit quia Deus inclinabat eam ad vouendum, expediebat enim quod in Genetrice Dei esset perfectio voti virginatis quæ est valde magna cum secundum Anselmum in virgine debuit esse tanta perfectio, vt maior ea sub Deo reperiri non posset. Non tamen est intelligendum quod tum B. V. cognosceret mysterium incarnationis quod*

in ea celebrandum erat, nam postquam desponsata fuit, & votum virginittatis emisit, reuelatum est ei hoc, ut patet Luc. cap. 1. imo quando Angelus reuelauit, ei quod esset conceptura quasi arbitrans hoc repugnare voto virginittatis ait, quomodo fiet istud quoniam virum non agnosco?

- 30 Et infrà tale fuit votum virginis ( scilicet simplex. ) Poterat enim simpliciter emitti, ita ut Domina nostra voueret, quod nequaquam unquam cognosceret virum, & in tali voto emisso si aliquis matrimonium contrahat tenet matrimonium, sed peccat contrahendo, Domina autem nostra non peccauit contrahendo, ideo votum suum non fuit absolutè de seruanda Virginittate scilicet, quod voueret nunquam cognoscere virum, sed fuit cum conditione scilicet nisi Deus aliter de ea disponere vellet, & tunc stat matrimonium, & votum de Virginittate, quia si esset votum absolutè peccaret contrahendo, & quia Deus postea de ipsa ordinauit aliter scilicet significando, quod acciperet, non facit contra votum Virginittatis.
- 31 Item non erat istud votum contra matrimonium, neque è contrario; quia quum Domina nostra accepit Ioseph in virum, non consensit expressè in copulam carnalem, ita ut proponeret debitum exigere, & reddere, & hoc, quia intelligebat, quod Deus de ea aliter ordinaret, & nunquam à viro cognoscenda esset, pro qua dicit S. Thom. in 4. dist. 30, quod Domina nostra prius certificata fuit de conditione Ioseph, quam acciperet eum in virum scilicet, quod sicut ipsa vouerat virginittatem. Ita quesuit ab ipso, an ipse vellet in proposito virginittatis, vel saltem in continentia perpetua, & tunc accepit eum in virum cognito, quod etiam Ioseph hoc vellet, si autem nolisset manere in continentia non consensisset in eum tanquam virum, quod aliquatiter colligitur ex verbis eius ad Angelum Luc. c. 1. Quomodo fiet istud, quia virum non agnosco? id est proposui non cognoscere, & tamen iam acceperat sponsum, nam ibidem dicitur, quod missus est Angelus Gabriel ad Virginem desponsatam viro: quæ tamen desponsata est intendit cognosci à viro, siue exigendo, siue reddendo debitum, ipsa tamen intelligebat, quod nunquam cognoscenda erat, ergo iam certificata erat à viro, quod ipse vellet manere in continentia perpetua, & hoc modo apparet, quod Domina nostra non se subiecit alicui periculo virginittatis, quod timeri deberet nisi certificata esset de viro. Hactenus ibi satis cordatè & prudenter ad nodum hunc extricandum. Neque enim in his mysteriis enodandis discursus extendendus ad possibilitatem, quæ amplissima est, sed prudentiæ dictamine coercendus & reprimendus, vnde Doct. subtilis Scotus in 4. dist. 30. q. 3. dixit † credendum est, quod sicut Deus locutus per Angelum Iosepho in somnis dicens illi, nolui timere accipere Mariam coniugem tuam:

Ita etiam dixisse creditur B. V. nolui timere accipere Iosephum coniugem tuum, & propterea nubere potuerunt sine peccato, & detrimento communis voti virginittatis, &c.

Quartum est decisio cuiusdam difficultatis, quam apud nullum præpositam nedum decisam vidi † an votum emissum B. V. de virginittate perpetua seruanda haberet conditionem imbibitam nisi à parentibus suis reuocaretur & irritaretur, antequam annos pubertatis impleret, vel postea si ipsum non renouarit transacta pubertate. Abulensis ubi supra quest. 22. difficultatem tractat de puella Hebræa in veteri lege si virginittatem voueret, cui quæstioni sic respondet. In veteri testamento nullum votum erat validum in filiis patre contradicente, dum essent in illius potestate, ideo distinguendum est quod cum puella sic emitterent votum virginittatis, aut pater sciebat aut non, si autem nescirent tenebantur puella semper obseruare votum quo vsque Patres scirent, & repugnarent, et si contrairent habebantur tanquam violatrices votorum, si autem pater cognouisset votum, aut repugnabat, aut non, si non repugnabat, tenebatur puella obseruare votum, & erat iam simpliciter validum, nec poterat pater postea contraire, si autem pater sciens repugnasset non obligabatur puella ad votum, sed iam cuiusque licite nuberet. Poterat tamen puella obseruare votum si vellet, quia quamquam non obligaretur ex voto ad hanc obseruationem, quia tamen pater non poterat eam inuitam matrimonio copulare obseruaret virginittatem, semper enim matrimonia libera fuerunt, & hoc modo indirecte puella poterat, vouere virginittatem non frangendo votum, quia licet pater posset votum eius infringere non tamen poterat impedire obseruationem vel impellere ad contrarium actum. Hæc Abulensis.

Sed enim veto doctrina ista Abulensis supponit, quod † in lege veteri non esset prohibita virginittas ad finem multiplicandi populum Dei ob quem etiam dispensatum est in præcepto naturali de monogamia, & concessa polygamia, quamuis illa honestior & sanctior sit, & sic etsi virginittas excellentior sit quam matrimonium, tamen illa prohibita, istud præceptum fuit ob præfatum finem, non ergo virginittas sine speciali instinctu diuino, quo dispensabatur implicite in lege, licita erat, & sic communiter non erat materia voti, sicut est in lege Euangelica, in qua etiam polygamia est prohibita.

Verum etiam si demus quod licitum esset, cuiuslibet vouere virginittatem perpetuam, ut vult Baronius in apparatu, & alij huius temporis scriptores (an cum D. Aug. & aliis innumeris ex antiquis ipsi viderint) dato inquam hoc, & à me nunquam concedendo,

do, doctrina Abulensis aliqua continet parum veritati conformia. Primum, quia quāuis pater sciret votum puellæ, & non contradiceret pro tunc, imo etiam si positue consentiret, & licentiam daret vouendi, adhuc ante transactam pubertatem poterat votum irritare, quia per licentiam non abiecit patriam potestatem, & ita in vi illius valida erit irritatio, sicut si Religiosus fecerit votum cum licentia Superioris, iste tamen decursu temporis potest illud irritare, vt tenet communis sententia. Secundum, quia patre contradicente, & irritante votum, puella etsi possit virgo permanere quia ipsa nollet matrimonium contrahere, tamen nec indirecte tunc voueret virginitatem cum si nuberet non esset rea voti, alias omnes qui virginitatem ex voluntate libera obseruant, eam indirecte vouerent.

37 Igitur ad difficultatem dico † quod votum virginittatis emissum à Domina nostra ex natura rei, quando illud emisit, habebat conditionem, nisi à parentibus irritaretur, quia illi, qui alteri subsunt semper quod vouent habent implicitam conditionem nisi à Superiore reuocetur votum. Pater autem Virginis, ex patria potestate habebat ius, ad quodlibet votum reuocandum, sicut in lege Euangelica potest pater reuocare simile votum aut Religionis à filiis impuberibus emissum, non enim constat, quod hoc ius fuerit ablatum à patre Virginis, quæ quamuis plenissimum habuerit rationis vsum, & votum factum fuerit ex instinctu diuino, semper fuit subiecta patriæ potestati, & sic respectu illius nunquam fuit firmum votum, nisi accedente patris consensu, vt docet D. Th. 2. 2. q. 88. art. 8. ad 3. verum est quod de facto nunquam pater eius illud irritaret, imo si illi constaret factum ex diuino instinctu, nequiret illud irritare, quia se opponeret diuinæ voluntati sic disponenti ob altissimum finem.

Quintum est decisio illius alterius dubij, quando B. Virgo hoc altissimum votum emisit; de hac difficultate conuenit inter auctores, quod † emisit ante conceptionem verbi, quia ad Virginem desponsatam viro mittitur Angelus, & optime probant patres ex illis verbis ad Angelum. *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?* Ita Aug. lib. de Sancta Virg. cap. 4. Nissenus orat. de Christi Natiuit. & late ostendunt Baronius tom. 1. annal. pag. mihi. 19. litt. D. Stapletonius in promptuario super Euang. 2. p. ser. de Ann. vbi adducit Bernardum serm. de septem verbis Mariæ & hom. 4. super missus est. D. Thom. 3. p. q. 28. art. 4. ad 1.

39 Certum etiam est quod B. Virgo antequam desponsaretur cum Ioseph emisit votum virginittatis, hoc est ita certum vt contra-

rium plane sit improbabile, & temerarium, vtpote in re grauissima contra omnes fere. Ita Aug. & Nissenus vbi supra D. Hieron. in lib. de ortu B. V. Bernard. homil. 4. super missus est. Anselmus lib. de excellent. Virg. Beda ad c. 1. Luc. Albertus Magnus l. de laudibus V. Rupertus lib. 3. in cant. Hugo Victorin. vbi supra Scotus in 4. dist. 30. q. 2. & multi alij quos referunt & citant Christophorus de Castro in Histor. Deip. cap. 3. Suarez tom. 2. disp. 6. sect. 2. Salmeron tom. 3. tract. 7. ad cap. 1. Luca.

Vnde Abulensis vbi sup. q. 34. inquit, an teneri possit quod † virgo vouerit post desponsationem. Respondet quod non conuenienter dicitur Dominam nostram vouisse virginittatem post desponsationem, quia tunc necesse erat dici, quod aliquo tempore illam habuisse intentionem experiendi actum venereum siue exigendo, siue reddendo debitum, quia illa quæ matrimonium contrahit si non habet aliquod impedimentum intendit vacare actui coniugali, sed hoc non est concedendum de Virgine, nam licet non esset peccatum quod ipsa à principio accepisset virum ad gignendum, quia non erat contra legem erat tamen imperfectio quadam cum status virginittatis sit perfectior. De Domina nostra non solum peccata, sed etiam imperfectiones aliquas in moralibus nefas. Dicendum igitur quod Domina Nostra ante desponsationem virginittatem vouerit. hæc ibi, quæ iuncta his, quæ in superioribus diximus rem manifeste ostendunt, & legendus est Legionensis lib. 1. cap. 19. n. 5. qui n. 7. dicit † quo autem tempore virginittatem vouerit B. Virgo incertum est, illud mihi verosimilius vouisse scilicet quando matura de eo præcessit cogitatio, dumque adhuc in templo degeret Deo inspirante vt cum statum eligeret, suumque votum postea parte fecisse Sacerdotibus, de quo videndus est Baronius in apparatu annalium. Hæc ille, an vero S. Ioseph virginittatem vouerit ante desponsationem cum B. V. adfirmat Morales l. 2. tr. 6. à n. 13. sed certius est, quod post desponsationem. Ita Albert. Magn. super missus est cap. 38. & S. Bernardin. Senen. sermon. de S. Ioseph. cap. 1. Abulens. ad cap. 1. Matth. q. 30. D. Th. 3. p. q. 28. art. 4. ad 3. Canisius l. 2. de B. V. c. 13. vbi alios refert.

Superest ergo dubium † an in instanti conceptionis, supposito quod in illo fuerit ab originali peccato præseruata diuinitus, & in vtero matris existens, virginittatem vouerit, voto explicito adfirmat Moral. vbi sup. n. 12. & probabile reputat Barrad. to. 2. in Euāg. l. 6. c. 3. idem potest elici ex sententia quorundam asserentiū B. Virginē in instanti suæ conceptionis diuinā vidisse essentiā clare, & intuitiue nō secus, ac Moyse in monte, & Paul. in raptu, in quo vidit arcana verba & mysteria occulta aliis viatoribus, & ecce plusquam Paulus, & Moyse B. Virginem cui reuelatam fuisse in primo instanti in

quo vidit diuinam essentiam, quam excellēs fuerit virginitas, & quam acceptum votum de illa Deo, quare cū in primo instanti habuerit rationis vsum, Dei Maiestātē, pulchritudinē & puritatem cōtēplans, flagrās ardentissimo amore tantæ bonitatis, & puritatis, eum sibi vnicum elegit sponsū perpetuæque virginitatis votum nuncupauit.

Et ad minus, quod in vtero existens Virgo statim, ac sanctificata est votum emisit perpetuæ virginitatis, docent grauissimi viri, quorum sententiā refert & approbat Iacobus de Valētia Episcopus Christopolitanus ad illa verba Cantici B. V. *Fecit mihi magna qui potens est*, explicans tertiam dignitatem B. V. sic enim loquitur, *dicunt quidam viri contemplatiui, quod Virgo Maria in sua prima sanctificatione consecuta est hanc gratiam simul cum ceteris, & illico incepit vti libero arbitrio, & mereri, & hoc primo probant per rationē iam dictam, quia debuit excedere Ioannem Baptistam, & omnes alios in tali gratia. Secundo per nullum tempus debuit cessare ab actu merendi in vigilia. Et ideo dicunt isti quod Virgo Maria illico post sanctificationem fecit votum perpetuæ virginitatis, quod postea per successionem temporis ostendit, cum autem iuxta opinionem primam fuerit sancta in primo instanti conceptionis, in illo habuit plenum rationis vsum.*

43 Et quidem, quod † in vtero habuerit plenissimum rationis vsum testatur S. Bernardinus Senensis tom. 1. *serm. 61. artic. 3. cap. 7.* & tom. 2. *serm. 5 1. cap. 2.* his verbis, *Virgo etiam dum erat in vtero matris habuit vsum liberi arbitrii, & lumen perfectum in intellectu, & ratione, & ad tantam contemplationem sublimata est, vt etiam in vtero matris perfectius quam vnquam fuit contemplatus aliquis in perfecta etate, magisque in contemplatione Dei excessit dormiendo, quam aliquis alius vigilando, sicut ipsa Cant. 5. versic. .... testatur, ego dormio & cor meum vigilat. Idem sentit Dionys. Carthus. de laudibus Virg. art. 12. & Iacobus de Valentia vbi supra, sic arguit, si Ioannes in vtero matris existens Christum cognouit, & exultauit usu rationis miraculose præuentus, cur non amantissima Dei mater, quæ à nullo illustrium vincitur, imo superat vniuersos, credatur ante solitum tempus usu rationis frequenter præuenta, &c.*

Quæstio ista cum sit purè de facto, quum scilicet B. V. votum fecit virginitatis nihilque de tempore in quo præcisè factū fuerit Patres dicāt, aut ex sacra pagina colligatur, neque enim quis prudenter iudicare debet, quod in vtero existens quū sanctificata fuit siue in primo suæ conceptionis instanti, vt vult communis hodierna pia opinio, siue in secundo instanti, vt vult opinio D. Th. quæ suo tempore fuit communis, etiam emisit virginitatis votum, & quid hæc afferē-

re nos cogit? neque enim omne quod secundum se melius est Virgini tribuendum, in omni instanti vsus rationis, alias votum non peccandi, in primo instanti fecisset, & multa alia tunc fecisset, quæ affirmare non dicit prudentia, etsi deuotio excitet, hæc enim temperanda est discretione.

Quare † existimo B. V. tunc emisisse votum perpetuæ virginitatis, quando matura de eo præcessit cogitatio, & consultatio, dum adhuc in templo degeret Deo inspirante, vt eum statum eligeret, quod reuelauit Angelus B. Amadæo Seraphico in rapt. 4. qui habetur in Biblioth. Mariana tom. 1. pagin. mihi 679. c.olum. 1. ad stipulatur Baronius tom. 1. *annal. in Apparatu pag. mihi 30.* asserēs B. V. parentibus scientibus & consentientibus votum virginitatis nuncupasse, quare non in vtero & suæ conceptionis primo instanti, sed ante parentum obitum illud emisit, imo non improbabiler quis dicere potest B. V. dum triennis consentiens suis parētibus in templo est præsentata, votum ipsis consentientibus emisisse virginitatis † Nissenus enim 45 & Damas. ille *hom. de Natiuit. Christi*, & iste *lib. 4. de fide cap. 15.* & alij Patres id affirmāt, vnde S. Anton. 1. *p. historial. tit. 1. cap. 6. §. 10.* Dionysius Carthus. 1. *p. vita Christi §. 2.* dicūt quod Virgini trienni dū præsentata in tēplo quindecim ascendit gradus sine iuuamine alterius nihil illi tunc de fuisse ad perfectam ætatē, & iam tunc ascendisse mēte ad quindecim gradus perfectionis in quindecim Psalmis graduum significatos. Vnde vir doctissimus Ludolph. de Saxonia 1. *p. vita Christi cap. 2. post medium* ait, *gloriosa Virgo Maria cum trium esset annorum portabatur ad templū & à parentibus in templo oblata intra septa tēpli, cum aliis virginibus collocata, vt litteras disceret & Domino seruiret, ibidemque vsque ad annū 14. permansit, & infra, ipsa etiam prima omnium de seruanda virginitate, nisi Deus aliter ordinaret votum vouit, quod nulla ab initio seculi ex quo hic factus est mundus Deo obulit, &c.* in hoc ergo tempore congruentius dicitur emisisse votum virginitatis, præfigurans virginum choros, quæ dum in domo Dei profitentur votum simile emittunt.

Et quidem, quod B. Virgo in vtero matris, ne dum in instanti suæ conceptionis tale virginitatis votum non emisit, mihi verosimilius, rationi congruentius, & dictamini prudentiæ aptius mihi videtur, ita vt oppositum ex deuotione, at non secundum scientiam, dimanare, putem, quod hoc discursu ostendo, quia si in primo instanti Conceptionis B. V. emisit votum virginitatis illi pro illo instanti acceleratus est rationis vsus, ita vt perfectè deliberare posset, nam votum sine vsu perfectō rationis & delibe

deliberatione, quæ sufficiat ad mortale non subsistit, atqui in illa ætate, vsus rationis datur, aut per modum prophetiæ reuelationis transeuntis, vt multi Sancti dicunt, de B. Ioanne Baptista, aut quia permanenter datur, ita vt B. Virgo ab instanti suæ cōceptionis, vel in vtero materno post sanctificationem habuerit semper perfectum rationis vsū, & deliberationem circa quancumque materiam, vt probabile † putat Suarez 3. p. to. 2. q. 27. disp. 4. sect. 7. conclus. 4. sed neutro ex his modis datus est vsus rationis B. V. in primo instanti, aut in vtero matris, vt votum emitteret virginittatis, non primo scilicet per modum reuelationis sicut datus est Præcursori, quia etsi, vt optimè Christopholitanus arguat, quod si Præcursori data est reuelatio, vt Christum agnosceret, & agnoscens exultaret in vtero, tamen, etsi virginittatem vovuit, vt tenet communis Patrum sententia, tamen votum hoc non emisit in vtero matris, nec ad hoc deserviebat reuelatio prophetica, ita etiam B. V. in vtero matris suæ facta est prophetica reuelatio ad Deum cognoscendum ipsumque amandum, etsi vis ad seipsam disponendam ad sanctificationem, tamen non ad faciendum votum explicitum virginittatis, transacta autem ista prophetica reuelatio tam Præcursor, quam B. Virg. manserunt in vtero sicut cæteri pueri.

Vnde in illis non permansit permanenter vsus rationis ad alia opera facienda virtutum, & illarum incrementum in vtero † quod mihi prudenter est indubitatum, quia si ita est quod B. Virg. ab instanti suæ conceptionis, vel in vtero existens liberam habuit potestatem ad vsum rationis, ex duobus vnum dicendum est, quæ sine miraculo non existunt in viatoribus, primum B. V. à præfato instanti intelligere sine conversione ad phantasmata, per species per se infusas sicut habuit Christus Dominus, quod sine ingenti miraculo non fit, nam istæ species per se infusæ ordinis supernaturalis sine miraculo non infunduntur viatoribus, aut asserendum est secundum videlicet Deum confortasse sensus B. V. quorum organa debilissima erant, vt perfectè possent rationi cooperari, vtrumque autem, etsi possibile sit, tamen quod de facto ita cōtingeret cum necessario deberet interuenire miraculum, nullus Patrum adseuerat, nec vrgens ratio cogit ad id ponendum.

Quare assentior Patri Suarez *vbi supra*, dicenti † *certè saltim ex eo tempore, quo B. V. fuit in templo præsentata* (ipsa consentiente vt supra dedi) *non videtur dubitandum, quin facultatem habuerit perfectè intelligendi, ac diuina mysteria contemplandi. Hoc enim munus*

*semper in templo exercuisse Patres omnes docēt, nec enim ob alium finem, illic oblata est, vt litteras disceret sicut ex Landulpho tradebam vtrumque sine vsu rationis perfici nequibat, & quamuis id nequiret facere & ratione vti absque speciali gratia & privilegio illi tenerrimæ ætati, tamen hæc specialis gratia & privilegium, etsi vires ordinarias naturæ excedat & providentiam ordinariā, non tamen est necessarium nouum miraculū, quia ex vi constitutionis & perfectissimi temperamenti Virginis, quæ destinata erat mater Dei sensus virginei in illa triēni ætate consolidati sunt & firmi, vt phantasmata mitterent intellectui agenti subserviētia, vt B. V. in illis cōtemplationis & lectionis exercitiis cum conversione ad phantasmata intelligeret, nisi fortè in altissima vnionis cōtemplatione, qua anima veluti substantialiter Deo vnitur (de qua F. Tho. à Iesu de oratione infusa latè & docte edisserit & F. Didacus à Iesu eiusdē familiæ vir doctissimus in adnotationibus ad noctē obscurā B. Ioannis de la Crux) quæ satis peruia erat Virgini Mariæ dum erat in templo, in hac enim oratione Deus dispensat in conversione ad phantasmata, vt alibi dixi. Igitur in hoc ætatis anno tertio satis piū reor B. V. emisisse votum virginittatis, non in vtero materno existens.*

Ex quo colligo S. Doctor. magna prudentia dixisse 3. p. quest. 27. art. 3. *in corpor. dixisse B. V. non habuit vsum liberi arbitrij adhuc in vtero matris existens; hoc enim est speciale privilegium Christi. Quæ verba sic altè interpretatur D. Caiet. ibi §. circa primum, scito, quod dupliciter contigit haberi vsum liberi arbitrij in vtero. Primo ab initio conceptionis, seu infusionis anime, & deinceps semper & hoc est privilegium Christi, & hoc negatur cuiusque alteri concessum. Secundo ex speciali gratia ad speciale actum, vt de Ioanne Baptista potest credi cū exultauit gaudio infans in vtero. Gaudere est appetitiue partis, & gaudere de spiritualibus motus est appetitus superioris, qui vocatur voluntas, constat autem Ioannis gaudium non de re sensibili, sed de aduentu Christi fuisse & exultasse in gaudio, verum post actum illū Ioannes sanctus perseueravit, licet non cum vsu liberi arbitrij, sicut & miraculosè quādoque legitur præstitus vsus loquendi ad aliquem actum aliquibus infantibus, qui tamē nesciebant propterea postea loqui, sed erant sicut alij infantes, vt patet in gestis Apostolorum Simonis & Iudæ & Faustini, Simplicij & Beatricis. Hactenus ibi, verum † notandum est discrimen inter vsum liberi arbitrij infantibus concessi & vsum loquendi, quod ille semper est à Deo miraculosus & nunquā à dæmone fieri potest, at vsus loquendi, etsi miraculosus aliquando sit, tamen fieri potest*

Dæmonis artificio, quare in laudem Virginitatis sequentia Nazianzeni carmina pono *Carm. 2. de Virginit.*

*Salve virginitas diuino tradita dono  
Mater inoffensa vita, bona maxima fundēs  
Christi pars & spiritibus sociata supernis  
Ignaris thalami, nam magnus cōiugis expers  
Est Deus, atque Dei rutilans chorus omnipotentis.*

Sic & B. Virgo ipsius Dei Mater, expers est thalami etsi conscia coniugalis residentia, Mater inoffensa vitæ, & bona maxima fundens, quod qua ratione fiat iam explico.

## §. IX.

*Qua munia residentiaë Matrimonialis exercuerit S. Ioseph in puerum Iesum, & eius Sanctissimam coniugem?*

## S V M M A R I V M.

1. *Qua munia residentiaë matrimonialis exercuerit S. Ioseph.*
2. *An verum fuerit coniugium inter Iosephum & Mariam, & n. 3.*
4. *An ius adoptionis proueniat ab extrinseco, & libera adoptantis voluntate.*
5. *Iacobi de Valentia sensus assertur.*
6. *An coniugium Ioseph & Mariae ordinabatur, ut Christus ex tali coniugio virginali nasceretur.*
7. *Quid ex præmissis sequatur, & n. 8. vsque ad 13.*
14. *An Iosephus V. Mariae sponsus non fuerit pater Christi legalis lege veteri.*
15. *An Iosephus V. M. verus coniux, iure natura fuerit verus Christi pater.*
16. *D. Thom. sententia assertur, & n. 17.*
18. *Proles non dicitur bonum matrimonij solum in quantum per matrimonium generatur, sed in quantum per matrimonium generatur, & educatur, ex eodem S. Thoma.*
19. *Matrimonium inter B. V. & S. Ioseph fuit verum & proprium matrimonium secundum Euangelium, & Augustini mens adducitur, n. 20.*
21. *Quid, matrimonium ex vi essentiaë suaë dicat, & n. 22.*
23. *An B. Ioseph respectu Christi habuerit, quod proprium est patris.*
24. *Christus, ut bonum matrimonij tanquam proles, an utrumque respiciat & V. M. & S. Ioseph.*
25. *An matrimonium B. V. & S. Iosephi iure natura fuerit indissolubile & inseparabile.*
26. *Matrimonium ex intentione natura ordinatur ad educationem prolis, ex S. Thom.*
27. *Ioseph fuit Christi nutritius ex Patribus.*
28. *An iure natura tenebatur residere cum B. V. S. Ioseph, & illa cum eo indiuise com-*

*manere, & n. 29.*

30. *Ioseph non ad coniugium Mariae erat electus, sed ad ministerium eius eunte illa in Ægyptum & redeunte, ex Ioan. Chrysf.*
31. *B. Ioseph immediate post B. Virginem maiori gratia dono fuit ornatus.*
32. *Dignitas paternitatis Iosephi maior longe fuit quam dignitas Apostolatus, & numer. 33.*
34. *Cancellarij Parisiensis dictamen egregium adducitur, necnon S. Bernardi, & n. 35.*
36. *Vnde colligat augmentum gratiaë S. Doct.*
37. *B. Ioseph Iesum filium suum immediate respiciebat, & ab illo gratiam paternitatis accipiebat, simul cum Virgine gratiam maternitatis.*
38. *Maria & Ioseph sunt due manus Dei per quas dispensat & dat munus gratiaë, ex Morales.*
39. *An in ordine ad nospram intercessionem & gratiaë munus nobis impertiendum, sit subordinatio Iosephi ad Virginem.*
40. *Deus ab aeterno S. Iosephum non solum elegit ex omnibus, sed etiam super omnes preparauit & disposuit, ad tam alta mysteria cognoscenda, & pertractanda, ex Bústos.*
41. *Quid ex Doctrina Iacobi de Valentia veniat colligendum, & n. 5.*
42. *Chrysofomi sensus assertur.*
43. *Authoris iudicium, & n. 44. & 45.*

Non est vulgariter loquendum in resolutione præsentis difficultatis, † sed aliqua sunt singulariter depromenda ex penu singularis deuotionis meæ, erga Sanctissimum Patriarcham Virginis Matris castissimum sponsum, & coniugem (in Collegio enim nostro Complutensi (in quo miris laudibus quotannis magnificè celebratur eius festiuitas) primas litteras me docuerunt insignes Magistri,) ut autem non concionatoricè, sed rigorosè scholarum dirigatur sermo noster ponam Aug. lib. 1. de nupt. & concupisc. cap. 11. vbi ex professo de coniugio Mariae & Iosephi agit, & cur ambo parentes Christi dicantur, sic loquitur. *Neque enim fallaciter ab Angelo dictū est ad Iosephum. Noli timere accipere Mariam coniugem tuam, coniux vocatur ex prima fide desponsationis, quam concubitu non cognouerat, nec fuerat cogniturus, nec perierat, nec mendax manserat coniugis appellatio, vbi nec fuerat, nec futura erat vlla carnalis commixtio. Erat quippe illa Virgo ideo & sanctius & mirabilius iucunda viro suo, quia etiā facūda sine viro, prole dispar, fide cōpar. Propter quod fidele coniugiū parētes Christi vocari ambo mernerūt, & nō solū illa mater, verū etiā ille pater sicut coniux matris eius utrumque mente non carne, siue tamen ille Pater sola mente, siue illa mater & carne parentes tamen ambo*



ambo humilitatis eius non sublimitatis, infirmitatis non diuinitatis, & infra, omne itaque nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi proles fides, sacramentum; prolem cognouimus ipsum Dominum Iesum, fidem quia nullum adulterium, sacramentum, quia nullum dinortium. Hæc ibi quæ repetit, vt se defendat §. Doct. lib. 5. contra Iulianum cap. 11.

Ex qua August. sententia, quæ secundum  
2 Euangelium est, vt ait ipse, quod † verum fuerit coniugium inter Iosephum, & Mariam, & quod ab isto coniugio, non commixtione carnis Christus Iesus, vt vera illius proles processit, consequitur, quod Ioseph non merè pater putatiuus, vt dicebat Iulianus contra quem arguit Aug. nisi quatenus putabatur à populo, quod esset genitus carnis commixtione, vt dicit Euang. Lucas cap. 3. n. 8. quia si Ioseph tantum esset Pater putatiuus Christi, vt optimè arguit Aug. lib. 5. cit. c. 11. & ex ipso Episcopus Christop. super canticum Magnificat. ubi supra in sexta dignitate §. sed nunc restat. nõ saluaretur veritas Euangelij in quo dicit B. V. ad puerum Iesum, ego & Pater tuus, quarebamus te, nam illa popularis opinio omnino falsa erat, cuius falsitatem bene norat B. V. quare dicens absolute, ego & Pater tuus, falsum diceret saltem materialiter, quod valdè indecens est.

Neque solum fuit Ioseph pater adoptiuus Christi, vt optimè etiã idem Christopol. hoc non sufficit ad huius veritatis arcanũ extricandum. Quia quemcunque alienũ poterat  
4 Ioseph adoptare in filiũ † & ius adoptionis omnino prouenit ab extrinseco, & libera adoptatis libertate, vt tenet D. Th. 3. p. q. 23. art. 1. & in 4. dist. 42. q. 2. art. 1. & est cõmunis & certa Iuristarũ sententia ad tit. D. & C. de adopt. est enim adoptio admissio alicuius extranei, qui non est in potestate adoptatis, ad participandũ hæreditatem, siue sit adoptio perfecta, quæ arrogatio dicitur, siue sit imperfecta, quæ cõmuni nomine adoptio dicitur, at Christus cum natus sit ex Maria, quæ verè coniux fuit Ioseph n ex adulterio, sed ex Spiritu sancto non est extraneus Ioseph, rursus cum sit filius naturalis Virginis, quæ sub eius erat potestate, erat etiã sub potestate Ioseph, quia vt dicit Euangelista erat subditus illis, non ergo Ioseph erat dumtaxat pater adoptiuus Christi.

Quare aliter philosophatur satis profudè & ad Aug. mentè Christopolit. Iacobus de  
5 Valentia † sic dicendũ, quod hinc latet aliud maximum sacramentum. Nam manifestũ est, quod Christus natus est ex illo sacro & virginali & inuiolato coniugio absque iniuria ipsius Ioseph & fidei coniugalis, & natus est ex Maria Virgine indiuisa sponsa ipsius Ioseph, quia indiuisibiliter erant duo in carne vna, & in tali conce-

ptu nunquam V. M. fuit diuisa ab ipso Ioseph, sed semper in fide coniugali coniuncta, quia caro coniugalis non dicitur diuisa, nisi per adulteriũ, ergo sequitur quod licet Ioseph non cõcurreret officialiter ad generationem Christi, tamen quia talis conceptio & generatio facta est in eius coniuge ipsi coniugaliter & indiuisibiliter coniuncta absque iniuria fidei coniugalis, ergo Ioseph non fuit expers, ne per aliquem specialem modum esse patrem Christi multo magis & dignius quam adoptiuus, & nutricius. Maxime quia † coniugium Ioseph & Maria ordinabatur, vt Christus ex tali coniugio virginali nasceretur ad deuotandum, quod Christus ex tali virginali & inuiolato & sancto coniugio nascebatur non carnaliter, sed spiritualiter ex spirituali coniugio Ecclesia debet filios regenerare, vt inquit August. & dicit Augustinus, quod illud coniugium ordinabatur ad mysterium Incarnationis, & dicit in libro de bono coniugali, quod omnia bona requisita ad bonum coniugium faciunt in illo sacro coniugio. † Ex quibus sequitur, quod Ioseph aliquo modo singulari & speciali est pater Christi & Christus filius eius, eo quod de eius coniugio. His igitur habitis ponitur pro conclusione, semper tamen salua fide Catholica, quod licet Ioseph non fuerit Pater Christi naturalis, nec carnalis, fuit tamen pater Christi legalis & per consequens Christus fuit filius Ioseph legalis & secundum legem. Hactenus ibi.

Quam opinionem de paternitate legali & sanctissimi Ioseph multis probat, ex veteri testamento, quæ potius allegoriam olent, quam litteram, ad suggestũ enim vtilia sunt & iocunda. Cæterum magis rigorose eam confirmat ex nouo testamento. Sic Christus ex legitimo coniugio & sponsa ipsius Ioseph absque iniuria coniugali fuit conceptus & natus, & ideo ad hũc intellectũ Matthæus scribendo Christi Genealogiã dicit & concludit in fine totius Cathalogi, quod Mathan genuit Ioseph virum  
9 Maria de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus, unde non dicit, quod Ioseph genuit Christũ ad deuotandũ, quod Christus nõ est filius naturalis, nec carnalis ipsius Ioseph, sed dicit, quod Ioseph erat vir, & contux Maria de qua natus est Iesus Christus, ad deuotandum, quod fuit filius secundum legem & filius legalis ipsius Ioseph, postquam erat natus ex indiuisa coniuge sua salua fide coniugali absque omni nota adulterij & peccati, & hac voluit postea confirmare Matthæus, cum subdit generatio Christi sic erat, vt sequitur, nã cum esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph iuncta est in utero habens germen ex Spiritu sancto, & nõ ex Ioseph, nec ex scortonec adulterio, sed ex Spiritu sancto eo modo, quo dictum est. Et ideo quum Ioseph  
10 volebat eam traducere, dixit ipsi Angelus, Ioseph fili David noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quia quod in ea natum

*est, de Spiritu sancto est. Quasi ipsa est verè con-  
iux tua non à te per adulterium diuisa, quia  
non humano opere concepit, sed opere Spiritus  
sancti, ideo coniugium tuum nullo modo laesum  
est, imo magis confirmatum, quia per legem &  
prophetas prænunciatum, & per Spiritum san-  
ctum in te confirmatum. Item ad hunc intelle-  
ctum Virgo Maria dixit Christo ego & Pater  
tuus scilicet legalis dolentes quarebamus te, &  
sic patet qualiter Christus est filius naturalis  
Dei Patris, & filius naturalis & carnalis Virgi-  
nis Mariae, & filius David, & Abrahæ secun-  
dum carnem & non secundum naturam, & filius  
Ioseph legalis & secundum legem.*

*12 Hanc autem positionem ego aliquando præ-  
dicauit in nostra sede Valentina in conspectu  
Dominorum Canonicorum & totius populi in fe-  
sto Beatiss. Ioseph sponsi Virginis, sed quia præ-  
tabam me solum in opinione, ideo dubitauit  
ipsam in prioribus meis scriptis relinquere, sed  
quia postea nouiter vidi sermonem, quem ve-  
nerabilis, ac famosissimus Ioannes Gerson Can-  
cellarius Parisiensis, qui vixit anno 1420. &  
obijt anno 1429. habuit & fecit in Concilio  
Constantiensi coram toto Senatu Ecclesiastico,  
in quo ponit istam positionem, quasi ad litte-  
ram, qui quidem sermo fuit pergratus & ac-  
ceptus toti faciei Ecclesie, ibidem congregatae,  
propter quod iam publicè celebratur officium  
B. Ioseph in pluribus Ecclesiis Galliarum, &  
specialiter solemnizatur in Ecclesia nostra Va-  
lentina Hispania. Hinc est, quod ego non erubui  
scribere hanc positionem, in hoc loco ubi mihi  
videtur necessaria iuxta materiam, & propo-  
situm, semper tamen cum correctione Sacro-san-  
ctæ Matris Ecclesie Catholice. Hæc satis pro-  
fundè, prudenter, & submisse vir doctissi-  
mus, qui vixit anno 1490. quare sententiam  
Gersonis sequitur.*

*14 Sed ego meum iudicium duobus asser-  
tionibus enucleo, prima † Iosephus V. Ma-  
riæ sponsus non fuit Pater Christi legalis le-  
ge veteri, quæ disponebat Deut. c. 25. à n. 5.  
quando habitauerint fratres simul, & vnus ex  
eis absque liberis mortuus fuerit, vxor defuncti  
non nubet alteri sed accipiet eam frater eius &  
suscipiet semē fratris sui & primogenitū ex ea  
filium nomen illius appellauit, & non deleatur  
nomen eius in Israël, sin autem, &c. vnde filius  
genitus & est filius naturalis & carnalis fe-  
cūdi fratris, & filius legalis primi cuius hæ-  
reditatem consequitur, &c. quæ ibi dicunt  
expositores, & longè distant à præsentī in-  
stituto, vt consideranti constabit; quare ne-  
quit dici Christus filius legalis Ioseph, se-  
cundum hanc legem Deuteronomij, id au-  
tem quod respondit Christophopolitanus alle-  
gorica sunt, quare non sufficiunt, vt Ioseph  
dicatur iuxta legem Deuteronomij Pater  
legalis Christi.*

*15 Assertio secunda, † S. Ioseph Virginis Ma-*

*riæ verus coniux, iure naturæ fuit verus  
Christi Pater, etsi Christum non genuerit  
ex commixtione carnali. Hoc videtur mihi  
efficacissime probari illis omnibus, quæ ad-  
ducit Christophopolitanus & supra retuli; est  
etiam D. Aug. loc. cit. in quibus omnia argu-  
menta huius assertionis nobis ministravit, &  
modo dabo ad formā strictam reducā. His  
fatis confirmatur D. Th. locis modo citandis, vt  
tamen assertio ista clarior fiat, & efficaci-  
ter probetur, noto ex D. Tho. in 4. dist. 31.  
quest. 1. art. 3. in corpore, vbi sic fatur. † Fides  
& proles (quæ sunt bona matrimonij) conside-  
rari possunt secundum quod sunt in suis prin-  
cipiis, vt prole accipiatur, intentio prolis &  
pro fide debitum seruandi fidem. (Nota Tho-  
mistæ phrasim S. D. vt ipsum tuearis in ma-  
teria de peccato originali, vt iuxta ipsius  
mentem possis dicere, quod B. Virgo con-  
traxit peccatum originale in sua radice scili-  
cet in debito contrahendi, quod potest dici  
peccatum originale, sicut dicitur fides  
matrimonij, debitum seruandi fidem, &  
non solum ipsa fides actualis non tamen  
contraxit peccatum originale in ipso for-  
maliter & actualiter, & iuxta discursum  
hoc modo factum omnes consonant, & Pa-  
tres suauiter explicantur) sine quibus ma-  
trimonium esse non potest, quia hæc in mati-  
monio ex ipsa pactione coniugali causantur, ita  
quod si aliquid contrarium huiusmodi exprime-  
retur in consensu, qui matrimonium facit non  
esset verum matrimonium, & sic accipiendo fi-  
dem & prolem, proles est essentialissimum in  
matrimonio, & secundo fides, & tertio sacra-  
mentum, sicut etiam homini est essentialius es-  
se naturæ, quam esse gratiæ, quamuis esse gratiæ  
sit dignius. Hæc ibi.*

*Et distinct. 30. quest. 2. articul. 2. agens  
de matrimonio Virginis Dominiæ nostræ  
cum Ioseph cum sibi obiecisset, quartum  
argumentum, quod non potuit esse perfectum,  
quia non fuit proles generata, sed educata,  
dicit ad quartum dicendum, quod † proles non  
dicitur bonum matrimonij solum in quantum  
per matrimonium generatur, sed in quantum  
in matrimonio suscipitur, & educatur, & sic  
bonum illius matrimonij fuit proles illa & non  
primo modo, nec tamen de adulterio natus, nec  
filius adoptiuus, qui in matrimonio educatur, est  
bonum matrimonij, quia matrimonium non ordi-  
natur ad educationem illorum, sicut hoc mati-  
monium fuit ad hoc ordinatum specialiter, quod  
proles illa susciperetur in eo, & educaretur.  
Hæc ibi.*

*Ex his duobus principiis, quæ sunt,  
sancti Augustini ubi supra, & S. Tho-  
mæ, qui ex illo accepit tale formo argu-  
mentum, quod me quidem iudice rem  
demonstrat † matrimonium inter B. Virg. 19  
& S. Ioseph fuit verum & proprium ma-  
trimo*

trimonium *secundum Euangelium*, vt ait Aug. sed matrimonio est *essentialissimum* proles, hoc est intentio habendi prolem, rursus proles, dupliciter haberi potest, vel generatione ex commixtione vtriusque sexus factam, aut in matrimonio suscepta, & educata atqui proles in matrimonio Virginis non fuit habita ex commixtione vtriusque sexus, ergo fuit in matrimonio illa suscepta & hoc ex vi pactionis conjugalis, cui essentialissimum est intentio habendi prolem vno ex his modis, vt dicit D. Thom. & hoc modo clarissime intelligitur Aug. l. 2. de *consensu Euangelista cap. 1.* † *Neque enim fas erat vt ob hoc cum (scilicet Ioseph) à coniugio Mariæ separandum putaret, quod non ex eius concubitu, sed Virgo peperit Christum. Hoc enim exemplo magnifice insinuatur fidelibus coniugatis, etiam seruata pari consensu continentia posse permanere vocarique coniugium non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu. Præsertim, quia nasci eis etiam filius potuit sine vlllo complexu carnali.* quia † matrimonium ex vi essentia suæ solum dicit intentionem habendi filium, & prolem vno ex modis assignatis à D. Thom. & insinuatis à S. Aug. vnde sine tali intentione matrimonium verum non subsistit, quam implicite habuerunt Sanctissimi coniuges, & sic proles quæ habetur in hoc matrimonio filius vtriusque coniugis dicitur Iosephi, quia coniux est, Virginis, quia coniux, & quia mater naturalis illius, quia præbuit totum, id quod alia matres ad filij generationem. Ioseph tamen solum, quia coniux huius coniugij ex vi sua ordinati ad prolem habendam, non generatam ex feminum commixtione, sed virtute Spiritus Sancti in vtero Virginis, vnde iure naturæ resultat in Ioseph relatio paternitatis respectu proles sic habitæ, quia paternitas iure naturæ non exigit, nisi prolem habitam in matrimonio, sine matrimonij iniuria, quare resultat ex vi pactionis matrimonialis, quæ ex vi sua non exigit,

20 *quod filius habeatur ex commixtione carnali, sed quod non fiat cum iniuria adulterij, neque ex gratia, vt adoptiuus, neque ex vi legis Mosaycæ, vt legalis, & nullo ex his modis Christus respicit Iosephum, tanquam patrem, sed ex vi pactionis matrimonialis, quæ essentialiter respicit prolem, & ista essentialiter respicit coniuges fœminam, vt matrem naturalem, & virum tanquam patrem iure naturæ, quo tenetur ipsum alere, & nutrire, vt hæredem suum, habet enim filius hic, ius suæ itatis respectu talis Patris.*

Hoc est, quod eleganter dixit Chrysoft. homil. 4. in *Matth. etsi nihil habeas B. Ioseph. in hac generatione commune, tamen quod proprium est Patris, quodque nihil ledit Virginis dignitatem, hoc tibi facile concedo,* atqui quod Ioseph

fit verus Christi Pater & non solum putatiuus, sed quod iure naturæ ex vi pactionis matrimonialis, quæ essentialiter respicit hanc prolem habitam sine commixtione carnali resultat in illo vera paternitatis relatio nihil lædit Virginis dignitatem. Ergo † B. Ioseph respectu Christi habuit, quod proprium est Patris respectu Christi, sicut habuit quidquid proprium est coniugis respectu Virginis Mariæ, vnde etsi ob æquiuocationem Ioseph non dicatur *Pater naturalis Christi*, sicut B. V. dicitur mater illius naturalis, at dicitur verè, & proprie pater legalis secundum legem naturalem pactionis matrimonialis.

Quod amplius illustratur, quia iuxta Aug. S. Thom. & omnes Theologos scholasticos in 4. dist. 30. & 32. cum Petr. Lombard. Christus Dominus, est bonum huius matrimonij tanquam proles, ergo † vt sic non respicit solum B. V. quia ipsa sola non est matrimonium quod essentialiter est duorum coniunctio, & vt sic proles suscepta sine iniuria matrimonij respicit vtrumque coniugem tanquam bonum matrimonij, ergo sub diuersa relatione pro diuersitate illorum, & sic vnū respicit tanquam patrem, cui iure naturæ incumbit ipsum educare, & de bono ad vitam degendam providere, & alterum tanquam matrem, cui iure naturæ incumbit lactare, & similia.

Totum hoc altius corroboratur ex D. S. doctrina in 4. dist. 33. *quæst. 2. art. 1.* ex qua sic arguitur. † Matrimonium V. Mariæ & S. Iosephi iure naturæ fuit indissolubile & inseparabile, ergo iure naturæ Ioseph fuit pater verus Christus, & habuit quidquid iure naturæ exigitur excepta carnali commixtione antecedens de fide est supposito quod fuit verum matrimonium, quod ita esse nemo dubitare potest cum sit verum matrimonium *secundum Euangelium*, vt aiebat Augustinus, & consequentiam probat D. Thom. sic. † *Matrimonium ex intentione naturæ ordinatur ad educationem proles non solum ad aliquod tempus, sed per totam vitam proles, vnde de lege natura est quod parentes filiis thesaurizent, & filij parentum hæredes sint, & ideo cum proles sit commune bonum viri & vxoris, oportet eorum societatem perpetuo permanere indiuisam secundum legis naturæ dictamen.* Ex quibus manifeste conuincitur, quod iure naturæ Ioseph. est pater Christi sicut iure naturæ est Christus proles, quæ iure naturæ est commune bonum viri & vxoris, & sic iure naturæ Christus est hæres suus respectu Ioseph, & iste iure naturæ thesaurizaret illi, si alias non esset Deus, cuius sunt omnia, tamen iure paternitatis id faceret, sicut ipsum sustentabat, & B. V. suis operis & artis suæ ministeriis, & in hoc sensu, ego intelligo

intelligo Bernardum, & alios Patres dicentes, † Iosephum fuisse Christi nutritium, erat utique ex iure naturæ ex vi cuius ad id tenebatur tanquam verus illius pater, quare B. Ioseph Christum respiciebat tanquam filium & hæredem suum, & Christus S. Iosephum tanquam Patrem, & non solum tanquam ille, qui habebat dominium eorum omnium, quæ vxori sunt, altiorem enim titulum, & ius naturæ habebat respectu Christi titulum scilicet paternitatis, ratione cuius si alias Christus Deus non esset, & regnum Dauid non esset ab Herode usurpatum iure naturæ ipsum hæreditasset, quia erat filius suus Ioseph, & iure *suitatis* debebatur illi ius quod habebat Ioseph ad regnum, quod per lineam rectam ad Ioseph pertinebat, vt constat *Matth. 1.* qui semine regio à Dauid descendebat.

Ex dictis plura colliguntur notatu dignissima in laudem Sanctiss. Patriarchæ. Primū, quod † iure naturæ tenebatur residere cum B. V. & ista cum illo indiuisse comanere, quia residentia matrimonialis est de iure naturæ, & obligat quum non est causa sufficiens excusans à tali obligatione, quam obligationem indixit Deus cum dixit. *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi*, quo facto, dixit Adam. *Propter hanc relinquet homo patrem, & matrem & adhærebit vxori suæ*, idest cum illa cohabitabit, residebit, & commanebit, vnde Angelus dum Ioseph. vellet occulte dimittere eam & cum illa non residere, siue quia suspicabatur adulterium, siue quia se agnoscebat indignum tam alto consortio, dixit, *noli timere accipere Mariam coniugem tuam*, idest depulsa timoris causam, cum illa cohabitabit, & residebit, quia ad hoc teneris ex vi coniugij, & matrimonij cum ea celebrati, vnde ex vi huius præcepti, etiam si non esset ab Angelo monitus tenebatur, si sciret persecutionem Hærodis, vt puerum perderet, cum ipso & matre eius fugere, quo securus esset, tenebatur etiam omnia necessaria ad vitam illi tribuere si haberet, & omnia munia facere quæ necessaria erant ad filij sui & vxoris tutelam, defensionem, educationem, nutritionem, & alia ad quæ patres alij iure naturæ tenentur, quæ præstaret altiore amore, & reuerentia vipote cum cognosceret dignitatem filij, & Matris quibus fuit obsequentissimus sicut filius, & Mater extitere patri & coniugi, quem summo amore naturali, & supernaturali super omne, quod non est Deus, propter Deum diligebant, & amabant, vt egregie explicat B. Bernardus Senensis *serm. de S. Ioseph. art. 2. cap. 1. tom. 3.* & latius, & valde deuote Isolanus in *Iosephina sua p. 2. cap. 9.* Iuxta dicta intelligendus est S. Ioannes Chrysostom. *hom. 3. in*

*Matth. cap. 2.* dum dicit, quod † Ioseph. non ad coniugium Mariæ erat electus, sed ad ministerium eius eunte illa in Ægyptum, & redeunte, nisi desponsata illi fuisset, quis ministerium ei tanta necessitatis impleveret, nam in prima quidem facie Maria puerum nutrebat, Ioseph. conseruabat. Quasi diceret, quod B. Ioseph. datus est coniux Mariæ vt coniugalis residentia munia, & officia circa ipsam, & filium exerceret, & hic fuit principalis finis huius Sanctissimi coniugij, in quo proles accepta ex vi coniugij est non congenerata opere viri, sed Spiritus Sancti, quare coniugium hoc speciali ordinatione fuit à Deo dispositum ad residentiam matrimonialem obseruandam inter virginem & Ioseph. vt iste illam custodiret sicut Christus Ecclesiam, vt ait Isidor. *lib. allegoriar. ex nouo testam. ad principium.*

Secundum † B. Iosephum immediatè post B. V. maiori gratiæ dono fuisse ornatum, & sicut maternitas V. Mariæ, ita fuit alta, quod habeat quandam infinitatem ex bono infinito, quod est Deus, & ex hac parte non potest esse aliquid melius Deo, vt ait D. Th. 1. *p. quæst. 25. art. 6. ad 4.* & Bonauent. *in speculo Virginis cap. 8.* Ipsa est Virgo mater, qua maiorem Deus facere non potest, maius cælum Deus facere potest, maiorem Matrè, quam matrem Dei, non potest facere Deus, idem dicendum de paternitate Iosephi respectu Christi hominis, quod Deus ea nihil maius facere queat, propter easdem rationes, quæ † dignitas Paternitatis maior longè fuit quàm dignitas Apostolatus, ex quo fit, quod post Virginem Iosepho data est maior gratia habitualis, quàm alteri puræ creaturæ. Hoc manifestè colligitur ex doctrina D. Thom. 3. *p. 7. art. 9. & 10.* vbi ex duobus colligitur alicui dari plenitudinem gratiæ, vel ex coniunctione ad causam gratiæ, primo ex propinquitate ad causam gratiæ, vnde *quæst. 27. art. 5. in corp.* dicit, quod B. V. Maria propinquissima Christo fuit, quia ex ea accepit humanam naturam, & ideo præ cæteris maiorem debuit à Christo gratiæ plenitudinem obtinere. & August. *super cap. secundum Ioannis.* tanto perfectior vnaquæque res appellatur, quanto magis vnitur & coniungitur Deo, qui est summa perfectio, quam rationem ponderat Ildephonsus *lib. de B. virg.* Laurentius Iustinianus *serm. 1. de assumpt.* Carthus. *lib. 1. de præconio virg. art. 8.* & sic egregie, deuote, & vere dixit Cancellarius Parisiensis, † sicut decuit vt Maria tanta puritate niteret qua sub Deo nulla maior qua intelligi vt si (ait) Anselmus. Ita decuit vt Ioseph tanta prærogatiua polleret, qua similitudinem & conuenientiam exprimeret talis sponsi ad talem sponsam de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus, & vt potest colligi ex *Matth. 1.* B. Ioseph. fuit super omnes

nes homines puros similis Virgini gloriose. Hæc ibi quæ amplius confirmantur, quia nulla creatura fuit Christo propinquior, quam B. V. nulla pura creatura fuit coniunctior B. V. quam Ioseph, qui iure matrimonij factus est cum illa vna caro, ergo post B. V. Ioseph fuit magis iunctus Christo, & sic perfectior in gratia, & sanctitate.

Vnde sicut asserunt patres, quod Christus est caput, & principium gratiæ, quæ omnibus communicatur, & B. V. est collum, & quasi aqueductus per quem omnis gratia ad homines descendit, vt S. Bernardus <sup>35</sup> *serm. de Natiuit. Maria. † sicut aqueductus exiit à Paradiso, & propterea tanto tempore fluentia gratia de fuerunt, quia nondum intercesserat aqueductus: ipsa est collum Ecclesiæ caput, Ecclesiæ Christum corpori eius coniungens. Qui ipsi collo per amorem non adheret non adheret capiti sicut nec corpus adheret capiti collo amato. Ita ibi ex quo id accept. S. Bernardinus Senens. serm. 3. de nomine Mariae art. 3. cap. 2. & serm. de Assumpt. Virg. quod B. V. fuit plena gratia sibi, & nobis superplena, hæc autem plenitudo gratiæ sibi, & nobis illi prouenit ex maiore coniunctione, & propinquitate ad verbum, quam habuit S. Ioseph maiorem post Virginem quàm alia pura creatura, & forsitan quam omnes simul sumptæ, ergo post Virginem fuit plenus gratia sibi, & superplenus nobis, & sicut Deus nihil gratiæ nobis confert nisi per Mariam transeat, ita nisi per Iosephum diggestum, est enim Ioseph guttur Ecclesiæ sicut Virgo collum, & Christus caput, quam ordinationem sic videtur disposuisse Euangelista dicens, cum esset desponsata Mater Iesu, Maria Ioseph.*

<sup>36</sup> Secundo † colligit augmentum gratiæ S. Doctior ex officio & statu, ad quem Deus ordinat aliquem in Ecclesia, qui in B. Iosepho maior fuit quam in omni alia pura creatura post Virginem, quia Ioseph est Pater Christi iure naturæ ex vi matrimonialis pactionis, ad quem statum & officium nullus ascendit, & sic nullus ascendit ad gradum, | gratiæ, & eius plenitudinem, imò, nec potest ascendere, imò <sup>37</sup> addo vnum valdè singulare, quod † B. Ioseph Iesum filium suum immediatè respiciebat, & ab illo gratiam paternitatis accipiebat, simul cum Virgine gratiam maternitatis, vnde Ioseph non ratione Virginis, etsi cum Virgine Christum respiciebat, tanquam pater, cuius ratio est, quia Ioseph. erat Pater Christi, ipsumque vt talis respiciebat ratione matrimonij, & coniugij inter ipsum, & B. V. atqui in hoc coniugio pares sunt V. sanctissima & Ioseph. nam vtriusque consensus mutuus matrimonium celebravit, ergo vterque immediate, & simul respiciunt

Christum, tanquam filium, & non vnus ratione alterius, nam proles hæc bonum commune est viro & vxori, & non vni ratione alterius, vt aiebat S. Thom. vnde factis pie potest dici, quod hoc beatissimum par Ioseph, & Maria sit Ecclesiæ integrum collum, quod immediate accipit gratiam à capite Christo per quod omnibus aliis creaturis communicatus est influxus capitis Christi in alia membra, vt enim bene notat Morales *lib. 3. tract. 11. num. 14. in Matth. † Maria, & Ioseph sunt duæ manus Dei per quas dispensat, & dat munus gratiæ, imo, & quod Ioseph est manus dextra iuxta illud psal. 79. versic. 18. Fiat manus tua super virum dextera tua. Legendi sunt homil. 2. de S. Ioseph Christophorus à Capite Fontio *lib. de perpetua virgin. Mariæ, & Ioseph à pag. 241. vsque ad 259. Isolan. 4. p. Iosephinæ c. 8. Bustos. 4. p. serm. 12. Barradas t. 1. concordia lib. 6. c. 8. Gerson serm. de Natiuit. virginis. considerat. 3.**

Verum est quod in ordine ad nostram intercessionem, & gratiæ munus nobis impertiendum est subordinatio Iosephi ad virginem, quia vt ait D. Thom. *in 3. p. quest. ... art. ... in supernaturalibus virgo non erat subdita Ioseph, quare istum vt aduocatum nostrum coram virgine, & virginem coram Christo, & Christum coram Deo debemus interponere, vnde Salmeron postquam dixit quod B. Ioseph fuit sanctificatus in vtero, & à peccato actuali excellenti gratia præseruatus, vt munde (ait) ac digne conuersari possit cum Maria sibi desponsata coniuge, & Bustos *p. 4. serm. 12. p. 2. quod † Deus ab ater- no hunc sanctissimum virum non solum elegit, ex omnibus, sed etiam super omnes preparauit, & disposuit, ad tam alta mysteria cognoscenda, & per tractanda, taliter quod nihil illi defuit, & hoc dubitare esset quasi sacrilegium. Crimen enim sacrilegij est dubitare an is dignus sit quem Princeps ad aliquod officium elegerit, vt habetur leg. 2. C. de crimin. sacri.**

Hinc est quod Viguerius de mysterio incarnationis *cap. 20. §. 9. versic. 3. Suar. tom. 2. in 3. p. q. 29. disp. 8. sect. 2. Morales lib. 3. tr. 2. bene dixerint quod illo ordine, qui positus est Matth. 1. num. 14. Mater Iesu Maria Ioseph, seruetur in plenitudine gratiæ, & gloriæ, ad quem ordinem Hypostaticum, & altissimam Hierarchiam gratiæ nullus Sanctorum admittitur, sed omnes sunt sub illo contenti, quod egregie versibus cantauit quidam deuotus apud Isolanum.*

*Cum similis similem ducat, metuque super-*

*no. Virgo, parensque Dei nupsit alma, Ioseph.*

*Collige, quatenus erat, merito, quo vicerit omnes.*

*Et fuerit tantum dignus habere decus.*

*Et facile accipies, ut primum sponsa sequentem.*

*In superis sponsum, sic habet ille locum.*

41 Tertiū quod colligo est † (circa verba, quæ supra dedi ex Iacobo de Valentia) prudentia Sapientissimi viri qui sententiam suam, quam dicit se dum eam solum defendere putabat noluit typis dare, quovsq̄ agnovit edoctam fuisse coram Patribus constantiensis Concilij à doctissimo Gerson, illique grauiſſimo cœtui placuisse, & post eam fecit prælo sudare, antea in scrinio repositam O tempora! O mores! huius sæculi in quo ut sententia aliqua publice detur, & imprimatur, quæritur ut nullus eam dixerit, nullus Patrum docuerit, etiamsi res grauiſſima sit, spernitur antiquitas, nouitas veneratur transgrediuntur termini quos Magistri nostri posuerunt, & ut ait Homerus.

*Illam cantilenam magis celebrant.*

*Quæ audientibus recentissima sit*

42 Cum certum sit quod ait Chrysostom. homil. 8. super 2. ad Thimot. † *hi qui nouitatibus student nunquam erroris finem inuenient*, est enim vetustas maximæ gloriæ encomium, sicut nouitas doctrinæ vilipendium, nisi nouitas non sit in principiis, sed in conclusionibus ex antiquis principiis recte perspectis, deductis, nec enim statuendum ut certum, scelus esse nouum aliquod inuenire, & quis hoc dixit aut damnauit! cum S. Doctores Ecclesiæ, & D. Thom. & Aristoteles ex principiis plures doctrinæ conclusiones deduxere, quod illis in vituperium non vertitur, at nouas doctrinas introducere antiquitate sprete, & contra illius decus, & principia hoc est intolerabile inter Ecclesiæ filios, his enim negocia publica, regimen, politia turbantur, ex quo Dæmon, hæretici, & inquieti homines laurum cum damno communi acquirunt, nouis enim commentis dogmata, etsi non deperdantur, at deturpantur, & expoliantur ea puritate qua nitebantur antiquitas.

43 Quare † per necessarium iudicio in qualibet communitate, quæ litteris vacat pro Ecclesiæ defensione contra hæreticos, & ut fideles instruat in bonitate, & securitate morum, quod sibi deligat magistrū, cuius principia incunetanter persequatur, ex quorum cōprehensione conclusiones eliciat, si enim huius communitatis membra pro magistro habent proprium iudicium, & sequuntur in hoc suos progenitores difficillime veritatem assequuntur semper nouitatibus vacabunt, quia longo tempore nouitatibus insudarunt non solum ipsi, sed & patres eorum & aui, & omnes fere maiores. Non enim facile est horum auferre opinionem, etiamsi manifeste conuincat. Porro hoc ita validum est ut multi mala potius sibi vendi-

cent, & confiteantur aduersum sese, si prius sunt persuasi quam bona post longum tempus audientes. Proinde neque vos (viri Ilienses) mirabor si fide digniorem putaueritis Homerum qui pessima mendacia finxit quam me vera dicentem. Nam si credideritis eum fuisse virum sapientem vestrosque pueros statim à principio illius carmina docueritis, nihil aliud quam ex-  
44 crationes vestra Ciuitatis easque non veras, &c. Hactenus Prusæus oration. 2. Tantum interest communitatibus vacantibus litteris, quod recta sit Magistri electio, quæ eius alumni sequantur in doctrina sana, & irreprehensibili, ut possint eos qui contra dicunt arguere, qua obsecro energia, qua efficacia hæreticum nouatorem conuicit nouitatis amator, qua efficacia ex Patrū sententia hæreticum eorum caniciem spernentem concludet, illique Patres Ecclesiæ non veneratur, sed parui peritos ad suas nouellas opi-  
45 niones decurrit? plus æstimans aliquid noui dicere, quam Augustinum, Hieronymum, & alios pro Ecclesiæ Doctoribus, Canonizatos, sequi, vnde tot abortus faciunt quotidie aut parturiunt doloribus immensis, tanquam Caphi plumis ac pennis copiosi, corpore pusilli ingentia in apparentia pollicentes, & dum premuntur plumæ sunt, & pennæ. Prudentissimè ergo Iacobus de Valentia seam opinionem de paternitate legali Iosephi respectu Christi noluit typis dare; antequam agnosceret sigillo Doctoris Gerson Cancellarij signatam & rubricatam.



## DIGRESSIO I.

*Vindicatur Triplex Christi excellentia, quod non habuerit Angelum custodem, quod fuerit plenus gratia, quod sibi gratia habitualis, non promeruerit augmentum.*

**T**Æc tria soli Christo competere hucusque in Ecclesia erat indubitatum, sed nouandi prurigo eo deuenit & in antiquitatem venerandam tantum débachata est, & corrosit firmitudinem ut sub pietatis fucato zelo, hoc etiam ex priuilegio Virgini Matri concedat, quod ex nullo Catholico Archiuio antiquo profert, sed ex proprio Marte cudit, sed ego semper delector sapore pomorū veterum, & nouorum producto ex malis veteribus, nec placet noua dogmata dicere, sed vetera noue, sic me docuit magnus ille Vincentius Lirenensis qui aiebat non dicas noua, sed noue. & Cicero suum Oratorem

torem, & si gentilem sic instruebat *lib. de Oratore ad Brutum*, gerendus est (ait) tibi mos adolescentibus, qui non Graci alicuius quotidianam loquacitatem, nec è scholis cantilenam requirunt, sed ex homine omnium Sapientissimo atque eloquentissimo, at ex eo qui non in libellis sed in maximis causis, sed in hoc domicilij imperij, & gloria sit consilio, linguaque princeps, quam instructionem ab incunabulis sum secutus, secutusque sum homines Sapientissimos non eos qui in libellis exercentur, & loquacitatem & ab scholis puerilem quærunt cantilenam.

Igitur hoc documento imbutus dum me consuleret Reuerendissimus Pater Magister Benedictus à Serna mittens tractatum cui titulus vulgari idiomate est *triumpho de Maria Sanctissima* quem ad me remisit latine conscriptum, vt illi meum sensum aperirem, circa ea quæ in ipso edocebat, proponeremque, si quid dignum nota inuenirem, notavi quatuor. Primum, quod probat scholastice Virginem fuisse præseruatam ab Originali, ex cantico Abacuc in quo dicitur, *collum Ecclesie*, quia sensus iste sufficiens est ad suggestum, non ad litem scholasticam dirimendam, ad quod nihil profuit sensus allegoricus. Secundum, quod B. V. non habuit Angelum Custodem, sicut, nec Christus, cuius contrarium hucusque tenent omnes, qui de Angelorum custodia tractarunt, & ratio D. Thom. 1. p. quæst. 113. art. 3. id manifeste conuincit. Tertium, quod B. V. habuit eandem gratiæ habitualis plenitudinem, & intensiorem, ac habuit Christus Dominus, cum hoc discrimine, quod B. Virgini data fuit tanta gratiæ plenitudo, ob merita Christi, Christo tamen fuit data independenter à Maria. Quartum, quod B. V. non promeruerit augmentum gratiæ habitualis sibi, quod videtur clare contra Trid. sess. 6.

His obiectionibus post exaratam, & typis datam meam epistolam, ipse alteram quæ etiam prælo sudauit, respondet, an adæquate videant docti, quare non possum non mereri hunc Sapientissimum virum, vel quemcunque alium (si quis est inter recentes Theologos) qui ita in re grauisima philosophantur contra omnes antiquos propter aliquas Sanctorum Patrum improprias locutiones, factas ex deuotione non trutinatas rigore Theologico vt pars est trutinare, quæ aptiores sunt prudenter explicatæ ad populi pietatem, excitandam, quam vt illis nitens Theologus contra communem Ecclesie sensum, nouitates introducat, ego vero ostendere conabor ista omnia ita soli Christo conuenire, vt nulli etiam B. Virg. adaptari queant ex vi præsentis prouidentie nobis notificatæ ex Patrum & Ecclesie sensu.

Iam vero quid in præsentem rem hanc degustavi, non possum non manifestare mundo insufficientes esse solutiones adhibitas meis obiectionibus, de prima clarum est, quod nihil probat rigore Theologico, & Scholastico, sed prædicatorio & allegorico modo locus ille Abacuc, vt legenti expostores constabit, quare locus iste pro Cathedra nihil conducit ad probandum dogma benè video in raptibus & reuelationibus B. Viri Amadæi Seraphici raptu 8. ipsi fuisse reuelatū, quod sicut *Ecclesia caput Christus*, ita *B. V. collum extiterit*. itaque nullum donum, nullum bonum, nulla gratia, nullum priuilegium, à capite illo in corpus nisi per hoc mirabile collum, quod est V. Maria Dei Genitrix descendit, sed ipsemet etiam dicit, quod non habuit tantam gratiam habitualem ac filius, primū allegoricè est intelligendum, secundū vero in rigore Theol. vt iam demōstro huius B. Viri raptus & reuelationes latè & piè defendunt, contra Bzouium Reuerendiss. Ildephonsus, Briceno in apparatu Historico, qui est ante commentaria *in lib. 1. sentent.* & Petrus de Alua Astorga in sua Bibliotheca Mariana *in Nota. ad Amadaum Franciscum.*

## SECTIO I.

*Beatam Virginem Angelum custodem habuisse designatum.*

### SUMMARIUM.

1. An B. Virgo non habuerit Angelum custodem.
2. An B. Virgo ad vitanda nocumenta exteriora angelum custodem habuerit.
3. An persona B. V. longè inferior sit in potestate naturali Angelorum viribus.
4. S. Doctoris mens assertur, & numero 14. & 15.
5. Assignandi sunt Angeli Custodes hominibus ex vi presentis prouidentie naturalis, aut supernaturalis, ex eodem S. Thom.
6. In rebus agendis cognitio & affectus hominis multipliciter variari & deficere potest à bono.
7. Licet B. V. specialissimè confirmata in gratia nullatenus deficeret à bono, an ex vi sua, quatenus est persona creata in sensu diuino poterat deficere.
8. An quamuis Virgini sint assignati Angeli in custodiam, non sit illi assignatus aliquis propriè tanquam Angelus Custos.
9. An Angelus quilibet etiam infimi ordinis possit docere & exercere, Magisterium respectu cuiuslibet personæ creatæ quantumuis perfectæ & supremae.
10. D. Caietani sensus adducitur.

11. *Lumen intellectuale Angelicum longè Superiorius est lumine intellectus Virginei.*
12. *An omnes diuina illuminationes perferantur ad homines mediantibus Angelis, ex S. Dionysio.*
13. *Quid veniat colligendum, & n. 17.*
16. *Euthymij opinio adducitur.*
18. *Quid Angelis custodibus per diuinam prouidentiam circa singulares personas sit demandatum, ex S. Doct. & n. 19.*
20. *An Beneficium custodia Angelorum datum sit toti humanae naturae in quantum ordinata est ad finem supernaturalem consequendum.*
21. *An Mater Iesu ab Angelis instrueretur, & num. 22.*
23. *Bernardi sensus assertur.*

1 **S**ecundum, quod † B. V. non habuit Angelum custodem, quod omnibus antiquis & mihi indubium est, vt ex Suarez *lib. 6. de Angel. c. 17.* & ratio D. Th. id demonstrat supposita Patrum, & Ecclesiae certa doctrina, quod cuilibet homini datur Angelus custos, igitur sic formo argumentum ex *art. 4. q. 113. p. 1.* omnis purus viator est in via constitutus, qua tendit ad patriam in quo itinere multa occurrunt pericula, tam ab interiori, quam exteriori inimico, ad huiusmodi autem pericula vitanda, quae possunt impedire consecutionem patriae datur Angelus custos, licet enim B. V. ad pericula vitanda, quae possent prouenire ab interiori non indigeret Angelorum custodia, quia ipsa confirmata in gratia, nullum peccatum, nedum veniale ex privilegio speciali poterat committere, sicut nec

2 Christus, at † multa nocumenta exteriora poterat pati, ad quae vitanda Angelus custos ei erat concessus, vnde Adā non indigebat Angelo custode ad vitandum periculum ab interiori, quia interius omnia erant ordinata, indiguit tamen ad vitandum periculum, quod imminabat ab exteriori, vt rei probauit euentus. Christus vero ad nihil indigebat Angelo custode, quia cum esset intrinsecè, & substantialiter Deus, & homo immediatè substantialiter regebatur à verbo Dei. Vnde non dabatur ei Angelus custos tanquam superior, sed tanquam minister, vt dicitur *Matth. 4. n. 20. quod accesserunt Angeli & ministrabant ei*, persona autē

3 † B. V. longè inferior est, in potestate naturali Angelorum viribus, & sic isti viribus suis, tanquam Superiores possunt Virginē custodire non à periculis consequēdi vitam aeternā, quod nulla habebat B. V. sed à periculis vitae temporales, ad tutamen honoris, & bonae famaē, rursus ad multas cognitiones diuinorum, & reuelationes, quas Deus facit mediis Angelis custodibus. Hæc ratio demonstratiua est, quamuis Angeli agnoscētes Virginis dignitatē illi se submitterēt, tanquam ministri, tamē

eā considerans Angelus custos sibi designatus, vt est persona creata, qua ipsi in natura se agnoscunt Superiores, verè ipsā custodiebant à periculis, quae sibi imminere possent, & illi ex Dei imperio multa reuelabat, sicut è contrario Anti-Christus, et si sit futurus filius perditionis, cuius aduentus est secundum operationem Satanae, vt dicitur 2. *ad Thessalonic. n. 8.* illi assignatur Angelus custos, quia vt ait S. Doct. *in solut. ad 3.* † et si eius custodia non iuuetur, ad hoc, quod vitam aeternam bonis operibus mereatur, iuuatur tamē quantum ad hoc, quod ab aliquibus malis retrahatur, quibus & sibi ipsis & aliis nocere possunt, nam & ipsi Dæmones arcentur per bonos Angelos, ne noceant quantum volunt & similiter Anti-Christus non nocebit quantum volet.

Secundò, id ostendo alio argumento eiusdem S. D. *art. 1. eiusdem q. 113.* vbi probat hoc discursu necessario, † assignādos esse Angelos custodes hominibus ex vi præsētis prouidentiae naturalis, aut supernaturalis, quia in omnibus rebus creatis inuenitur, quod mobilia & variabilia per immobilia & inuariabilia moueantur, & regulentur sicut omnia corporalia per substantias spirituales & immobiles, & corpora inferiora per superiora, quae sunt inuariabilia secundum substantiam, sed & nos ipsi regulamur circa conclusiones in quibus possumus diuersimodè opinari per principia, quae inuariabiliter tenemus. Manifestum est autem, quod † in rebus agendis cognitio & affectus hominis multipliciter variari, & deficere potest à bono, & ideo necessarium fuit, quod hominibus Angeli ad custodiam, deputarentur per quos regularentur & mouerentur ad bonum & *in solut. ad 2.* dicit quod quantum ad inclinationem affectus ad bonum per habitum virtutis Deus immediatè custodit hominē infundendo habitum gratiae, & virtutū, quantum per inclinationē per rationes congruas, Deus custodit hominē tanquam vniuersalis instructor, cuius instructio ad hominē peruenit mediantibus Angelis, vt dicitur *q. 111. art. 1.*

Quae ratio etiam demonstratio Theologica est, quamuis enim † B. V. specialissimè confirmata in gratia nullatenus deficeret à bono, tamen ex vi sua, quatenus est persona creata, in sensu diuiso poterat deficere, quare, vt non deficiat etiā in venialibus hoc est ex vi doni perseuerantiae singularissimi, quo mediis auxiliis specialibus, inspirationibus & illustrationibus nunquam deficit à bono in hoc Deus custodiebat Virginē tanquam vniuersalis instructor cuius instructio ad Virginem pertinebat medio Angelo custode, qui tanquam immediatus Magister & Doctor ipsā illuminabat & instruebat, quia liberum arbitrium Virginis in sensu diuiso variari poterat & deficere à bono, & quod non deficiat



disposuit, quod fieret medio Angelo suo custode, nec enim introducendum est miraculum sine necessitate, ut Virgo eximatur à lege vniuersali, quod mobilia creata moueantur & regulentur, quare sicut superiores Angeli illuminant inferiores ex vi diuinæ prouidentiae, ita B. V. illuminatur à Deo medio suo Angelo, qui illius illuminator est constitutus & per consequens Doct. & Mag.

Duo respondet ad hæc manifesta argumenta primum p. 1. §. 11. quod † quamuis Virgini sint assignati Angeli in custodiam ipsorum Reginae, quæ supra omnes illos erat in donis gratiæ, tamen non est illi assignatus aliquis propriè tanquam Angelus custos, huius enim officium dicit superioritatem, & magisterium quo inferior edocetur à superiore illustrando intellectum, ut sciat quod nesciebat & inspirando voluntatem, ut in virtutum actibus feruoretur, quod asserere facere Angelum in his Virginis potentiis, indignum est, Virgo enim immediatè edocetur & illuminatur à Deo, ut videntur insinuare Bernardus *super missus est*, & Cyrillus Hierosol. *cateches. 17.*

Sed contra est, quia qui hæc obiicit & respondet prorsus videtur ignorare, quid sit Magisterium Angelicum respectu hominum, quod explicuit D. Th. 1. p. q. 111. art. 1. & q. 117. art. 1. & *quest. 11. de verit. art. 3.* ubi duo certa in doctrina PP. habet. Primum quod † Angelus quilibet etiam inferioris ordinis, in fine Hierarchiæ potest docere & exercere Magisterium respectu cuiuslibet personæ creatæ, quantumuis perfectæ & supremæ. Secundum quod nullus purus homo potest esse Magister Angelorum ipsosque docere, quantum ad primum audi D. S. art. 3. cit. *Angelus naturaliter habet lumen intellectus perfectius, quam homo ex parte luminis quantumuis non possit infundere lumen, ut Deus facit, potest tamen lumen infusum confortare ad perfectius inspiciendum* (quomodo autem intelligenda sit hæc confortatio egregiè enucleat † D. Caiet. 1. p. q. 106. art. 3.) *omne enim quod est in aliquo genere imperfectum cum continuatur perfectiori in genere illo magis confortatur virtus eius, sicut etiam videmus in corporalibus, quod corpus locatum confortatur per corpus locans, quod comparatur ad ipsum, ut actus ad potentiam, ut habetur 4. physicorum; ex parte etiam principiorum potest Angelus hominem docere, non quidem ipsorum principiorum notitiam tradendo, ut Deus facit neque deductionem conclusionum ex principiis sub signis sensibilibus proponendo, ut facit homo; sed in imaginatione aliquas species formando, quæ formari possunt ex commotione organi corporalis, sicut patet in dormientibus, & mente captis, qui secundum diuersitatem phantasmatum ad caput ascendentium diuersa patiuntur phantasmata;*

Tom. II.

& hoc modo commixtione alterius speciei fieri potest, ut ea quæ ipse Angelus scit per imagines huiusmodi ei, cui admiscetur attendat, ut Augustinus dicit lib. 12. de gene. ad litteram cap. 12. Hæc S. Doctor. hoc autem Magisterium Angelorum posse exerceri in Beata Virgine, quis dubitabit cordatus? cum certum sit † lumen intellectuale Angelicum longè superius esse lumine intellectus Virginei; rursus certum etiam sit quod Angelus habet potestatem in phantasiam humanam puræ creaturæ, ut docet S. Doctor 1. part. *quest. 111. art. 3.* negari ergo nequit quod Angelus tanquam superior in natura possit Virginem edocere, & illius Magister esse eo modo quo Angeli possunt alios homines edocere, quod tantum abest, ut sit indignum personæ Virginis, quod illi est valde decorum cum sit iuxta qualitatem suæ personæ, quæ inferior longè est in natura Angelo, nisi hoc negetur quod erit desipere, quamuis enim B. Virg. in gratia & gloria longè excedat Angelos, quia exaltata est supra omnes Angelorum choros, tamen hic gratiæ excessus non mutat naturam personæ, sed eam perficit, quare ex natura sua semper manet Virgo docibilis ab Angelis & nullus istorum ab aliquo puro homine, quantumcunque superiore edoceri quit.

Hoc est secundum, quod D. Tho. probat *quest. illa 117. art. ... tum ex S. Dionysio cap. 4. p. 1. de diuin. nomin.* asserente, quod † omnes diuinæ illuminationes perferuntur ad homines mediatis Angelis, isti ergo ab illis nequeunt edoceri, & ratio est, quia licet homo possit cū Angelis loqui, sicut Angelus inferior cū superiore, tamē superior de rebus diuinis nō potest edoceri, ab inferiori, quia ex natura sua est iste, illi subditus, & inferioris luminis intellectualis, manifestū est autem, quod eo modo quo inferiores Angeli superioribus subduntur ita supremi homines subduntur etiā infimis Angelorum, & ita de rebus diuinis Angeli nunquā illuminantur, aut edocentur ab hominibus quamuis cum illis possint loqui de mysteriis supernaturalibus, eo autē ipso quod de illis loquantur intellectus Angeli superioris à lumine suo illustratus mysteria ipsa penetrat & agnoscit, nō confortatus ab inferiori, sicut confortatur homo ab Angelo, quod secus est in Christo Domino in quo etsi natura humana sit inferior Angelica, tamē cū Christus sit Deus homo substantialiter, & omnes eius operationes sint theādricæ, idest *Dei viriles* nullatenus indigent alterius adiutorio, cū nulla creatura, sit illa persona diuina superior, & ita omnes Angeli edoceri possunt à Christo, non tamē à B. V. etsi cū illis familiariter colloqueretur, tanquam ipsorum Domina, & Regina do-

no gratiæ, sed illis longè inferior, natura.

- 13 Hinc est quod † licet ex prædicatione Apostolorum & ex locutione B. V. cum Angelis aliquæ circumstantiæ mysteriorum fidei innotuerint Angelis, principibus & potestatibus in cælestibus, vt ait Paulus *ad Eph.* 3. & explicat Aug. *lib. 5. de Genes. ad litter. cap. 19.* tamen non hoc, ideo, quia Apostoli aut B. V. Angelos illuminarint, aut docuerint, sed quia dum per Apostolos, & B. Virginem impleta sunt Christi & Ecclesiæ mysteria, aliqua Angelis apparuerunt de huiusmodi mysteriis, quæ antea erant eis occulta, vt explicat Hieronymus *super cap. 3. ad Ephes.* vbi D. Tho. *lect. 3. parum post mediũ* dicit.
- 14 † *Non est ergo conueniens nec ratio aliqua vt dicamus sanctos, qui sunt in patria doceri à quantumcunque perfectis viatoribus. Nam licet inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista, tamen qui minor est in Regno cælorum maior est illo. Dicere autem quod demones doceantur ab hominibus absque præiudicio credibile est, sed quod Beati qui immediatè verbum conspiciunt, quod est speculum sine macula in quo relucent omnia à viatoribus doceantur dici non debet, nec conueniens videtur, dicendum est ergo quod innotuit Angelis per Ecclesiam id est per Apostolos predicantes, vt dicit Glossa non quod Angeli hoc didicerint ab eis, sed in eis, &c.* vnde fit quod tam in naturalibus, quam in supernaturalibus, nec Apostoli, nec B. V. potuerunt Angelos edocere, bene tamen Angeli, qui clarius sciunt veritates, in verbo quod intuentur possunt edocere V. S. & Apostolos.

Respondet secundo dum conatur in sua epistola meis obiectionibus satisfacere multa congerens inutilia & quæ ad excludendũ Angeli custodis magistrũ respectu B. V. nihil cõducunt nisi, vt verbis oppilet veritatẽ ab antiquitate veneratam dicit, igitur quod sicut Christus non habuit Angelum custodẽ, quia erat illis superior persona & immediatè regulabatur à Verbo Dei, ait, at B. V. vtrũque habuit, primũ quia exaltata est super choros Angelorũ. Secundum, quia B. V. immediatè Trinitatis fõtibus irrigabatur & S. Odon dixit, *quod custode Spiritu sancto sine omni labe vixit,* & Franc. Mayron dicit, *quod Deus fuit Angelus custos* V. quod innuit Euthymius *super c. 2. Matth.* dicens † *quod filius fuit Angelus custos Matris* & sic sicut Christus non habuit Angelũ custodẽ tanquã superiorem, & Magistrũ, sed tanquã ministrũ & inferiorem, ita B. V. tubo *guanda de Angelis* aunq̃ notubo *Angel de guarda* Rex enim custodiam habet ministrorum, & inferiorũ quales sunt omnes Angeli respectu B. V.

- 17 Verum enim vero quis non miratur, quod vir prudens ob hæc futilia argumenta Patrum locutiones detorqueat ab intelli-

gentia, quæ semper viguit inter scholasticos, & ab antiquorum indubitabili sententia, sine vrgenti argumento diuertat ad nouitatem introducendã, quæ in Virgine excellentiã non arguit, quare eam Virgini dare contra ferè omnes est, & illi offerre munus inutile; quare hæc solutionẽ, vt omnino futilẽ potius deberẽ contẽnere, quam impugnare, procedit enim ex debili intelligentia muneris & officij Angeli custodis, & ad quod sit à Deo institutũ ex vi præsentis prouidentia, quod nobis proposuit D. Th. *in 2. dist. 11. q. 1. art. 3.* (quẽ si legisset Antigonista noster non dubito, quod ab intento defisteret) *ea* † (inquit S. D.) *quæ ab Angelis custodibus per diuinã prouidentia circa singulares personas exequuntur sunt quæ ad præparaciones iuuant ad cõsequendũ finẽ vltimum præparans autẽ nõ habet operationẽ circa rem nisi quæ est ordinata ad finẽ ante finis consecutionẽ, & ideo omnibus hominibus ab infusione anime rationalis per quam ad finẽ salutis ordinatur, custodia debetur vsque ad mortẽ, quæ terminatur via perficiendi in finem, nulli ergo carent custodia Angelorũ nisi vel per hoc quod fiunt impunitibiles, vt dånati, vel per hoc quod finem gloria consequuntur, hæc in corp.*

Ex qua doctrina colligit in *respons. ad 1.* quod Adam, quia erat periculũ ex potentia peccandi, & ex demone oppugnãte, & similiter erat debilius cognitionis, quam Angelus, indigebat presidio custodis Angeli, & in *sol. ad 2.* agens de confirmatis in gratia dicit, *quod etiamsi cõfirmati in gratia peccare nõ possunt, possunt tamen proficere & eorum profectus potest impediri, & propter hoc indigẽt custodia Angelorũ ad promouendũ in bonum, & remouendũ impedimentũ,* & in *sol. ad 5.* agens de Antichristo, *quod etiã habuit Angelũ custodem, quia lex cõmunis propter vnũ mutari non debet, & in hoc eius pænã iustior apparebit, quia beneficia toti humane nature prouisa sibi non substrahunt,* quibus verbis duplici argumento cõprimat Antigonistam, primo, quia lex vniuersalis sicut non debet mutari propter vnum malũ & obstinatũ, ita nec propter vnum bonũ scilicet B. V. secundum, quia † beneficium custodiæ Angelorũ datũ est toti humane nature in quantũ ordinata est ad finẽ supernaturalẽ consequendũ, vnde nulli personæ creatæ quãdiu est in via ad consequendũ hũc finẽ auferendus est Angelus custos, nisi dicat quod B. V. iam est consecuta vltimum finẽ ab instanti conceptionis, quod dici nullatenus debet, vt infra ostendã, in *sol. ad 6.* loquens de Christo sic fatur. *Christus nõ habuit Angelũ custodẽ, tã quia anima sua omnibus Angelis superior fuit immediatè à verbo sibi vnito illuminata, tũ quia erat verus comprehensor; vnde eius bonum, nec impediri, nec iuuari poterat.* Dicitur verò à Dionys. *c. 4. de cælesti Hierarc.* subdi paternis dispositionibus per Angelos quodam

quodammodo indirectè, in quantum Angeli instruebant Ioseph, & matrem eius, de his quæ circa ipsum puerum existentem agenda, vt habetur *Matth. 2.* dubitari ergo nequit, quod † Mater Iesu instruebatur ab Angelis, & sic habebat Angelum custodem, dicitur tamen Christus *Luc. 22.* quod confortabatur ab Angelo non instruendo & aliquid imprimendo, sed per modum ministerij in quantum congratulabantur fortitudini eius sicut homo naturaliter in tribulatione confortatur ad præsentiam amicorum.

Ex quibus omnibus lippis, & tonsoribus liquet, quomodo Christus non habuit Angelum custodem & illum habuit B. V. quia Christus fuit comprehensor, & possessor vltimæ finis, at B. V. fuit solum viatrix, rursus Christus cum esset substantialiter persona diuina, eius anima immediate illuminabatur, protegebatur, instruebatur à verbo Dei, quare respectu personæ compositæ Christi, cuius operationes erant theandricæ *Dei viriles* omnes Angelorum & spirituum cœlestium chori erant illi longe inferiores, quare Christus sibi asciscebat Angelorum custodiam, qui ad eius nutum erant subiecti, dicentes *esse adsumus*, tanquam ministri, non tamen habebat Angelum custodem designatum, quia sibi habebat substantialiter vnitum Deum Doctorem, & Magistrum defensorem, & protectorem, vt egregie Aug. in *psal. 62. vers. 2.* *Protectus est à multitudine malignantium protegente se Deo protegente carnem suam ipso filio & homina, quem gerebat, quia filius hominis est, & filius Dei est &c.*

22 Ea autem quæ adducit hæc secunda solutio friuola omnino sunt, tum quia Authores qui ea dicunt, tam magnæ authoritatis non sunt, vt possint dimouere à communi certâque sententia, tum quia loquuntur improprie, tum quia filius dicitur custos matris, sed mediis Angelis. Deus etiam dicitur Magister & Docteur noster illuminans intellectum & inflammans voluntatem mediis Angelis nos instruendo, illuminando, & inspirando, quatenus diuinum Magistrum repræsentant ad eum modum quo Deus dicitur apparuisse & loquitum fuisse antiquis Patribus, nō immediate, sed mediis Angelis, vt concors est omnium ferè Patrū sententia, maneat ergo indubitatum & inconcussum B. V. non solum habuisse. *Guarda de Angeles, sino Angel de Guarda.* & contrarium asserere est honore & cultu indebito Virginem honorare, vt enim † ait Bern. *ep. 179. ad Canonicos Lugdunenses* loquens de alia materia de qua hic non disputo. *Miramur satis, quid visum fuerit hoc tempore quibusdam vestrum voluisse mutare colorem optimum nouam inducendo opinionem, quam non probat ratio, nō commendat antiqua traditio, nunquid Patribus*

*doctiores, aut deuotiores sumus? periculose presumimus quidquid ipsorum in talibus præterit. Nec verò id tale est, quod nisi prætereundum fuerit Patrum quiuerit omnino diligentiam præterisse. At valde honoranda est, (inquis) Mater Domini, bene admones, sed honor Regina iudicium diligit. Virgo regia falso non eget honore, veris cumulata honorum titulis, infulis dignitatum. Quæ verba Doct. mellistui, & Theologi profundissimi valde conueniunt præcedenti Doctrinæ, & multo magis eneruant sequentes responsiones, quæ sunt de materia longe grauiori, quamuis præcedens grauius sit.*

## SECTIO II.

*In Beata Virgine non fuisse eandem gratia habitualis plenitudinem, qua fuit in Christo.*

### S V M M A R I V M.

1. *An B. Virgo habuerit eandem plenitudinem gratia habitualis ac habuit Christus.*
2. *S. Hieronymi dictum assertur, necnon Nazianzeni mens adducitur, & multorum aliorum, & num. 3. vsque ad 9.*
10. *An esse per identitatem non sit per substantialem unionem.*
11. *Christus vnitus fuit vnctione qua est diuinitas & oleo sanctitatis increata ex vnionis increate, ex Patribus.*
12. *Christi humanitas Deificata & Sanctificata fuit Deitate.*
13. *Bernardi sensus assertur.*
14. *Plenitudo diuinitatis dupliciter fuit in Virgine, ex eodem Bernardo.*
15. *An tota plenitudo diuinitatis que est plenitudo gratia increata respectu humanitatis Christi, & habetur ab ea ratione vnionis hypostaticæ veniat in Virginem.*
16. *Remigy opinio adducitur.*
17. *Sanctissima V. Maria, quem intensiōnis gradum gratia habitualis charitatis & ceterarum virtutum non habuerit.*
18. *Ad quid detur gratia habitualis, & aliarum virtutum infusarum congregatio.*
19. *Per quid B. Virgo dicatur plena gratia.*
20. *Vnicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi, ex Apostolo.*
21. *Christus est caput corporis Ecclesia.*
22. *Plenitudo gratia habitualis Christi iam eminentis fuit, quod omnes de eius plenitudine acceperimus.*
23. *An plenitudo gratia habitualis que fuit in Christo, sit etiam in Maria.*
24. *An idem dicendum de plenitudine gloria, quod eadem esset secundum intensiōnem in B. V. ac in Christo.*

25. *An B.V. aequè clarè videret diuinam essentiam ac Christum.*
26. *Visio diuinæ essentia conuenit omnibus Beatis secundum participationes luminis gloriæ deriuata in eos à fonte verbi Dei, ex S. Thom.*
27. *An B.V. in verbo cognouerit omnia possibilis ac cognouit Christus Dominus.*
28. *Extensio visionis B.V. ad creaturas iuxta quid sit.*
29. *An si in B.V. sit eadem gratia plenitudo, ac fuit in Christo ab instanti fuerit Beata sicut Christus.*
30. *Si V. M. in instanti fuit data tota plenitudo gratia, quæ augenda non erat data fuerit etiam plenitudo gloriæ sicut Christo.*
31. *Hieronymi & Sophronij sensus.*
32. *An anima Christi & B.V. erant æquales quantum ad capacitatem obedientialem recipiendi gratiam habitualem.*
33. *Sancti Bernardi Senensis sententia assertur.*
34. *Authoris iudicium & numero seq. vsque ad 38.*

**A**D tertium, quod notabam in præfato Triumpho quem dum vidi latino idiomate erat digestum & modo in vulgarem loquelam doctis, & in doctis communè fuit translatum, vt tonsoribus & sartoribus, & mulierculis nota fiant mysteria, quæ vix docti attingunt, quod enim cõducit, quod sartor & alter homo plebius sciat, quod B.V. nõ habuit Angelum custodem, quod habuit eãdem gratiam habitualem ac Christus, quod non meruit augmentum gratiæ habitualis, nec gloriam, certè quidem mihi nunquã arrisit, quod huiusmodi difficultates populo alias incognitæ, vulgari sermone euulgètur disputatæ, modo scholastico, sed vtriusque abundet in sensu suo alius iudicet, de hoc quia ego non iudico quemquam.

1. Igitur tertium punctũ, quod asterico notauit fuit, quod B.V. habuit eandem plenitudinem gratiæ habitualis, ac habuit Christus, dixi esse contra omnes scholasticos, & quod nullus Pater Ecclesiæ eam expressè docuit, imo nec potuit tuto docere, solum aliqui cõfufe & non ita distinctè loquuntur, quod nõ sufficit viro prudenti Theologo, vt in tam absurdam sententiã prolabatur. Videamus Patrũ locutiones quibus nititur huiusmodi inaudita antiquis nouitas S. Hieron. † in sermone de Assumpt. V. explicans illa verba, Luc. 1. benè, inquit, gratia plena, quia cateris per partes præstatur, Maria vero se tota insudit gratiæ plenitudo, & infra, in Mariam tota gratia plenitudo, quæ in Christo est venit, sed aliter, Itè in Fulgentio, & Arnolde Carnotensibus hæc locutio inuenitur, quod gloria filij cū matre nõ tam communis, quam eadè, & vna est Maria &

Christi caro, vnus spiritus, vna charitas. Rursus apud Anselm. c. 11. de excellentiis V. quod sic Deus est omnium Pater sua potentia parando cuncta, ita B.V. Dei genitrix Maria suis meritis cuncta reparando Mater est, & Domina rerũ, & lib. de conceptu Virg. c. 18. ait, quod decès erat, vt ea puritate qua maior sub Deo intelligi quit Virgo illa niteret. Rich. etiã de S. Laur. lib. 9. de laud. Virg. quidquid beatitudinis ab illa infinita bonitate Dei ad genus humanum peruenit totum per istam venam refluxit.

O bone Deus! dũ testimonia ista ita frigida contèplor obstuereo, quod illis nixus aliquis vir doctus audeat adfirmare, quod nullus Patrũ, aut Scholasticorũ ausus est, vel leuiter insinuare Hoc enim est *ultra malleum loqui*, prudentia enim dicat priusquã ad rē, ita graue deueniatur in dolio figurale artem discere, quod prouerbiũ egregiè ad propositũ enucleat Nazianz. † *orat. de fuga sua alios* 3 *verè edocere prius quã ipsi satis docti sint* (in eo quod docet) & *in dolio quod aiunt, figulinã in aliorũ animis meditari pietatē mihi videtur hominũ insigniter insipientiũ*, quæ refero ex S. D. nõ applico, sed applico & refero egregiã eius S. Greg. doctrinã *epist. 26. ad Basilium*, cui quidam Philosophus obiebat, quod Spiritus sancti diuinitatem haudquaquam aperte confiteretur. *Neque enim* (ait Greg.) *in verborum sono potius quam in mente & sententiã veritas sita est, Ecclesia enim graue vulnus acceptura est, si ob vnus hominis eiectionem veritas profligetur*. Igitur non verborum nudo sono alicuius Patris nitens Theologus nouam doctrinam introducat, sed antiquam defendat, hoc enim est, *pro verbulo acrius pugnare disputandi cupiditas, lingua prurigo, nouus morbus, auiditasque inexplebilis*, vt idem contra quosdam nouitatum amatores dicebat idem Magnus Theologus, cuius verba grauiissima, quæ habet *orat. 33. quæ est prima de Theologia cõtra Eunomianos num. marg. 28. quid ergo* (ait) *vir optimè relictis aliis omnibus itineribus, perinde, ac doctrinam nostram paupertatis damnantes ad vnum hoc* 4 *interferimini, quod per disputationes, ac speculationes, vt ipsi putatis, vt autem ego nugæ & præstigias, teritur, isto autem sis ipse altus & sublimis, & sublimibus sublimior, atque etiam ipsis nubibus, si ita lubet, altior, rerumque oculorum aspectum superent spectator, quid est quod vnus diei momento Theologos creas, eruditionemque ipsis velut inspiras, & multa imperitè Doctorum conciliabula facis? cur araneorum telis infirmiores illaqueas, ex eoque tibi scitum aliquod, ac præclarum facere videris? cur aduersus fidem crabrones excitat! cur dialecticorum agmen nobis ex tempore producis, non aliter quam olim fabule agitantis. Hæc ibi quibus impingit nouatores Theologos.*

De quibus conqueritur rescribens idem  
 5 Greg. Cledonio orat. 51. † *scire cupimus* (ait)  
*quanam hæc tanta sit circa Ecclesiam nouandi*  
*libido, ut cuius volenti, ut scriptura vocabulo*  
*utar, prætergredienti ouile præclare ductum*  
*& institutum discerpere, ac per furtiuos impe-*  
*tus, vel potius prædatorias & absurdas doctri-*  
*nas diripere liceat, in quæ verba sic Nicetas*  
*scire ex te vellemus quanam hac in Ecclesia no-*  
*uandi libido sit, ut cuius liceat Domini gregem*  
*discerpere, ac furtiuus & fallacibus sermonibus*  
*simpliciores surripere, ac populari vel potius*  
*prædatoriis hoc est violentis, ac prodigiosis do-*  
*ctrinis. Hæc Nicetas nonne prædatorium,*  
*violentum & prodigiosum assertum, quod*  
*B. Virg. tantam habuit gratiæ habitualis*  
*plenitudinem, ac Christus? non ne prodig-*  
*iosum & prædatorium & prorsus violent-*  
*um, quod sicut Christus non meruit gra-*  
*tiam habitualem, ita nec B. V. nonne prodig-*  
*iosum prorsus, quod B. V. æqualem ha-*  
*buerit gloriam essentialem tantaque per-*  
*fectione & intensione viderit diuinam es-*  
*sentiam, ac filius eius Deus & homo? non*  
*ne prodigiosum violentum & prædatorium*  
*consentire tacite obiectioni positæ, quod*  
*ex dictis manifestè sequatur, quod B. V.*  
*simul fuerit viatrix, & comprehentrix, &*  
*quod sicut Christus non est promeritus glo-*  
*riam essentialem animæ, sed accidentalem*  
*corporis, ita B. V. quis hæc considerans non*  
*proclamat cum Bernardo honor Regine iudi-*  
*cium diligit?*

6 Sed accedamus ad Patres, quos pro se  
 adducit Antagonista. Primus Hieronymus  
*in sermo. de Assumpt. † sed imprimis sermo*  
*iste, ut in impressione de ann. 1622. opera*  
*& labore Mariani Victorij Episcopi Ameri-*  
*ni recognita diligentius multo magis, quam*  
*antea sic ponitur titulus epistola ad Paulam*  
*& Eustochium de Assumpt. B. Mariæ Virginis*  
*sermo, qui Sophronij esse creditur. Sophronius*  
*autem vixit anno 630. tempore Honorij*  
*Papæ I. & Heraclij Imperatoris, ducentis fe-*  
*rè annis post obitum Hieronymi, qui ex hac*  
*vita nonagenarius migravit anno Domini*  
*422. Et quidem in stylo & phrasi, nec in*  
*puncto redolet Hieronymi altitudinem lo-*  
*quendi, habet potius aliquas phrasas &*  
*modum discurrendi Ambrosianum, quare*  
*mihi indubium est epistolam non esse Hie-*  
*ronymi.*

7 Verum sit ut dicitur à Sophronio scripta,  
 planus est eius sensus & intelligentia locu-  
 tionis, loquitur enim manifestè non de  
 gratia habituali creata, sed de gratia increa-  
 ta quæ est ipsa diuinitas, hoc autem ita eui-  
 dens est, ut cæcutiat, qui non videat. † *Aue*  
*(inquit) gratia plena* (prosequitur Auctor) *&*  
*benè plena, quia cateris per partes præstatur*  
*Mariæ vero simul se tota infudit plenitudo gra-*

Tom. II.

*tia. Hoc quippe est quod David canit Psal. 71.*  
*vers....descendit sicut pluuia in vellus. Calestus*  
*planè imber in virginicum vellus placido se in-*  
*fudit illapsu, & tota diuinitatis unda se con-*  
*tulit in carnem, cum Verbum caro factum est,*  
*ac deinde per crucis patibulum expressum terris*  
*omnibus salutis pluiam effudit, & stillicidia*  
*gratiæ humanis præstitit mentibus, & infra scit*  
*Deus omnia & potest. Propterea quia ita est,*  
*sciuit se, ac potuit in utero Virginis sine sui cor-*  
*ruptione miscere ac vnire, ut vnus esset Chri-*  
*stus Deus homo, vnaque persona, vnaque substā-*  
*tia ob quod (nota causalem) Deo genitrix ele-*  
*cta & præelecta iure ab Angelo salutatur &*  
*prædicatur gratia plena, verè plena per quam*  
*largo sancti Spiritus imbre superfusa est omnis*  
*creatura, & ideo satis eam deuotissime primum*  
*Angelus veneratur & salutatur. Miratur itaque*  
*& ipse qualis, aut quanta sit quam salutatur, non*  
*enim simplex, fateor, vel consueta fuit ista salu-*  
*tatio, sed omni admiratione digna, siquidem ve-*  
*nerationis fuit delatio, oblatio muneris, famula-*  
*tus obsequij. Quia etsi in sanctis Patribus & Pro-*  
*phetis gratia fuisse creditur, non tamen eatenus*  
*plena, in Mariam vero totius gratiæ, quæ in*  
*Christo est plenitudo, venit, quamquam aliter,*  
*quid illustrius?*

Venit ergo plenitudo in Mariam gratiæ  
 increatæ, quæ fuit in Christo in quo (ut ait  
 Paulus ad Colos. 2. n. 9.) *omnis plenitudo diuini-*  
*tatis corporaliter, id est substācialiter vnita in*  
*utero Virginis, in quo etiā venit diuinitatis*  
*plenitudo, sed aliter, quia in Virgine nō fuit*  
*vnita substācialiter sibi, sicut vnita est in per-*  
*sona Christi & hoc est quod Card. Petr. Da-*  
*miani dixit, quod Deus est in Virgine per idēti-*  
*tatē, quomodo in nulla est creatura, esse autem †*  
*per identitatē non est per substācialē vnio-*  
*nē, quia in Virgine est verificata hæc propo-*  
*sitio, quod verbū in utero eius caro de carne Vir-*  
*ginis est factum, quomodo nullibi existit &*  
*eodē modo etiā verificatur, quod tota pleni-*  
*tudo gratiæ increatæ, quæ fuit in Christo ve-*  
*nit in Mariam, quamquam aliter, quia vide-*  
*licet tota plenitudo diuinitatis, quæ substā-*  
*tialiter vnita fuit in Christo, venit ad Mariā*  
*ut eius utero fieret substācialis vnio, quæ*  
*admirabilis excellentia, quā nec similem visā*  
*est, nec habere sequentē, causa fuit, ut Sophro-*  
*nij se indignū putaret de tanta Virgine lo-*  
*qui, quia videlicet verbi œconomia qua*  
*Verbum diuinum filius Dei naturalis totus*  
*secundum diuinitatem venit & factus est*  
*filius naturalis Virginis, in cuius utero ce-*  
*lebrata est œconomia dicta secundum quā*  
*plenitudo omnis diuinitatis & gratiæ in-*  
*creatæ fuit in Christo, & venit in Mariam*  
*quamquam aliter.*

Et quidem quod plenitudo gratiæ in  
 Christo possit propriè intelligi plenitudo di-  
 uinitatis, quæ est gratia & sanctificatio in-

- creata qua ex vi vnionis hypostatica tota humanitas Christi sanctificatur, euidens est in Patribus adeo quod negari nō possit, sūt enim apud Patres sequentes locutiones prima,
- 11 quod † Christus vnitus fuit vnctione, quæ est diuinitas & oleo sanctitatis increatæ ex vi vnionis increatæ. Ita Nazianz. *orat. 36. qua est 4. de Theolog. n. 9 3. Cyrill. lib. 4. in Ioan. cap. 19. Damasc. lib. 3. de fide cap. 3. Concil. Francfor. in epist. ad Episc. Hispania post mediū;*
- 12 secunda quod † Christi humanitas deificata, & sanctificata fuit Deitate. Ita Nazianz. *ubi supr. n. 46. & orat. 5 1. sexta generalis Synodus act. 17. in definit. fidei, Cyrillus lib. 1. in Isaiam orat. 4. Et vterque Thomas rigore scholastico loquentes idem fatentur, quod diuina persona ratione vtrique diuinitatis est gratia increata, audi S. Doct. 3. p. quaest. 6. art. 6. in corp. gratia vnionis est ipsum esse personale, quod gratis diuinitus datur humane nature in persona verbi, quod quidem est terminus assumptionis. Quæ verba sic enucleat Eminentissimus alter Thomas ibi §. nota secundo, quod cum quis gratiosè dat se ipsum alicui ipsemet vocatur & est gratia iuxta communem vsum loquendi, quo concessum gratiosè donum gratia vocatur, dum dicimus iste fecit mihi hanc gratiam & hoc modo, quia res data humane nature in mysterio Assumptionis est esse personale filij Dei, ideo ipsum esse personale, vt induit rationem doni gratiosè concessi vocatur gratia; vnionis autem, quia per vnionem habetur à natura cui datum est. Hæc ibi.*

Hanc intelligentiam mihi subministravit mellifluus Bernardus *hom. 4. super missus est, aliquantulum post principium, vbi sic loquitur.*

- 13 † Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco, & respondens Angelus dixit ei, Spiritus sanctus superueniet in te & virtus Altissimi obumbrabit tibi? Superius dicta est fuisse gratia plena, & nunc quomodo dicitur Spiritus sanctus superueniet in te & virtus Altissimi obumbrabit tibi? Nunquid potuit repleti gratia & nedum habere Spiritum sanctum, cum ipse sit dator gratiarum? si autem Spiritus sanctus erat in ea, quomodo adhuc tanquam nouiter superuenturus repromittitur? An fortè ideo non dixit simpliciter veniet in te, sed addit super, quia & prius quidem in ea fuit per multam gratiam, sed nunc superuenire nunciatur propter abundantioris gratia plenitudinem, quam effusus est super illam, at vero cum plena sit illud amplius quomodo capere poterit? Si autem plus aliquid capere potest quomodo antea fuisse plena intelligenda est? An prior quidem gratia eius tantum repleuerat mentem, sequens vero etiam ventrem perfundere debeat quatenus scilicet plenitudo diuinitatis, qua ante in illa sicut & in multis sanctorum spiritualiter habitabat, etiam sicut in nullo sanctorum corporaliter in ipsa habitare incipiat? quam intelligentiam in verbis

sequentibus latè & profundè enucleat, sentit ergo Bernardus, quod † plenitudo diuinitatis dupliciter fuit in Virgine, aut spiritaliter per gratiam creatam habitualement, sicut fuit in alijs Sanctis, aut sicut in nullo sanctorum corporaliter in ipsa habitauit, & hoc modo plenitudo gratia, quæ fuit in Christo venit in Mariam gratia inquam increatæ, quæ est plenitudo diuinitatis.

Ex quibus liquido constat Sophronij sensus, qui est quod † tota plenitudo diuinitatis, quæ est plenitudo gratia increatæ respectu humanitatis Christi, & habetur ab ea ratione vnionis hypostaticæ, hæc eadem tota gratia increatæ plenitudo in Virginem venit (nota proprietatem verbi venit non dicit fuit) non ratione vnionis hypostaticæ, sed ratione generationis naturalis, qua Verbum caro factum est de carne Virginis assumpta & in vtero virgineo celebrata, & hinc oritur verissimè dictum fuisse à Sophronio, quod benè Beata Virgo dicitur gratia plena, quia ceteris per partes prestatur Maria vero tota se infudit gratia plenitudo, quia videlicet ex eo, quod tota plenitudo diuinitatis venit in Mariam, quia fuit Mater Dei, & in eius vtero celebrata est verbi æconomia, nō per partes communicata est illi gratia & collectio virtutum, sed in omnibus æquè eminēs fuit. In alijs enim sanctis, vt ait Remigius *super cap. 2. epistol. ad Colos. † diuinitas habitabat per partes in Salomone per sapientiam, in Abraham per fidem, in Dauide per castitatem, in Moyse per mansuetudinem, & sic diuisa quasi est diuinitas in diuersis diuidens se ipsam prout vult, ratione diuerforum effectuum, vt dicitur 1. ad Corinth. 12. num. 2. & num. 30. at in Virgine non per partes, sed tota gratia plenitudo, & virtutum se infudit, quia semper est æmulata charismata meliora (legendus est D. Th. opusc 8. & Albinus Flaccus, qui vixit anno 760. tempore Caroli Magni, vir valdè eruditus *hom. 2. in Nativ. B. Mariæ*) non tamen æqualia filio & quis non se cohibet à tali doctrina prorsus in Ecclesia vsque ad nouitatem, introductam inaudita.*

Ex clara intelligentia locutionis Sophronij (qui sequendus non esset si vt Antigonista vult sentiret, sed explicandus) liquet alia aliorum Patrum, quomodo sint intelligendæ, dicitur quod fuit eadem gloria filij cum Matre, quia honor & gloria filij matri communicatur, sicut dicitur quod vna est Maria & Christi caro, quia ista de Maria assumpta est, dicitur etiam vtriusque vnus spiritus & vna charitas, per conformitatem, singularem, quæ erat in filio & matre. Alia autem locutione Anselmi & Richardi nihil ad præsens deseruiunt cum rectæ verificentur etiam si B. Virgo non habuerit tantam

ram gratiæ habitualis plenitudinem, & intensiorem, ac habuit Christus.

17 Dirutis iam, & in puluerem redactis fundamentis, quibus nouitas ista satis perniciofa, & quæ nihil deferuit ad defendendum præseruationem V. Matris ab originali culpa imo rem satis piam, austeram reddit, & odiosam recte sentientibus, nitebatur, probandum est omnino falsam esse sententiam, & nullatenus admittendam cum ex ea magna sequantur absurda. Igitur quod † Sanctissima V. Maria Mater Dei non habuerit eum intensiorem gradum gratiæ habitualis charitatis, & cæterarum virtutum, ostensue probatur non quidem discursibus attinentibus ad Theologum Scholasticum, qui etsi verissimi sint possunt facilius obtenebrari friuolis solutionibus, & subtilitatibus, quas impugnare hic non vacat, & legi possunt apud vtrumque Thomam 3. p. quæst. 7. art. 10. & apud expositores D. S. sed rationibus de penu dogmatum erutis, & ad Theologum dogmaticum attinentibus.

18 Prima sit à priori, quia † gratia habitualis, & aliarum virtutum infusarum c. n. gregatio, vel datur, vt anima Deo coniungatur, per eius participatam naturam, quæ in gratia habituali, & fociis virtutibus splendet, vt sic efficiamur diuinæ naturæ participes, vt ait D. Petrus epist. 2. cap. 3. vel consequitur ad vniõnem substantialem cum Deo quæ vel exigit huiusmodi habitus vt connaturaliter homo Deus potentiis intellectualibus operetur, vel si non exigit, cõgrue videntur animæ sic substantialiter Deo vnitæ, si datur vt anima Deo coniugatur, quanto maior fuerit vniõ tantò maior erit quantitas gratiæ habitualis, at nullus Catholicus tuto adfirmare queit quod B. V. ita sit Deo per operationem vnita ac Christus, cuius ratio dogmatica est quam tradit D. Thom. 3. p. quæst. 7. art. 10. ad 1. vbi cum obiecisset sibi præcipuum fundamentum nouitatis oppositæ, quod Beat. Virgin. dicitur gratia plena

19 *Lucæ 1. sic respondet ad primum dicendum, quod B. V. dicta est plena gratia non ex parte ipsius gratiæ, quid non habuit gratiam in summa excellentia, qua potest haberi, nec ad omnes effectus gratiæ, sed dicitur esse plena gratia per comparationem ad se ipsam, quia scilicet habebat gratiam sufficientem ad statum illum ad quem erat electa à Deo, vt scilicet esset mater unigeniti eius, & similiter Stephanus dicitur plenus gratia, quia habebat gratiam sufficientem ad hoc quod esset idoneus minister, & testis Dei ad quod erat electus, & idem dicendum est de aliis. Harum autem plenitudinem vna est plenior altera secundum, quod aliquis est diuinitus præordinatus ad altiorem vel inferiorem statum. Hæc ibi.*

Ex quibus dogmaticè demonstratur no-

stra sententia, quia † iuxta Apostolum ad 2<sup>o</sup> Ephesios 4. num. . . unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi, siue etiam secundum virtutem in quantum scilicet habet facultatem gratiæ ad omnia, quæ pertinent ad suum officium siue statum, sicut Apostolus dicebat Ephes. 3. n. 9. *Mihi enim omnium Sanctorum minimo data est gratia hæc illuminare omnes.* Atqui status filij Dei naturalis qualis est Christus longè altior est, & sublimior quam status maternitatis naturalis illius, cuius ratio est de fide, quia vt Christus sit filius naturalis Dei in quantum homo debet esse hypostatice vnitus ipsi Dei filio, non tamen hoc requiritur vt Beata Virgo sit mater naturalis Dei, ratione humanitatis, ergo euidens est dogmaticè, quod filius Dei in quantum homo habuit maiorem gratiam habitualem, quam B. V. consequentia me quidem iudice tuto negari non potest, quia vt ratio ipsa dicat naturalis, quanto aliquid receptiuum propinquius est causæ influenti tanto abundantius recipit influxum, cumque anima Christi sit quæ propinquius coniungitur Deo inter omnes creaturas rationabiles maximam super omnes recipit influentiam gratiæ habitualis.

Secundò probatur, quia de fide est, quod † Christus est caput corporis Ecclesiæ quod 21 influit in membra mystica gratiam habitualement, cæterasque infusas virtute, & dona supernaturalia, vnde sic respicit gratiam, vt tanquam vniuersale illius principium in omnia membra transfundat, & communitet. Vnde sicut ignis est primus in genere calidorum, ita Christus in genere habentiũ gratiam, nulla autem causâ, etsi calidissima, si non est ignis tantam caloris habet intensiorem, ac habet ignis; ergo nullum membrum Ecclesiæ, etiam si sit illius collum, vt est B. V. ita iuncta capiti Christo habebit æqualem, cum ipso gratiæ habitualis intensiorem, sed longè minorem, consequentia est euidens, quia nullum corporis, siue mystici, membrum æquari potest capiti illius in virtute, & gratia, & contrarium est confundere officia membrorum & capitis, vnde de Christo capite dicitur, *vidimus eum quasi unigenitum à Patre plenum gratia.* quibus verbis S. Euangelista hanc rationem comprehendit; quia plenitudo gratiæ Christi fuit plenitudo vnigeniti à Patre, qui fuit caput Ecclesiæ, & nulla alia potest esse æqualis.

Tertiò, quia † plenitudo gratiæ habitua- 22 lis Christi tam eminens fuit, quod de plenitudine eius omnes acceperimus, vt dicitur Ioann. cap. 1. n. 12. at de plenitudine Virginalis gratiæ non omnes accepimus, etsi per plenitudinem gratiæ Marianæ omnes

acceperimus de plenitudine Christi, quia ipsa est collum Ecclesiæ, per quod gratia capitis descendit, ad alia membra, quod libenter do Antigonistæ, ideo enim accepimus de plenitudine gratiæ Christi, quia Christus est caput & principium vniuersale gratiæ habitualis ratione suæ plenitudinis, ergo prorsus implicat, quod † plenitudo gratiæ habitualis quæ fuit in Christo sit etiã in Maria, consequentia est euidens, quia Christus constituitur in actu caput, & principium gratiæ respectu aliorum etiam respectu B. V. per gratiam habitualem, ergo eminentior debet esse, & intensior in principio agente quam in B. V. recipiente, quia omne agens etiam ratione virtutis agendi eminentius est & præstantius omni patienti & recipienti, vt ostendit Aug. *lib. 12. de Genes. ad Litter. cap. 16.* & docuit Arist. *lib. 3. de anima text. 19.*

Quartò, idem dogma ostenditur ab absurdis grauissimis quæ ex contraria opinione sequuntur. Primum, quod idem dicendum esset † de plenitudine gloriæ, quod eadem esset secundum intensiorem in B. V. ac in Christo sequela manifesta est, quia gratia est semen gloriæ, & ita vbi est plenitudo seminis, est necessario plenitudo fetus, & fructus si ex parte recipientis semen non sit impedimentum, quale non est in Beat. Virgin. cum immunis fuerit etiam à veniali & qualibet quantumuis minima morali imperfectione, quare sicut est subiectum capax æqualis gratiæ habitualis, cum Christo, necessario est capax æqualis Beatitudinis & gloriæ essentialis cum Christo, quod quantum sit absurdum omni Catholico, quilibet Catholicus videt, ex hoc enim sequeretur, quod † B. V. æquè clarè videret diuinam essentiam, ac Christus Dominus, quod dici existimo non tuto possit, sequela probatur, quia vnus Beatus est beatior aliquo, quia clarius videt Dei essentiam, maior autem claritas oritur ex maiore perfectione substantiali visionis, ergo si ista æqualis in Virgine, ac in Christo, Virgo æquè clarè videt Deum ac Christus. Falsitas autem consequentis probatur à S. Thom. 3. *part. quæst. 11. art. 4.* ex Paulo *ad Ephesios 1. num. 15.* *Deus (ait) constituit Christum ad dexteram suam in cælestibus supra omnem principatum & potestatem & virtutem & dominationem, & omne nomen, quod nominatur, non in hoc seculo, sed etiam in futuro, sed in illa cælesti gloria tanto aliquis est superior quanto perfectius cognoscit Deum, ergo anima Christi perfectius videt Deum, quam quælibet alia creatura.*

Cuius rationem dogmaticam, solidam, & à priori tradit idem S. Doctor. *ibidem.* Quia

† *visio diuinæ essentia conuenit omnibus Beatis*

*secundum participationes luminis gloriæ derivata in eos à fonte verbi Dei secundum illud Eccles. 1. num. 19. Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis. Huic autem verbo propinquius coniungitur anima Christi, quæ est vnita verbo in persona, quam quæuis alia creatura, & ideo perfectius recipit influentiam luminis, in quo Deus videtur, ab ipso verbo, quam, quacunque alia creatura, & ideo præ cæteris creaturis perfectius videt ipsam primam veritatem, quæ est Dei essentia, vnde dicitur Ioannis 1. Vidimus gloriam eius gloriam quasi unigeniti à Patre. O bone Deus? quis non admiratur intellectum Angelicum D. Sancti, qui profundè præuidens hanc nouitatem eam euertit argumento facto.*

Deinde sequeretur quod † B. V. in verbo cognouerit omnia possibilium, ac cognouit Christus Dominus sequela est manifesta, quia iuxta strictiorem, & obseruantiolem scholæ Thomistarum, quam profitetur Antigonista, maior beatitudo, & eius inæqualitas desumitur à cognitione possibilium in diuina essentia, ex vi visionis, vi cuius si plura possibilium cognoscuntur in Deo magis penetratur ipse Deus, & sic clarius, & perfectius attingitur, & sic datur maius lumen gloriæ, vnde si B. V. æqualem visionis plenitudinem habuit, & luminis gloriæ, ea omnia possibilium attingit in verbo ex vi visionis ac Christus, imo sicut Christus Dominus scit omnia quæ Deus scit scientia visionis, per visionem diuinæ essentia, eadem etiam cognouit B. V. quod vel insinuare absurdum est, & nullus dixit, vnde amplius sequeretur quod B. V. æqualis esset Christo in scientia per se infusa, in sapientia, & scientia rerum supernaturalium, quia hæc omnia debentur plenitudini gratiæ Christi, si ergo hæc fuit æqualis in Virgine, in cæteris etiam extitit æqualitas.

Hoc argumentum conuincens obieci in epistola Reuerendissimo Antigonistæ, qui respondet, quod † extensio visionis B. V. ad creaturas non est iuxta quantitatem luminis gloriæ, sed iuxta statum cuiuslibet Beati, vnde inferior Beatus potest cognoscere plura per visionem quam alius, qui in altiori gradu Beatitudinis est. Verum enim vero in hoc ab schola Thomistica recedit, quæ ipse tueri fatetur in proœmio ad lectorem, quamuis enim cognitio futurorum non arguat maiorem perfectionem Beatitudinis, ac cognitio possibilium in verbo ex vi visionis euidens est in doctrina D. Thom. quod arguit maiorem beatitudinis essentialis perfectionem vnde S. D. ex cognitione omnium possibilium in verbo ex vi visionis colligit comprehendere Deum; vnde si B. V. æqualem plenitudinē visionis habet ac Christus omnia possibilium, quæ Christus cognouit, & ip-



sa cognovit, quod quidem dicere mihi est omnino absurdum. Rursus licet cognitio futurorum plurium, vel paucorum non arguat maiorem perfectionem visionis & Beatitudinis, at cognitio omnium futurorum & rerum, quæ actu extitere, existunt, aut existant ita vt in numero obiectorum æquetur scientiæ visionis Dei, vt eam habet Christus Teste D. Thom. *vbi supra ad 2.* manifeste arguit maiorem perfectionem visionis, quæ exigit ratione subiecti omnium illorum cognitionem in verbo, dicere autem quod visio B. V. in verbo exigat æquari in numero obiectorum scientiæ visionis Dei plane absurdum est, nec vllus vnquam dixit, & deuotio & pietas directione condita ad hæc concedenda non debet prorumpere, *quia honor Regina iudicium diligit.*

- 29 Tandem obiecibam, quia † si in B. V. est eadem gratiæ plenitudo ac fuit in Christo, etiam ab instanti conceptionis fuit Beata sicut Christus, vnde simul fuit viatrix, & comprehendrix, & solum sibi promeruit gloriam corporis, sicut Christus, & cur hoc non dicitur sicut dicitur, quod non promeruit sibi augmentum gratiæ; hæc ego ibi, quibus ille fere nihil respondet videns ni fallor esse eidentem illationem, quod probo, quia gratiæ plenitudo in Christo fuit consummata, atqui gratiæ consummatæ debetur ex natura rei, visio beata, quia nunquam est gratia consummata, quandiu non terminatur termino viæ quod si isto non consummatur semper potest augeri, & quandiu augeri potest subiectum est in via, & quandiu subiectum est in via, non debet consummatio gratiæ, sicut debita fuit Christo, & ita simul cum plenitudine gratiæ data est illi in instanti suæ conceptionis plenitudo gloriæ, ergo † si V. Mariæ in instanti est ei data tota plenitudo gratiæ quæ augenda non erat data fuit etiam plenitudo gloriæ sicut Christo, & ita sicut merita Christi solum sibi meruerunt gloriam corporis, & simul fuit viator, & comprehendrix, ita de Virgine dicendum, ad quid ergo Virgo indiguit ambulare per fidem, sicut cæteri puri viatores, qui per fidem quæ per charitatem operatur mercatur gloriam, & gratiam, & vtriusque augmentum, sicut ergo B. V. ab instanti suæ conceptionis habuit totam plenitudinem gratiæ, quæ fuit in Christo, nec promeruit augmentum gratiæ, ac per consequens nec augmentum gloriæ, ad quid fides infusa cum visio clara possit concedi, sicut conceditur tota gratiæ plenitudo, quæ in Christo fuit nec video cur ob eius excellentiam quod simul fuit viatrix, & comprehendrix, quod sicut est absurdissimum, ita & illud ex quo infertur.

Sed videamus quid respondeat ad hæc <sup>31</sup> omnia Antigonista hic, dicit enim in responsione ad meam epistolam *num. 12.* quod non est hoc inuentum capitis sui, sed D. Hieronymi aut Sophromij, qui id expresse adfirmavit, quod tota plenitudo gratiæ, quæ fuit in Christo venit in Mariam, bene de similibus Theogonetus *apud Athenicum libro 15.*

*Terra loquens, cæloque Philosophatus es.*

*Sed hisce nulla est cura sermonis tui.*

Egregiè quidem dum iste terræ quæ cælo loquitur dicens, rem prorsus absurdam inuentam fuisse Sanctorum, in quorum mentem nec tale venit, quare sui capitis prorsus est chimera inuenta, de qua nulla iura cælo, vel terræ est, sed à prudentibus spernitur, quid enim illa locutione sentiat. Sophronius iam supra ex illius contextu mōstrauit, & locutione melliflui Doct. illustrauit, quæ in præsentem non refero & non dubito, quod si legisset Sophronium *in præfato sermone*, quod & ipse quoque mecum sentiret.

Sed addit, quod † animæ Christi & B. <sup>32</sup> Virginis erant æquales quantum ad capacitatem obedientialem recipiendi gratiam habitualement, quamuis valdè inæquales, quia anima Christi erat vnita hypostaticè verbo Dei, & sic Diuinitati, & primo gratiæ principio vicinior, quam B. V. anima, & sic gratia habitualis in Christo connaturalizata est, fuitque principium actiuum & instrumentum coniunctum Diuinitatis ad producendam omnem gratiam habitualement in omnibus à Christo redemptis, & sic etiam in B. V. quæ fuit solum principium passiuum, tam gratiæ substantialis, & increatæ, (ecce quomodo Antigonista, vel nolens agnoscit in Virgine plenitudinem gratiæ substantialis, & increatæ, de qua absque dubio intelligitur Sophronius,) quam habitualis creatæ ad istam nullo modo se disponit, benè tamen ad substantialem, & increatam, ad quam se disposuit gratia habituali in summo gradu, ac fuit in Christo, & sic dixit S. Bernardus Senens. † *tom. 1. serm. 61. cap. 12. quod oportuit* <sup>33</sup> *fæminam eleuari, ad quandam equalitatem diuinam per quandam quasi infinitatem perfectionum.* & Dionysius Carthusianus, *cap. 1. in Lucam, quod B. V. fuit summè disposita & immediatè ad verbi conceptionem per ardentissimum Charitatis actum.*

At ego † subuentanea ista paradoxa <sup>34</sup> prorsus irrideo & amplector solidam Thomistarum sententiam, quæ hucusque viguit in Ecclesia, in qua nihil conducit deuotionis, pietatis, cultus, aut religionis nouitas ista, etsi enim V. Maria vera sit, vt fides docet, mater Dei *lacque dabat illa Deo ubere de cælo pleno*, sicque ipse

*Fecit, quod Dominam nunc quoq; nomen habet.*

Domi

Domina quidem omnium quæ Dominus creauit creaturarum est Dei genitrix continens omnium gratiarum abyssum à qua omnes participant per ipsam, sed non ab ipsa, sed à filio suo, cui gratia erat connaturalis vt Antigonista fatetur, & ab intrinseco illi debita, siue debito naturalis proprietatis, siue debito congruentiæ, vnde manifestè deducitur, quod gratia habitualis alteri præter Christum non est data in eodem gradu, ac Christo, quis enim dicet, quod lux solis  
 35 alteri præter ipsum in æquali gradu detur, aut calor ignis alteri, quam igni, rursus non est tanta congruentia in pura creatura, quãuis sit mater Dei, cum semper sit persona creata ad hoc quod ei detur gratia habitualis ac est in supposito diuino, qualis est Christus Dominus; quamuis ex ratione maternitatis naturalis Dei hominisque in vna persona vnitorum euecta sit ad quandam æqualitatem cum Deo quatenus filius, & mater æquales sunt in natura, nõ vero ad æqualitatem donis supernaturalibus, quæ debita sũt filio Dei, & filio Virginis qui filius Dei est, at Virgini omnino sũt gratuita gratiosæque donata nihil habentia de debito alias nõ essent gratia, ipsaque Virgo ad conceptionem verbi disposita est summe, & immediate per actum dilectionis quæ in quantum dispositio supernaturalis ad illam fuit summa, qualis non est possibilis in alia pura creatura nisi verbum Dei concipiat, & hoc modo intelliguntur Bernardinus, & Carthusianus, & si qui sunt alij, qui simili phrasi loquuntur, non vero quod charitas Virginis  
 36 siue actualis siue habitualis gratia, & cætera Spiritus Sancti dona in intensione æquentur, donis, quæ in Christo sunt, hoc enim asserere ita falsum existimo quod nullus tuto id affirmare queat, quamuis vt dixi. 3. p. *quæst. 7. tract. 2.* Beat. Virgo tantam intensiõnem gratiæ habitualis habuerit vt nulla pura creatura etiam de potentia absoluta maiorem, vel æqualem habere potuerit, simile dixi de gratia habituali Christi, quæ nec de potentia absoluta maior, & intensior esse non possit.

37 Rursus eadem responsio euertitur à radice, ex qua confurgit. Quia etsi quantum ad capacitatem ad recipiendam gratiam habituale cæteraq; Spiritus S. dona anima Christi, & anima Virginis æquales sint, quia in vtraque æqualis est potentia obedientialis, respectu omnipotentia diuinæ, cui omnes creaturæ æqualiter subduntur, etsi inquam æquales sint si hanc potentiam obedientialem mathematicè consideremus abstrahendo à fine, sicut quantitati mathematicè potest semper sine termino fieri additio, at non quatenus est destinata ab auctore naturæ rebus creatis ad sua munia naturalia

exercenda, nam omnibus natura constantibus signatus est terminus, siue intrinsecus, siue extrinsecus augmenti, & decrementi, vt dicitur 1. *physico.* & admittunt omnes recte Philosophantes. Ita quamuis si consideretur potentia obedientialis in anima Virginis nõ repugnet quod sit æqualis gratia habitualis, ac est in Christo imo, & maior si mathematicè consideretur, at omnino repugnat, quod sit æqualis si attendatur finis supernaturalis ad quem ex natura sua ordinatur gratia Virginis, vt congruo fiat digna mater Dei, qui finis longe inferior est, quam quod humanitas Christi ad tantam euectur substantialiter celsitudinem, vt nulla maior excogitari possit, ex qua vnione substantiali animæ Christi cum verbo sequitur necessario maior substantialis vicinitas & approximatior ad diuinitatem quæ est gratia increata, & causa gratiæ habitualis creata quæ Christo datur, & sic euidenter est quod in Christo sit maior intensiue, quam in B. V. quare Antigonista sibi implicat in dictis, nam eo ipso quod anima Christi sit vicinior diuinitati, & gratia eius sit principium actiuum gratiæ Virginis, quæ est principium passiuum dumtaxat, vt fatetur, euidenter infertur quod in Virgine sit minus intensa, quam in Christo.

### SECTIO III.

*B. Virginem sibi promeruisse suis operibus gratia habitualis augmentum*

#### S V M M A R I V M.

1. *An B. V. promeruerit augmentum gratia habitualis sibi.*
2. *Tridentini Conc. mens, & n. 3.*
4. *An opera bona hominis iusti non solum erant signa gratia habitualis, sed etiam haberent efficaciam, & virtutem ad illam augendam.*
5. *Authoris iudicium affertur.*
6. *An merita & opera hominis iusti augeant gratiam semel acceptam.*
7. *Nazianzeni dictum.*
8. *An intensio habitus supernaturalis celebretur eo modo quo intensio habitus naturalis.*
9. *Triplex gratia habitualis perfectio affertur à S. Doctore.*
10. *An gratia secundum se inclinēt ad bonum liberum hominis arbitrium, sed defectibiliter & amissibiliter.*
11. *Quandonam gratia habitualis iam habeat perfectionem ex diuina voluntate.*
12. *An terminus & consummatio quæ excludit augmentum sit terminus vitæ æterna.*
23. *An post verbi conceptionem Beat. Virgo fuerit*

*fuerit secura, & confirmata non amittendi beatitudinem.*

14. S. Doctoris sententia adducitur.

15. In B. Virgine triplex gratia plenitudo est consideranda, & n. 16. 17. & 18.

19. Prior gratia plenitudo mentem B. Virginis implenerat ex Bernardo, & numero 10.

21. Clement. Alex. sensus, necnon multorum aliorum, & n. 22. & 23.

VENIAMUS denique ad vltimum, quod ego obieciabam contra id quod asserit  
 1 p. 2. §. 12. quod † B. V. non promeruit augmentum gratiæ habitualis sibi, sed quod ab instanti suæ conceptionis sine meritis suis habuit gratiam totam habitualem, quæ erat habitura in toto suæ vitæ periodo, quæ de condigno promeruit maternitatem Dei, vnde sicut Christus solum nobis meruit gratiam, & gloriam, & sibi gloriam corporis, crescebat gratia, solum quantum ad effectus gratiæ, vt ait D. Thom. 3. p. quest. 7. art. 12. ad 3. ita B. Virgo pves por que no sera licito à nos otros el decir tambien conforme a esta doctrina que el aumento que tubola gracia de Maria fue de estos efectos y no del habito, ita lingua vulgari ille, sed cantio hæc vulgaris *Agathonea est*, qua demulcet & prurit aures à veritate auditum diuertit, & ad fabulas conuertit, quare prorsus deridenda, parui pendenda, contemnenda. Opponitur enim manifeste Tridentino † sess. 6. cano. 24. vbi sic. *si quis dixerit iustitiam acceptam non conseruari atque augeri coram Deo per bona opera, sed opera ipsa fructus solummodo & signa esse sanctificationis adeptæ, non autem ipsius augendæ causam, anathema sit* quæ dogmaticâ doctrinâ nullum excipit, qui sit purus viator, & creatura. Neque B. V. quando enim eam vult excipere ab aliqua veritate dogmatica, ita vt sub illa nō comprehendatur id exprimit, vti fecit sess. 5. in decr. de peccato orig. sub quo; declarat non esse intentionis suæ comprehendere B. & Immaculatam V. Mariam Dei genitricem, sed obse ruandas esse, constitutiones Sixti Papæ I V. & sess. 6. cano. 25. dum à dogmate fidei, quod nullus potest in  
 3 re sine speciali Dei priuilegio quemadmodum de B. V. Ecclesia tenet, ast in dogmate, quod iustitia accepta non augeatur coram Deo, per bona opera, sed quod opera sint effectus & signa sanctificationis adeptæ; non autem causæ ipsius augendæ. B. V. non excipit, sed de omnibus iustis viatoribus vniuersale dogma definit. Ergo negari nequit, quod iustitia, & Sanctitas B. V. non augeatur coram Deo, per bona opera, sed quod ista sint fructus significationis adeptæ, & non causa ipsius augendæ.

Sed respondebat, quod intentum Concilij contra hæreticos huius temporis fuit definire, quod † opera bona hominis iusti non solum erant signa gratiæ habitæ, vt illi assererant, sed etiam habere efficaciam & virtutem ad illam augendam, sicut in sententia D. Tho. & Thomistarum, (quam ego pro viribus tutati in meo Præcurfore Theol. contr. 4.) actus charitatis remissos de facto non augere gratiam, & charitatem intensiorem, quia nequeunt ob suam debilitatem augmentum physicum gratiæ intensioris inducere. Ita merita B. V. habebant efficaciam, & virtutem ad augendam gratiam si iam ipsam auctam in Summo, non inuenirent, quod si de facto non inducunt augmentum, non est ex defectu virtutis, sed quia iam inueniunt factum, quod poterant, & sic solum merentur nobis gratiam sibi vero dignitatem Matris Dei & gloriæ possessionem.

Verum enim vero quis non videt, quod hic Auctor volentia non solida sectatur, & vt ait Hier. in apologia, primùm contra Rufinum, dum aureos montes pollicetur ne scorte vnummū profert. Fateor ingenuè † Concil. Trident. contra hæreticos definire bona opera hominis iusti efficaciam, & virtutem habere ad augendam gratiam & iustitiam, semel habitam quæ virtutem negabant hæretici asserentes esse solum signa, non causam sanctitatis augendæ, sed hoc augmentum de facto inferri decernit cap. 10. his verbis. *Sic ergo iustificati (per renouationem interioris hominis per voluntariam, susceptionem gratiæ, & donorum vt dicitur c. 7.) & amici Dei, & domestici facti euntes de virtute in virtutem renouantur, vt ait Apostolus de die in diem hoc est mortificando membra carnis sue, & exhibendo ea arma iustitiæ, in sanctificationem per obseruationem mandatorum Dei, & Ecclesie in ipsa iustitia per Christi gratiam acceptam cooperante fide bonis operibus crescunt atque magis iustificantiur sicut scriptum est qui iustus est iustificetur adhuc, & iterum ne verearis vsque ad mortem iustificari, & videtis quoniam ex operibus iustificatur homo; & non ex fide tantum. Hoc vero iustitiæ incrementum petit Sancta Ecclesia cum orat. Da nobis Domine fidei spei, & charitatis augmentum.* Hæc ibi quibus nihil esse potest illustrius, hac enim doctrina determinat vniuersaliter Concilium, quod † merita, & opera hominis iusti nullum excipiens, augent gratiam semel acceptam, & non solum quod habeant vim & efficaciam ad augendum quod multis probat scripturæ testimoniis ad hoc ipsum ab eodem Concilio intellectis, vt qui iustus est iustificetur adhuc, & ne verearis vsque ad mortem iustificari. Quis hoc negabit de B. V. aut quis dicet quod B. V. non posset orare dicens  
 6 *Da mihi Domine fidei, spei, & charitatis augmentum*

mentum? & ex hac dogmatica doctrina colligit & definit Tridentin. contra hæreticos, quod bona opera non solum sunt signa iustitiæ, semel acceptæ, sed quod sunt causa illius augendæ, vnde ex eo quod sacra scriptura de facto esse dicit, colligit virtutem & efficaciam bonorum operum.

His accedit quod nullus Catholicorum qui ante vel post Concilium sua scripta typis mandavit, etiamsi prærogativas, & excellentias singularissimas de B. V. vt par est dixerit, hanc, quod non meruerit suis eximiiis operibus augmentum gratiæ sibi, nec leuiter insinuauit, solum hic author naniis & friuolis argumentis nixus, ausus est sic lingua vulgari publicare, quod nemo alius, nec Græcus, nec Latinus, (ex antiquis, aut doctis Recentioribus) dixit. O quam benè  
7 instruit me Nazianzenus *orat. 32. n. 20.* † *Nihil apud Deum ita amplum & magnificum est, vt doctrina perpurgata veritatis dogmatibus instructa, atque perfecta, si hoc ita est ad quid deseruiunt nouitates istæ, quibus anima non purgatur, sed conspurcatur, etsi sub tegumento pietatis, & deuotionis? quomodo doctrina ista est perpurgata, quæ nullo cribro Catholico est agitata & defucata apollis & loleis quibus plena est? quomodo anima veritatis dogmatibus instruitur, quando dogmata in hanc imaginationem cateruatim insurgunt, & nullum habet in sui fauorem nisi cogatur & violentetur, valeat ergo solutio ista, & ab scholis & fidelium turmis, à suggestu, & à cathedra eliminetur.*

Id enim, quod pro se adducit de actibus remissioribus habitu, qui cum habeant vim ad intendendum & augendum habitum, tamen de facto non intendunt, prorsus est ridiculum, quia † intensio habitus supernaturalis celebratur eo modo, quo intensio habitus naturalis, qui non augetur nisi per actus interiores, rursus actus remissiores disponunt subiectum, vt intensiores producat, & sic saltem hoc modo concurrunt ad augmentum gratiæ, quod de facto inducitur, posito actu intensiore, at sententia ista etiam per actus, tam intensi & alij intensiores nequeant esse gratiæ B. V. non auget. Videat ergo Antigonista qualiter satisfaciat Trident. decreto, cum res ista grauissima sit & contra omnes qui hucusque scripsere de laudibus Virginis & eius excellentiis, nescio quo titulo lingua vulgari inoffenso pedecurrat, videant alij, quia ego fateor debilitatem ingenij mei.

Sed videamus quæ moueant Antigonistam hanc in medium proferre opinionem. Primum fuit authoritas D. Thom. 3. p. q. 27.  
9 art. 5. ad 2. vbi S. Doctor. † triplicem considerat in B. V. gratiæ habitualis perfectionem. *Prima est dispositiua per quam se reddebat ido-*

*nea ad hoc quod esset mater Christi, & hæc fuit perfectio sanctificationis, secunda autem perfectio gratiæ fuit in B. V. ex presentia filij Dei in eius utero incarnati. Tertia autem fuit perfectio finis quam habet in gloria, & infra. Primo in sua sanctificatione adeptæ est gratiam inclinantem eam ad bonum, in conceptione autem filij Dei consummata est eius gratia confirmans eam in bono, in sui vero glorificatione consummata est eius gratia perficiens eam in fruitione omnis boni.* Hactenus ibi, ex quo sic arguit gratia in secunda perfectione scilicet, quom concepit verbum in utero dicitur consummata, ergo nequit intendi quia consummatum est, cui nihil defuit sicut gratia in gloria consummata dicitur, quia augeri nequit, ergo ideo gratia in secunda perfectione considerata, consummata dicitur, quia quoad habitum augeri nequibat, quamuis illi deficeret vltima consummatio scilicet possessio gloriæ, respondetur, quod obiectio hæc non attigit mentem D. Thom. nec eius phrasim est assecuta, gratia enim † secundum se  
10 inclinatur ad bonum, liberum hominis arbitrium, sed defectibiliter, & amissibiliter, quia non quælibet gratia habitualis ita inclinatur ad bonum, & liberatur à malo, quod homine confirmet, & consummet in bono opere, taliter quod per peccatum non possit illam amittere, vt definit Trident. *sess. 6. canon. 23.* † cæterum gratia habitualis iam  
11 habet perfectionem ex diuina voluntate quod ex vi illius ita sit homo confirmatus in bono, quod eam inamissibiliter habeat, ita vt non possit declinare à bono, & facere malum, sitque in eo fomes totaliter extinctus, taliter quod non habeat aliam legem contrariam rationi, sed isti totaliter sit ratio inferior subdita, & gratia quæ hoc efficit consummata dicitur, qua consummatione non obstante potest augeri per bona opera, gratia enim qua quis in gratia confirmatur in linea gratiæ viatoris consummata est, quia non potest amitti, quia † terminus, & consummatio quæ excludit augmentum est  
12 terminus vitæ æternæ, qua terminatur via, antequam terminum iam confectum semper est progressus in via, vt perueniatur ad terminum, progressus autem in via ad patriam est secundum augmentum charitatis, vel gratiæ iuxta illud *Prouerb. 4. Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque in perfectum diem* qui est gloriæ, vt egregie S. D. 1. 2. *quest. 114. art. 8. in corp.* vnde gratia habitualis confirmans in bono consummata dicitur inchoatiue, quia sibi ex natura rei debetur vltima, & perfecta consummatio gloriæ, quam nullo modo potest amittere confirmatus in gratia, quamuis possit illam habere maiorem, vel minorem, quia potest habere maiorem vel minorem gratiam quæ est semen

men gloriæ, & quidem si B. V. data est gratia habitualis absque merito aliquo, nec illius augmentum meruit de condigno gloria essentialis non dabitur illi tanquam corona, & merces de iustitia debita, sed solum tanquam hæreditas, quod quam absurdum sit non est, qui non videat.

Obiicit secundo authoritatem Damasc. *orat. 1. de dormit. Deiparæ*, ubi loquens de B. V. sic fatur. *Mors enim eos perficit beatosque ostendit, id videlicet ipsis asserens, ut in eorum virtutem nulla iam mutatio cadat. Minimè tamen hoc in te usurpauimus, nec enim mors tibi beatitudinem attulit, nec migratio perfectionem conciliauit. Omnium etenim initium, mediū & finis, securitas, etiam ac vera confirmatio in illa seminis experta conceptione posita fuit.* Hæc ibi ubi planè videtur sentire, quod plenitudo gratiæ, tanta fuit in Maria, quod nec post mortem fieret Beata, cum iam esset ante mortem, & post verbi conceptionem omnino secura & confirmata esset in gratia. Respondetur, S. D. nec leuiter insinuasse his verbis; quod B. Virgo non meruerit augmentum gratiæ, solum dicit quod post verbi Conceptionem fuit secura & confirmata non amittendi beatitudinem, quam secura adhuc viatrix habebat, quod non habent cæteri mortales si in gratia non sunt confirmati, nam illis mors adfert beatitudinem, quia illis adfert, ut in eorum virtutem nulla iam mutatio cadat, at Virgo etiam ante mortem immutabilis erat in gratia, & sic illi mors beatitudinem non attulit, nec migratio perfectionem conciliauit, & hic est genuinus sensus S. D.

Obiicit tertio duo S. Bernardi loca, quæ me quidem iudice ipse non benè penetravit cum sint contra ipsum primus locus est, *ex homil. 4. super missus est*, ubi S. D. inquit quomodo si B. V. dicitur gratia plena, dicitur etiam Spiritus sanctus superueniet in te, nam si plena, quomodo ampliorem recipere poterat, & huic difficultati; respondet S. Doctor † quod prior gratia eius tantum repleuerat mentem sequens verò etiam ventum perfundere debeat, quatenus scilicet plenitudo diuinitatis, quæ antea in illa sicut in multis Sanctorum spiritualiter habitabat, etiam sicut in nullo sanctorum corporaliter in ipsa habitare incipiat. Ex quo sic arguit, quomodo potuit Mariæ gratia habitualis augeri, si anima Virginis plena erat gratia, quia enim prima gratia mentem repleuerat, secunda cum locum in mente non haberet ventrem perfundere debet. Locus secundus eiusdem S. D. *serm. 2. de Assumpt. Virg.* ubi explicans Archangeli verba, *Spiritus sanctus superueniet in te*, ait: *Ad quid putamus? nisi ut adueniente iam spiritu plena sibi, eodem superueniente nobis quoque superplena & superfluens fiat*, si autem gratia habitualis Virginis augeri possit, non

esset antea plena sibi, at cum plena sibi fuisset, quum Spiritus sanctus superuenit, fuit ut ad nos eius gratia extenderetur, & fieret superplena nobis.

Respondet, quod ut dixi, tuto nequit sic intelligi Bernardus, fitque illi non parua iniuria, quum hoc commentum illi adscribitur, fuit enim prudens B. V. excellentiæ prædicator, quare prudenter est intelligendus iuxta veram Theologiam, & modum discurrendi sanctorum. Igitur † in B. Virgine Domina nostra triplex plenitudo gratiæ est consideranda iuxta triplicem statum quem in ipsa considerant Patres, & secunda consummat & perficit primam, & tertia primam & secundam, & prima & secunda ordinatur ad tertiã, in qua est situs terminus & finis creaturæ rationalis, ultra quem progredi nequit, & quo posito non est ultra quid desiderandum à creatura intellectuâ, ita repletur gratia sibi proportionata, positis autem prima & secunda plenitudine gratiæ, adhuc est desiderium tertiæ. Igitur plenitudo gratiæ ex parte subiecti non est imaginandum, quod omnem capacitatem & potentiam obedientialem repleat, hoc enim nec S. Tho. nec aliquis prudens dixit, est enim illa potentia obedientialis infinita, sicut & omnipotentia Dei, cui subditur, quare plenitudo gratiæ in aliqua pura creatura dicitur dupliciter, vel quia habet gratiam secundum suam conditionem & intentionem prout in eo est interfa gratia vsque ad terminum præfixum ei à Deo, vel etiam secundum virtutem in quantum quis habet facultatem gratiæ, ad omnia quæ pertinent ad suum officium siue statum, ad quod homo est diuinitus ordinatus, quam doctrinam egregiè contemplatus est D. Th. 3. p. q. 7. art. 10. ubi D. Caiet.

Ex qua colligitur, quod in B. V. triplex plenitudo gratiæ est consideranda, prima prout est viatrix ad terminum vitæ æternæ & ad cælestem patriam, & hæc plenitudo omnibus sanctis est cõmunis, quatenus omnes præordinati sunt, ut sint ciues cælestis Hierusalem iuxta vniuscuiusque meritum progressum, & hæc plenitudo fuit in B. V. maior quam in qualibet alia creatura pura, quia in meritis omnes alias antecellit, nec ad hoc potest esse inter Catholicos disputatio, quare plenitudo hæc consideratur secundum præordinationem à Deo factam in executione, quotidie augebatur iuxta meritum progressum, sæper tamen intra latitudinem plenitudinis præordinatæ à Deo sicut de cæteris prædestinatis lequendum est quibus desiderat Apostolus ad Ephes. 3. num. 9. *ut impleamini in omnem plenitudinem Dei*, id est gratiæ, & secundum hanc gratiæ plenitudinem B. V. se idoneam constituittanquam per dispositionem congruam, ad hoc quod esset Mater Dei, secunda † plenitudo

nitudo gratiæ est non tam ipsius secundum essentiam, quã secundũ virtutem quatenus scilicet quis habet facultatẽ gratiæ ad omnia quæ pertinent ad suum officium & statum, & hanc plenitudinem non habuit V. Maria vsque ad verbi conceptionem, quia ante hanc non erat Mater Dei, nec officium & statum maternitatis Dei, & Aduocatæ nostræ in possessione acceperat, eo autem ipso quod Verbum concepit ex superuentione Spiritus sancti hanc gratiæ plenitudinem, quoad effectus in totum genus humanũ, & in omnes creaturas tam spirituales, quã corporales; hæc autem plenitudo gratiæ quoad virtutẽ ipsius ratione officij & status potest esse multiplex in vna & eadem persona, v.g.

18 S. Ioan. Euang. triplicẽ habuit gratiæ plenitudinẽ præter illam, quæ communis est omnibus prædestinatis, & quia fuit Apostolus, & quia Euãgelista, & quia filius custos Virginis, quæ officia in lege Evangelica diuersa fuerunt & diuersa munia habebat in quantum, scriptor Canonicus, in quantum prædicator Euangelij, & in quantum matris Dei custos & filius à Christo illi mater cõmendata. Tertia vero plenitudo in Virgine fuit gratiæ cõsumatã in gloria, quæ est adæquata plenitudo, cum sit finis vltimi possessio.

Ex hac doctrina solida & prorsus vera apparet intellectus Bernardi luce meridiana clarior, est enim verissimus & doctrina, quam tradit Catholica & ab omnibus recepta non nouella, & inaudita, in primo enim testimonio dicit, quod † prior plenitudo impleuerat mentem, quia nondum ad officium Matris Dei se extendebat, sed intra mentẽ dumtaxat continebatur ipsam, replens, ast secunda quã habuit ex superuentione Spiritus sancti, etiam ventrẽ perfundere debebat, quia videlicet augmentum gratiæ, quod habuit in cõceptione Filij Dei non solum fuit in mēte, sed virtus eius se extendit, vt & ventrem perfunderet, quatenus in illo miraculosẽ fuit Verbum diuinum virtute Spiritus sancti cõceptũ, effectaque est ipsius Dei mater. Vnde constat ad secundũ testimoniũ, dicitur enim ex superuentione Spiritus sancti cum *ante fuerit sibi plena, nobis fieri superplena & superfluens*, non quia gratiæ augmentum sibi nõ habuit, quũ Spiritus sanctus superuenit, sed quia tunc accepit plenitudinẽ gratiæ ad officium maternitatis Dei, quod tũc exercuit, & ex consequenti officium maternitatis respectu hominũ & Aduocatæ nostræ, vt eius intercessionibus apud filiũ, quẽ iã habebat ex vi cuius officij secundũ præsentem prouidentiam nobis superplena, & superfluens effecta est, cum per plenitudinem matris omnes nos de plenitudine Christi Redemptoris acceperimus.

20 Valeat ergo huiusmodi nouella opinio, cui-

ius triplici nodo, triplex cuneus ex SS. Patrũ & Ecclesiæ communi sensu est appositus, vt nodus aut trica illa penitus dissoluatur & *salis onus*, vnde venit *illuc redeat* in nouitatem à aqua genitus resolutus, nouitate ipsa absorbeatur sub aquis vehementibus; est enim in ea nõ modica superstitio, quatenus defert cultum Virgini indebitum, & sic inanis quemadmodum (ait Clem. Alex. lib. 7. *stromat*) † *amygdala dicuntur inanes non in quibus nihil est, sed in quibus id quod inest, est inutile*, sunt enim huiusmodi nouitatum in his rebus grauissimis aduersũ communẽ Ecclesiæ doctrinam introductores amari, velut agrestes amygdalæ. Hic autẽ nouitatũ affectus (vt ait Nazianz. *orat. 1. de fuga sua in Põtum*) *moderatorum hominum, nec prorsus malorum, qui etiamsi à veritate aberrent tamen, quia ob religionis studium, & quod zelum quidem habeant, sed non secundum scientiam hoc patiuntur, &c.* nunquid non ex zelo Virginis & pietate erga ipsam mouebantur Coliridiani hæretici, dum illi sacrificium offerebant de quibus Epiphanius *heres. 79.* qui §. 4. circa finem notat, *quod Christus Virginem Matrem mulierem appellauit, vt nemo Sacro-sancta Virginis vehementiore quidem admiratione permotus sese ad illius nugas conuerteretur, & §. 7. quæ cum ita sint, vnde nobis Draco iste volubilis emerit: cur obliqua cõ-* 22 *silia renouantur. Honoretur sancta Maria Mater vero, Filius, & Spiritus sanctus adorentur, Mariam adorare nemo velit, adoratione scilicet latræ, non ergo quicumque cultus qui veræ Theologiæ non sit conformis attribuendus B. V. nisi qui sit secundum scientiam. Vnde idem Epiphanius heres. 78. §. 4. sit Maria apud te sancta Virgo, sanctum vas, non conuenit colere sanctos ultra decorum. Neque enim Deus est Maria, de cælo corpus habet,* 23 *sed ex conceptione viri & mulieris secundum promissionem vero velut Isaac disposita, quare non omnis honor, qui Christo Filio Dei datur, nec omnis habitualis gratiæ plenitudo illi impingenda, alias & sacerdotium illi esset dandum, vt arguit Epiphanius ipse heres. 79. §. 3. cum rationes ob quas aliis fœminis sacerdotium non cõceditur in B. Virgine omnino deficient cum summa prudentia, constantia, sapientia & aliis requisitis ad hoc officium in illa resplendeant, at id non placuit, ait Epiphanius, non placeat, ergo similiter, quod excellentiæ singulares Christi quas nullus antiquorum, aut modernorum, quæ sua scripta prælo dedere Virgini dedere, dentur, sed maneant semper Christo singulares illius proprietates.*



## RESOLVTIO VIII.

*Vtrum Eunuchi utroque testiculo carentes possint habere matrimonialem residentiam.*

**G**RAVIS, & iucunda est præsens difficultas & scitu dignissima, continet enim grauem doctrinam eaque enucleatius explicatur, qua ratione consensus saltem implicitus in copulam sit iure naturæ requisitus, vt matrimonialis residentia subsistat validè & licitè, vt tamen difficultas penitus comprehendatur aliqua sunt supponenda.

## S. I.

*Supponuntur aliqua.*

## S V M M A R I V M.

1. Qui vocentur Eunuchi, ex Abulensi, & num. 1.
3. An possint femina esse Eunucha.
4. Galeni sensus assertur, & n. 5.
6. Quis Eunuchismus possit dupliciter inesse.
7. An si Eunuchismus superueniat post matrimonium consummatum, sit insolubile matrimonium.
8. Ratio difficultatis diluitur.
9. An obligatio reddendi debitum saltem radicalis & implicita sit essentialis, vel ad minus propria passio inseparabiles ab essentia matrimonij.
10. Dicastilli mens adducitur, & n. 11. necnon Plinij, & n. 12.
13. Intentio prolis est quid essentialissimum in matrimonio, ex S. Thoma.
14. An ius ad coitum & obligatio reddendi debitum ortum fuerit necessario ex contractu matrimonij.
15. Quomodo maneat ius ad copulam radicale.
16. Quid ex premissis sit deducendum.
17. Matrimonium essentialiter exigit sexuum diuersitatem.
18. Multorum DD. sententia afferuntur.
19. An consensus necessario & essentialiter requisitus ad matrimonium implicitè saltem debet ferri in perpetuitatem, prolem & fidem.
20. An intentio opposita bono prolis & bono fidei in sua radice consideratis sit opposita matrimonio.
21. Consensus essentialiter requisitus ad matrimonium implicitè debet ferri in copulam, ex Dicastillo.
22. Copula est purum obiectum & terminus obligationis & traditionis mutue ex eodem.

23. S. Thoma mens adducitur, & n. 24.
25. An de ratione & essentia veri matrimonij sit voluntas saltem implicita in ipsius perpetuitatem & insolubilitatem, quam habet matrimonij contractus iure naturæ.
26. Cardinalem de Lugo inter & Dicastillum dissidium ostenditur.
27. An ille qui vult contrahere matrimonium ignorans vinculum esse perpetuum, possit adhuc validè contrahere ex Suarez.
28. Thoma Sanchez sententia assertur.
29. Authoris iudicium, & n. 30. 31. & 32.
33. Variorum authorum opiniones adducuntur, & num. 39.
34. Nunc inter Iudeos infideles non dissoluitur matrimonium virtute legis repudij, ex Perez.
35. Cardinalis de Lugo assertio, & n. 36. & 37.
38. Quid veniat colligendum.
40. An Iudæi baptizati si in sua perfidia obstinati existant legem Moysi profitentes, si iuxta hunc ritum matrimonium contrahant, sit inuolidum & nullum.
41. An Deus potuerit instituere contractum societatis inter virum & feminam absque ordine ad generationem.
42. Quid ex suppositis veniat concludendum.

**I**N præsentiariis per Eunuchos intelligimus eos de quibus, Deuteronom. cap. 23. n. 1. dicitur non intrabit Eunuchus ablatis, vel amputatis testiculis & abscisso veretro Ecclesiam Domini, in qua verba sic Abulensis ibi q. 1. † vocantur Eunuchi qui castrati sunt, vel naturaliter tantum frigidi, quod nullo modo coire queat, etsi dabantur nobiles Domina in custodiam Eunuchis idest castratis, vt sepe patet in Chronicis. hinc autè solum accipitur pro illo qui habetes integra genitalia natura prohibente coire non valent, quia de castratis infra dicitur, & per Eunuchos etiam intelliguntur, qui maleficiati sunt ad semper, quia si hoc constaret, non contrahebant matrimonium. Atritis, vel amputatis testiculis uterque prohibetur, quia generare non potest, licet enim habeat virgam qua eleuari possit & cognoscere feminam, ita quod claustra virginalia rumpant, tamen semen effundere nequeunt, quia testiculorum officium est, vt in coitu per quasdam cordulas, siue cinasos ascendentes tangant vasa seminaria ad distillationem seminis, quibus non existentibus, vel si laesi sunt, vasa illa immota manentia generationem nunquam complent, & abscisso veretro, idest virga virili, & dicitur veretrum secundum Isidorum lib. 11. Ethym. quasi virtus tenens, idest seminalem fluxum, qui dicitur virtus, vel veretrum, idest viritium, quia soli viri illud habent. Haec Abulens. eadem etiam non ita explicatius tradit Plin. l. 6. Itaque (ait) erant Eunuchi testibus excisis solis, aut etiam cum veretro, & contritis.

- 3 Sed † an fœminæ pari modo possint esse Eunuchæ vel quibus elisi sint testiculi. Gaspar Enil. *in apparatu coniugali lib. 1. qui est 3. Epidorpidum pag. in paruulis 41. in Arabia gens est Creophagos vocant quibus nedum viri, sed mulieres excindi solebant; sicut de Andamite Lydorum Rege, qui primus eunuchas fecit mulieres sermo proditus est, quo exemplo in Ægypto aliquando mulieres excindebantur.* Hæc ibi, Eunuchismus ergo vtrique sexui est communis sicut, & membra genitalia, quamuis differentia, positione, & magnitudine, vt his verbis † docuit Galenus *lib. 4. de sermone, est enim (ait) proportio maxima inter genitalia masculi & fœminæ, omnia siquidem genitalia membra, tum mascula, tum fœminæ habere eadem videntur positione tamen & magnitudine differentia. Quin & vasa testes nutritia vtrique sexui ex eisdem venis & arteriis procedunt, &c.* vnde fit quod si cordæ testiculorum fœminæ abscindantur cum seminaria vasa immota maneat & intacta, semen in fœminis quale quale illud fuerit requisitum non distilletur, nisi euandidum & non laboratum, etiam vt sit principium passiuum generationis, sicut fit in viris dum sunt eorum testiculi auulsi, excisi, attriti, qui nequeunt nisi humorem aqueum vacuum tamen & improlificum instillare, quod agere & perficere nequit generationem, vnde mulier eunucha, etsi quod fœmina tribuit sit passiuum in generatione, tamen si testiculos non habeat non erit passiuum benè dispositum, vt generatio compleatur, sicut contingit in sterilibus, quare impassiuum semen ineptum est, vt simul cum illo semen actiuum viri generet.
- 6 Suppono secundum, quod † Eunuchismus iste potest dupliciter inesse, vel ante matrimonium initum, vel postquam iam est contractum, quod etiam dupliciter fieri potest, aut post matrimonium dumtaxat ratum, & non consummatum, aut postquam consummatum est, difficultas præsens solum agitur, quum eunuchismus antecedit matrimonium, nam si postquam contractum est siue sit consummatum, siue dumtaxat ratum, eunuchus quis efficiatur siue per auulsionem testiculorum, aut contritionem, siue per excisionem veretri, aut quocumque alio modo fiat impotens perpetuo ad verum semen intra fœmineum vas immittendum, manet obligatio matrimonialis residentia, etsi an possint coniuges isti coire si vas vir penetrare possit adhuc sub litigio sit, de quo dicam.
- 7 Et quidem quod si † matrimonium sit iam consummatum, & ex accidenti Eunuchismus, aut impotentia perpetua superueniat coeundi, quod perseverat obliga-

gatio residendi matrimonialiter certum est apud Catholicos, quia de fide est quod matrimonium consummatum sit insolubile, est enim inseparabilitas de iure diuino, vt definit Trident. *sess. 24.* & de iure naturæ quidquid aliqui contrarium dicant, contra quos benè insurgit Dicastillus *disput. 2. de matrim. dub. 28.* vbi subuentaneam Caramuelis sententiã circa fornicationem simplicem quod non sit prohibita, quia mala, sed mala quia prohibita iure diuino, sic habet in sua Theologia Morali (ne dicam antimoralis) *lib. 3. n. 1600.*

Idem omnino asserendum est, etsi non cum tanta certitudine si Eunuchismus superueniat matrimonio dumtaxat rato, & non consummato, quod tunc non dirimat matrimonium & contrarium asserere ad minus erit temerarium, quare explodendi sunt pauci Authores antiqui, qui per Eunuchismum superuenientem adseuerare dissolui matrimonium ratum. Ratio est, quia † matrimonium ratum est insolubile taliter, quod in Ecclesia sit receptum, quod solum dissoluatur per professionem solemnem in religione, aut si mauius iuxta plurimum Doctorum sententiam per dispensationem Pontificiam; neque vnquam visum est, quod matrimonium ratum dissoluatur ipso facto per impotentiam superuenientem, nisi Pontifex sequendo opinionem probabilem dispense, & sic possunt intelligi duo textus, qui alias erant difficiles, primus *cap. proposuisti 32. quest. 2.* qui est Greg. III. & secundus *cap. ex litteris de frig. & maleficia*, qui est Alexand. III. & vterque licentiam dedit transeundi ad aliud matrimoniũ ob impotentiam superuenientem coeundi & consummandi matrimonium, alias interpretationes horum text. adducunt Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 102.* Bellarm. *lib. 4. de Pontifice cap. 12.* Menoch. *de arbitr. lib. 2. censur. 5. casu 420. n. 95.*

Sed est contra hoc argumentum, quod confusione difficile reddidit Dicastillus *disputat. 7. de matrim. num. 468.* & non benè intelligens communem solutionem, fingit quem suis argutis confodiat. Igitur argumentum est tale, quia † obligatio residendi debitum saltim radicalis, & implicita est essentialis, vel ad minus propria passio inseparabilis ab essentia matrimonij, atqui hæc obligatio fundatur essentialiter in habilitate naturali corporum, vt possint commisceri ad generationem celebrandam; atqui hæc habilitas etiam radicalis, aufertur eo ipso quod quis Eunuchus fiat post matrimoniũ contractum, imo & consummatũ (si mauius) ergo & obligatio reddendi debitũ etiã radicalis, & ius illud exigendi non secus, ac Lot amisit ius exigendi debi



debitum ab vxore sua conuersa in statum salis, & ius quod ego habeo ad domū si ista conuertatur in saxum, etsi ex pacto ego & Petrus haberemus ius & mutuo nos visiteremus ambulantes, aut videremus si à Petro oculi eruantur, vel pedes abscinderentur iam ius istud etiam radicale expirat; ergo matrimonium etiā dissoluitur, consequētia ista probatur, quia esse aliqua naturaliter subsistere nequit si ab illa passio inseparabilis auferatur, sed necessariū est miraculum sicut adest in sacramento altaris, vt quantitas conseruetur sine inhæsiōe actuali subiecti, quæ est propria passio inseparabilis quantitatis.

<sup>10</sup> Hoc argumento conuictus Dicastillus à communi & certa doctrina diuertit, vt vel in rebus certis noua cāctio introducatur. Quare dicit n. 469. quod in præfato casu siue sit in matrimonio rato, siue in cōsummato nō remanet obligatio etiā radicalis & remota reddendi debitū, nec ius ad illud etiā remotū, quod essentialiter fundatur in potentia coeundi non secus, ac relatio paternitatis, ablata autē potētia per Eunuchismum superuenientem auferatur fundamentum iuris & sic nullomodo manet etiam radicaliter emoritur potentia, & instrumentum essentialiter requisitum ad reddendum debitum, & sic euāescit & desinit esse obligatio omnis, sicut mortua vxore emoritur ius petendi ab illa. Quare sic concludit.

<sup>11</sup> *Abolita penitus potentia physica, quæ est fundamentum essentialiter iuris etiam radicalis ad usum talis potentie, non assequor qua ratione possit intelligi ius radicale manere ad omnino impossibile. Quando ergo dicitur adhuc manere ius & vinculum, solum debet intelligi quoad alia primo, quod adhuc maneant coniuges sibi mutuo disiuncti ad seruandam fidē coniugalem non admittendi alium ad aliqua turpia, & inhonestia, quæ si fiant sint contra ius alterius coniugis, & contra fidem sibi mutuo datam & quod non solum coniux factus impotens sit propter impotentiam incapax coniugij, sed ille & alter, adhuc fortè potens non possint utroque viuente citra iniuriam, alieno quacumque ratione carnaliter coniūgi, quod debeant se mutuo amare, fouere, cohabitare, iuuare, & cetera præstare, quæ alioquin debuissent si potentia maneret in utroque, sola exclusa obligatione & iure ad copulam factam impossibilem. Hactenus ille.*

<sup>12</sup> Verum enim vero, vt bene Plin. lib. 35. hist. c. 10. sepe nocet nimia diligentia, præcipue quibusdam scriptoribus, qui vt aliquid noui introducant cōtra communē sensum & intelligentiam plus satis acurate dicta aliorum scrutantur & morosa diligētia sine fine premuntur taliter, quod manum de tabula nesciunt auertere nisi antiquorum lucubrationes impugnentur. Hoc accudit Dicastillo in in præfati argumēto, omnes enim antiqui

sine discrimine adfirmant, quod, quum aduenit matrimonio iā celebrato siue ratū sit siue cōsummatum impotētia perpetua siue Eunuchismus cū ex natura contractus, & ex vi illius sit translātū dominium corporū tūc aptorum ad coitum & generationē sitque acquisitum mutuū ius inter cōiuges ad debitū coniugale, siue reddendum siue petendum, ad prole generandam, quæ est bonum matrimonij, sicut & fides, quæ nō intelligitur actualis, sed debitum seruādi fidē & non diuidendi carnē suā cum alio, quod ius semper manet sicut & obligatio, vt fatetur ipse Dicastil. quia ordo ad hæc bona est essentialis matrimonio, vt ait egregiè S. Th. in 4. dist. 31. <sup>13</sup> q. 2. art. 3. in fine corporis, sic accipiendo prole, id est intentio prolis est essentialissimū in matrimonio, sicut homini est essentialiter esse naturæ; ergo si quum cōtractum est matrimonium inter personas habiles ad coitum erat essentialissimum ordo ad coitum & commixtionē vtriusque sexus si manet matrimonium superueniente Eunuchismo euidēs est, quod maneat ius & obligatio radicalis, qui fundatur in illo ordine implicito & essentialissimo matrimonij, ad copulā & commixtionē carnalem, quamuis per accidens extincta fuerit potentia physica ad coitum; sicut paternitatis relaxatio fundatur in potētia proxima generādi taliter, quod sine illa sit impossibilis talis relaxatio subsistere, & tamen si Pater Eunuchus fiat nō amittit relationem iam habitam, etsi non possit extendi ad novos filios, quos impossibile est habere, quia deficit potentia generandi. Ita † ius ad coitum & obligatio reddendi debitum ortum fuit necessario ex cōtractu matrimonij, imo hoc mutuū ius & obligatio est ipsum matrimonium fundata in potentia physica tanquam in fundamento proximo & subiectata in toto supposito, etiā si potentia proxima generādi per Eunuchismum auferatur, per quod auferatur quod ius illud sit expeditum, & obligatio exerat vires ad obligandum ad reddendum debitum, nihilominus viuente utroque cōiuge manet ius ad petendum debitum, etsi vt dixi impeditum per accidens sicut manet in coniugibus, qui solemniter profitētur in religione, & moraliter maneāt impotentes ad coeundem ratione voti solemnem (quod ex natura rei dirimere matrimonium alibi monstrauit.)

Ex qua verissima omnium antiquorū doctrina soluitur argumētum præfātū, & euāescunt futilia argumenta, quæ mouerunt Dicastillum, quod iā cōstat † quomodo maneat ius ad copulam radicale quidem & impeditum per Eunuchismum aduenientē matrimonio contracto, semper quod manet vterque coniux in rerum natura in quibus subiectatur ius istud, etsi fundamen-

rum proximum huius iuris fuerit potentia generatiua, qua ablata cum maneat subiectum iuris & obligationis, ista manent etsi impedita ex accidenti superueniente, quod secus est de vxore Lot quæ eo ipso, quod conuersa est in salis statuam corrupta fuit, & dissolutum matrimonium per mortem, similiter si domus ad quam habeo ius existente in specie domus conuertatur in rupem iam domus substantialiter mutata est, quare ius in illam amissi alia omitto, quia naniæ sunt & indignæ, vt illius motus quis à communi sententia discedat.

- 16 Secundum arguere quis potest, quia † si mulier vir efficiatur, vt sæpius effectum narrant historiae veridicæ, ( quas refert Iorreb Lanca *de iure spirit. lib. 5. cap. 9. à n. 20.* ) imo taliter, quod post nuptam, vt fœmina, veretro erumpente, nupserit, vt vir & filios genuerit de quadam fœmina Gaetana referunt Pontanus *in hist. Neapoli. Sabellicus l. 9. Exemplorum.* Antonius Torquemada *in hort. dialog. 1.* & probat idem Iorreb. ) & ex hac transformatione in omnium sententia dissoluitur vinculum matrimonij quoad omnem matrimonialē residentiam, ergo si post cōtractum matrimoniū superueniat Eunuchis. cum auferatur potentia physica coeūdi, non secus ac dum fœmina erumpit in virum, etiam auferetur & totaliter euanescent nedom ius proximum, sed etiam radicale ad exigendum. Respondetur esse disparem
- 17 omnino rationem, quia † matrimonium essentialiter exigit sexuum diuersitatem iuxta quam cōtrahentes sunt habiles ad copulam ordinatam ex natura contractus ad prolem generandam, quare si mulier ita erumpat in virum, vt inepta efficiatur ad munus ad quod contraxit iam effecta est, quasi aliud suppositum, & sic ius ad exigendum extinctum est, quia subiectum accidentaliter diuersum, at dum erumpit veretrum substantialiter fit diuersum à se ipso, dum con-
- 18 traxit. Legantur † Perez *disp. 37. de matrim. sect. 24.* Martin. del Rio *lib. 2. disquisit. Magic. quest. 22.* existimo, quod ( etsi sit impossibile, ) vir mutetur in fœmina est tamē possibile, quod fœmina mutetur in virum, id quod mihi est indubitabile ex Hypocrate *lib. 6. Epidemiar. cap. 8.* Galeno *lib. de usurpat. & lib. de Ano tom. administra.* Auicenna & omnibus medicis, de hoc enim sunt oculati testes tam antiqui, quam recentiores, quos omnes mentiri nefas est imaginare, quare si ita fortiter erumpat veretrum, quod vas fœmineum ineptum reddatur ad generationem, matrimonium ex natura rei dissoluitur, secus verò si vas fœmineum aptum relinquatur, quare hæc sit generalis regula quoties Ermaphrodita potest ratione sexus validè contrahere, etiam si fœmina erumpat in vi-

rum, taliter quod ipsa possit, vt vir contrahere si potest etiam vt fœmina, non dissoluitur matrimonium, & est obligatio residentie matrimonialis.

Suppono tertium † consensum necessario 19 & essentialiter requisitum ad matrimonium implicitè saltem debere ferri in perpetuitatem, prolem & fidem & quidem de prole & fide in superiore suppositione & in superioribus, dum de matrimoniali residentia B. V. & S. Iosephi dictum est, cum enim proles & fides id est intentio habendi prolem & debitum seruandi fidem, sit quod *essentialissimum* matrimonio, necessario cōsensus matrimonialis essentialiter requisitus implicitè fertur in prolem & fidem, quamuis non requiratur, quod ad sit voluntaria & libera expressa intentio, quæ feratur in hæc duo matrimonij bona, vt diximus de B. V. quamuis iuxta D. Th. vt mox dicam † intentio oppo- 20 sita bono prolis, & bono fidei in sua radice consideratis sit opposita matrimonio, taliter quod illud euertat, quia sine istis matrimonium esse non potest, quia in matrimonio ex ipsa pactione matrimoniali causantur, ita quod si aliquod contrarium huiusmodi exprimeretur in consensu qui matrimonium facit, non esset verum matrimonium. Ita S. D. *art. 3. cit.* quem sequuntur Thomas Sanchez *lib. 2. de matrim. disp. 29. n. 12.* qui optimè distinguit duas intentiones, circa fidem & prolem, vna est quæ opponitur facto, vt si quis dum contrahit habeat intentionem, vitandi prolem, & habitam non educare, vel negandi debitum & adulterari non seruando actualem fidem, & hæc intentio intus re- tentata, & non in pactum exterius deducta non euertit essentiã matrimonij, hæc enim solum respicit fidem & prolem in suis principiis, altera intentio est circa obligationem ad huiusmodi bona, ex pactione enim coniugali causatur obligatio ad non impediendã prolem, & non negandi debitum, & non diuidendi carnem suam cum altero, cum ex vi cōtractus immediatè, & primario efficiatur mutua corporum traditio ad commixtionē carnalem, & mutua obligatio in vtroque contrahente ad huiusmodi commixtionem faciendam. Vnde intentio hæc euertit matrimonij cōsensum essentialiter requisitum, non vero altera prior intentio, quæ non respicit obligationem, sed executionem, ita Dicastillus *disp. 2. de matrim. à n. 23.* Coninch *disp. 24. dub. 4.* & dubio procul est sententia D. Tho. *ubi supra* quam sequuntur S. Bonauent. *in 4. dist. 31. art. 1. quest. 3.* Paludanus *dist. 50. quest. 2. art. 1. n. 4.* S. Anton. *3. p. tit. 1. cap. 19. §. 1. in fine.* Tabiena *matrim. 2. q. 3. n. 4.* Ledesma *quest. 48. de matrim. art. 2. dub. 1.*

Ex quo colligitur contra Dicastil. *ubi mo- do*

- 21 *do num. 28. quod † consensus essentialiter requisitus ad matrimonium implicite debet ferri in copulam, est expressum D. Thom. agens de matrim. B. V. cum S. Iosepho cuius verba supra dedi, nec existimo posse negari à Dicastillo, qui dicit, quod consensus essentialiter requisitus directe fertur in mutuam corporum traditionem in ordine ad copulam, & media traditione in mutuam obligationē ad eandē copulam atque ita fieri non potest, quin respectus ad copulam inuoluatur, ergo fieri non potest quin, ille, qui vult se obligare ad copulam non velit implicite copulam ipsam, quamvis enim copula ipsa non sit effectus huius obligationis, & traditionis mutuæ corporum sed obiectum, & terminum illarum; in quæ necessario fertur consensus, at fallitur*
- 22 *omnino Dicastillus dicens † quod copula est purum obiectum, & terminus obligationis, & traditionis mutuæ, cum copula efficiatur non ab alio quam coniugibus ex vi obligationis, & traditionis mutuæ: & ita euidens est, quod consensus qui fertur in traditionem corporum, & mutuam obligationem ad copulam implicite fertur in istam, & illam vult implicite non in seipsa, sed in sua obligatione, quum enim aliquid recipitur, vt purum terminatiuum & obiectum alicuius habitudinis non qui necessario vult habitudinem, vult terminum & obiectum; Deus enim vult permissionem peccati, & tamen abominatur peccatum.*
- 23 *Circa perpetuitatem quæ est bonum sacramenti, sic loquitur D. Thom. art. 3. cit. † Si autem dicatur principalius, quod est essentialius; sic distinguendum est, quia fides & proles possunt dupliciter considerari. Vno modo in seipsis, & sic pertinent ad usum matrimonij, per quem & proles producitur, & pactio conjugalis seruetur, sed indiuisibilitas, quam sacramentum importat, pertinet ad ipsum sacramentum, secundum se, quia ex hoc ipso quod*
- 24 *per pactiōem conjugalem sibi inuicem sui potestatem in perpetuū coniuges tradunt, sequitur, quod separari non possint, & inde est, quod matrimonium, non inuenitur sine separabilitate, inuenitur tamen sine fide & prole, quia esse rei non dependet ab usu suo, & secundum hoc sacramentum est essentialius matrimonio, quam fides & proles. Hæc ibi, & est commune Theologorum placitum.*
- 25 *Igitur certissimum † de ratione & essentialia veri & validi matrimonij esse voluntatem saltem implicitam in ipsius perpetuitatem & insolubilitatem, quam habet matrimonij contractus iure naturæ, ita vt non sit verum matrimonium, si adsit voluntas illud contrahendi ad tempus, vel dandi libellum repudij, nisi illud det vir ex diuina dispensatione, & de Iudaico Populo constat, in quo vera existebant matrimonia, etiam si*

contraheretur matrimonium intentione dandi libellum repudij, secundum quod dispensatio diuina disponebat, licite enim & valide Iudæi à tempore Moysis vxores repudiabant, & cum aliis contrahebant, vt dicit D. Thom. in 4. dist. 33. q. 2. artic. 2. quæstionc. 2. esse probabile (quamuis suo tempore contrarium communis sustineretur, vnde problematicè vtrumque defendit S. Doctor satisfaciens rationibus vtriusque sententiæ, quod satis rarum est in S. Doctor. qui se rē semper iudicium suum determinatum nobis propalauit, quod valde debent aduertere scriptores ad quid refert opiniones aliorum referre, & iudicium proprium occultum referuare, quod nisi in casu non debet fieri: ) etiam si dum contraheretur matrimonium secundum legem in qua diuinitus erat dispensatum in perpetuitate matrimonij, & licebat ex causa absque culpa, vt ait Chrysostr. hom. 17. in c. 5. Matth. vinculum matrimonij soluere cuius inseparabilitas ex causa diuinæ dispensationis tollebatur.

Ex qua doctrina colligitur quid sentiendum sit in illo diffidio inter Cardinalem de Lugo disput. 8. de Sacram. sect. 8. à num. 126. & Dicastillum disp. 2. de matrim. dub. 4. à n. 20. Cardinalis enim dicit loquens de Abyssinorum matrimoniis, quod sicuti dum contrahebant ignorabant omnino inuincibiliter vinculum matrimonij esse perpetuum, & insolubile, habebant tamen voluntatem actualem contrahendi matrimonium validum illa ignorantia non est antecedens cum sine illa etiam contrahens matrimonium iuxta naturæ legem, sed est solum concomitans, quæ non limitat intentionem illam generalem contrahendi validè, iuxta naturæ legem, qua matrimonium validum ex natura rei est indissolubile, & perpetuum, quod probat ex doctrina Suarez tom. 2. de Relig. tract. 2. lib. 1. cap. 3. num. 9. quod ille qui vult

27 *contrahere matrimonium ignorans vinculum esse perpetuum possit adhuc valide contrahere, quia habet generalem intentionem faciendi illum contractum, eo modo quo tenetur, & ita includitur voluntas perpetuitatis.*

Sed Dicastillus aliter procedit dicēs, quod si iuxta morem, & consuetudinem nationis alicuius consensus matrimonialis non fertur expresse vel implicite in perpetuitatem matrimonij, quin potius, quis ita contrahit vt liceat quoties vellent contractum dissoluere, cum hoc, & contra substantiam matrimonij si sic contrahatur, nullum est matrimonium, quod si contrahentes nihil de perpetuitate cogitantes contrahant inter nationes, & gentes, in quibus sic est usu receptum, vt connubia non sint perpetua,

sed dissoluantur dato ex causa à legibus ciuilibus introducta libello repudij, vnde ait consonum rationi fuit quod patres Societatis qui vacabant conuersioni gentium ad fidem Christi, permiserunt quod etiamsi repudiassent, gentiles primam vxorem posse manere cum secunda vel etiamsi haberent plures vxores eligere vnā, quam vellent vt cum illa manerent Christiani iam facti, quia nulla istarum etiam prima vere erat vxor cum non haberent implicitum cōsensum in matrimonij perpetuitatem, imo iuxta patrios mores solubile per libellum repudij existimabantur, quod aduertit Thomas Sanchez *l. 5. de Matrim. disp. 12. num. 3.* dicens † quod modo nullum est matrimonium

28 si Iudæi & pagani contrahant ea lege vt possint libellum repudij dare etiamsi in pactum non deducatur, sed sola voluntate interna hoc modo cōtrahat quia lex de libello repudij per Euangelicam est abrogata, & reducta lex naturalis de insolubilitate matrimonij, ad suam primæuam obligationem, & dispensatio facta à Deo Iudæis omnino extincta & abolita.

Ego vero in hoc dissidio ( quod non est parui momenti ad praxim Missionariorum

29 ad barbaras gentes, quibus vix lux Euangelij aduenit ) magis propendo in sententiam Eminentissimi Cardinal. de Lugo, quæ dubioprocil solidior est quam Dicastilli. Existimo ergo, quod si quis non ignorans inuincibiliter matrimonium contrahat sine voluntate interna dumtaxat, siue deducendi in pactum exterorum quod possit dimittere vxorem, & aliam ducere, quod iste talis non contrahit validum matrimonium:

30 Ratio est, perspicua quam adducit D. Tho. verbis citatis, quia habet voluntatem particularem oppositam substantiæ matrimonij, scilicet perpetuitati eius, & insolubilitati, quæ causatur actu ex vi consensus, & pactionis matrimonialis, nec cum hac voluntate particulari compatitur voluntas generalis faciendi quod iure naturæ exigitur ad validitatem contractus & pactionis matrimonialis, quia non ignoratur inuincibiliter, id quod requiritur: vnde hæc voluntas particularis excludit generalem faciendi, quod exigitur iure naturæ, quia hæc voluntas generalis non est, quando vincibiliter ignoratur insolubilitas matrimonio essentialis, & ex ista vincibili ignorantia procedit voluntas particularis de repudio vxoris, etiam iuxta leges patrias, quia istæ reipsa sunt iniustæ, & damnabiles cum opponantur legi naturali.

31 Existimo secundo, quod si in aliqua ratione est ignorantia inuincibilis, quod matrimonium habet solubile vinculum, & quod non sit essentialiter perpetuum, &

quod possit vir vxorem repudiare, & aliam sibi adiungere, quod iste talis si matrimonium contrahat habens volūtatem particularem contrahendi iuxta morem patrium, valide contrahet cum prima, & secunda inualide, vnde si conuertatur tenetur ad primam redire, quæ est vere vxor & altera concubina, & hic est casus *cap. Gaudemus de diuort. versic. qui autem.* vbi Innocent. III. determinat, quod cum veritas in Euangelio repudium reprobauerit, ille qui secundum ritum suum legitimam repudiavit vxorem, nunquam ea viuentē licite poterit aliam etiam fidem Christi conuersus habere, quod si illa sequatur antequam propter causas predictas legitimam ille ducat vxorem eam recipere compelletur. Ex quibus tale formo argumentum Innocentius determinat, quod etiam post fidem Christi quæ reprobauit repudium, potest aliquis iuxta ritum suum legitimam repudiare vxorem, quæ reprobatio non admittitur iuxta legem Christi, vnde semper manet legitima vxor illa quæ primo ducta est, & sequens, prima viuentē est illegitima, & tamen iste iuxta ritum suum, & leges patrias contrahebat iuxta quas eius consensus fertur in non perpetuitatem matrimonij, & insolubilitatem

32 vinculi eiusdem, siquidem iuxta suas leges licebat repudium, & ritu matrimoniali quo celebretur contractus hunc libellum permittit atque ita cōsensus ad contrahendum virtualiter fertur in libellum, vnde non respicit perpetuitatem, & sic vxor ducta ex vi huius consensus non est legitima, & per consequens siue perseuerans in sua infidelitate, siue conuersus ad fidem potest aliam ducere, nec compellendus vt illam si conuertatur, recipiat; atqui Pontifex contrarium definit, ergo supponit quod iste paganus qui secundum ritum suum repudiavit legitimam vxorem quia libellus repudij ei permittebatur, aut conceditur, habebat ignorantiam inuincibilem reprobationis libelli factæ in Euangelio, si enim non haberet istam ignorantiam voluntas, & consensus ferebatur in matrimonialis vinculi solubilitatem, & sic matrimonium nullum erat nec per illud legitimam ducebat vxorem.

Secundo, probatur eadem assertio, quia supposita ignorantia inuincibili reprobationis libelli factæ in Euangelio, cum libellus repudij quasi ex tacita dispensatione licitus esset apud plures nationes, † vt tenent Abulensis *ad caput 19. Matth. quest. 76. ad ult.* Veracruz *2. p. speculi coniug. art. 13.* Basilius Legionens. *lib. 7. de matr. cap. 50. num. 2.* & plures alij, ergo supposita ignorantia inuincibilide reuocatione cum isti habeant voluntatem contrahendi valide iuxta legem naturæ, isti voluntati generali non opponitur voluntas particularis circa insolubilitatem

33

tem vinculi quæ licita iudicatur ex ignorantia inuincibili, vnde si hæc ignorantia pellatur & nota sibi sit reprobatio facta in Euangelio de libello, matrimonium manet & subsistit cum prima, & nullo modo cum secunda, quia iste talis virtualiter voluit perpetuitatem, contra quam nullam habuit voluntatem oppositam.

Ex quibus colligitur primum, qua ratione sit verum, quod dicit Perez *disput. 55. de matrim. sect. 2.* quod † nunc inter Iudæos infideles non dissoluitur matrimonium virtute legis repudij. Si enim vult, dicere quod de facto non est licitus libellus repudij, nec lex illius habet efficaciam, quæ abolita fuit lege Evangelica iam sufficienter promulgata, qua promulgatione iam lex vetus, quoad vitalia & cæremonialia & mortifera, verum est. Si tamen velit dicere, quod Iudæus, qui scit legem Evangelicam reprobaturum esse libellum repudij, adhuc vult contrahere iuxta ritum iudaicum, putans esse verum, atque ita eius consensus fertur in solubilitatem vinculi matrimonij, & in non perpetuitatem, hoc omnino falsum est, quia consensus essentialiter requisitus ad valorem matrimonij fertur implicitè in eius perpetuitatem, nisi interueniat dispensatio, quæ iam lege Evangelica cessauit.

35 Colligitur secundo, † quod sibi velit Cardinalis Lugo *n. 132.* dum asserit, quod si contrahentes credebant vinculum matrimonij esse dissolubile, sed non limitant suam intentionem tempore contractus ad illam existimationem, sed habuerunt voluntatem generale contrahendi matrimonium validum, ita vt illa existimatio se habeat concomitanter, cum etiam sine illa æquè contraherent, tunc matrimonium videtur validum & obseruandum. Hæc enim doctrina sale explicationis indiget, quia illa existimatio, aut est scrupulosa, & dubitativa & sic cum illa compatitur voluntas generalis contrahendi matrimonium validum secundum legem naturæ, si autem sit existimatio orta ex deliberatione, quod vinculum matrimonij sit solubile, quia iuxta patrias leges libellus repudij est concessus semper, quod contrahit si non habet voluntatem actualem excludentem illam existimationem deliberatam ista semper virtualiter manet, & ex illa dimanat & quasi imperatur consensus, & pactio matrimonialis quæ virtualiter tendit in vinculi matrimonialis solutionem, & non perpetuitatem & sic matrimonium non subsistit, sed est inualidum, quia existimatio illa non se habet concomitanter, sed antecedenter influens consensus, quamuis enim si ritus & consuetudo libelli non subsisteret, forsam iste etiam contraheret, tamen hic & nunc ex vi præsentis

regiminis dantis libellum repudij qui hodie semper est contra legem naturæ, tendit consensus matrimonij in vinculi solutionem, nec vellet contrahere, si illi proponeretur, quod non posset dare libellum, vel quod renuntiaret legi illum concedenti, & sic existimatio ista deliberata, etsi ex errore dimanet, tamen limitat intentionem, & ideo contrahit hic & nunc virtualiter, quia iuxta suum ritum existimat matrimonium esse solubile & sic existimatio influit in consensus, nec solum se habet concomitanter.

Colligitur tertio, † qua ratione verum <sup>38</sup> teneat, id quod faciebant Patres illi Missionarij, & refert Dicastillus *vbi supra.* si enim gens illa Barbara annuntiabatur Euangelium, ignorantiam inuincibilem habebant circa reuocationem dispensationis vel consuetudinis libelli factam à Christo *Matth. 5. & 19.* quia illis nunquam fuit prædicata, aut intimata, etsi de Euangelio alias habuerint notitiam, cum supposita hac ignorantia velent valide contrahere iuxta naturam pactiois matrimonialis quæ perpetuitatem essentialiter imbibit, & vinculi insolubilitatem, matrimonium cum prima semper fuit validum, & sic illa viuente, cum illa si vera sit residere matrimonialiter tenetur, & illi fidem seruare, & non cura alia quacunque, quod si sit dubium, an extiterit talis ignorantia pro matrimonio cum prima standum est, argumento *ex cap. final. de sent. & re iudic.* & in hoc sensu male fecerunt illi Missionarij, si autem non fuit talis ignorantia inuincibilis de reuocato libello repudij per Christum, sic cum nullum fuerit matrimonium bene fecerunt illi patres, quia cum nulla illarum valide contraxit paganus ille, & sic factus Christianus poterat iuxta leges Ecclesiæ, cum qua libuerit, contrahere.

Et iuxta has doctrinas ferendum est iudicium circa dissoluenda vel retinentia matrimonia Abyssinorum, Ætyopum, & aliorum Christianorum Schismaticorum, qui vniuntur Ecclesiæ Catholice, vel aliarum gentium in quibus est polygamia introducta, vel libellus repudij receptus, & concessus patriis legibus, vel hæreticorum, qui in ea sunt hæresi, quod matrimonium sit solubile, & quod repudiata prima vxore potest vir cum alia valide contrahere, vt volunt Græci, & Armeni, quod ante Montanus, <sup>39</sup> vt notat Eusebius *l. 5. hist. cap. 18.* & Priscillianus, vt dicit Aug. *lib. de hæresibus,* docuerunt quos sequitur huius temporis hæresiarchæ & Hebræorum qui obstinati in sua lege libellum repudij accerrime tuentur, de iudæis enim, & hæreticis cum illis iam sint manifesta eloquia Dei prolata in Euangelio inuincibiliter nequeunt ignorare, quod lex de repudio sit abrogata per Christum, quare

si iuxta illam contrahunt virtualiter volentes matrimonij solubilitatem iuxta præfata legem, & peccant mortaliter, & matrimonium nullum est, nec admittendum nisi denuo contrahat.

40 Vnde † Iudæi baptizati si in sua perfidia obstinati existant legem Moyfi profitentes si iuxta hunc ritum contrahant matrimoniū istud inualidum, & nullum est, quod tenentur DD. Inquisitores inquirere, etsi conuertantur facere quod denuo contrahant si volunt, etsi non debent separari, quia non coniuges, sed fornicatores sunt in concubitu existentes, voluntas enim contrahendi iuxta ritum Mosaycum, in quo est licitus libellus repudij euertit voluntatem valide contrahendi quia limitatur, & coarctatur ista voluntas generalis per voluntatem specialem quæ virtualiter illam euertit.

Et idem dicendum de matrimonio hæreticorum, qui sentiunt vinculum matrimonij esse solubile, quod secus est de baptismo dato ab hæreticis, isti enim, etsi non velint dare baptismum iuxta ritum Romanæ Ecclesiæ, & ita volunt non dare baptismum quem dat Ecclesia Romana, quia putat illum non esse à Christo institutum, & ita solum vult dare baptismum, quem Christus instituit, quia non est de essentia baptismi ordo ad Ecclesiam Romanam quare etiam si ista ab hæretico excludatur cum vult facere, quod Christus instituit vere baptizat, at perpetuitas, & insolubilitas matrimonij est de eius essentia, & de iure naturæ ex vi pactiois matrimonialis, & ita, qui virtualiter vult, dum contrahit non perpetuitatem matrimonij, & eius vinculi solubilitatem, deficit illi consensus essentialiter requisitus ad valorem matrimonij, & hæc doctrina valde est obseruanda quia non ita dilucide ab auctoribus traditur, & id quod dixi de baptismo valde notandum est propter quosdā, qui dicebant his diebus, quod hæretici dum conuertuntur, expedit vt sub conditione iterum baptizentur, quibus ego consultus me opposui, quia est contra Ecclesiæ praxim, & præualuit meum dictamen.

41 Vltimo supponendum est † Deum potuisse instituire contractum societatis inter virum, & fœminam absque ordine ad generationem, & filiorum procreationem, sed quod tam vir quam mulier mutuo virentur inseparabiliter animorum coniunctione in ordine ad onera vitæ ciuilibus, & œconomiæ domus, ita vt mulier esset in adiutorium viri, suis operibus, & vir in adiutorium fœminæ in suis, in ordine ad quæ, & vir haberet fœminæ dominium, & fœmina viri; hunc contractum licitum esse, & de facto quamuis nō inseparabiliter posse fieri, tenent Scotus in 4. dist. 34. quest. vnic. ad 2. So-

tus *ibi art. 2. in fin. corp.* Petrus de Soto *lect. 5. de matrim.* Barthol. de Ledesm. *dub. 48. conclus. 3.* Petrus de Ledesma *q. 58. art. 1. dub. 3.* & alij quos refert, & sequitur Sanch. *lib. 7. de matrim. disp. 97. num. 13.* quamuis si adsit incontinentiæ periculum non facile admittendus sit contractus, dicunt tamen quod vir potest transire ad aliud matrimonium vt procreet filios, tenebitur tamen fœminæ cum qua contractum societatis iniit alimenta præbere. Ego vero dico quod Deus potest instituire hunc contractum inter virū, & fœminam solum in vitæ societatem in ordine ad quam vir habeat dominium fœminæ, & fœmina viri, taliter quod vinculum ex hoc contractu resultans sit insolubile iure diuino, ita vt nequeat valide aliam fœminam etiam in ordine ad generationem sibi iungere, sed quod vterque insolubili societate permaneant inseparabiliter coniuncti non secus ac inter religiosū solemniter professum, & religionem ex vi votorum contrahitur simile vinculum insolubile iure diuino per contractum inter religiosum, & religionem initum, per quem omnia opera religiosi sunt religionis, & ista tenetur illum alere, neque enim videtur aliqua repugnantia in hoc, quod Deus huiusmodi coniunctionem inseparabilem inter marem, & fœminam ad mutuam societatem, & operum communicationem mutuamque adiutorium instituat absque ordine ad carnale commercium, imo præcipiendo, quod vterque in castitate viuant, vnde tenebuntur ex vi præsentis contractus mutuo residere.

His non inutiliter suppositis † superest 4<sup>2</sup> dubium valde graue, an Deus de facto talem contractum instituerit, matrimonium, taliter quod valide possint aliud inire etiam si Eunuchi sint, & potentia perpetua coeundi & immittendi semen prolificum intra vas fœmineum, siue quia carent vtroque testiculo, siue quia veretrum est excisum.

## §. II.

*Sententia Basilij Legionensis & aliorum adducitur, enucleatur, probatur.*

### S V M M A R I V M.

1. *Quid de Eunuchis sentiat Basilus Legionensis.*
2. *Vt matrimonij congressus licitus sit, tria bona assignantur à S. D.*
3. *Sixtus V. Eunuchorum coniugia iam contracta irrita fuisse, & nulla declarari iussit.*
4. *An Eunuchorum coniugia iure natura sint valida, si ad castè viuendam contrahant.*
5. *Coniugium ad quid fuit institutum.*
6. *Coniugium*

6. *Coniugium fuit institutum ad triplex remedium.*  
 7. *Quid ex praemissis sequatur, & num. 8. 9. & 10.*  
 11. *An aliquando fuit verum, & perfectum coniugium sine matrimonio, & n. 12.*  
 13. *S. Doctoris sensus assertur, nec multorum aliorum, & n. 14. 15. & 16.*

**I**gitur Basilii Legionensis lib. 7. de matr. de huiusmodi Eunuchis fatur, cap. 67. n. 4.

† *Imprimis istorum Eunuchorum coniugia utroque teste carentium cum implicito aut explicito cōsensu, copula inualida esse semperque fuisse iuxta naturam leges mihi tam certum est, quam quod certissimum, nec licet de hoc quantum ego iudico ulli dubitare Catholico, nisi Pontificis auctoritate refragari velit, ostendo breuiter. Quia consensus in copulam ideo in matrimonio licet, quia ordinatur ad prolem, unde & iussio illa debet esse verisimilis, quamvis aliquo accidenti sit forsitan infaecundum. In huiusmodi autem Eunuchorum connubio, congressus vacuus, & inanis est, nec solum ob accidens aliquod in prolem ordinari non potest, sed quia verum semen non emittunt nec iaculantur, sed forsitan elabatur humor aliquis, quem specie diuersum à semine indubium est, non ergo licet illis iure naturam matrimonium in ordine ad copulam ad bonum prolis minime ordinabilem. Hæc ille, ut enim ait Augustinus lib. de bono coniugali. Carnalis vel inuenilis incontinentia etiamsi vitiosa est ad propagandam prolem redigitur honestatem, ut ex malo libidinis aliquid boni faciat copulatio coniugalis. Ex qua doctrina D. Th. in 4. dist. 31.*

2 q. 1. art. 1. dicit quod † ut matrimonij congressus licitus esset assignantur tria illa bona proles, fides & sacramentum, quia ista sunt bona, & circumstantiæ, sine quibus non est licitus vsus coniugalis, quem illæ honestant. Etenim electio alicuius quod aliquam iacturam habet annexam (sicut habet matrimonij vsus quo obseruetur ratio) indiget alicuius boni adiectione, per cuius recompensationem ordinetur, & honestetur.

Et num. 5. hinc (ait Pontius) optima ratione desumpta. † *Sixtus quintus Eunuchorum coniugia iam contracta irrita fuisse, & nulla declarari iussit, itaque non dissoluit matrimonium antea validum, sed declarauit nullum fuisse à principio eiusmodi coniugium, unde iudices quibus Breuis executio commissa est fæminis nubendi liberam facultatem fecerunt, quia illos non ad castè viuendum contraxisse constabat. Quod efficaci argumento est, ad infirmitatem matrimonij istorum secundum ius naturam comprobandum.*

4 Vnde num. 6. & 7. concludit † *Eunuchorum cōiugia iure naturæ esse valida si ad castè viuendum contrahant, secus vero ad generandū, dicit tamen quod iure Ecclesiastico ex Breui Sixti V. esse nulla. cap. tamen 57. probat matrimonium*

contractum ab impotenti impotētia perpetua dummodo non sit Eunuchus aut veretro radicitus exciso si sit in ordine ad castè viuendum, secluso ordine ad copulam non solum esse validum iure naturæ, sed etiam iure Ecclesiastico, in quo differt matrimonium Eunuchorum, quod est licitum & validum, si contrahatur ad castè viuendum, est tamen nullum iure Ecclesiastico nouiori.

Hæc sententia probatur. Primò, quia † coniugium non fuit institutum ex primaria sua institutione, neque ad generationem prolis, aut remedium libidinis, sed in mutuam societatem maris & fæminæ, mutuūque vtriusque adiutorium in vita fœlice & Beata, castoque connubio, ergo quis etiamsi sit impotens ad generandum poterit contrahere coniugium verum & legitimum, non ad generandum, aut ad mitigandam libidinem, sed ad castè viuendum & ad felix commercium inter virum & fæminam, antecedens latè probat Iacobus de Valentia vir doctissimus & Archiepiscopus Valentinus dictus aliàs Iacobus Perez o. d. nis S. Aug. in *Cantic. B. V. ad illa verba fecit mihi magna.* in quarta dignitate V. Matris, cuius verba placuit referre, quia grauissima, & quæ si quæ alia argumenta, ad ea quæ adducit sententiam istam reddunt probabilem, sic enim ait. † *Coniugium fuit institutum ad triplex remedium primo ad remedium persone, quoad felicitatem. Secundo, ad remedium & conseruationem nature lapsæ. Tertio, in remedium libidinis & excusationem peccati. Primò, ergo fuit institutum coniugium propter bonum mutua Societatis & amoris & mutui adiutorij, & obsequij, ut patet Genes. 2. nam Deus primo formauit hominem & spirauit in eo spiraculum vitæ, sed factò viro sine fæminâ dixit, nō est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi & sequitur postea, Adæ vero non erat adiutorium simile ipsi misitque Dominus soporem in Adam, tulitque vnā de costis eius, & repleuit pro ea carnem, & edificauit costam in mulierem, & adduxit eam ad Adam, unde surgens Adam de somno dixit hoc nunc os de ossibus meis & caro de carne mea, propter hoc dimittet homo, &c.*

Ex quibus verbis patet, † quod coniugium de primaria intentione fuit à Deo institutum propter triplex bonum scilicet propter mutuam Societatem, & mutuū amorem & mutuū adiutorium & obsequium sine quibus nulla potest esse iocunda possessio, ut inquit Boëtius, ideo dixit Dominus, non est bonum hominem esse solum, ista ergo tria bona sufficiunt ad verum, & perfectum coniugium, & ista fuit primaria causa institutionis coniugij.

Secundo autem fuit institutum propter bonū prolis ad conseruationem speciei & nature lapsæ ad

ad restaurandam ruinam Angelorum, & prauidentem hominem peccaturum, & moriturum propter peccatum, ideo ne species humana periret, & ex numero hominum electorum & iustorum restauraretur ruina Angelorum dedit generationem homini ex causa, ergo peccati data est homini generatio scilicet propter peccatum hominis, & Angelorum. Nam si Angeli non peccassent non fuisset necessaria eorum reparatio, et si homo non peccasset non fuisset inflicta ei mors, & corruptio, & sic non fuisset necessaria generatio, quia in illis duobus potuisset humana species in perpetuum conseruari vsque ascendissent in vitam meliorem & aeternam, ut inquit Augustinus.

- 9 Ex quibus apparet quod generatio prolis accedit coniugio propter peccatum, & ideo iam instituto vero, & proprio coniugio prauidentem Deus Adam & Euam peccaturos, dedit eis generationem benedictam, dicens *crecite, & multiplicamini, & replete terram, & tunc coniugium dictum est matrimonium ratione prolis, ex quibus patet quod primi parentes iam erant veri coniuges ante datam generationem, & per consequens coniugium fuit perfectum sacramentum prater datam generationem. Item sequitur etiam quod generatio de primaria intentione fuit data ad restaurandam ruinam Angelorum, & ideo fuit data cum benedictione, & ideo primi parentes genuissent, ante peccatum sine libidine, & consequenter filios sanctos, qui perpetuantes vitam in sanctitate, per esum ligni vite post longum tempus fuissent translati in vitam meliorem ad reparandam ruinam Angelorum.*

- 10 Sed quia generatio, quæ ante lapsum fuerat data benedicta, postea propter peccatum fuit maledicta & vitiosa morbo libidinis unde prouenit corruptio, in tota generatione humana propter quod peccatum carnis venit diluuium super terram, ideo post diluuium Deus confirmauit matrimonium dicens *crecite, &c. Genes. c. 8. & tunc confirmatum est matrimonium in remedium libidinis ad euitandum peccatum in coniugibus, scilicet ne actus venereus, & officium generandi reputetur eis ad peccatum propter libidinem, nam cum libido sit inflicta propter peccatum ultra primariam institutionem generationis, & peruertat veram intentionem, & finem & ordinem generandi, quia generatio non fuit data nisi causa prolis generande, tamen libido peruertit illum ordinem, quia semper prouocat ad implendum illicitum appetitum carnis, & ideo solum sacramentum matrimonij excusat peccatum in actu venereo, & sic tertio fuit institutum matrimonium in remedium libidinis, ut patet ex Aug. in lib. de nupt. & lib. de adulterinis coniugiis.*

- 11 Ex quibus omnibus patet, quod aliquando fuit verum & perfectum coniugium sine matrimonio id est generatione, & aliquando

fuit verum matrimonium sine libidine, nam licet primi parentes non genuerint prolem ante lapsum, tamen iam erat eis collata virtus generatiua & potentia generandi, & ex dicto principio colligit Illustrissimus vir, quod fuit inter B. Virginem, & B. Iosephum verum & proprium coniugium celebratum propter bonum societatis, & adiutorij mutui, & amoris inter eos, sicut fuit institutum ex primaria, & per se intenta institutione, quia nisi interuenisset Angelorum ruina quæ reparanda erat, ex hominibus electis non esset necessaria hominis generatio. Hanc doctrinam Christopholitanus præsulis ita per extensum adduxi, tunc quia grauissime digesta, tunc quia valde contraducat ad intelligentiam Aug. in 1. lib. de vitiis & concup. & lib. de adulterinis coniugiis & l. 4. & 5. contra Iulianum. contra quem disputat qualiter congressus matrimonialis non causa prolis generandæ, sit peccatum veniale, tum quia si coniugium verum de facto est institutum propter bonum societatis ex primaria institutione Dei instituentis iure naturæ non erit inualidum si contrahatur inter impotentes impotentia perpetua, etiam si sit Eunuchismus, & hoc est præcipuum fundamentum Legionensis, & reuera est efficax, sed de eo supra egi Resol. §. 4. & 5. vbi §. 1. tribus classibus argumentorum omnia eaque à ratione sunt petita, & luculenter dissoluimus, §. 6. quare repetenda non sunt, cum ibi soluta videri possint:

Secundò arguit, quia † eodem modo est philosophandum de matrimonio Eunuchorum & carentium veretro, ac de matrimonio impotentium impotentia & frigidityte perpetua, atque horum matrimonium iure naturæ, siue ex natura rei non est nullum, sed validum. Ergo & Eunuchorum, antecedens omnes videntur admittere, quoad maiorem propositionem, quoad minorem expresse tenet D. Th. in 4. dist. 34. q. 1. art. 2. ad 4. vbi expresse asserit, quod si mulier sciat virum esse frigidum & impotentem ad soluendum debitum non iute, sed facto, si cum eo contrahat tenet matrimonium iure naturæ, quia † (inquit) si sciat cum quo contrahit hanc impotentiam & nihilominus contrahat ostendit, quod alium finem contractu querit, quia videlicet etsi de facto non possit soluere debitum potest intendere contrahens habere cum illo bonum societatis coniugalis. D. Thom. sequuntur Paluda. ibid. quest. 2. art. 1. num. 9. Gabriellis supplementum quest. 1. vnic. art. 1. & art. 2. conclus. 2. Celaia quest. 1. in sol. replica primi arg. Gerson. 1. part. tract. de matrimonio Alphabet. 25. titul. 1. cap. 12. §. 1. & 3. Vera Cruz 1. p. speculi coniug. art. 38. Metina de sacror. hominum continentia lib. 5. à cap. 75. Lomas in Method. 3. p. cap. 8. §. 13. Summistæ etiam



etiam id adseuerant Syluester *verb. Matrimon. 6. quest. 1. versic. qualibet frigiditas*. Tabiena *verbo impedimentum. 1. quest. 6. num. 7.* Nauarrus *lib. 4. consiliorum tit. de desponsat. Impuberum consil. 4.* (ex occasione, quod Papa dispensauit, quod Filius Ducis Metinæ cœli Marquo de Cogolludo duodecim annorum possit contrahere cum filia Ducis de Alburquerque, decem annorum dumtaxat) *num. 15.* approbat & sequitur S. D. sententiam, quam amplectuntur Angelus *verb. Matrim. 3. impedimentum 16. num. 2.* Armilla *num. 48.* & multi alij quos non vidi & citat Sanchez, & quod amplius est Tabiena *impedimentum 12. quest. 6. num. 7.* Armilla *num. 51.* Metina *vbi supra cap. 74.* Palacios *in 4. dist. 34. disp. 1. ante. 4. conclusionem pag. 762. & 763.* vbi hanc sententiam quasi ad oculum euidenter probat & demonstrat, vt ait Gutierrez *num. 12. infra citandus.* Philiaricus *de officio sacerdot. tom. 1. part. 2. lib. 2. cap. 10.* sentiunt, quod Eunuchi si virgam erigere valeant, ac proinde coire, etsi semen non emittant, aptos esse ad matrimonium.

15 Rursus si Eunuchi semen emittant quâuis ineptum ad generationem, copula enim contenta est semine intra vas emisso etiam inefficaci ad generationem, vt constat in steriliū copula, dicunt verè contrahere iure naturæ plures & graues Doctores Paludanus *vbi supra.* & D. Ant. *cit. Veracr. art. 38. concl. 6.* Turrecr. *33. q. 1. in sum. art. 2.* Barth. de Ledesm. *de Matr. dub. 48. concl. 3.* Gaeta. *c. ad limina. 30. quest. 1. §. 4. num. 539.* Matienzo *lib. 5. recop. tit. 1. in Rubric. gloss. 1. n. 195.* Ludouicus Lopez *2. p. instruct. cap. 52.* Ouanus *in 4. dist. 34. disp. unica proposet. 5.* Coroll. *2.* Barbof. *leg. 1. p. 1. à num. 92. ff. solut. matr.* Syluester *verb. Matr. 8. quest. 16. versic. 7.* sic dicit. *de Castrato & Spadone dicit Petrus de Palude, quod si non impediuntur ab actu generationis licet ab effectu, quia scilicet in eis virga erigitur, & semen emittunt licet inualidum ad generationem, sed si semen non emittant contrahere non possunt secundum quosdam 32. q. 7. cap. his qui, nec contrahitur per hos affinitas, & hoc saltem intendunt omnes, quod Spado vtroque testiculo priuatus contrahere non*

16 *potest.* Panorm. & Glossa. *in cap. nuptiarum. 27. quest. 1.* Gofredus & Hostiens. *in Summ. Hugo. Ioannes Franc. Archidiac. cap. his qui 32. quest. 3.* & hæc fuit communis sententia in Hispania practicata vsque ad annum 1587. quando Sixtus Quintus P. M. de hac re edidit proprium motum infra adducendum, ante quem idem sensit Doctissimus Ioannes Gutierrez. *lib. 1. Canonic. quest. cap. 16. à num. 8. vsque ad 18. inclusiue & n. 19.* retractat sententiam, quam sequutus fuerat, propter motum proprium Sixti Quinti, quem ibi ad verbum refert, & ego ad finem huius Re-

solutionis integrum dabo.

§. III.

*Iudicium sapientioribus remissum & Ecclesia determinationi subiectum circa Eunuchorum matrimonium in ordine ad coitum, an iure natura sit validum.*

S V M M A R I V M.

1. *An summus Pontifex nullatenus declararit iure natura esse inhabiles ad matrimonium contrahendum Eunuchos.*
2. *Authoris iudicium assertur, & num. 3. & 4. & 5. necnon Thomæ Sanch. & n. 6.*
7. *An si senes nonagenarij coire possint validè contrahant.*
8. *An matrimonia Eunuchorum in ordine ad coitum sint nulla.*
9. *An Eunuchi possint contrahere in remedium libidinis.*
10. *D. Caietani sensus adducitur, & n. 11.*
12. *Sixti V. sententia assertur, & n. 13.*

Summum Pontificem † nullatenus † declarasse iure naturæ esse inhabiles ad matrimonium contrahendum huiusmodi Eunuchos, seu Spadones vtroque teste carentes, dummodo coire possint & aliquale semen emittere intra vas, quod virga erecta penetrare possint, quod mihi (seclusa semper Ecclesiæ, & sapientium censura,) ex multis persuadeo. Primò, quia Pontifex non dicit esse declarandos inhabiles iure naturæ, sed solum iure Ecclesiastico, & Sanctissima lege de nouo data. Sic enim ait Pontifex. *Considerantes, quod ex Spadonum huiusmodi & Eunuchorum coniugijs, nulla utilitas prouenit, sed potius tentationum illecebræ & incentiua libidinis oriuntur eidem fraternitati tuæ per presentes committimus & mandamus, vt coniugia per predictos & alios quoscunque Eunuchos & Spadones vtroque teste carentes cum quibusdam mulieribus defectum predictum, siue ignorantibus, siue etiam scientibus contrahi prohibeas, eosque ad matrimonia quomodocumque contrahenda inhabiles auctoritate nostra declares, & rã locorũ Ordinarijs, ne huiusmodi cõiunctiones de cetero fieri quoquomodo permittant interdicas, quã eos etiã qui sic de facto matrimoniũ cõtraxerint separari cures, & matrimonia ipsa sic de facto contracta, nulla, irrita, & inualida esse decernas. Eos etiã qui sic iã cõtraxerint, si appareat illos nõ vt caste simul viuãt cõtraxisse, sed actibus carnalibus, & libidinis operam dare simul in vno, & eodem lecto cum predictis mulieribus dormire conuincantur, omnino similiter separari cures.* Hactenus Pontifex.

Circa quæ duo considero. Primũ, quod Pontifex ex inutilitate coniugiorum huiusmodi, & quia ex eis tentationum illecebræ

dimanant mandat nuntio Hispaniarum, vt talia coniugia contrahi prohibeat, ex vi cuius prohibitionis declarat esse tales Eunuchos inhabiles ad contrahendum, non quidem, quod sint inhabiles iure naturæ, sed prohibitione Ecclesiastica, sicut ad matrimonia clandestina sine parrocho & testibus habiles sunt homines ad valide contrahendum iure quidem naturæ, sed Concilium Tridentinum eos inhabiles reddidit, hæc autem inhabilitas iure humano dumtaxat Ecclesiastico fuit introducta, vnde vbi non est Tridentinum, quoad decreta de reformatione receptum, valida sunt, etsi illicita matrimonia clandestina celebrata, sine Parrocho, & testibus.

- 3 Secundum, † quòd aliter loquitur Pontifex de matrimoniis contractis ab huiusmodi Eunuchis post intimatam dictam prohibitionem, qua redditi sunt inhabiles ad contrahendum contraxere, ac de illis qui ante illam iam erant coniugati, quod si quis Eunuchus post præfatam prohibitionem contraxit separandus est, & matrimonium nullum, irritum, & inualidum esse decernendum, ille verò qui ante talem prohibitionem contraxit si appareat, non vt castè viuat contraxisse, sed actibus carnalibus, & libidinis operam dare, & in eodem lecto cū prædictis mulieribus dormire conuincantur omnino similiter separari cures, at non dicit, quod declaret matrimonium contractum esse irritum, nullum & inualidum sicut dixerat in priori specie, ergo ideo est, quia ante prohibitionem iure naturæ erat
- 4 Eunuchus huiusmodi habilis iure naturæ ad contrahendum, mādāt tamen Papa, quod si actibus carnalibus operam dat omnino separetur, non quidem quoad vinculum, sed quoad cohabitationem, quia huiusmodi coniugium etiam si iure naturæ illud non irriteret, tamen inutile est, & ex illo tentationum illecebræ, & incentiua libidinis oriuntur, quare ad huiusmodi tentationes & incentiua fugienda mandat omnino separari vtens in hoc plenitudinis potestate.

- 5 Moueor secundò, quia Pontifex eodem modo loquitur de illis qui frigida naturæ sunt & habent impedimentum impotentia perpetuum, qui secundum Canonicas sanctiones & naturæ rationem minimè apti ad contrahenda matrimonia reputantur, ex quo colligit, quod neque huiusmodi Eunuchi & Spadones validè contrahant, siue scientibus, siue ignorantibus fœminis huiusmodi defectum, atqui si impotens impotentia perpetua ex frigiditate dimanante, ita vt semen euavidum iaculetur si mulier sciat hunc defectum matrimoniū validū est iure naturæ, vt plures authores. (inter quos est D.Th.) quos suprà dedi & multi alij

quos citat ex antiquis † Thomas Sanchez, 6 quod non est præsumendum Pontificem voluisse damnare, sicut nec illos quos etiam supra adduxi quod si huiusmodi Eunuchi, & Spadones vtroque testiculo carentes virgā erigunt, vt possint fœmineum penetrare, & aliquale semen stillare valide contrahant, in remedium concupiscentiæ ipsorum, qui illa valde agitantur, & torquentur quam fœminarum quæ cum illis coeunt, vt bene vidit Syluester. Impotentia enim coeundi est quæ iure naturæ impedit matrimoniū, & dirimit contractum, non vero impotentia ad generationis effectum, senes enim † nonagenarij, si coire possunt valide contrahunt etsi sint impotentes ad generandum, & filios habendum, sicut & steriles sterilitate cognita si coire possunt, vas penetrando, & intra illud semen stillando, quamuis impotentes ad filiandum, quod secus est si intra vas nequeunt seminare, vel quia virgam nō erigunt præ frigiditate, vel quia præ nimio calore totum semen foras impatienter semper emittunt non expectantes introgredi, vas fœmineum.

Moueor tertio, quia † si huiusmodi Eunuchorum matrimonia in ordine ad coitum iure naturæ essent nulla, irrita, & inualida non ita communiter practicum fuisset in Hispania multis retro annis ante fixum quintum, à multis enim sæculis, viri doctissimi & Præsules Sapientissimi floruerunt qui si intelligerent hoc esse inhibitum iure naturæ non id admitterent, & consensum præberent, vt in facie Ecclesiæ publice hæc matrimonia celebrarentur, vt celebrabantur communi praxi in Tribunalibus Ecclesiæ, quod fiebat, quia iudicabant id esse licitum iure naturæ, quod iam non est post *Motum proprium* Sixtinum.

Moueor quarto, quia isti Eunuchi, etsi impotentes ad filiandum libidine aguntur, mulieres etiam horum coitu satisfiunt, ergo † possunt contrahere in remedium libidinis non enim intra ordinem naturæ remedio carere debent, & matrimonium vt supra vidimus ex Christopolitano iure naturæ ordinatum, & institutum est in ordine concupiscentiæ, & libidinis, ne ista mortalis sit coram Deo.

Moueor quinto, quia mulier si Eunucha efficiatur ita vt semen passiuum, & requisitum per se ad generationem, vt egregie adnotauit Dominus Caiet. † 2. 2. *quæst.* 154. 10 *art.* 12. §. *ego autem*, vbi mirabili suo ingenio dicit fœminæ data esse vasa seminalia, & testes ad intra, qui tempore pubertatis distenduntur, & tumescunt, quia videlicet semen fœmineum per se requiritur tanquam materiale, & semen viri tanquam formale, & sicut anima per se componitur

componitur ex materia, & forma, ita semen requisitum per se ad generationem est coagulatum ex semine foemineo, tanquam passiuo, & virili, tanquam actiuo, & sicut istud diggeritur in testiculis viri, vt sit actiuum ita semen foemineum diggeritur in ordine passiuo in testibus foeminae quae non generat ante pubertatem, quia testes non extenduntur nec tumescunt, & sic non disponunt semen passiuum, sicut nec vir ante pubertatem disponit semen actiuum, ex qua doctrina ( quae omnes medicos, & philosophos discordantes an semen foeminae sit necessarium ad generandum, & filium in concordiam redigit, & valde necessaria est ad morales quaestiones circa malitiam veneris in foeminis ) eliciebam ego hoc motiuum valde efficax, quia foemina Eunucha, & sine testibus ( quae vt vidimus supra talis esse potest ) non potest semen passiuum proportionatum, & per se requisitum ad filium emittere, sicut neque Eunuchus, tamen quia potest coire recipiendo semen viri intra vas iure naturae si contrahat non est irritum, & inualidum matrimonium, sed validum ergo si Eunuchus virgam erigit fortiter, ita vt coeat vas foemineum penetrando, & semen et si euanidum, & infructiferum iure tamen naturae valide ineunt matrimonium.

11 Moueor sexto ex alia doctrina satis profunda eiusdem D. Caiet. *ead. quaest. 154. art. 2. §. superest*, vbi dicit quod id quod per accidens contingit in moralibus, non tollit ex natura rei principium vniuersale in moralibus, pro quo ( ait ) *debemus gratias agere D. Th. qui hanc doctrinam nos docuit*. Ex qua colligit quod de ratione seminationis voluntariae est quod secundum se ordinetur ad generationem, nec hoc vnquam auferri potest, sed ex accidentibus aegritudinis, aetatis, &c. fit per accidens, vt in hoc non sortiatur effectum generationis. Hoc autem numero accusat concubitus conjugalem quia per accidens est, & ius naturae cum sit lex vniuersaliter de validitate matrimonij per concubitus maris, & foeminae media seminatione intra vas in ordine ad generationem & filium disponens, quod in hoc seminatio sit euanida ex infirmitate, aetate, castratione vtriusque testiculi vel aliquo alio accidente perpetuo aut temporali in hoc particulari indiuiduo non facit, quod matrimonium sit iure naturae inualidum, quare sicut sterilitas nonagenaria senectus, ita nec Eunuchismus aut spadonismus iure naturae accusant matrimonium.

12 Ex dictis constat quod † summus Pontifex Sixtus quintus in suo Breui responsiuo ad interrogationem sui in Hispania Apostolici Nuntij, circa Eunuchorum matrimo-

nij validitatem, quantum ad ius naturae nihil disposuit, hoc enim altius erat negotium pro vniuersa Ecclesia Bulla vniuersali de consensu & consultatione Eminentissimorum Cardinalium, vt mos est Sedi Apostolicae, decidendum, & definiendum, quare suae naturae, vt antea erat reliquit, neque Eunuchos hos inhabiles fecit iure naturae ad matrimonium, iure enim naturae habiles sunt, sicut & consanguinei, post primum gradum, & sicut alij ad contrahendum clandestine sine parrocho & testibus, tamen sicut illos ius Canonicum prohibuit coniungi, & inhabiles fecit ad contrahendum, & hos Concilium Trident. *sess. 24.* ob rationes & motiua grauissima, quae Patres mouerunt. 13 hoc idē & nihil amplius fecit Sixtus Quintus sua lege prohibens Eunuchorum matrimonia ex vi cuius etiam eos declarat inhabiles ad contrahendum, etiam ad castē viuendum ob rationes, quae suam Sanctitatem mouerunt, vt sic sanctissime & prudentissime decerneret, quare de hoc eodem modo philosophandum est, ac de inhabilitate ad clandestine contrahendum. Haec repeto me dicere sub correctionem S. M. Ecclesiae & sapientiorum iudicium, an verò hoc Breue Apostolicum suas vires exerat extra ditionem Hispaniam in quam extenditur iurisdicatio Nuntij, qui illud publicauit, alibi est disputandum, alij iudicent, quia non expedit omnia discutere.

## §. IV.

*Auctoris Primum assertum. Impotentium matrimoniale vinculum, ipso iure potest ab Ecclesia dissolui, non tamen soluitur, nisi post iudicis sententiam.*

## S V M M A R I V M.

1. An ante omnem iudicis sententiam irritum sit Eunuchorum matrimonium ab ipsis contractum.
2. Ratio difficultatis duplex assertur.
3. Quodnam vinculum matrimonij inter impotentes ad coitum rescindatur ab Ecclesia.
4. Quodnam vinculum non soluetur nisi ad petitionem partis, & n. 5.
6. Lucij III. mens adducitur, necnon Auctoris iudicium, & n. 7.
8. An Ecclesia declararit, quod vinculum matrimonij cum impotenti possit scindi.
9. Quid ex dictis sit colligendum, & numero 10.
11. An iure Ecclesiastico & Canonico cognita impotentia perpetua possit quis valide matrimonium contrahere.
12. An postquam contractum est matrimonium bona fide in ordine ad coitum, Ecclesia

*consuevit, quod detur licentia, ut vinculum non rescindatur.*

- N**on loquimur de matrimonio Eunuchorum carentium utroque testiculo, hoc enim irritum est & inane post Diploma Sixti V. quo declauit ipsos & fecit inhabiles, & illegitimas personas ad matrimonij contractum celebrandum, quare ante omnem iudicis sententiam irritum est matrimonium ab ipsis contractum, quia incapaces sunt ad matrimonialem residentiam, & sic assertum nostrum procedit & statuitur de matrimonio celebrato cum impotente perpetuo ad coitum, siue hæc impotentia dimanet à nimia frigiditate, aut calore, siue in fœmina à nimia arctitudine, quæ sine mortis proximo periculo vincitur nequit, siue à viro, siue à chirurgo. Hoc itaque coniugium & matrimonium dicimus, quod scindi & rumpi potest ipso facto, non tamen rumpitur nisi post iustum iudicium iudicis Ecclesiastici.
- 1** Duplicem partem habet assertio, prima est quod potest scindi, & hoc negari nequit, nec vnus Catholicus negabit, siquidem praxis Ecclesiæ, ita obseruat, quæ post experimentum triennale, si vir, & fœmina matrimonio iuncti, si intra tale tempus fieri non possunt *una caro* per commixtionem, quæ fit per seminationem viri intra vas fœmineum, soluit vinculum si pars petat solutionem, & illi datur facultas vt alteri nubat *cap. accepistis in fine*, ex Bruchardo *lib. 19. decreti cap. 5. cap. ex litteris ex Alex. III. cap. laudabilem, vbi Cælestinus III.* qui id confirmat ex decreto Gregor. Papæ I. relato *cap. requisisti 2. 33. quest. 1.* quæ omnia iura habentur *tit. de frigid. & malefic. in Decretal.* vbi habetur, quod si mulier (& idem de viro) per iustum iudicium de viro probare potest, quod cum illa coire non potest accipiat aliam, quare dubitare nemo potest, quod huiusmodi vinculum matrimonij inter impotentes ad coitum possit rescindi ab Ecclesia, quia si dat licentiã coniugi petenti, vt alias nuptias contrahat validè, dubio procul prius rescinditur, quia polygamia iure naturæ est prohibita, etiam quoad vincula matrimoniorum, itaque iure naturæ nequit quis plura vincula matrimonialia cum pluribus habere, quia cum pluribus posset coire licitè, quod naturæ legi repugnat, vt est de fide.
- 2** Secundi asserti pars habet quod vinculum non soluitur, nisi ad petitionem partis Ecclesia per iudicium iustum id perficiat dans licentiã ei, qui potens est, vt cum alio possit contrahere; ex duobus etiam in iure certis mihi indubium videtur, primum est quod datur ab Ecclesia tempus *triennij*, vt possint expe-

riri, an fieri queant *una caro* per coitum, *cap. laudabilem de frigid. & malefic.* quare intra hoc spacium omnibus actibus carnalibus concessis coniugibus, possunt vt licitè; ergo adhuc perseverat, & est vinculum matrimonij in ordine ad cuius consummationem Ecclesia determinat, hoc tempus, vt huiusmodi actus licitè fiant, consequentia videtur manifesta, quia si non esset retinaculum matrimonij non fierent licitè huiusmodi actus carnales, qui sine matrimonio & ordine ad illius consummationem illiciti sunt iure naturæ, vt probat vterque Thomas 2. 2. q. 154. art. 1. & 2.

Secundum etiam quod est in iure certum, etsi ab aliquibus male perceptum, est, quod si ambo coniuges consentiant simul esse, vir eam si non vt vxorem saltem, vt vxorè habeat. Ita *cap. laudabilem cit. cap. requisisti 2. 33. q. 1.* in illo Cælestinus III. & in isto Greg. I. id determinat, & *cap. consultationi de frig. & Lucius III.* dicit, quod *Romana Ecclesia consuevit in consimilibus iudicare, vt quas tanquam sorores habere non possunt, habeant tamen, vt sorores*, ad vitam scilicet indiuiduam & communem matrimonij societatem absque cõmixtione tamen carnali, sicut non est cum sorore, vnde manet retinaculum coniugale non vt commisceantur carnaliter, quia ad id impotentes sunt, sed vt vitam castam gerant inter sese, ac si essent frater & soror, itaque vinculum matrimonij postquam contractum est, constat, vel ad carnale commercium & hoc nequit esse inter impotentes, vel in ordine ad commercium communis vitæ & societatis, vt quilibet in suo sexu sua exerceat munia vxor domestica & vir forensia, & hæc esse veram intelligentiam huius axiomaticis iuris Canonici *infra §. 6.* monstrabo.

Sed vtramque asserti partem explico exemplo, quia non est implicatorium, quod aliquid sit solubile iure Canonico, & tamen non soluitur nisi data sententia iudicis, antequam verè manet solubile, tamen non soluitur, & quousque soluitur habet eodẽ effectus, ac si solubile non esset. Itaque Ecclesia declarat, quod impotens est illegitima persona, & inhabilis, vt omnino insolubiliter contrahat vinculum matrimonij, tamè simul determinat, quod vinculum istud non dissoluatur, nisi post sententiam & iustum iudicium, quod non interponit, nisi ad partis petitionem, & sic vinculum istud imperfectè est insolubile, sicut Ecclesia decernit *cap. cum secundum leges, de hæret. in 6.* quod hæreticorum bona ipso facto sunt fisci; vnde hæretici eo ipso, quod externè fidem abiurarunt, dominium, quod habebant bonorum est imperfectum & rescindibile ab instanti hæresis externæ contractæ, tamen de facto non rescinditur, nisi per sententiã saltem declaratoriã criminis, ante

antequam verum dominium manet in hæretico suarum rerum, de quibus potest disponere tuta conscientia, cæterum rescindi potest quicumque contractus ab ipso factus à die criminis, & sic dominium rerum suarum erat imperfectum, & rescindibile, & ex Ecclesiæ ordine hæreticus est inhabilis ad perfectè contrahendum sua bona distrahens, quamuis si distrahat tenet distractio, quia nondum dominium illorum imperfectum, post crimen patratum, est extinctum, & dissolutum, ita pariter in præsentibus est philosophandum. † Ecclesia declaravit, quod vinculum matrimonij cum impotenti potest scindi, quia de facto soluit, eo ipso, quod est impotens perpetuo ad consummandum matrimonium, tamen vinculum hoc non soluitur, nisi post iudicium iustum ipsius Ecclesiæ ad petitionem partis, quæ si non petat, & non interueniat tale Ecclesiæ iudicium iustum ipsius Ecclesiæ ad petitionem partis, quæ si non petat, & non interueniat tale Ecclesiæ iudicium, semper manet vinculum insolutum sicut in sententia probabili, quod Papa potest dissolvere matrimonium ratum non consummatum, huius vinculum semper manet insolutum, quousque adueniat actualis Pontificia dispensatio.

9 Ex dictis colligitur, † quale iudicium sit ferendum de sententia Basilij Legionens. l. 7. de Matr. c. 8. asserentis quod matrimonium impotentium impotentia perpetua sit validum iure Canonico, si enim velit dicere, quod est validum id est insolubile iure Ecclesiastico, id dici nequit cum iure Ecclesiastico per iustum iudicium solvatur, & licentia detur coniugi potenti & petenti post transactum triennij spatium ad experimentum sumendum, ut alteri nubat, quod probat vniuersalis Ecclesiæ sensus, & praxis, si verò dicat Legionensis, quod est validum iure Ecclesiastico quatenus ius Canonicum licentiam dat, ut si coniuges, velint se gerere castè viuendo, sicut frater, & soror, vinculum matrimonij perseveret sitque inter illos residentia casta matrimonialis, hoc verissimam (me quidem iudice) doctrinam continet quam latius enucleabo §. 6. etsi non fallor eam expresse docuit Greg. I. & Cælestin. III. est secutus in textibus, supra relatis.

Ex hac tamen doctrina nullatenus inferre licebit, quod † iure Ecclesiastico & Canonico cognita impotentia perpetua possit contrahere validum matrimonium, hoc enim nullus concessit, imò nec concedere posse existimo, tum quia nullum ius ad hoc fertur, in quo vel insinuetur, solum enim Summi Pontifices declarant, quod postquam contractum est matrimonium bona fide, & inueniatur quis impotens ad consummandum, possunt coniuges permanere

re in vinculo matrimonij rati, tanquam frater & soror, ut vidimus non tamen dicunt, quod cognita impotentia ad coeundum sint apti ad contrahendum iure Ecclesiastico, quidquid sit de iure naturæ de quo §. 6. quare hoc mihi videtur declarasse Sixtus Quintus de quo supra in Breui remisso ad Hispaniarum Nuntium in quo sic habetur. *Nos igitur attendentes, quod secundum Canonicas Sanctiones & naturæ rationem qui frigida naturæ sunt & impotentes, iidem minime apti ad contrahenda matrimonia reputantur, &c.* Ergo ex sententia & declaratione Pontificia Canonica Sanctio iusque Canonicum iuxta naturæ rationem, huiusmodi impotentes iure quidem positivo, determinat ineptos esse ad contrahendum matrimonium, quando impotentia perpetua antea noscitur, neque enim visum est in Ecclesia, quod cognita impotentia perpetua ad coeundum contrahatur matrimonium, ut vir habeat fœminam, ut sororem & non, ut uxorem, hoc enim incredibile videtur, quia matrimonium ex Ecclesiæ & naturæ iuribus est in ordine ad coitum saltem radicaliter, & illum ex pacto matrimoniali excludere omnino est prohibitum iure Ecclesiastico, ex quo matrimonium redditur nullum, & irritum, tamen † postquam contractum est bona fide in ordine ad coitum Ecclesia consuevit, quod detur licentia, ut vinculum non rescindatur, sed maneat in illo coniuges tanquam frater & soror, nec enim sic possent perpetuo manere nisi vinculum matrimonij perseveraret, imò viuente coniuge, quæ ut sororem conseruat retinaculum coniugale, quousque ab Ecclesia per iustum iudicium rescindatur, valide nequit coniux potens cum alio contrahere, ut dicam latius §. 6.

## §. V.

*Afferuntur Secundum. Valde probabile est, quod aliquorum Eunuchorum coniugium sit iure naturæ validum, etsi non omni ex parte perfectum.*

## S V M M A R I V M.

1. An aliquorum Eunuchorum iure naturæ validum sit matrimonium.
2. Authoris iudicium asseritur.
3. D. Thome sensus adducitur.
4. Quodnam remedium concupiscentiæ iure naturæ datum sit omnibus iis, qui urgentur carnis prurigine.
5. An steriles etsi à natura sint inhabiles ad filiandum, valide contrahant.
6. Ratio difficultatis asseritur.
7. Quid nomine frigiditatis veniat intelligendum.
8. Quid sit dicendum de valore matrimonij

*senis qui aetate & viribus est confectus, & num. 9.*

10. *Quid item veniat colligendum.*

1 **D**ixi, † *aliquorum Eunuchorum*, quia illi veretrum omnino excisum habent, cū non possint commisceri carnaliter ob defectum membri virilis, similiter illi qui, ita frigidi sunt, quod veretrum erigere non valent, nec vas fœmineum penetrare, aliquodve semen etsi improlificum immittere, isti enim nullatenus habent potentiam ad coitum, & copulam, ordo ad quam, est essentialis matrimonio, *vt supra Resol. §. ex D. Aug. & S. Thom. ostensum est, & videndus est D. Thom. in 4. dist. 34. quæst. 1. art. 2. ad 1. vbi id expresse docet.*

2 Igitur assertum nostrum intelligitur † de Eunuchis carentibus utroque teste, qui valent vas fœmineum penetrare Virga erecta aliquod stillare semē, etsi euanidum & omnino sterile ad filiandum, quo coitu & ipsi satisfaciunt libidini & mulier pariter satisfacta relinquitur. Hanc conclusionem tenent omnes, quos supra dedi §. 2. vbi adduxi verba Sylvestri grauissimi Doctoris explicantis auctores dicentes, quod coniugia Eunuchorum sunt inualida & irrita. Probat tamen valde efficaciter, quia senes decrepiti si possunt erigere, & vas fœmineum penetrare cum effusione aliqua seminis, quod ex natura rei est infœcundum, nec arte medica fieri potest, quod fœcundetur, validè contrahunt, non solum cum virgine iuvene, sed etiam cum vetulā, etiam decrepita, cuius rationem egregiam dedit

3 D. Thom. vbi modo *ad tertium*, (inquit) *dicens, quod vetuli quamuis quandoque non habeant caliditatem sufficientem ad generandum, tamen habent caliditatem ad carnalem copulam, & ideo conceditur eis matrimonium secundum quod est in remedium, quamuis non competat eis secundum, quod est in officium naturæ.* Hæc ibi, quo nihil illustrius ad præsens, ergo præfati Eunuchi, quamuis non habeant caliditatem, nec instrumenta in quibus concoquatur semen ad filiandum sufficiens, & vt sit in officium naturæ, habent tamen instrumentum aptum & caliditatem sufficientem, vt erigatur & semen incoctum, & humorem emittant seminalem intra fœmineum vas immittendum, & sic habent copulam carnalem, vnde eis potest iure naturæ concedi matrimonium, non vt est in officium naturæ, sed vt est in remedium concupiscentiæ.

4 Secundò probatur, quia † hoc remedium concupiscentiæ iure naturæ datum est omnibus illis, qui vrgentur carnis prurigine, & libidine, habentque instrumenta apta quibus coeant, vt hoc remedio curentur. Ergo

Eunuchis huiusmodi iure naturæ non est prohibitum hoc remedium: consequentia est euidens, quia isti vrgentur & anguntur infirmitate libidinis. Ergo sunt huius remedij capaces iure naturæ, & sic tam ipsi quam mulieres, qui cum ipsis coeunt & copulantur carnali commixtione hoc remedio curantur, dum satisfaciunt libidini, & sic iure naturæ non sunt inhabiles ad matrimonium, prout est in remedium concupiscentiæ, quamuis Summus Pontifex ob rationes grauissimas ipsos iure Canonico inhabiles fecerit.

Tertiò, quia † steriles, etsi à natura sint inhabiles ad filiandum, taliter quod sine miraculo filios procreare nequeant, quia ipsorum semen infructiferum est, & euanidum, quia non habent sufficientem calorem in testiculis ad semen elaborandum, & prolifere digerendum, quare non exercent officium à natura illis datum, sed illius testiculi est officium vacuum (vt hispane dicitur, *placa capona*) nihilominus valide contrahunt, vt est recepta sententia in Ecclesia, & passim ab omnibus Theologis, & vtriusque iuris professoribus, vt bene notat Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 92. n. 26.* etiam si mulier natura sit sterilis ita vt spes concipiendi deficiat, & etiam si vir sterilitate adstringatur, vt optime probat Barbosa *leg. 1. p. 1. n. 98. D. solut. matrim.* Quia in istis saluatur finis secundarius scilicet remedium concupiscentiæ, ob quem contrahere possunt steriles, etiam si haberent certam reuelationem de sterilitate sua naturali, quam solum potest euertere, & sanare miraculum, quæ ratio etiam † conuincit in Eunuchis de quibus est semen, erigunt enim, penetrant vas fœmineum, stillant semen, etsi sterile vel humorem quo emisso etsi tardius refrænantur à libidine sicut & fœminæ, quare vere coeunt, & copulantur, etsi filios nō creent, quare existimo ob has rationes quæ me quidem iudice valde efficaces sunt, nec mihi occurrit quid responderi possit, quod sit solidum ad euertendum ius naturæ, & illis satisfaciendum valde probabile esse iure naturæ coniugia horum Eunuchorum valida esse, non quidem ad caste viuendum (hoc enim coniugium absque ordine ad copulam prorsus Platonicum existimo, & nullomodo esse institutum ab auctore naturæ quod sit insolubile, & inseparabile (sed etiam ad remedium luxuriæ, vt contrahunt senes, & steriles, vt enim egregie notat Sylvester infra citandus, ex Astensi, & Paludano † nomine frigiditatis intelligitur *omne impediens perpetuo actum generationis, non autem si effectum generationis impedit, & non actum, vnde steriles scienter possunt contrahere. Actus enim generationis non est commixtio corporum,* sed

*sed feminum id est tenentium locum feminum.*  
 Hæc Syluefter, quibus tota nostra sententia paucis comprehenditur.

- 8 Ex dictis inferitur primo † quid dicendum sit de valore matrimonij illius senis, qui ita ætate, viribus est confectus vt nunquam possit coire virgam erigendo, & semen etsi euandidum, & sterile intra vas fœmineum immittendo. Quidam sustinent etiam huiusmodi senem validè contrahere, quia semper habitu retinent potentiam intrinsecam feminandi intra vas, etsi senio per accidens sit impedita, ita Tabiena *impedimentum* 12 q. 3. n. 4. Nauarr. *in Consiliis lib. 4. in meo tit. de desponsat. impuber. consil. 4. n. 18.* Rodrig. *tom. 1. summa in meo cap. 235. num. 5.*
- 9 Alij probabilius iudicant, quod si non potest vas penetrare virga erecta, ita vt sit in remedium luxuriæ nullatenus validè contrahat. Ita Sanch. *multis citatus disp. 92. n. 24.* dicens esse verissimam sententiam, Syluester *matrimonium* 8. q. 16. dicto 3. *ibi senex si nullomodo iuuari possit natura, vel arte esset idem sicut de naturali frigiditate, quia talis contrahendo se obligaret ad impossibile.* Idem amplectuntur Scot *in 4. dist. 34. quest. vnica. ad 2.* Sotus *quest. vnica. art. 2. Palac. disp. 1. Gutier. vbi supr. n. 13.*
- 10 Colligitur secundo † quid dicendum sit quum quis ob deformitatem mulieris, ita impotens redditur, vt neque erigere neque feminare intra vas possit, & quidem aut impotentia hæc est perpetua, aut temporalis, & sic cum sit nimis ab intrinseco sicut & maleficium de illa sicut de isto est philosophandum, vt ait D. Thom. *dist. 34. cit. quest. vnica. art. 2. ad 5. in fine.* Existimo tamen incredibile & moraliter impossibile, quod homo potens ad coitum contrahat cum aliqua, cum qua vel semel non possit coire propter deformitatem fœminæ, nisi post contractum ante consummationem hanc deformitatem contraxerit, argumento ex his, quæ dicit Lucius III. *cap. consultationi de frigid. & malefic.* agens de matrimonio cum muliere, ita clausa, vt non possit marito commisceri, dicit, quod licet incredibile videatur, quod aliquis cum talibus contrahat matrimonium, Romana tamen Ecclesia consuevit in similibus iudicare, vt quas tanquam uxores habere non possunt habeant vt sorores.

§. VI.

*Affertum tertium. Matrimonium contractum à femina sciente virum esse impotentem propter frigiditatem, est validum iure natura.*

S V M M A R I V M.

1. *An sint aliqua impedimenta quæ faciunt matrimonium illicitum.*

2. *An femina contrahens sciens virum esse frigidum & impotentem ad coitum renunciet iuri ad debitum petendum.*
3. *Ius ad debitum petendum & reddendum est essentialissimum matrimonio, & numero 4.*
5. *D. Thomæ sensus assertur, & n. 17. 18. 19.*
6. *In quo consistat matrimonij essentia.*
7. *Quenam sit materia proxima traditionis mutua.*
8. *An intentio prolis generanda sit essentialissima matrimonio.*
9. *Sanchez opinio assertur.*
10. *An tria bona matrimonij quantum ad obligationem sint de essentia illius.*
11. *An inter steriles frustratur matrimonium sine primario.*
12. *Lucij III. sensus assertur, & n. 13.*
14. *Matrimonij contractus iure natura quid requirat.*
15. *An id quod iure natura est validum possit ius posituum inualidum facere.*
16. *Pupillus est inhabilis ad contrahendum quemcumque contractum.*
20. *Quid veniat colligendum, & n. 21.*
22. *Cælestini III. sensus adducitur.*
23. *Quid sit quod vir habeat feminam vt sororem, quam nequit vt uxorem habere.*
24. *Gregorij opinio assertur, necnon Clement. Alexand. & n. 25.*
26. *Aruernensis Conc. statutum, nec non Turonensis & n. 27. 28.*
29. *Hieronymi mens adducitur.*
30. *Cardinalis Baronij indicium, & numero 31. 32.*
33. *Quæ sit consuetudo Ecclesie Romanae.*
34. *An iure Ecclesiastico possit femina validum matrimonium contrahere cum viro, qui ante matrimonium scit certò esse impotentem, & n. 35.*

L Oquimur, etiam si impotentia ex frigiditate proueniens sit perpetua ad coitum. Hæc est perpetua S. Thomæ sententia quam defendere ipse S. Doct. me cogit fundamentis, quæ posuit, sic habet *in 4. dist. 34. quest. 2. art. 2. ad 4. & dist. 36. quest. 1. art. 1. in corp. & in solut. ad 2. & ad 4.* vbi sic fatur ad quartum dicendum, quod † aliqua impedimenta sunt, quæ faciunt matrimonium illicitum, & quia voluntas nostra non facit aliquid esse illicitum, vel licitum, sed lex cui voluntas subdi debet, ideo ignorantia talis impedimenti, quæ voluntarium tollit, vel scientia nihil facit, ad hoc quod matrimonium teneat, & tale impedimentum est affinitas, vel votum & cetera huiusmodi. Quædam autem impedimenta sunt, quæ faciunt matrimonium inefficax ad solutionem debiti, & quia in voluntate nostra consistit debitum nobis relaxare, ideo talia impedimenta si sunt cognita matrimonium non tollunt, sed so-

lum, quum ignorantia voluntarium excludit, & tale impedimentum est seruitus, & potentia coeundi, & ideo quia de se habent aliquam rationem impediendi, &c. Quibus verbis manifestam rationem subministravit profundam quidem, & altam, quam contrarij non penetrarunt.

Hanc sententiam tuentur omnes Summistæ antiqui Raynerius 2. p. tit. de matr. 27. Tabiena *Impedimentum* 1. num. 7. Armilla *verb. matrim. num.* 48. Angelus *matrim.* 3. *impedimentum* 16. num. 2. Syluester *verbo matrim.* 6. *quæst.* 1. §. *qualibet frigiditas*. Petrus de Soto *lect.* 5. *de matrim.* Viualdus *in candelabro tit. de matrimonio.* 236. Flamas p. 3. *method. cap.* 8. num. 13. Philarcus *tom.* 1. p. 2. *lib.* 2. c. 10. Metina *de sacrorum homi. cont. lib.* 5. *cap.* 74. & 75. Veracruz *in speculo coniug. art.* 38. Nauarrus *lib.* 4. *consil. tit. de desponsat. impuber. conf.* 4. n. 55. D. Antoninus 3. p. tit. 1. *cap.* 12. §. 1. & 3. Multi Scholastici *in* 4. secuti Magistrum *dist.* 34. *cap.* 1. vbi Ioannes Maioris q. 1. *concl.* 3. & *in fin. q.* Palud. *quæst.* 2. *art.* 1. num. 9. & *art.* 3. num. 18. vbi supplementum Gabrielis *quæst. vnic. art.* 1. Lyra 3. *Reg. cap.* 1. *ad illa verba quæram Domino nostro vbi Abulens. q.* 4. Abbas *cap.* 2. num. 5. vbi Alexander de Neuo num. 5. *de frigid. & malefic.* Rosella *impedimentum* 15. num. 16. Antonius Cuccus *lib.* 5. *inst. tit.* 1. 2. num. 259. Henriquez *lib.* 1. 2. *de matrim. cap.* 7. num. 4. sequitur etiam, etsi male intellecta sententia Basilius Legionens. *lib.* 7. *de matrim. cap.* 56.

Vt autem hæc sententia fundamentaliter comprehendatur supponendum est, quod hæc verissima sententia non adfirmat, quod  
 2 † fœmina contrahens sciens virum esse frigidum, & impotentem ad coitum renuntiat iuri quod habet ad petendum debitum, & quod vir non teneatur reddere, quantum est de se, & ex vi contractus matrimonialis, taliter quod si per miraculum ei restitueretur potentia coeundi teneretur reddere, vnde semper debet habere in præparatione animi voluntatem reddendi, ad eundem modum, quo D. Thom. (quam sequuntur Summistæ cæterique Scholastici) *in* 4. *dist.* 31. *art.* 3. *in corp.* dicit quod fides, & proles si considerentur in suis principiis, vt pro prole accipiatur, *intentio prolis*, & pro fide *debitum seruandi fidem*, sic proles est *essentialissimum matrimonio*, & secundo *fides*, &c. Sic  
 3 † ius ad debitum petendum, & reddendum obligatio quantum est ex natura rei est *essentialissimum matrimonio*, & huic iuri nullus contrahens potest renuntiare, quamuis possit renuntiare ei, quod de facto debitum reddat, quia contrahens scit alium contrahentem impossibilitatum esse ad reddendū, quia sicut de facto reddere non est de essentia sacramenti, sicut nec de facto posse

filiare, vt patet in senibus, & sterilibus, in quibus intentio prolis saluatur, quia ex natura coitus potest esse quamuis in istis sit per accidens, quod de facto non sit efficax intentio, ita quod impotens perpetuo ob frigiditatem naturalem (quæ est quædam naturalis defectus, & infirmitas) de facto non reddat nec possit reddere, debitumque soluere, per accidens se habet naturæ matrimonij, & eius essentiali valori, qui essentialiter solum exigit animi præparationem in contrahentibus, vt quantum est ex vi contractus matrimonialis licite possint commisceri debitum reddere, & prolem generare, & sicut intentio prolis, etsi essentialissima sit matrimonio in sterilibus est ex natura subiectorum impossibile, quod sit efficax nisi in præparatione animi, & quantum est ex natura contractus ita intentio coeundi in impotentibus, etsi non sit efficax per accidens, ratione subiecti, tamen est in animi præparatione, quantum est ex vi matrimonij, quæ animi præparatio sufficiens est vt matrimonium verum subsistat, quia animi præparatio, & respicit copulam, & prolem, quamuis de facto hæc non sequatur in sterilibus, & illa in impotentibus, vnde si coniux impotens sit ad coeundum, & seminandum intra vas tenetur caste viuere, sed semper in animi præparatione, si potens fiat (siue naturaliter, siue supernaturaliter) debitum reddere, & intendere prolem, vnde saltem in animi præparatione actu respicit copulam, vnde constat male dixisse, & intellexisse matrimonium sine ordine ad copulam saltem in animi præparatione, quia ordo ad copulam, sicut intentio habendi prolem est *essentialissimum* matrimonio, quæ profundissimam doctrinam si calluissent contrarij Sanch. Dicastillus, Perez & alij, non ita certo sibi statuissent contra S. D. quod contrahens scienter cum impotente nullum sit hoc matrimonium iure naturæ.

Hoc supposito multiplici argumento probatur assertum nostrum primum sit D. Thom. *in sol. illa ad* 4. † & sic formari potest quod quis possit expedite de facto soluere debitum coniugale, sicut & quod de facto possit filios generare non est de essentia contractus matrimonialis, quamuis alter coniux habeat ius vt ille de facto reddat, & finis matrimonij sit proles generanda; ergo si mulier sciens quod vir est impotens propter frigiditatem, non sit soluendo de facto, validum contrahit matrimonium, consequentia videtur manifesta, quia † essentia matrimonij consistit independenter ab hoc, quod quis reddat de facto, quia huic iuri potest renuntiare, etiam antequam contrahat, sicut potest, postquam contraxit, vel quia vterque solemniter sunt Religionem professi;



felli, vel quia vterque ex mutuo consensu voverunt castitatem, vel quia vult contrahere cum impotente, non ob actualem commixtionem, sed ob alios fines, quorum intentio fundatur in traditione corporis diuersi sexus alteri in qua traditione imbibitur & ius ad exigendum, & in altero obligatio ad reddendum, quantum est in se, & in animi præparatione, vt dicebamus, sicut copula sterilium ex natura rei, & quantum est ex se ordinatur ad filiandum, quod tenetur ex se intendere, quamuis per accidens finis iste & intentio non sequatur propter impotentiam naturalem seminis sterilium.

7 Itaque materia proxima traditionis mutuae, quæ sit in matrimonij contractu est, est vtrumque contrahentis corpus diuersi sexus, quod ex se & intentione naturæ apti sint ad generandum & filios procreandos per seminum commixtionem, quæ habent mas & fœmina ex se & sua constitutione, & institutione Auctoris naturæ, quod enim de facto sit hæc seminum commixtio, & quod sit inter coniuges mutuum ius expeditum ad petendum, & obligatio expedita ad reddendum non est ex primaria intentione contractus matrimonij, quod respicit solum traditionem corporum diuersi sexus, quæ ex sua institutione apta sint ad generationem, quod enim aliquis sit impotens ad reddendum de facto ratione alicuius naturalis impedimenti perpetui, prorsus est per accidens, quod non evertit, nec destruit capacitatem radicalem & specificam materiae traditionis mutuae essentialiter requisitæ, ad matrimonium ex vi cuius, vt diximus teneretur reddere debitum si impedimentum illud auferatur, siue naturaliter, siue supernaturaliter.

8 Secundum, quia intentio prolis generandæ est *essentialissima* matrimonio, vt ait D. Thom. Magister sententiarum ex Aug. vt *suprà vidimus Resol. ....* ex eo, quod ordo ad copulam (quæ ex primaria intentione ordinatur ad filiandum) est essentialiter requisita ad validitatem matrimonij, quod enim de facto non filiet in sterilibus prouenit ex natura huius individui, & sic non opponitur intentioni prolis quæ intentio est essentialissima, quia quod de facto non exequatur est per accidens sicut sunt monstra; vnde non opponitur essentiæ matrimonij, quæ potest consistere sine eo, quod filij non possint generari, quia ad hoc sunt impotentes coniuges.

Hoc argumentum valde efficax est, & potest dupliciter ad illud responderi. Primo Sanchez *disp. 97. cit. n. 5.* dicit verum esse non requiri ad valorem matrimonij, quod coniuges habeant potentiam vacandi copulæ coniugali ab sobolem procreandam, at

desiderari, vt traddant sibi mutuam potestatem ad copulam, quæ traditio coniugi impotenti impossibilis est. Verum hæc solutio si prematur euanida & inanis inuenietur, quia ipse Th. *l. 2. de Matrim. disp. 29. n. 11. & 12.* vbi sententiam D. Th. sequitur, dicens, quod tria bona matrimonij quantum ad obligationem sunt de essentia illius, obligantur enim coniuges ad vitam indiuiduam, & reddendum sibi debitum prolemque non impediendam, & habitam educandam, & quantum est ex vi matrimonij, vt est in officium naturæ illam procurandam, & tamen steriles naturaliter non possunt prolem procurare, hic est nunc, quia eorum semen est infœcundum ex natura huius individui à quo diggeritur & iaculatur intra fœmineum vas, & tamen nullus negat, quod steriles validè contrahant etiam in officium naturæ ad filiandum, quamuis hæc intentio & obligatio ad executionem non reddatur ob impedimentum sterilitatis, quia hoc est per accidens ratione huius individui, ergo quamuis non possit impotens coire si hæc impotentia sciatur à fœmina validè contrahit, quia quod non possit reddere habet per accidens, per se enim & in animi præparatione obligatur ad reddendum sicut obligatur ad filiandum.

Respondet secundo, *disp. 92. n. 26. eiusd. lib. 10.* quia etsi inter steriles frustratur matrimonium sine primario, qui est prolis generatio, consequitur tamen finem secundarium nempe satisfacere concupiscentiæ vera copula habita. Cæterum hæc solutio minus habet ponderis, quam præcedens, quod manifestissime ostendo, quia finis etiam matrimonij est vita indiuidua inter subiecta & personas diuersi sexus, ad quam ex vi institutionis sequitur prolis generatio, & concupiscentiæ mitigatio, ergo quamuis non consequatur etiam iste finis secundarius subsistet iure naturæ matrimonium, quia est principalis intentio consequuta scilicet vitæ communicatio inter personas diuersi sexus, ex vi cuius sequitur & intentio prolis & mitigatio concupiscentiæ in natura corrupta, qui finis non esset in natura integra, in qua semper esset prolis generatio, quare sicut in natura corrupta etiam si non sit intentio proxima prolis, subsistet matrimonium, etiam si non executio finis secundarij qui est mitigatio concupiscentiæ propter impotentiam viri, si hæc sciatur à fœmina validum erit matrimonium iure naturæ, quia consequitur communicatio indiuiduæ vitæ in ordine ad officia & exercitia cuiuslibet sexui conuenientia. Hoc argumentum meum conuincit intellectum.

Tertium sit ex vera intelligentia *cap. consultationi de frig. & malef.* in quo Lucius III. interrogat

- interrogatus de quodam qui contraxit cum  
fœmina impotente ratione arctitudinis, vel  
quia forsan non habebat officium matricis,  
12 respondet Pontifex † *Respondemus quod licet  
incredibile videatur quod aliquis cum talibus  
contrahat matrimonium, Romana tamen Eccle-  
sia consuevit in consimilibus iudicare, ut quas  
tanquam uxores habere non possint habeant ut  
sorores, & Cœlestinus I I I. cap. laudabilem  
eod. agens de matrimonio ignoranter cum  
frigido contracto, ait esse separandum sub-  
dens: quod si ambo consentiant simul esse, vir  
eam, etsi non ut uxorem saltem habeat ut soro-  
rem.* Ex quibus Summorum Pontificum re-  
sponsis colligitur quid sit quod vir habeat  
13 fœminam, ut uxorem, & fœmina virum ut  
fratrem, non enim est, quod non subsisten-  
te, iure naturæ, matrimonio simul cohabi-  
tent, imo potius est quod subsistente valido  
iure naturæ matrimonij vinculo (quod iure  
Ecclesiastico non subsistit nisi inter poten-  
tes coire, & semen intra vas emittere) si  
contrahentes ambo consentiant, manet ma-  
trimonij vinculum, sed cohabitare debent,  
non ut maritus, & vxor, quia horum ne-  
queunt officia exercere, cum vnus coniugum  
impotens sit ad coitum.

- Ut autem hoc plenius percipiatur cano-  
nici iuris intelligentia clareat, & Antiquo-  
rum sententia enucleetur, notandum est,  
14 quod † matrimonij contractus iure naturæ  
requirit personas habiles ut inter ipsas cele-  
bretur, quæ inhabilitas oritur ex lege deter-  
minante, quæ determinatio diuersa est ( ut  
elegantè adnotauit S. Tho. in 4. dist. 34. q. 1.  
ad 4. ) secundum diuersam legem. *Matrimo-  
nium* ( ait S. D. ) *in quantum est in officium  
naturæ statuitur lege naturæ in quantum est sa-  
cramentum, statuitur iure diuino, in quantum  
est in officium communitatis, statuitur lege ciui-  
li, & ideo ex qualibet dictarum legum potest  
aliqua persona effici ad matrimonium illegiti-  
ma, & quia lex naturalis secundum diuersos  
status recipit determinationes diuersas, & ius  
positiuum variatur secundum diuersas hominum  
conditiones in diuersis temporibus ideo Magister  
ponit in diuersis temporibus diuersas personas il-  
legitimas fuisse.*

- Ex qua vera & indubitata doctrina, con-  
15 stat quod † id quod iure naturæ est validum  
ius positiuum potest inualidum facere de-  
clarando inhabilem personam ad contrahē-  
dum, quod duplici exemplo ex communi &  
certa sententia explico. Pupillus iure na-  
turæ, seclusa fraude, metu graui, errore,  
valide potest contrahere cum tutore, & ta-  
men ius ciuile ipsos inhabiles reddit ad con-  
trahendum, ita ut si celebretur contractus  
nullus sit. Deinde secundum leges Castellæ  
minor sub tutore constitutus est inhabilis ad  
contrahendum pecunia credita, ita ut nulla

obligatio siue ciuilis siue naturalis ex tali  
contractu oriatur, vtrumque probat Sanch.  
*lib. de matrim. disp. 38. num. 25. 28. & 29.* imo  
iuris peritorum communis est sententia, quæ  
probabilem valde dicit Sanchez *num. 20. in  
fine*, & sequuntur Lessius *lib. 2. cap. 8. n. 38.*  
Quod † Pupillus est inhabilis ad contrahen- 16  
dum quemcunque contractum iure ciuili  
quamuis iure naturali inhabilis non sit. Sic  
ergo Ecclesia Romana, etsi iure naturæ im-  
potens ad coeundum valide contrahat sit-  
que habilis ad contractum matrimonij, ta-  
men quum impotentia est propter Eunu-  
chismum declarauit ita inhabiles esse, ut  
nullatenus possint contrahere valide, sicut  
nec contrahunt consanguinei intra quartum  
gradum, si tamen sit propter frigiditatem  
perpetuam, aut maleficium declarat inha-  
biles ad matrimonium sub conditione, nisi  
ambo consentiant ad simul habitandum ut  
frater, & soror, non tamen ut maritus, &  
vxor, quia ad hoc omnino ipsos inhabiles  
reddit si post triennium datum ad experien- 17  
dum, an impotentia sit perpetua; post quod  
experimentum si impotentia perseuerat, ita  
ut intra vas nequeat vir seminare, si volunt  
ambo possunt manere coniuges, & vincu-  
lum matrimonij non rumpere, sed in illo  
manere matrimonialiter caste viuendo, ut  
frater, & soror, & quidem quod ante hoc  
experimentum, & quod nolint permanere  
ut frater & soror sit verum vinculum mati-  
monij mihi indubitatum est, quia vbi non  
adest matrimonium iure naturæ est prohi-  
bita seminatio humana siue intra siue extra  
vas, siue quilibet actus impudicus, ut osten-  
dit S. Thom. 2. 2. *quest. 154.* vbi Caiet. &  
Sylvius, est igitur iure naturæ verum vin-  
culum matrimonij, sed quia Ecclesia decla-  
rauit inhabiles ad matrimonium illos, qui  
impotentes sunt ad coitum in perpetuū ex-  
pectat, quum dubium est de ista impotentia  
triennium in quo sumatur experimentum  
priusquam declaret harum personarum in-  
habilitatem, quam non declarat nisi per iu-  
stum iudicium ad exigentiam partis, quæ  
reclamat, dicens velle esse matrem vel pa-  
trem, ut expresse habetur *cap. requisisti 32  
quest. 2.* quod si ambo consentiant, & nul-  
lus reclamet non scindit Ecclesia vinculum,  
& retinaculum matrimonij, ipsum relin-  
quens, non ad hoc quod possint actus ma-  
ritales exercere, quia ad hos, ipsos declarat  
inhabiles, & impeditos, sed ut sint ut soror  
& frater, & mutua officia, ciuilia, & œcono-  
mica sibi præstent taliter, quod si miraculo-  
se aut alia arte homini ignota, dæmoni ta-  
men cognita impotentia auferatur, ex vi  
præsentis matrimonij cuius vinculum perse-  
uerat possint vacare coitui, & corporum  
commixtioni.

- 18 Rem radicitus enucleo si vir maleficio fiat impotens in perpetuo ut fieri potest docent cum S. Th. in 4. dist. 34. quest. 1. art. 3. qui dicit esse perpetuum eo ipso quod auferri non possit per remedium humano opere factum, etsi enim per aliud maleficio inuocato dæmone, possit auferri adhuc dicitur impotentia perpetua, quia nullo modo debet aliquis dæmonis auxilium per maleficia inuocare, at si quis etsi peccando mortaliter dæmonem inuocet, ut per aliud veneficium auferatur ligatura qua impotens reddebatur vir fiatque potes ad coitum, dubio procul prius matrimonij vinculum perseuerat & ex vi illius possunt coire licite, & obligatio reddendi debitum exerit vires suas, quia Ecclesia nondum declarauit ipsos inhabiles, nec rescidit vinculum matrimonij, imo si se deceptam in probationibus impotentia inueniat reintegrat matrimonium, quod eleganter his verbis nos docuit Angelicum ingenium D. Tho. q. 1.
- 19 *cit. art. 2. in corp. si post triennium in quo fideliter ex utraque parte dederunt operam carnali copula implenda inueniatur matrimonium non esse consummatum iudicio Ecclesie dissoluitur, & tamen quandoque Ecclesia in hoc erat, quia per triennium quandoque non sufficienter potest experiri perpetuas impotentia, unde si Ecclesia se deceptam inueniat, per hoc quod ille in quo erat impedimentum inuenitur carnalem copulam cum eadem, vel alia perfecisse reintegrat precedens matrimonium, & dirimit secundum, quamuis de eius licentia factum.*
- 20 Ex quibus manifestè colligitur quod si ad petitionem alterius coniugis non dissoluerit matrimonium, ita ut alter possit aliud inire matrimonium, quia vterque coniux vult in illo perseuerare, ut frater vnus, & ut soror alter, quod si impotentia auferatur, quocumque modo siue diuino, siue diabolico, illi, qui ut frater & soror se gerebant, poterunt se ut maritus & vxor gerere, & copula licita matrimonium cõsummare, quod secus est si post triennij experimentum Ecclesia dissoluat matrimonium declarans ad petitionem alterius coniugis propter impotentiam perpetuam verè manet matrimonium dissolutum, & sic ille qui dissolutionem petiit, iam contraxit cū alio tenet matrimonium, nec dissolui potest etiam si impotenti reddatur potentia ablato maleficio per dæmonis inuocationem, quia hoc non obstante impotentia & impedimentum est perpetuum, ut aiebat S. Tho. & Ecclesia declarat inhabiles & dissoluit vinculum matrimonij non consummati propter perpetuum impedimentum impotentia, unde factus potens potest cum alia contrahere.
- 1 Colligitur secundo, vera & germana intelligentia, *capitis requisisti* 33. quest. 1. vbi

Magnus Gregorius determinat totum id quod hucusque docuimus, ex ipso enim capituli cõtextu eam doctrinã tanquam securissimam & clarissimam aquam ebibi, dicit enim primum, quod impotens propter frigiditatem se commisceri, si non potest, ea uti ut vxore habeat, eam quasi sororem. Secundum quod si retinaculum coniugale voluerint rescindere maneat vtrique in nupti, quod est præceptum respectu viri, & cõsiliium respectu scemina. Vnde infero tertium quod antequam velint retinaculũ coniugale rescindere istud manebat, ut ipsi coniuges perseuerabant in contractu castè viuẽtes, vnus, ut frater alter, ut soror. Quartum quod si scemina proclamet & dicat volo esse mater & filius procreare post legitimam probationem, quod nunquam sunt facti vna caro propter impotentiam viri, tunc mulier secundas nuptias contrahere potest, quia per iustum iudicium solutum est vinculum matrimonij declarando, quod fuerunt inhabiles iure Ecclesiastico. Quintum, quod si probatio non subsistit, quia vir inuentus est cum alia coire & copulam habere, peracta pœnitentia priora cogantur recipere cõnubia, quæ ferè omnia adducens testimonium Gregorij confirmauit Cœlestinus III. cap. laudabilem de frig. & malefic. Sextum male Basilium Legionensem vtrumque Sũmum Pontificem adduxisse, ut probet posse à principio contrahi matrimonium validũ ad castè viuendum absque aliqua habitudine etiam radicali copulam imo Pontifices declarant, quod si scemina proclamet se vel esse matrem, & filios procreare (quæ proclamatio copulam essentialiter respicit) per iustum iudicium retinaculum & vinculum matrimonij dissoluendum & rescindendum est, & sic dubio procul matrimonia, de quibus Pontifices radicaliter & essentialiter copulam respiciebant, ad quam habendã, quia incapax & impotens erat vir, scemina reclamante per iustum iudicium rescinditur vinculum matrimoniale, nisi velint ut soror, & frater in vinculo matrimoniali persistere.

Septimum, quod maximè ad rem præsentem facit quod sit, quod vir habeat scemina, ut sororem, quam nequit ut vxorem habere, hoc enim non est quod matrimonium quod perseuerat non respiciat copulam, hoc enim implicat essentia matrimonij, imo eã ut sororem habet ratione retinaculi coniugalis, igitur quod vir scemina habeat, ut sororem & scemina virum, ut fratrem, est quod perseuerante vinculo matrimonij castè viuant non se carnaliter aliquo modo cognoscendo, aut commiscendo, hoc enim manifestè dicit Gregorius I. in præfato cap. *requisisti*, ait enim. *Requisisti de iis, qui ob causam frigida natura dicunt se non posse inui-*

*cem operam carni dantes commiseri. Iste vero si non potest ea uti ut vxore, habeat eam, ut sororem. Quod si retinaculum coniugale voluerint scindere maneat utrique innupti (vt ait glossa vir ex præcepto, mulier ex consilio) ecce vbi manifestè antequam de facto rumpatur retinaculum coniugale, dicit Pontifex summus, quod vir eam habeat tanquam sororem, quam non potest, vt vxorem habere, & hæc fuit consuetudo Romanæ Ecclesiæ, vt ait Lucius III. cap. consultationi de frigid.*

Et quidem quod vir habeat fœminam, vt vxorem sit perseverante vinculo coniugij antea contracti siue sit matrimonium ratum siue consummatum, contractum, tamen in ordine ad copulam & filios procreandos, mihi manifestissimum est ex phrasi & modo loquendi Patrum & Conciliorum. Primus sit sanctus Hieronymus *epist. 46. ad Rusticum c. 5.* agens de Artemia illius quondam vxore, imo sorore ex coniuge, quæ votum castitatis emiserat & tunc visitabat loca sancta ad quæ visenda incitat exemplo Artemiæ Hieronymus Rusticum, & inter alia, sic fatur. *Narravit mihi vxor quondam tua nunc soror atque conserua, quod iuxta præceptum Apostoli ex consensu abstineritis vos ab opera nuptiarum, vt vacaretis orationi, tuaque rursus vestigia, &c.*

25 Secundus sit † Clemens Alexandr. *lib. 6. Stromat. cap. 5. pag. mihi iuxta Herberti diuisionem 659. num. 30.* loquens de Abraham dum apud Regem Ægypti vocatus est in periculum propter Saram vxorem suam, quam (ait) nondum eadem matre & eodem patre natam propriè appellauit sororem, cuius rationem antea dederat his verbis, *vxor autem ei soror post liberorum susceptionem, iudicatur tanquam quod sit eodem patre nata, tunc solum viri recordans, quum filios aspexerit, vt quæ sit vera futura soror post carnis dispositionem.* Quæ Clementis, verba sic ibi in commentario suo nunquam satis laudato explicat Gentianus Herbetus *litter. L. quod autem Abraham apud Pharaonem vocatus in periculum, Saram appellauit sororem, id verè quidem dixit, verè enim erat soror à cuius concubitu abstinebat. Ita enim Apostoli suas vxores sorores circumducebant, à quarum coniugali congressu abstinebant. Ita erat Sara Abrahæ soror non autem, quod esset eodem Patre & matre nata. Ita ei qui est cognitione præditus eadem potest esse vxor, dum parit filios, post eorum autem susceptionem, non est amplius vxor, sed soror.* Hæc ibi Gentianus satis ad rem.

26 Quæ conformantur Cõciliis † primum sit Aruernense tempore Vigilij Papæ & Theobertis Regis Galliæ celebratum *ann. Christi 541. sexto Iduum Nouembris c. 12. cum Presbyteri atque Diaconi sublimi dignitatis apice prorogentur, actibusque omnino saculi renun-*

*tient, & ad sacrum ministerium electi repudient, & quisquis est presbiter, atque Diaconus, diuino munere benedictione percepta, vxoris suæ prius frater illico efficiatur ex coniuge: attamen quosdam reperimus ardore libidinis inflammatos abiecto militia singulo, votum pristinum, & inhibita coniugia repetisse, &c. quæ fere repetit Concilium Matisconense, tempore Pelagij, & Gunithetammi Regis Francorum celebratum ann. 582. cap. 11.*

Secundum est † Concilium Turonense 27 2. tempore Ioannis Papæ III. & Chariberti Regis Francorum celebratum *ann. Christi 570.* vbi loquens de Episcopis c. 12. dicit. *Episcopus coniugem suam vt sororem habeat, & ita sancta gubernatione gubernet domum omnem tam Ecclesiasticam, quam propriam, vt nulla de eo suspicio quaque ratione consurgat, & cap. 19. vt hoc omnino seruetur in Achipresbyteris, Diaconis & subdiaconis, quia de pluribus populis suspicatur quod maneat cum coniugibus suis non vt sororibus, sed vt vxoribus, disponit, quod Archipresbyter, secum semper habeat vnum, siue Canonorum suorum, siue certum clericorum qui cum illo ambulet, & in cella vbi ille iacet lectum habeat pro testimonio.*

Quæ Concilia irritarunt imo secuta sunt. canonem 6. Apostolorum in quo sic. *Episcopus aut Presbyter vxorem propriam nequaquam sub obtentu religionis abijciat, si vero reiecerit excommunicetur, sed si perseverauerit, deiicitur.* quo canone cum sit certum in fide quod illo non præcipiatur quod clericus coniugalis vxori suæ naturali commercio cohabitaret, liberisque procreandis, & generandis incumbat, sed quod illam non dimittat, sed quam non potest, vt vxorem habere, eam teneat vt sororè, quam sustentare, & alimenta præbere tenetur, iuxta id quod dicit Paulus 1. ad Corinth. 9. num. 6. *numquid potestatem non habemus mulierem sororem circumducendi sicut & ceteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas.* quibus verbis clemens Alexandrinus *lib. 3. Stromatum* probat Paulum fuisse vxoratum, sed post Apostolatatum, eam non habuisse vt vxorem, sed vt sororem, id quod tenuit etiam S. Ignatius in *Epistola ad Philadelphos*, vbi Paulum sicut, & ceteros Apostolos vxoratos facit, sed abstinentes à commixtione carnali, vt † docet Hieronymus *epist. 50. ad Pamachium in fine. Apostoli (inquit) vel virgines vel post nuptias continentis, Episcopi, Presbyteri, Diaconi aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certe post Sacerdotium in aeternum pudici; & certè quidquid sit de Paulo Apostolo, an alij Apostolorum plures essent vxorati, mihi verisimilius est vxores habuisse, sed post Apostolatatum eas habuisse vt sorores abstinentes ab omni carnali commercio, quia aut facile erat inter Hebræos sicut, & inter Gentiles, qui recenter nomen Christo dedissent*

diffent adultum hominem cœlibem, & non vxoratum inueniri.

- 30 Audi Cardinalem Baronium tom. 1. anno Christi 58. pag. mihi 503. sic loquentem. His igitur omnium Orientalium Ecclesiarum consuetudine, atque Sanctorum Patrum testimonio testatis, quam Nisseni Concilij auctoritate firmatis, scilicet vxoratos in sacros Ordines coaptatos, tam impostero ad continentiam seruandam adstrictos fuisse; non est vt de Canone Apostolorum rursus quis moueat questionem, quod eo statutum sit, ne Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus vxorem suam prætenu Religionis abiiciat. Quia nec ibi sic ne abiiciat admonetur, vt det operam liberis procreandis, nam Apostolos (quod dictum est) quantumlibet coniugatos post Apostolatam consecutum ab his temperasse antiquorum testimonio certum habetur; sed quod Paulus admonuit. 1. ad Timoth. 5. si quis suorum & maxime domesticorum curam non habebat fidem negauit & est infideli deterior, illarum curam agerent. Nam & Petrum vna secum vxorem
- 31 circumduxisse tradunt; de quo & Paulus, nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi sicut & ceteri Apostoli fratres Domini & Caphas? non aliter quidem canonem illum interpretatos esse maiores nostros certo argumento est, quod Dionysius Græcorum scriptorum suorum temporum nobilissimus in sua collectione Sacrorum Canonum, quibus singulis summarium præfixit titulum eidem hanc inscriptionem proposuit, vt Episcopus, aut Presbyter vxorem suam quam debet caste regere non relinquat, &c.
- 32 Quibus Eminentissimus vir & germanam intelligentiam loci Pauli inducit, & nostram doctrinam de coniuge tanquam sorore habenda non vt vxore manifestè confirmat. De quo legendi sunt Turrianus lib. 1. cap. 1. pro Canonibus Apost. Binnius & Coriolanus tom. 1. concil. ille & iste in sum. Concil. in notis ad Canon. 6. apostol. Bellarm. lib. 1. de Clericis cap. 12. quare S. Gregor. lib. 1. epist. 42. constituit vt non solum Episcopi, sed nec Subdiaconi, ad Sacros Ordines recipiantur, nisi qui cum vxoribus antè habitis continentes deinceps vixerint, quod & Sanctos Apostolos docuisse & in Ecclesia antiquitus ab omnibus obseruatum esse, ingenuè fatentur Patres Concilij Carthag. 2. cap. 2. id quod definerunt Innocentius I. epist. 2. c. 9. ad Victorium, & epist. 3. ad Exuperium, & egregiè confirmauit Leo I. epist. 90. cap. 3. ad Rusticum Narbon. Episcopum, vt de carnali fiat spiritale coniugium, oportet eos nec dimittere vxores & quasi non habeant, sic habere, quo & salua sit charitas, & cessent opera nuptiarum.

Sed non possum non inducere egregium testimonium Humberti Cardinalis legati,

Tom. II.

à latere missi à Leone IX. de quo latiore feci sermonem alibi, qui in illa doctissima responsione ad libellum Nicæti Presbyteri, & Monachi aduersus Latinos editum, sic fatur. Omnino confitemur, non licere Episcopo Presbytero, Diacono, Subdiacono propriam vxorem causa religionis abiicere à cura sua scilicet, vt ei victum & vestitum largiatur, non vt cum illa ex more carnaliter iaciat, sic & sanctos Apostolos legimus fecisse, Beato Paulo Apostolo dicente, nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi sunt Apostoli fratres Domini, & Cephass? unde insipiens, quia non dixit, nunquid non habemus potestatem sororem mulierem amplectendi, sed circumducendi scilicet, vt de merce depradicationis sustentaretur ab eis, nec tamen foret deinceps inter eos carnale coniugium, ita ibi quo nihil illustrius, cui concordant ea quæ dicit S. Gregor. Magn. lib. 4. Dialog. cap. 20. & egregiè explicat Glossa cap. presbyter 18. dist. 32.

Hæc omnia latiori calamo adduxi propter duo valdè necessaria. Primum vt explicetur id quod dicit Lucius III. cap. consultationi de frigid. quod consuetudo Ecclesie Romanæ est, vt qui cum impotente ad coitum, si ambo consentiant possunt persistere in matrimonio, vt frater & soror non dissoluto vinculo, quod dissolui non potest nisi ab Ecclesia, quæ si probetur impotentia perpetua ad petitionem partis, potest illud dissoluere & rescindere, si autem non rescindit, sed manent coniuges, vt frater & soror non manet inter eos amplius carnale coniugium, sed de carnali matrimonio fit spiritale coniugium, vt aiunt Leo Papa I. & Humbertus Cardinalis, sed cum discrimine notando, quod Presbyter vxoratus non potest non coniugem suam, vt sororem habere præbens illi alimenta necessaria ad victum & vestitum, etiam ex bonis Ecclesie si nō habet alia, ad hoc enim tenetur velit, nolit, at vir impotentem fœminam probata impotentia, potest dimittere recisso ab Ecclesia retinaculo coniugali, nec tenetur post rescissionem vinculi, ei alimenta præbere.

Secundum vt manifestius appareat quam falso dixerit Legionensis, quod iure Ecclesiastico potest fœmina validum matrimonium contrahere cum viro qui ante matrimonium certo scit esse impotentem, perpetuo ad coeundum, hoc enim incredibile est, vt ait Lucius III. cap. consultationi cit. rursus est contra Ecclesie praxim & me quidem iudice post Breue Sixti V. nullatenus defendi potest, mouetur enim Pontifex ad reddendum inhabiles ad quoquomodo contrahendum Eunuchos carètes utroque teste, quia secundum canonicas sanctiones & naturæ rationem (non dixit ius naturæ) qui frigida

dd naturæ

*natura sunt & impotentes idem minimè apti ad contrahenda matrimonia reputantur.* ex quo euidenter deducitur, quod iure Ecclesiastico validè non contrahitur, cum scienter impotente perpetuo, sicut nec cum Eunucho carente vtroque teste, aut veretro abscisso, aut secato, taliter quod non possit intra vas semen iaculari, quod secus est quàm bona fide contrahitur matrimonium & inuentus est alter coniux minus habens, & 35 impotens ad coëundum, tunc enim factum est matrimonium ratum, cuius retinaculum vtroque coniuge consentiente manet insolutum, & licèt fuerit introductum *carnale*, quia in ordine ad carnalem copulam, tamen factum est *spiritale coniugium*. ne deinceps exerat vires suas carnale commercium, vt salua existente charitate & perseuerante, civili societate, cessent opera nuptiarum nisi miraculosè & præter naturam restituatur coëundi potentia, aut ope Dæmonis auferatur ligamen quo ligata tenebantur virilia, ne opus suum exerceant, multa alia omitto in confirmationem huius tertij asserti, quia inducta mihi sufficere videntur, etsi quæ sunt alia scitu digna §. 8. adducam, inferens varia ad praxim Corollaria, ex hoc principio.

## §. VII.

*Satisfit Christopolitano, & Legionensî.*

## S V M M A R I V M.

1. *Matrimonia Eunuchorum cum consensu implicito, aut explicito ad copulam iure natura sunt valida, ex Legionensî.*
2. *An supposita declaratione Pontificia iure natura sint inhabiles Eunuchi ad quoquomodo contrahendum.*
3. *Sixtus V. non fecit declarare Eunuchorum matrimonia fuisse irrita, qua contracta erant ante suum Breue, & n. 4.*
5. *An matrimonium contrahi possit cum impotente perpetuo validum iure etiam Ecclesiastico.*
6. *An iure natura perse ex institutione sua coniugium dicat intentionem prolis saltem implicitam.*
7. *An coniugium de primaria intentione sit institutum propter mutuam societatem, & num. 8.*
8. *Quid ex præmissis sit deducendum.*

**S**upra §. 2. huius grauissimæ Resolutionis sententiam Basilij Legionensî adduxi, suis fundamentis munitam & armatâ, quam ex armare cõuenit, ne aliquando, etsi vincata, si arma non minuuntur in pugnam iterum 1 resurgat. Igitur, ad id quod dicitur matrimonium Eunuchorum cū consensu implicito,

aut explicito ad copulam iure naturæ esse inualida, quod sibi ita certum iudicat, vt non liceat vlli dubitare Catholico, nisi Pontificis authoritati refragari velit, ego quidem gratia Dei Catholicus sum nec refragor authoritati Pontificiæ, sed ipsam manifestam propono, & veneror, & ore prostrato & calamo suscipio, & assero, quod † supposito 2 declaratione Pontificia iure naturæ sunt inhabiles Eunuchi ad quoquomodo contrahendum sicut supposito Decreto Trid. Iure naturæ sunt homines inhabiles ad contrahendum sine Parrocho, & testibus, tamen in sensu diuiso hoc est seclusis his Decretis Sixtino, Tridentino iure naturæ non sunt Eunuchi, & alij ad contrahendum etiã si non possint illi coire, si id sciatur ab alio contrahente, & isti non sint coram Parrocho, & testibus, quod in superioribus satis declaratum, & enucleatum est; nec fundamentum quod adducit aliquid habet ponderis, quia totum illud est per accidens respectu iuris naturæ, quia eo ipso quod sit sexuum diuersitas iure naturæ ordinantur ad generationem prolis, & sicut in sterilibus, est per accidens quod proles non sequatur, etsi id proueniat ex natura individuali sua, ita in Eunuchis quod ex defectu testium semen euandum emittant, vel etiam sit veretrum abscissum vt iam explicatum relinquimus, ex Magistro Pet. Lomb. quem sequuntur D. Th. & grauiores Scholastici antiquiores.

Neque † Sixtus Quintus fecit declarare 3 huiusmodi matrimonia Eunuchorum fuisse irrita, quæ contracta erant ante suum Breue, sed quæ post ipsum, imo dicit quod si aliqui, qui ante contraxere inueniantur, *scd carnalibus, & libidinosi actibus operam dare simul in vno, & eodem lecto cum prædictis mulieribus dormire conuincantur omnino similiter separari cures separari, separari dicit quoad cohabitationem carnalẽ, & commercium libidinosũ, non tamen dicit quod irrita declaret matrimonia, vt supra dicebamus iuxta canon. 6. Apostol. & PP. ibi citatos Baronium, Binnium, & alios iuxta canon. 3. Concil. Niceni, optime consultum est vt sanctis fun- 4 ctionibus mancipati non dum extraneorum sed coniugum vitarent contubernium propter periculum coeundi, quod illis est prohibitum lege Ecclesiastica, ita quia Eunuchis prohibita sunt matrimonia etiã ad caste viuendũ, ea quæ ante hoc breue Sixtinum fuerunt contracta, si ambo consentiunt permanere in coniugio ad caste viuendum separari non debent, sed manet retinaculum coniugale, si tamen vacant operibus carnis separandi sunt omnino, si tamen ipsi volunt sic permanere nunquam Ecclesia rescissit vinculum matrimonij, & sic permanserunt in Hispania post Breue Sixti Quinti, &*

& quia caste viuebant, non fuerunt separati, sed perseverant coniuges, tanquam frater, & soror, vnde vir tenebatur sororem coniugem alere, & illi alimenta necessaria præbere, hodie tamen nec ad caste viuendum illis licet valide contrahere, quia non possunt ordinem habere ad copulam, sicut de impotentibus, ob frigiditatem dicebam.

Ad ea quæ ex Basilio adduximus quod  
5 † matrimonium contrahi potest cum impotente perpetuo validum, iure etiam Ecclesiastico, respondetur, ad id quod bene discussum diximus à Christopholitano, solum probat quod iure naturæ sit validum coniugium absque ordine explicito in copulam & ad filiorum procreationem, & absque expressa intentione prolis habendæ per congressum maris, & fœminæ, tamen eo ipso quod Deus hominem creauit ante peccatum masculum, & fœminam, & illis dixit etiam ante peccatum *crescite & multiplicamini, & replete terram*, etiam si Angeli, & homines non peccarent, sed isti permanerent in statu innocentiæ confirmati in gratia adhuc vacarent generationi in illo statu, vt supra contra quosdam patres Græcos cum Aug. S. Th. & aliis Patribus latinis non leuiter comprobauimus, vnde † iure naturæ per se ex institutione sua coniugium dicit intentionem prolis saltem implicitam, & ordinem etiam implicitum ad generationem, & copulam, sine qua intentione, quæ essentialissima est coniugio, istud non subsistit validum iure naturæ,

Nec verum est, sed omnino falsum, & cōtra omnem Ecclesiæ Latinæ sensum quod  
7 † coniugium de primaria intentione sit institutum propter mutuam societatem, amorem, & adiutorium solummodo, imo hæc societas mutua, mutuamque adiutorium perpetuum, & immutabile vinculum non causarent, sed solubilia ad libitum essent naturæ iure, nisi ad filios procreandos, & nutriendos ordinarentur, quare ad societatem istam perpetuo conseruandam homines fecit Deus exprimaria intentione masculum, & fœminam, vt fierent *vna caro*, & vnus alteri adhæreret inseparabiliter, illisque potentiam generatiuam ex prima illorum creatione est impertitus, vnde dixit Adam *cap. 3. Genes. n. 23. Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, propter hanc relinquet homo patrem, & matrē, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne vna*, vel vt legit Chrysostomus *homil. 12. ad Colossenses*, in *carnem vnā*, scilicet prolis generandi, & infantis coniuncti, quam interpretationem & verborum Geneseos intelligentia mira conditione, & elegancia enucleat, vnde ad Litteram illa verba ex primaria

Dei intentione, & matrimonij institutione ordinem denotant ad copulam & prolem generandam, & in hac intentione prolis generandæ fundatur immutabilis mutua amicitia, Societas, adiutorium atque coniunctio maris & fœminæ, ex qua doctrina eaque Christopholitanus scitè & sapienter discurrens moderamine prudenti excludenda, aut amplectenda sunt, ne verò Ecclesiæ sensui obstent, & qualiter saluandum est verum coniugium inter B. V. & S. Iosephum absque expressa intentione habendi copulam ad filios procreandos, quod *Res...* anteriori à me explicatum est.

Ad secundum, iam constat qualiter est  
9 philosophandum de matrimonio Eunuchorum, & ob frigiditatem impotentium ad coeundum, siue loquamur iure naturæ, siue iure Ecclesiastico, & qualiter intelligendæ sunt doctrinæ Antiquorum Theologorum, & Iuristarum, quare opus non est ea repetere.

## §. VIII.

*Varia deducuntur Corollaria ad praxim valde utilia.*

Quia ea quæ hucusque diximus maiori ex parte speculationem Theologiæ Moralis & illius principia, in vniuersum respiciunt opusque hoc de residentia, praxis directionem intendat (scriptores enim hodie non debent esse contenti tradere principia moralia, quæ ferè semper reciduntur in antiquis, sed ex illis varias deducere nouas conclusiones morales ad varios casus resoluendos) operæ præmium iudicauimus varia ex dictis Corollaria deducere.

## SVBRESOLVT. I.

*Virum si se gerant, vt soror & frater coniuges teneantur ad simul residere?*

## S V M M A R I V M.

1. Administratio rei familiaris quantum ad commercia & negotiationes forenses competit viro.
2. Quantum ad residentiam personalem & commanentiam non est per se aliquod strictum præceptum.
3. S. Ioannis Chrysostomi sententia adducitur.
4. Vir quandiu non rescinditur retinaculum coniugale tam dotis, quam ceterorum bonorum, est legitimus administrator.

Primum sit decisio cuius difficultas, an si retinaculum coniugale iusto iudicio

ad petitionem alterius coniugis non rescindatur, sed perseuerent in vinculo insoluti matrimonij tanquam frater & soror teneantur ad residentiam, & commanendo simul si absit periculum incontinentiæ. Existimo primo, quia † administratio rei familiaris quantū ad cōmercia & negociationes forenses competit viro, qui quantū ex vi contractus matrimonij, et si nō consummati, est caput mulieris, quare in specie huius casus eadem officia & iura cōpetunt viro, qui vxorem habet, tanquā sororem, ac si vterque post cōsummatum matrimonium, votum emitterent continentiæ, & castitatis absolutæ.

2 Existimo secundo, quod † quantum ad residentiam personalem & commanentiam non est per se aliquod strictum præceptum, quia non possunt habere carnale commercium ratione cuius cohabitare & personaliter residere simul adstringebantur, quare solum tenentur simul commanere quatenus requiritur, vt vnus sit respectu alterius iuuamen & adiutorium in œconomica gubernatione & familiæ directione, quod egregiè explicant Patres Nissenus *cap. 13. de Virginit.* & S. Ioannes Chrysostomus sua solita eloquentia multis in locis rem tractat,

3 sed elegantius † *homil. 34. ad Corinth. 1.* vbi sic, *vt autem in singulis domibus multa sit concordia, cum virum quidem imperio honorasset, & excellentia, mulierem vero armasset cupiditate, multa tamen alia constituit, quæ charitatem conciliarent. Neque enim omnia viro permisit, neque omnia mulieri, sed ea vnicuique diuisit, vt qui mulieri quidem domum, viro autem forum tradiderit, & viro quidem dedit, vt aleret, nam agros colit, mulieri autem, vt vestiret, tela enim & colus sunt mulieris. Ipse enim dedit mulieri texendi artem, & industriam, sed pereat auaritia, quæ non sinit hoc apparere discrimen. Nam multorum ignominia, & mollities, etiam viros ad telas deduxit, & radios eis in manus tradidit, liciumque & stamen, sed tamen sic quoque administrationis diurna respundet prudentia, nam & muliere valdè opus habemus in magis necessariis, & minoribus indigemus, in his quæ vitam continent, vsusque tanta est necessitas, vt etsi quis sit omnium hominum ditissimus, nec sic quidem sit liber ab hac coniunctione & opus habeat inferiori, &c.* vnde puto

4 quod † vir quandiu non rescinditur retinaculum coniugale tam dotis, quam cæterorū bonorum est legitimus administrator, quāuis si non adest necessitas cohabitationis & residentiæ in eadem domo, nisi ad sit scandalum non teneantur simul cohabitare, imo existimo posse quemquam ex illis etiam altero inuito ad religionem, imo & ad Sacros Ordines conuolare, quia eo ipso cogitur petere coram iudice rescissionem vinculi pro-

pter impotentiam si factum Ordinem adsumat, secus vero si ad religionem conuolent, quia transacto triennio ad experiendum destinato, & non consummato matrimonio, manet libertas conuolandi ad religionem etiam altero inuito, vt aliquando consultus respondi, & alibi latius doceo.

## SVBRESOLVT. II.

*Vtrum femina Eunucha validè contrahat?*

## S V M M A R I V M.

1. *An si femina sit Eunucha, vel à natura vel ab arte, itavt non possit seminare, validè contrahat.*
2. *Authoris iudicium affertur.*
3. *Breue Sixti V. an Eunuchas non comprehendat.*

SECUNDUM † an si fœmina sit Eunucha, vel à natura, vel ab arte, itavt non possit seminare licet possit virile semen recipere in matrice, validè contrahat. Dicastillus *disputat. 7. num. 479.* dicit quod huius difficultatis resolutio pendet, an requiratur necessario, quod fœmina semen conferat ad generationem, nam si hoc requiritur necessario non validè contrahit, secus vero si non requiritur necessario, addit tamen cum Sanchez *lib. 7. de matr. disp. 92. num. 9.* quod cum sit probabilis sententia, quod non requiratur fœmineum semen, etiam erit probabile, quod valide contrahat, etsi semper iudicandum in fauorem matrimonij, *cap. j. nal. de sent. & re iudicata.*

Sed † ego aliter discuro de Eunucha à qua vel arte sunt tracti testiculi, vel à natura eos non habet, aut de ea quæ accidentaliter non seminat; non tamen est Eunucha, si tamen testiculos habeat etsi non feminet, existimo validè contrahere in omni philosophia & medica sententia, ratio est apud me satis efficax, quia etsi non mittat semen in cuius resolutione delectationem sentiat, quā multæ in multis actibus ex quibus grauidæ euasere, non sentiunt, tamen in omnium Medicorum & Philosophorum sententia requiritur sanguis menstruus purus fœmineus, vt sit capax subiectum receptiuum actiuitatis feminis virilis, quod fouetur calore prolifico & virtuoso fœminæ, hunc autem virtuosum calorem infundit præfato sanguini fœmina mediis testiculis, quibus digeritur sanguis ille, vt sit benè dispositus, quamuis semen decoctum in cuius resolutione sentitur delectatio nō emittat, quare tã in sententiâ Galeni dicētis requiri semē fœmineū, quam Aristotelis negantis huius



huius seminis necessitatem, ad generationē, semper mulier testiculata validè contrahit, secus verò si testiculis careat, quia inepta est ad sanguinem disponendum fructuosè, & ad fouendum prolificè semen viri. Vnde si constet de ista, quod careat testiculis sicut constat de viris, quibus abscinduntur de validitate matrimonij eius, eodē modo est philosophandum, ac de validitate Eunuchorū, quia par videtur ratio vtrorūque, quod sit validum iure naturæ, & invalidum iure Canonico, vt explicatum relinquimus, quamuis alicui videri possit, † quod Breue Sixti Quinti Eunuchas non comprehendat, quia odiosa videtur, & solum comprehendit viros, quos nominat & non fœminas etsi istas videatur etiam comprehendere propter rationem, quam dat ad viros inhabiles reddēdos, quia scilicet non præbent semen prolificum quæ ratio etiam tangit fœminas Eunuchas quæ sanguinem menstruum diggestum & benè dispositum non præbent, sed in hoc puncto aliorum iudicium expecto.

## SVBRESOLVT. III.

*Vtrum defectus veri seminis obstat valori Matrimonij?*

## S V M M A R I V M.

1. An Eunuchi vtroque carentes testiculo validè contrahant iure natura.
2. An non obstat defectus veri seminis ad generandum apti, vt ob id neganda sit copula vero matrimonio coniunctis.
3. An coitus intra vas ad sedandam concupiscentiam tam viri quàm femine etsi ille orbatus testiculis, licitus sit, si hæc oratio post matrimonium contingat.
4. An si Eunuchus, aut frigidus fornicetur, teneatur hanc Eunuchismi, aut impotentie circumstantiam confiteri.
5. Quenam commixtio dicatur esse contra naturam.
6. An Castratus vtroque testiculo si extra matrimonium fornicetur peccet mortaliter.
7. An circumstantia Eunuchismi, aut impotentie perpetua sit necessario aperienda in confessione.
8. Dicastilli sensus affertur.
9. Qui duo matrimonij fines dicantur diuersi.
10. Homini impotenti ob frigiditatem perpetuam num repugnet essentialiter generationi.

**T**ertium & valdè necessarium est ad cōfirmandam eam sententiam, quam diximus valdè probabilem, contra Sanchez & alios neotericos, quod † Eunuchi vtro-

que carentes testiculo validè contrahant iure naturæ, etiam si semen prolificum non emittant, sed euanidum sit, & inane, ipse enim Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 102. n. 6. & 7. dicit, quod si matrimonio inito vir vtroque testiculo orbetur est incapax emittendi verum semen culpa vacat, siue petat siue reddat, quia iure suo utitur vacans actui coniugali, quæ matrimonium permittit, semen autem verum non emitti contingit per accidens, sicut si aperte constaret viro, præ morbo, semen esse corruptum, aut sterile, vel copula sit prope tempus partus in quo non est possibilis generatio, adde senibus decrepitis ad generandum impotentibus à nullo negari vsus coniugij, si coire valeant, quia obtinetur finis matrimonij secundarius, nempe ardorem concupiscentie. † Non ergo obstat defectus veri seminis, ad generandum apti, vt ob id neganda sit copula vero matrimonio coniunctis. Neque est simile de copula extra vas. Quod ea non sit coniugalis, nec iure matrimonij nitatur, qualis est habita intra vas, & ita tenet Toletus lib. 7. Summ. cap. 12. num. 4. loquens de facto Eunuchō post matrimonium. Vnde tunc vterque poterit petere, & alter reddere tenebitur, quia petit alter ius suum quo orbatus non est. Hæc Thomas Sanchez quem sequitur Perez disp. 37. de Matr. sect. 10. num. 4.

Ex qua vera doctrina, ego pro nostra sententia manifestum induco argumentum, quia † coitus intra vas ad sedandam concupiscentiæ flammā tam viri, quam fœminæ etsi ille orbatus testiculis non possit verum semen emittere licitus est, si hæc oratio post matrimonium contingat, quia consequitur finis secundarius matrimonij, etsi impossibilis sit generatio, ergo iure naturæ, etiam poterit validè contrahere Eunuchus, vtroque testiculo, carens consequentia euidens est, quia si ratione matrimonij contracti licitus est vsus carnalis, etiam si fiat sine vero semine, hic vsus non est contra naturam matrimonij secundum se, atque ita in ordine ad illud iure naturæ validè contrahitur matrimonium.

Sed contra hanc doctrinam forsan præsentens difficultatem nostri argumenti insurgit argutiis quibusdam P. Dicastillus summarie & remissiuè disput. 7. de matrim. num. 480. & ad longum disput. 9. de penitentia num. 374. arguens ad hominem contra Sanchez qui lib. 7. de Matrim. disput. 5. num. 14. vbi asserit, quod † si Eunuchus, aut frigidus fornicetur tenetur hanc Eunuchismi, aut impotentie circumstantiam confiteri, quia est fornicatio contra naturam coitus, & generationis, vt tenent etiam Lessius lib. 4. de iustitia capite 3. numero 45. Cardinalis de Lugo de penitent. disputat. 16. numero 175. & alij quos citat Diana 3. part. tractat. 4. re-

sol. 139. ex quo sic arguit, esse vel non esse contra naturam non provenit ex matrimonio, aut ex defectu matrimonij, sed quia quoad substantiam, non est naturalis copula, atque adeo non est copulatio coniugalis, nec actus coniugij, seu matrimonij, nec enim matrimonium prabet ius ad actum contra naturam, vel ergo actus est contra naturam vel non, si dicatur esse contra naturam falsum est, quod ait num. 7. quod vir ille utitur iure suo, nec enim habet ius ad actum contra naturam ex vi sui matrimonij, si vero dicatur non esse contra naturam, ergo nec inter non coniugatos est contra naturam in quibus tantum deest vinculum matrimonij, quod vinculum non facit, quod actus alioquin contra naturam desinat esse contra naturam. Hæc ferè ille.

Verum enim vero obiiciunt hæc nec in se nec contra Sanchez energiam habet sed friget in se quidem, quia † commixtio dicitur esse contra naturam, quia est, contra generationem & prolis procreationem ad quam natura inclinatur ex primaria institutione matrimonij, non tamen est contra naturam, quatenus ordinatur matrimonium ad mitigandum incendium concupiscentiæ, vnde cum matrimonium sit ordinatum secundario ad hoc incendium extinguendum, quod ius habet maritus, etiam orbatu post matrimonium utroque teste, illo utitur dum exigit debitum, & alteri exigenti reddit, vnde fit, quod † castratus, utroque, si extra matrimonium fornicetur peccat mortaliter & circumstantiam Eunuchismi tenetur confiteri, quia est contra naturam talis coitio, quam circumstantiam honestat matrimonium eo ipso, quod dat ius ad exigendum debitum, etiam si sit impossibilis generatio ob alium finem, scilicet ad extinguendam libidinem, vnde fit, quod nec ad hominem argumentum Dicastilli urgeat Sanchezium, præterquam quod non est omnino certum, quod † circumstantia Eunuchismi, aut impotentiae perpetuae sit necessario aperienda in confessione, ut tenet Fillucius tom. 1. tractat. 10. p. 2. cap. 1. numero 23. Quare licet iste, cui Eunuchismus contigit post matrimonium consummatum & etiam ratum debitum petere & reddere intra vas, quale quale semen immittendo, quod si contingat post matrimonium ratum, & non consummatum poterit illud Eunuchus consummare ob finem secundarium matrimonij taliter, quod iam non possit dissolui per ingressum Religionis, nec Papa poterit illud dissolvere, utpotè consummatum ob præfatum finem, etiam in sententia, quæ asserit, quod Papa potest dissolvere matrimonium ratum, quamvis de hoc nullum vidi tractasse.

Quod enim † addit Dicastillus contra nos & Sanchez de fine secundario matri-

monij, qui est sedare libidinem non probat ad huiusmodi finem posse adhiberi media, quibus essentialiter repugnet generatio, quæ est primarius finis, tale autem medium est administratio humoris, qui ex essentia sua non est semen, cui non per accidens, sed per se convenit non esse prolificum, quod non convenit semini morbofo, aut senis mariti, quod est verum semen. & per accidens vitiosum, est quidem per accidens, quod Eunuchus fuerit castratus, sed non est per accidens, sed essentialiter, quod eius humor non sit, quia essentialiter non est semen, senis vero, vel morbofo semen essentialiter est semen, sed per accidens minus aptum. Hæc ille.

Cæterum hæc frustanea sunt ad propositum & petunt manifestè principium, cum enim † hi duo fines matrimonij diuersi sint, quilibetque sufficiens ad honestandum matrimonij congressus, & sexuū commixtiones, ut finis secundarius consequatur necessarium non est iure naturæ, quod primarius per accidens ratione alicuius accidentis individui non consequatur, dummodo hoc accidens non sit contra naturam congressus, etiam si sit præter, nec enim essentialiter repugnat generatio semini Eunuchi & humori quæ immittit, sed solum naturaliter, ratione individuitatis, quia non est bene digestum, sicut etiam semini corrupto, & semini senis ratione individui substantialiter naturaliter repugnat generatio, taliter, quod ut hæc fiat ab illo in coniuge iam vetula sit necessarium miraculum, ut est necessarium in sterilibus, medio quo miraculo etiam semine Eunuchi poterit generare, vnde mihi indubium est, quod si Eunuchismus adueniat post contractum matrimonij licet Eunuchus potest reddere & petere ad sedandam libidinem, & sic etiam iure naturæ Eunuchi ob hunc finem possunt contrahere Eunuchi, quamvis iure Ecclesiastico inhabiles sint, ad contrahendum.

Sicut enim † homini impotenti ob frigiditatem perpetuam non repugnat essentialiter generatio & potentia, hoc enim asserere ridiculum est, sed tantum repugnat naturaliter ex vi individualis temperamentum, ita nec semini hominis impotentis siue ob frigiditatem siue ob Eunuchismum repugnat essentialiter generatio, sed solum ratione defectus caloris testicularum, quibus semine digeritur prolificum, & virtuosum, qui defectus accidentaliter evenit huic individuo, & quamvis supposita castratione utriusque testiculi non sit accidentale, quod semen sit infecundum, tamè hoc sufficit, ut possit uti matrimonio prout est in remedium libidinis, quia finis hic secundarius solum requirit, quod primarius essentialiter non repugnet utrique sexui, qui ad hoc est ordinatus per se quamvis per accidens ratione alicuius superuenientis accidentis naturaliter repugnet generatio, ut in superioribus explicatum relinquo.

## SVBRESOLVT. IV.

*Quid sentiendum de eo qui membrum virile habet radicitus abscissum?*

## S V M M A R I V M.

1. *Quid veniat dicendum de eo qui habet membrum virile omnino abscissum.*
2. *Authoris iudicium affertur.*

1. **Q**uartum, quod infero est, † quid sit dicendum de illo, qui abscisso veretro, ita vt virga membri deficiente non possit vir per illam ingressam intra vas foemineum immittere semen, cuius casus speciem sic proponit Dicastillus *disp. 9. de pœnit. num. 174.* arguens contra Thomam Sanchez, quod Eunuchus sic factus potest licitè perere & reddere ad sedandam libidinem. Adde (inquit Dicastillus) melius posse viribus natura servire ad generationem aditus arte, ille cui amputata fistula relicta testibus in seroto (id est propria illorum bursa,) quam qui utroque teste caret, experientia enim docuit prolem fuisse susceptam imò proles aliquot à tali homine, emisso & derivato semine in matrice per canaliculum scutubulum, & in facti contingentia pro quibusdam coniugatis consulti fuimus in Hispania Collega tunc meus P. Hieronymus de Rivera, & ego dum profiteremur Theologiam, pluresque aliarum Religionum Theologi qui tamen non putabant huiusmodi actum licere, quia modus ille generandi non erat institutus à natura, nec copula naturalis. Hæc ille.

2. Sed ego aliter, quia † existimo, quod si modo isto artificiose semine recepto intra foemineum vas per illud, quare fuerit artificium tubuli in longitudine proportionatum ne frigeat, aut evanescat semen proles concipitur, quod tales congressus inter coniugatos licent, quia congressus isti per se & ex primaria intentione ordinantur ad prolem concipiendam si per accidens defuit instrumentum, quod ars potest inuenire, quæ multoties supplet naturæ defectum imò perficit naturam quamvis congressus non sit naturalis, quantum ad vasis penetrationem, quæ à natura est instituta, vt medium generationis media via, & fistula carnea, tamen congressus ille naturalis est, quantum ad finem principalem, & primarium qui est proles generatio propter quam congressus perficientur.

## SVBRESOLVT. V.

*Quid si vir ingrediatur religionem declarato nullo matrimonio, si post inueniatur sententia error:*

1. *An matrimonium ratum tantum, non consummatum dissoluatur professione solemn.*
2. *Ioannis XXII. sensus adducitur.*
3. *An si femina emittat votum castitatis, & vir manens laicus putans matrimonium esse nullum fornicetur, si postea restauret detecto errore sententia lata de nullitate, femina non teneatur reddere debitum.*
4. *Dicastilli, & Sanchez opinioniones afferuntur, necnon Authoris iudicium, & n. 5. & numero 14.*
6. *An ad matrimonij valorem desideretur copula, per quam coniuges vna caro efficiantur.*
7. *An ante matrimonium consummatum possit quis coniugum altero inuito religionem ingredi, dummodo carnalis commixtio non fiat inter eos.*
8. *Vt matrimonium dicatur consummatum quid essentialiter requiratur.*
9. *Tabiena sensus adducitur.*
10. *An coniunctio viri & vxoris dicatur naturalis propter proles productionem.*
11. *S. Doctoris Angelici mens affertur.*
12. *Vnde pendeat valor matrimonij.*
13. *Quandonam impotentia penetrandi vas foemineum erit impedimentum dirimens.*

**Q**uintum sit, quod si propter arctitudinem foeminae matrimonium sit declaratum nullum, & vir professionem emiserit solemnem in Religione approbata, si postea detegatur error sententiæ inueniaturque, quod illa arctitudo non est perpetua, non est faciendâ aliqua restitutio, quia † cum matrimonium non fuerit consummatum, sed tantum ratum dissolutum est professione solemnem *cap. ex publico de conuers. coniugat. & in hoc euentu dicitur resolutio cap. fraternitatu de frig. & malefic.* quod secus est si ad sacros ordines transierit, tunc enim restituendus est vxori, quia cum semper perseueret vinculum matrimonij, quod non dissoluit ordo sacer, vt † definit Ioannes XXII. *extrauag. Antiqua de voto inter extrauag. huius Pontif. restitutus teneretur debitum reddere vxori quamvis non posset petere, quæ doctrina verum tenet nisi mulier fornicata sit, tunc enim potest ipsam repellere maritus factus Sacerdos, quia ob fornicationem non tenetur ei reddere debitum, quod existimo verum contra Dicastillum *disp. 7. cit. de matrim. num. 591. versic. solum mihi,* quia licet illa bona fide putans matrimoniū nullum fuerit fornicata, & sic videatur non commississe formaliter adulterium, at commisit malitiam fornicationis, quæ re ipsa est contra matrimonij fidem, vnde peccauit*

contra matrimonij fidem, etsi non ratione modi, quia bona fide putabat solutam à lege viri, at peccauit ratione rei idest vinculi reipsa detenti, & idem existimo † si fœmina emittat votum castitatis, & vir manens laicus putans matrimonium esse nullum fornicetur, si postea restauretur detecto errore sententiæ latæ de nullitate, fœmina non tenetur reddere debitum propter eandem rationem, quod secus est, si vxor prudenter iudicans maritum mortuum, & iudicis autoritate matrimonium aliud ineat, si compareat vir qui mortuus existimabatur, illi restituenda est vxor vt maritalem cum eo habeat residentiam, teneturque vir vxori reddere debitum, quia ipsa non est fornicata, sed licite coibat cum secundo marito, quare re ipsa non peccauit contra matrimonium cum secundum bona fide contraxit, quam doctrinam verissimam non aduertit Dicastillus.

4 Sed circa hoc corollarium † aduertunt Dicastillus à num. 585. Sanchez lib. 7. disp. 99. de matrim. num. 37. Quod si fœmina ita arcta sit aut vir debilis aut calidus vt non possit vas fœmineum penetrare, aut intra illud semen immittere, si fœminæ matrix attraxerit semen, aut arte intra illud immittatur si tamen semper maneat in viro impotentia, aut in fœmina arctitudo, matrimonium nullum, & irritum est, quia (inquiunt) valor matrimonij non potest pendere ex casu raro, & fortuito. Accedit quod vir ille vere est impotens ad seminandum intra vas, & alioquin nunquam talis impotentia posset dirimere matrimonium, quod est contra innumeros auctores relatos à Sanchez disp. 92. num. 7. semper enim semen illud vase aliquo vitreo receptum, posset in vas fœmineum immitti, addit Dicastillus num. 587. Quod si semē viri attrahatur à matrice fœminæ & intromittatur, etiam si fiat grauida, vterque coniux facti sint vna caro, si non superueniat viro potentia penetrandi vas fœmineum, matrimonium esse nullum, & non consummatum, secus vero si postquam matrix attraxit semen superueniat viro potentia penetrandi.

5 Sed hæc doctrina mihi vsquequaque non placet. Primò, † quia illa mulier est effecta mater non per coitum illicitum, quia non peccauit, ergo per licitum, ergo ex vi matrimonij, ergo facti sunt ambo vna caro, vel in vnâ carnem ratione prolis ab vtroque genitæ vt aiebat Chrysostomus, omnes consequentiæ manifestæ sunt, ergo consummatum fuit matrimoniū, probatur consequentia, matrimonij consummatio nō tam fit vasis penetratione quæ est via ad consummationem, quam feminum connaturali commixtione, qualis est quum matrix vi sua na-

turali semen virile attrahit, non vero quando vase vitreo semen virile cōtentum in os matricis immittitur, hic enim modus naturalis non est, vnde dicere, quod fiant vna caro post matrimonium ratum, & quod non sit matrimonium consummatum est implicatio in terminis.

Secundò, vtor argumento quo vtitur Thomas Sanchez lib. 7. disp. 91. num. 7. quia † ad matrimonij valorem desideratur copula per quam coniuges vna caro efficiantur, vt constat ex cap. laudabilem. de frig. & malefic. ibi. Vterque iureiurando dicat quod nunquam per carnis copulam vna caro effecti fuissent, & tunc videtur quod mulier possit ad secundas nuptias conuolare, quod idem habetur, ex epist. Greg. relata cap. 2. 33. quest. 1. at non fiunt coniuges vna caro absque seminatione intra vas, ergo. quod etiam clare significauit Alexander III. rescribens Archiepiscopo Salernitan. c. verum de conuers. coniugat. Quando dixit, quod † ante matrimonium consummatum potest quis coniugum altero inuito religionem ingredi, dummodo carnalis commixtio non interueniat inter eos, cuius rationem subdit, quia cum non fuerint vna caro effecti, satis potest vnus ad Deum transire. atque isti duo in specie nostri casus effecti sunt vna caro, ergo matrimonium fuit consummatum, quia matrimonium consummari in omnium sententia est, quod per seminum commixtionem factam post matrimonium ratum celebratum, fiant coniuges vna caro, vnde ex illa commixtione sanguinis propinquitas, & affinitas oritur quod nullus negare nequibit cap. lex 27. quest. 2. Quod est Benedicti Papæ epist. ad Grandefem Patriarcham.

Tertiò, argumentor, quia † vt matrimonium dicatur consummari, non est essentialiter requisitum, nisi quod semen non euandum recipiatur intra vas fœmineum etiam si vas non penetretur, siquidem copula illa sufficiens est generationi per eamque sponsi vna caro efficiuntur, qui eo ipso faciunt matrimonium consummatum, vt tanquam indubitatum supponit, & docet Sanchez lib. 2. de matrim. disp. 21. num. 2. (qui sui oblitus contrarium dixit in specie nostri casus) sequuntur Sotus, D. Antoninus, Henriquez Corona Confessorum, Alexander de Neuo, Rosella, Syluester, Tabiena, & Gregorius Lopez, quos citat ipse Sanchez, nec est hucusque aliquis Antiquorum, qui contrarium dixerit. Imo Tabiena verb. impedimentum 4. quest. 2. num. 3. in fine † sic fatur. Quocunque igitur modo semen viri misceatur cum sanguine vel semine mulieris, siue veniat per Damonem deferentem siue per ipsum virum intrantem vel prope locum seminantem, dummodo semen intret causatur affinitas, & consummatur matrimonium,

nium, ita quod non amplius potest ingredi Religionem uxore inuita & Syluester *matrim.* 8. *quest.* 15. *dict.* 2. *versic.* imo fortius, eleganter loquitur ad propositum ex Paludano, Zabarella. Matt. & aliis. *si vir solus seminet extraordinarie id est extra vel circa vas natura, ut ponit Glossa cap. extraordinaria 35. quest.* 3. & semen subintret claustra, esset contracta affinitas, & matrimonium consummatum si praecessissent verba de presenti, quia hic est seminum commixtio, & inde sequi potest generatio sicut fit in balneis vel per demones incubos qui ex semine virorum infuso matricibus mulierum generant qui utique hominum, & Demoniorum sunt filij, & in Gallia quaedam mulier salus claustris, imo cum esset arcta impugnata est. Ita ille, dubitari ergo non potest quod cum in specie nostri casus sponsi facti sint una caro ex vi commixtionis seminum, quod matrimonium sit consummatum.

Huius veritatis rationem à priori dedit Angelicus Doctor in 4. *quest.* 41. *art.* 1. *questiunc.* 3. quia ex Arist. 8. *Ethico.* † coniunctio viri, & vxoris dicitur naturalis propter prolis productionem, vnde bene Syluester, coire est simul ire, quia scilicet tam vir, quam mulier in unum conferunt id quod requiritur ad prolis generationem id est vir sperma, & mulier sperma vel aliquid loco spermatis, & Thomas Sanchez ex hoc sic argumentatur *disput.* 21. *cit.* num. 5. Etiam sine corporum commixtione, virili semine recepto intra vas consummatur matrimonium iuxta omnes, ut dixi nu. 2. ergo tota consummationis ratio est seminis receptio, & carnis commixtio est omnino impertinens. Hæc ille, & satis bene, vnde S. Thom. ad 1. *questiunc.* citata ait, † quod quantumcunque aliquis claustra pudoris inuadat, vel frangat nisi commixtio seminum sequatur non contrahitur ex hoc affinitas, ratione carnalis copulæ, etsi contrahatur alia ex matrimonio rato ratione societatis coniugalis, vnde ad contrahendum affinitatem ratione copulæ carnalis per accidens se habet vasis feminei penetratio, aut potentia, & valentia ad illud frangendum, & penetrandum, & sic siue superueniat potentia hæc siue maneat impotens ad ruptionem utique tale matrimonium validum est, & insolubile ut potest vere, & proprie consummatum significans per honestam seminum vtriusque sexus coniunctionem, eam quam habet Christus cum sua sponsa Ecclesia.

12 Ex quibus constat, quam friuola † sint fundamenta Dicastilli, & Sánchez, valorem enim † matrimonij essentialiter pendet ex hoc, quod sponsi de presenti fiant una caro per seminum commixtionem prolificam ex se, ut est apud omnes certum siue hæc commixtio fiat vase femineo penetrato à virga viri, siue per attractionem naturalem matricis,

siue Dæmonis ope, ut supra ex ipso Sanch. & omnibus, (& sequitur ipse Dicastillus *disp.* 2. num. 432.) vidimus, quod enim hoc raro contingat nimis per accidens est, & non euertens formalem matrimonij consummationem, ad secundum respondetur, quod impotentia penetrandi vas femineum tunc erit impedimentum dirimens. 13 Primo, quum non emittit verum semen, nec penetrat vas femineum. Secundo, quum etsi habeat semen fecundum, tamen non fortiter erigitur virga viri, quod claustrum pudoris nequeat rumpere, etsi os vuluæ riget femine tamen matrix femineæ non habet efficaciam semen viri attrahere & intus intromittere attractione naturali, ad quod experiendum Ecclesia determinauit spatium temporis triennalis, post quod per iustum iudicium dissoluit matrimonium, quo dissoluto, & femina iam alteri iuncta per verum matrimonium, si vir cum alia coniugatur, quam imprægnauit non penetrato vase, sed quia matrix attraxit semen, non est dissoluendum matrimonium posterius femineæ, cuius matrix inualida fuit per triennium ad illius viri semen attrahendum ad generationem, huius casus resolutionem, † ita certam existimo, ut nullatenus possit negari, sed quod iuxta illam teneantur iudices ferre sententiam in fauorem matrimonij, quod enim femina attraxerit euidenter constabit si ipsa grauida efficiatur quæ post partum iam vir poterit intra vas eius immittere semen nisi sit per ligamen maleficium impediens de quo S. sequenti. plura & notanda, dicam, Resolut....

## SVBRESOLVT. VI.

Vtrum Sponsus teneatur totum legale bimestre residere cum Sponsa, quam de presenti duxit?

## S V M M A R I V M.

1. An sponsus totum legale bimestre residere teneatur cum sponsa, quam de presenti duxit.
2. Syluestri mens adducitur, necnon Authoris iudicium, & n. 3.
4. An licet per solam deflorationem absque seminum commixtione non sit perfectè consummatum matrimonium, per illum sponsus amittat ius ad religionem transuolandi.
5. Manuelis Rodriguez opinio.
6. Ante carnalem copulam non est omnino translatum corpus unius sub potestate alterius, sed sub conditione, ex S. Thom.
7. Per vasis solum penetrationem non contrahitur affinitas, ex Syluest.

**S**extum est, † an si sponsus Virginem deflorauit cum qua contraxit de presenti, non tamen vas penetrans intra vas seminavit, vel quia non potuit ob debilitatem, vel quia impeditus est ex aliquo accidenti superueniente, vel quia sponsa præ dolore nequiuit amplius subesse, vel aliquo terrore, vel alicuius aduentum, ob quem honestatis causa cessauit ab incepto opere, vel quia tactus est ab Spiritu sancto, qui in ipsū irruit vt religionem acciperet, an iste teneatur ad residendum cum illa, itavt intra bimestre à iure concessum nequeat ad Religionem inuita vxore transuolare. Pater Th. Sanchez *disp. 21. lib. 2. cit. num. 7.* dicit quod quum sponsus de presenti sponsam deflorauit malitiose habens animum deflorandi dumtaxat & non seminandi, vt religionem ingrederetur, nequit licitè religionem ingredi, licet valida esset professio, & matrimonium dissolueretur, quia nondum est consummatum, si vero ex causa non seminavit potest licitè & valida erit professio. Ita

2 Syluester *ubi supra* sic dicens † *si iuuenis deflorauerit sponsam & aperuit seras eius, sed non spermatizauit si erat sponsa de presenti poterit maritus intrare religionem, licet Ecclesia se possit opponere ex presumptione cap. infantes de desponsat impub. in 6. si vero erat soluta consanguineus defloratoris poterit contrahere cum ea.* Fundamentum est, quia quum absque dolo id accidit & iuuenis accessit animo consummandi nulla iniuria verè irrogatur sponsæ, cum nihil fraudulenter egerit sponsus, nec delicti reus sit & iure suo vtatur, cum ius illi concedat bimestre, vt consummet, vel si velit ingrediatur religionem.

3 Sed ego valdè dubito † de hoc non solum in foro externo, in quo dubio procul non dabitur fides sponso dicenti, quod non seminavit, & sic cogetur residere cum sponsa deflorata, sed etiam in foro conscientie in quo nequit sponsus religionem ingredi, & validè in ea profiteri sine consensu sponsæ. Ratio, quæ mihi dubitationem vehementè incussit, est, quia licet ratione actionis non incusserit damnum sponsæ, tamen ratione rei, claustrum scilicet virginalis rupti damnum ingens illi intulit, ratione cuius manet sponsa in deteriori valdè statu, ac antea; ergo cū hoc damnum sit passa ex vi contractus matrimonialis, ex vi cuius sponsus ad aliam accessit, ex vi illius ius acquisiuit sponsa in spōsum, vt ipsam corruptam non relinquat, sed quod in residentia per sistat matrimoniali; quamuis enim non sit perfectè consummatum matrimonium vsque ad seminationem viri, tamen est inchoata consummatio & corporum mixtio iam perfectè per vasis penetrationem & intromissionem virgæ, quæ est vltimum medicum ordinatum ad con-

summationem, quod secus est de osculis & actibus quæ remotiora valdè sunt & non ita indecoram sponsam relinquunt, quare cum bimestre concessum in fauorem religionis non in damnum sponsæ, dari intelligendum necessario est.

Licet enim † per solam deflorationē ab-<sup>4</sup> que feminum commixtione non sit perfectè consummatum matrimonium, tamen per illam cum fiat corporum carnalis commixtio iam sponsus amisit ius ad transitum ad religionem, nam *in cap. ex publico de conuers. coniugat.* hoc priuilegium datur, *si vir eam carnaliter non cognouerit* idem statuitur, *cap. verum, & cap. ex parte tua eod.* atqui per deflorationem carnaliter cognoscit vir fœminam, etsi non perfectè, siquidem penetratio vasis fœminei animo carnali, carnalis copula, carnalis commixtio est, etsi vt dixi nō perfectè; ergo cum hoc priuilegium, quod Christus Dominus concessit, vt matrimoniū iure naturæ insolubile possit religionis ingressu dissolui, sit contra ius naturæ in quo dispensauit, non est præsumendum illud concessisse contra ius, & damnum sponsæ, quæ incurrit defloratione, ad illud vitandū abrogauit libellum repudij, quo dissoluebatur etiam matrimonium cōsummatum, nec enim præsumendum est nisi id exprimat, quod Princeps etiam supremus priuilegium concedit in damnum tertij, maximè cum notabile est, qualis reputatur defloratio, quare ita tenent multi discipuli D. Thom. quos sequitur Petrus de Ledesma *quæst. 61. de matrim. art. 1.* Manuel Rodriguez *in summa* (qua vtor) *tom. 1. c. 237. n. 2.* ibi † *sera consum-*<sup>5</sup> *mado quanto à este effecto por la copula imperfecta y sin la seminacion dentro del legitimo vaso conformelo resuelue, Ledesma ubi supra folio 583. & 584. diciendo ser esta opinion muy mas probable,* facti enim sunt etsi imperfectè ambo coniuges vna caro per carnalem & effectū carnali factam coniunctionem per vasis penetrationem.

Quæ sententia valdè vrgetur ex doctrina D. Thom. *in 4. dist. 27. quæst. 2. art. 3. quæst. iunc. 2. ad 2.* dixerat enim *in corpore, quod † ante carnalem copulam est inter coniuges tantum spirituale vinculum,* quod explicans dicit ad secundum dicendum, quod † *ante carnalem copulam nō est omnino translatum corpus vnius sub potestate alterius, sed sub cōditione, si interea alter coniux ad frugem melioris vite non conuollet, sed per carnalem copulam completur dicta translatio, quia tunc intrat vterque in corporalem possessionem sibi tradita potestatis.* Hæc ibi ex quibus valdè efficax defumitur argumentum, quia eo ipso, quod fœmina, & vir voluntariè se supposuerunt, illa vt patiens & iste, vt agens, & eorum membra genitalia mixta sunt, & coniuncta animo maritali ad generan

generandum, & mulier præstitit, quod suū erat, ex parte sua accepit corporalem & carnalem possessionem, corporis viri, ex vi potestatis sibi traditæ, ergo non mansit purum spirituale vinculum, sed transit et si ex parte & imperfectè ad carnale, quod enim vir non seminarit quacunquē ex causa prorsus per accidens est, vt fœmina non dicatur ex parte sua non accepisse possessionem carnalem & corporalem corporis viri, & cum in matrimonio paria sint iura vtriusque coniugis etiam vir possessionem accepit corporis fœminæ & sic transit ad vinculum corporale, et si imperfectè hoc argumentum existimo valdè vrgere.

Verum est id quod dicit Syluester, quod 7 † per vasis solum penetrationem non contrahitur affinitas nisi seminis viri, fiat commixtio cum eo quod requiritur ex parte fœminæ ad generationem, ex hac enim commixtione actiue ex parte viri & passiuē ex parte fœminæ resultat propriè vna caro vtriusque *cap. lex 27. quest. 2.* & expressè docuit D. Tho. *in 4. dist. 41. quest. 1. art. 1. quest. 4. ad 2.* vrgetur amplius secundo, quia præfata copula per vasis penetrationē absque seminatione viri repræsentatur coniunctio Christi cum Ecclesia, & quātum est ex se est in damnum proli ad quam ordinatur vasis penetratio, & fœminæ materiæ exhibitio, quod autem de facto non sequatur viri feminatio, quam ex se exigit vasis penetratio & quod non sequatur, est per accidens, quia iam vterque dederunt operam generationi, & ita illa coniunctio, & membrorum genitalium intromissio, proximè exigit generationem & prolem, quod si non sequatur ex parte viri non obest significationi sacramenti Christi cum Ecclesia, & damnum infertur proli generandæ, & ex vi illius membrorum coniunctionis, vnde constat quam friuola sint motiua Sanchez, quem vt in multis aliis sequitur Gu-tier. *in 2. editio. de matrim. cap. 54. n. 24.*

## SUBRESOLVT. VII.

*Vtrum fœmina coacta ad consummandum teneatur residere cum viro cogente?*

### S V M M A R I V M.

1. *An fœmina coacta ad matrimonium consummandum teneatur residere cum viro cogente.*
2. *Authoris iudicium, necnon Ledesma & Dominici Soto & n. 3. & 4.*
5. *Coniuges matrimonio duntaxat rato coniuncti, potest vnus intra bimestre altero inuito ad religionem conuolare.*
6. *An non liceat fœmina religionem ingredi*

*viro inconsulto.*

7. *An si fœmina consentiat intra bimestre in copulam, qua consummetur matrimonium, metu in constantem virum, nequeat inuito marito religionem ingredi, & n. 8.*

Septimum sit † vtum si vir intra bimestre concessum à iure fœminam violentè cogat, vt consummet matrimonium ista vi cognita teneatur matrimonialiter residere cum viro cogente, vel possit ad Religionem transuolare inuito marito, adfirmat Sanchez *lib. 1. disp. 22. num. 6.* & idem dicit etiam si non vi & violentia, sed metu cadente in constantem virum, & pro vtraque parte plures citat, fundamentum præcipuū est, quia sponsus grauem intulit iniuriam sponsæ, quæ habet ius, vt non extorqueatur ei copula intra bimestre, ergo si intra bimestre siue metu graui siue violentia consummet semper manet ius suum illæsum, & illud meliori modo potest recuperare contra iniustam coactionem factam à viro, nulli enim sine eius consensu auferendum est priuilegium sibi concessum, *cap. indultum de reg. iur. in 6.* & nemo sine sua culpa iure suo debet priuari *cap. discretionem de eo qui cogn. consang.* & idem diceret Sanchez (quod miror non expressisset) de precibus imp ortunis, quæ si iungantur cum metu reuerentiali incutiunt metum grauem cadentem in virum constantem, vt ipse Sanchez probat *lib. 4. de matrim. disp. 6. n. 5. & 7.*

Sed ego consultus *ann. 1647.* in hac ciuitate Hispalens. contrarium tenui † quod approbarunt viri docti, ex antiquis sequuntur Durand. *in 4. dist. 27. q. 2. n. 15.* Sotus *quest. 1. art. 4. pag. 120. col. 1.* Ledesma *2. p. 4. quest. 63. art. 3. vers. sed adhuc pag. 517. col. 1. & 2.* Barthol. de Ledesma *dub. 64. de matr.* Ludouicus Lopez *2. p. de matrim. cap. 57.* Vega *lib. 1. sum. casu 500.* D. Antonin. *2. p. tract. 5. cap. 7. §. 1. & 3.*

Quadruplex huius veræ, vt puto sententiæ fundamētum habeo, quod iecerunt tres insignes Thomistæ è Dominicana familia. Primum posuit Ledesma, *vbi supra pag. 2.* † his verbis, *michi videtur probabilius, quod prædicta vxor non potest ingredi religionem marito illo reclamante. Ratio est, quia ibi est vinculum carnale, & non tantum spirituale, & argumentum in oppositum concedo, quod malefecerit vir, & quod peccauit inferendo illi vim, tamen non debet puniri illa pœna, nempe priuatione rei suæ, nam postquam illa erat sua sibi imputet mulier, quæ libere illi nupsit, & non cauit ab illo, & quod intrauit religionem antequam posset ab illo vis, aut timor inferri.*

Secundum posuit Dominicus Soto sic. *4. Media via incedit veritas* (erant enim adductæ duæ extremæ sententiæ) *est enim peccatum*

catum mortale ante duos menses sponsam adfirmantem in animo habere religionem comprimere. Quoniam licet consenserit in copulam, semper tamen consensus intelligitur cum beneficio iuris, quo sibi conceduntur induciæ bimestres ad religionem. Nihilominus illo pacto consummata copula religionem ingredi nequit altero inuito. Quia matrimonium ratione consummationis fit natura sua simpliciter indissolubile; & ideo quod per vim, vel sponte consummatur, accidens est quod naturam mutare non potest. Ipsi ergo imputetur, quod non satis sibi cauit, nec miramur quod quis absque sua culpa ius amittat ingrediendi religionem, ut si aliam infirmitatem incurreret, quia fieret ad id inhabilis. Hæc in utroque fundamenta annotata quibus opposita comminuuntur, hoc vidit Thom. Sanchez, qui nostram sententiam satis probabilem dicit.

Tertium sit ex iure petatum, & ni fallor efficax, quia ratio qua moti Pontifices dixerunt, quod ¶ cōiuges matrimonio dumtaxat rato coniuncti potest vnus intra bimestre altero inuito ad religionem conuolare, est quia nondum matrimonium est consummatum, neque effecti ambo vna caro. Ita Alexander III. cap. verum. 2. ibi. Quia cum non fuerint vna caro simul effecti satis potest vnus ad Deum transire, & alter in seculo remanere, & Innocentius III. cap. ex parte tua 14. de conuers. coniugat. ibi. Qui ( Summi Pontifices ) respondere consulti antequam matrimonium sit per carnalem copulam consummatum licere alteri coniugum reliquo inconsulto ad religionem transire, atqui per copulam habitam violentia illata aut per metum cadentem in virum constantem, matrimonium est omnino consummatum, & factum omnino insolubile, ut est indubitatum, teste Sanchez n. 4. ergo ¶ non licet fœminæ religionem ingredi viro incōsulto, quia iniuria illi facta non æquiualeat consummationi matrimonij, etsi factæ per vim, nam iniuria facta non est contra ius matrimonij, & eius vinculum imo absolute in eius fauorem, at ingressus religionis est contra ius matrimonij ad exigendum debitum quod acquisiuit vir ex vi consummationis, etsi indebite.

7 Quartum est, quia ¶ si fœmina consentiat intra bimestre in copulam, qua consummetur matrimonium metu in constantem virum nequit inuito marito religionem ingredi, ut est communis, & probabilior Iuristarum sententia, quos citat, & sequitur Barbosa Rubrica ff. solut. matrim. p. 2. n. 106. Ioannes Andreas Regula quæ contra ius de Regulis iuris in 6. Syluester verb. diuort. n. 8. q. 5. vers. similiter, & mihi indubitatum, quia hic metus non tollit simpliciter volūtarium, sed facit inuoluntarium secundum quid, ut dum quis ut liberet vitam proicit merces in mare, & fœ-

mina illa dū metu consentit simpliciter consentit, ut bene Syluest. ergo etiam dum violentia cogitur, cōsequentia probatur, quia ut ait Syluest. vir est tam absoluta violentia quin fœmina consentiat, tum quia fœmina si grauida fiat nequit ingredi etiam si absoluta, & præcisa violentia fuerit coacta quia iure naturæ tenetur prolem alere, ergo etiam si grauida non fiat, quia ex vi matrimonij iam cōsummati tenetur reddere, quia violentia ista nō est contra aliquod bonū matrimonij, iam consummati tenetur reddere, quia violentia ista non est contra aliquod bonū matrimonij, quāuis enim violentia ista impediatur magis bonum consequi scilicet religionem, tamē hoc est per accidens, ut bene Sotus dicebat, & sic iniuria illata fœminæ non debet compensari cū hoc quod vir priuetur in perpetuum re cuius habet iam possessionem etsi indebito modo, illam sumpsit, & quidem cū ius canonicum absolute dicat, quod consummato matrimonio, non licet alicui coniugi ad religionem ire, & non distinguat, ( cum sit res grauissima ) an consummetur vi, aut metu aut volūtarie, nec nos distinguere debemus.

#### SVBRESOLVT. VIII.

Quando mortaliter peccet vir cogens coniugem.

#### S V M M A R I V M.

1. Quando nam peccet mortaliter vir cogens coniugem.
2. Variorum DD. sensus adducitur.

O Ctauum est quod deduco ex doctrina fundamenti positi à Soto, quod ¶ tunc dumtaxat mortaliter peccat vir cogens violentia aut metu cadente in virum constantem sponsam intra bimestre, quum ista adfirmat se habere propositum ingrediendi religionem, quod si hoc propositum non exprimat sponsa, sponsus mortaliter non peccabit, etsi simile faciat, hoc est contra Sanchez disp. 2. 2. cit. n. 16. Ratio quæ me mouet, est, quia priuilegium concessum eo tendit ut possit quis ad meliorem frugem scilicet statum religiosum conuolare, cum autem matrimonium ex sua institutione ordinetur ad hoc quod coniuges fiant vna caro in ordine ad prolis generationem, nisi sponsus certior fiat quod spōsa vult uti hoc priuilegio quod habere non ignorat, sed dum vir exigit debitum ipsa tacet, & repugnet congressui si non exprimat se velle uti priuilegio sibi cōcesso, prudēter iudicat sponsus quod ex aliis motiuis id faciat non ex motiuo Religionis capeffendæ, vnde si vim inferat adhuc ipsa taceat de priuilegio, nō peccat mortaliter vir cum tacēti nulla inferatur considerabilis iniuria



iuria; unde nullatenus nequiuit ad religionē viro inconsulto & repugnante conuolare, quod enim fortē eo bimestre concessio sibi à iure, Spiritus sanctus inspirabit religionē ingredi, cui sponsus obstat extorquens copulā, nōdum sibi debitam, nullius pōderis est, quia non tam sponsus obstat, quā sponsa tacens cū sciens priuilegiū se habere nō id notificet viro, velle ipso vii, quod si non faciat sibi imputet, nam tacens renunciare iuri videtur, & vir prudenter id iudicat, & quod ex alio motiuo ex quo sibi non licet negare debitum, quare puto quod si coniux deliberauerit, non ingredi religionem tenetur etiam intra bimestre debitum reddere, nisi deliberationē mutet. Ita † Nauarrus in manual. cap. 16. n. 26. in Hispano, & in latino n. 27. Coninch. disp. 26. concl. 2. Perez disp. 20. n. 14. & quidē cap. ex publico de conuers. coniug. hoc videtur explicasse, dū datur huiusmodi priuilegiū fœminæ cogitanti de statu religioso, priuilegium enim Christi eo modo est intelligēdum, quo ius canonicum enucleauit.

## SVBRESOLVT. IX.

V. sponsa vi oppressa possit semen viri expellere.

## S V M M A R I V M.

1. An sponsa per vim oppressa à sponso ante bimestre possit semen expellere.
2. Variorum DD. sensus afferuntur.
3. Facere aliquid ut prolis conceptio impediatur est mortalis culpa, ex Sanchez.
4. Culpam mortalem admittit fœmina, quæ statim post coitum urinam effundit.
5. An sponsa vi oppressa à non sponso possit semen expellere.
6. Sanchez sententia adducitur.
7. Si effundere semen licet statim, ac infusum est in fœminam vim passam, liceat etiam aliquantō post.
8. Quid ex premissis sequatur.

**N**ONUM cōtra Sanch. qui disp. 22. cit. n. 17. sic loquitur † utrū sponsa per vim oppressa à sponso ante bimestre possit semen expellere? videtur non posse, quia est intrinsecē malum & contra naturam ordinantē semen ad sobolis propagationē, sed si loquamur de fœmina, quæ à nō sponso vim passa est, certum reputo nisi incontinenti semen expulerit non possit postea, incontinenti autē valdē probabile est mihi posse. Ducor ea communi doctrina, quam amplectuntur, Sotus lib. 5. de iust. q. 1. art. 8. vers. de bonis autem, Bannez 2. 2. q. 64. art. 7. dub. 1. ad 2. Aragon. ibid. fol. 382. §. in hac difficultate ibi, Salon. cōtrouers. 2. §. ex his sequitur. Manuel to. 1. sum. c. 136. n. 15. quæ habet licere priuata auctoritate furem incontinenti, ubi furtum arripuit do-  
2 nec in loco tuto constitutus sit percutere: & eam

reputari defensam; similiter ergo reputabitur defensa cum incontinenti & statim, ac semen receptum est fœmina vim passa expellit, secus vero quum iam semen habet possessionem, & est quasi in loco tuto constitutum, tunc enim non erit defensa, sed intrinsecē malum, & confirmatur, quia posset fœmina illa vim passa quocunque tempore membrum virile extrahere, si posset quamuis semen effundendum esset, non enim tenetur id pati, ergo incontinenti, ac effusum est, potest similiter expellere, quia cum nondum semen habeat pacificam vasis possessionem adhuc quasi in fieri & in ipsa effusione reputatur esse. De sponsa autem de presenti per vim cognita id non adfirmarem, quia iniuria est multo leuior, nec infamiam patitur, & damnum non est adeo graue. Nec de fœmina per metum cognita, quia copula fuit voluntaria & cū peccato admissa. Hæc ille quæ cōsequētia ad dicta & in dictis ipse, viderit & mox ego videbo.

Cæterum doctrina hæc nisi frangatur, ouum est forū à concupiscentia, ex quo plures doctrinæ perniciosæ oriri possunt, quare rē hanc satis absurdam aliorū picturis frustra exornare fatagit & conatur, & contra eam sic argumentor primo, ex doctrina eiusdem Sanchez lib. 9. de matrim. disputat. 20. numero 2. vbi ait quod † facere aliquid, ut  
3 prolis conceptio impediatur est mortalis culpa, itavt actio nullo bono fine honestari possit, quia ( inquit ) data opera impeditur semen à suo naturali fine generationis parumque & solum secundum magis & minus distat à seminis effusione extra vas. Ita D. Thom. in 4. distinct. 31. in exposit. littera in fine, & constat ex c. aliquando 32. q. 2. quod est Aug. & est omnium antiquorum & egregiè D. Caiet. 2. 2. quest. 154. art. 1. §. ad singula autem, ibi, si seminando intra vas naturale detur opera, ut non sequatur conceptio, aut ex parte viri, aut ex parte fœminæ, quacumque id arte, vel industria fiat, quoniam tunc ex intentione seminatio impeditur à naturali suo fine, & parum differt à procuratione, quod seminetur totaliter extra vas naturale, differt enim secundum differentiam magis & minus & propterea ad eandem speciem spectant, & est peccatum mortale ex suo genere, quia ex intentione contrariatur fini naturali concubitus. Hæc Card.

Ex qua doctrina, Sanchez infero num. 3. similem † culpam mortalem admittere fœminā,  
4 quæ statim post coitum, urinam effundit, aut se erigit, aut quidquam aliud facit quo semen exceptum expellat, quia similiter frustrat ex intentione semen suo debito fine. Ita Syluester, & Margarita confessorum num. precedenti allegati Henriq. lib. 11. de matrim. c. 16. n. 8. Nec audiendus est Angelus verb. debitū n. 27. dicēs, posse sustineri non esse mortale, quādo ex iusta causa fit, tribuitq; Syluester hæc sententiā Paludano, sed falso nō enim eā tenet. Hactenus Säch.

qui pari ratione ob eandem rationem, qua ipse arguit contra Angelum, audiendus non est, dum dicit, quod si sponsa vi oppressa à non sponso potest semen expellere, esse sibi valdè probabile, hæc enim probabilitas nullatenus est audienda.

Secundo, quia illico an semen recipitur statim, iaculatur semper est in loco tuto destinato ab auctore naturæ, ad sui conseruationem, vt proles generetur, quia vel statim paucissimo post tempore ac iaculatur, est in vulua cuius os ita stricte obturatur, post ingressum seminis, vt nec acus cuspidem capiat, vt ipse Sanchez dicit n.4. vel est intra vas fœmineum, quod etiam idem auctor naturæ Deus tanquam naturale receptaculum destinauit, ita vt quamuis semen sit infœcundum, & sterile, & intra vuluam, non ingrediatur non liceat semel in vas fœmineum ingressum foras emittere, ergo semen statim ac iaculatur à viro in vas fœmineum possessionem pacificam habet, quia ex natura sua & per se, aut ingreditur statim vas fœmineum, aut matrix per vim naturalem quam habet, illud attrahat intra se, quæ omnia ordinantur ad prolis generationem, nullo ergo modo potest honestari, quod mulier vim passa possit statim ac recipit maris semen illud emittere ex intentione, quia frustrat illud suo debito fine, quare in hoc Th. Sanch. audiendus non est, etsi in multis aliis semper mihi venerandus.

7 Tertiò, quia si effundere semen licet statim ac infusum est in fœminam, vim passam ergo etiam id licebit aliquanto post, etiã si nõ fiat incontinenti, cõsequencia probatur, quia malitia actionis expulsionis seminis non sumitur in ordine ad tempus, sed quia semen priuatur fine suo primario, qui est prolis cõceptio, hæc autem malitia perseverat eo ipso, quod semen recipiatur in vase fœmineo iam enim est finitus terminus motus, & semè est in facto esse receptum in suo naturali subiecto, à quo expelli nequit absq; iniuria, ante verò quam recipiatur semè potest fœmina vim patiens si potest membrum virile extrahere etiã si sit periculum effusionis illius, imò in ipsamet effusione, quia eo ipso, quod vim patitur, & cogatur ipsa potest renitens reniti, & impedire violentiam, quæ sibi inferitur, ast transacta violentia iam non est amplius semen receptum, in eius potestate, aut eius dominio subiectum, ob hanc enim rationem communis & certa de fide sententia, (quam rationem enucleat ipse Sanchez l.9. de Matr. disp. 17. n. 15.) adfirmat pollutionem voluntariam esse mortale & contra ius naturæ, quod ex Clem. Alex. egregiè probat Legionens. l.7. de matr. c. 17. n. 20.

8 Ex quo constat quam friuola sint argumenta Sanchez quæ ipsum impulerunt, vt

in re grauissima sententiam sequeretur ex qua tot absurda & inconuenientia sequuntur, idem enim posset quis adfirmare de sponsa de præfenti, cognita per vim à sponso intra bimestre, quia in eius sententia si grandida relinquatur nequit ad religionem transire, quare in hoc damnus sibi inferret semè posset illud incontinenti expellere, similiter & illa quæ metu graui impulsæ consensit. Semel enim admissio, quod semen expellere in continenti, ac est receptum, non est intrinsicè malum, sed quod potest aliquo titulo honestari, quod sit licitum temper, quod iniuria, aut damnus, quod sequi potest ex semine retento grauissimum sit, poterit id fieri sicut licet percutere latronem fugientem, vt res meas, & damnus illatum recuperem, quod est argumentum Sanch. hoc autem quæ magnum sit absurdum, & contra totius Ecclesiæ sensum quisque Catholicus videt.

Igitur ad motiuum huius Auctoris respondetur esse longe diuersam, quæ ex dictis factis colligitur, quia latro quando fugit cum re sublata, adhuc est furtum in motu, nec rei possessio perfectè habetur, quare possit priuata autoritate illam recuperare, & vim vi repellere, quia res illa mea est, & illius administratio mihi incumbit quare si necessaria latronis percussio, mihi licita est, ast iam deciso semine & in vas fœmineo recepto, non potest fœmina illud expellere propter suam specialem conuenientiam, cum multo magis præponderat generatio prolis, quæ respicit totam spem, & illius conseruationem ad quam ordinatur semen ex natura rei aliàs in multis casibus id liceret: quod adfirmare omnino est temerarium.

### S VBRESOLVT. X.

*Si transacto bimestre coniux cogatur consummare nequit ad Religionem manere.*

### S V M M A R I V M.

1. An si transacto bimestri, quod ius concessit ad deliberandum de ingressu religionis, sponsa cogatur consummare, nequeat inuito sponso religionem ingredi.
2. Multorum D. opiniones afferuntur, necnon Alexandri III. mens, & n. 3.
4. An bimestre sit spatium determinatum à iure ad omnem casum.
5. An bimestre sit lege vniuersali determinatum.
6. Basilij Legionens. mens adducitur.
7. An ex eo quod matrimonium non sit consummatum perseveret priuilegium transuolandi ad religionem.

1 **D**ecimum, † quod si transacto bimestri, quod ius concessit ad deliberandum de ingressu religionis sponsa cogatur consummare, & violentia sponsi illi illata de facto consummetur, nequit sponsa inuito sponso religionem ingredi. Ita sentio contra Dicastillum *disp. 2. n. 413. 430.* etiamsi velit statim ingredi, nisi intra bimestre iam deliberarit ingredi, remque tractarit, & inceperit, & ob aliquod accidens superueniens non sit ingressus executus, nisi malitiose differatur. Ratio est perspicua, quia hoc priuilegium Christi determinatum est à iure solum ad bimestre in quo non habet ius sponsus ad exigendum debitum à sponsa, nec ista teneatur reddere, transacto autem bimestre, ià ius sponsum quod habet ex vi contractus matrimonij, & erat ligatum à iure, solutum est, & expeditum, ergo transacto bimestre quāuis sponsa dicat se velle statim ingredi religionem, non tenetur sponsus assentire, sed vi, & vi armata potest consummare matrimonium, quo consummato neuter sine alterius consensu potest ingredi religionem.

2 Quod corollariū vrgeo, & simul vrgetur corollarium septimum, & octauum, quia † vt dicunt Suar. *tom. 3. de Relig. l. 9. de voto castitatis c. 25. n. 3.* Coninch. *disp. 26. n. 44.* Perez *disp. 20. sect. 5. n. 2. 4.* quos citat & sequitur Dicast. *ubi sup. n. 406. ex c. ex publico 7. de conuers. coniug.* in quo solum agitur de quadam fœmina, quæ dicebat se velle ingredi religionē, quare nō erat obligāda marito, illique debitū cōiugale reddere, de quo interrogabat Episcopus Brixiensis, an cū ista esset excōmunicata, vt resideret cū marito illique cohabitaret, quid faciendū, & respōdet Alexāder III. *Quod si ita est eā absoluerit à cēsura, data cautione quod intra bimestre vel religionē esset ingressura vel ad virum reditura.* Vnde præfati auctores colligunt nō esse ius scriptū, & legē generalē de præfato bimestre cōcedēdo, sed quod iuxta iudicis arbitriū debet hoc cōsiderari attētis variis circūstāntiis, quāuis omnibus cōsideratis ià cōsuetudine, & Doctorū intelligētia, hoc sit datū bimestre, infra quod nō cogatur coniuges consummare, quare transacto bimestre, etiamsi fœmina, dicat se statim velle ingredi religionē, potest nihilominus sponte, huic non assentire, sed vt iure suo, etsi non velit reddere, cogere, quod quamuis, irreligiose faciat, tamen iure facit, quod ius vt expeditum sit, ponit pro termino Pontifex bimestre.

4 Verū nō possum nō mirari, quod citati auctores dicāt, quod ex vi textus *in c. ex publico.* non colligitur esse bimestre spacium determinatum à iure ad omnem casum, sed id solum colligi ex communi intelligentia Doctorum ex praxi, & consuetudine Ecclesiæ introducta post illud *cap. ex publico*, & sic so-

lum loqui Pontificem in casu illo singulari non vero dedisse legem vniuersalem scriptam extra illum casum. Hoc enim omnino falsum est, si enim hæc doctrina admittitur, fere omnes determinationes Summorum Pontificum, quæ sunt in sex libris iuris canonici non essent leges vniuersales scriptæ, cum sint responsiones ad casus singulares, de quibus summi Patres & legislatores ab inferioribus interrogantur, vel sententiæ latæ ab eisdem in specialibus litibus, quare non essent leges vniuersales totam Ecclesiam concernentes, sed solum, quia consuetudine & praxi sunt sic receptæ, quod dicere absurdissimum esset, eo enim ipso quod in corpore iuris canonici sunt positæ, sunt leges generales scriptæ, & vt tales publicatæ in illo, & vt sic non ad casum particularem restrictæ, qui mouit Pontificem sic rescribere, nisi ex alia lege vniuersali constet, quod decisio illius casus non diuagatur ad alios, nec faciat ius commūne, quod notari valde oportet, ne introducatur arbitrium iudicis, vbi iudicium & sententia ferri debet iuxta ius scriptum.

Negari enim non debet, quod † bimestre 5 sit lege vniuersali determinatum, quod semper debet amplecti à iudice, ita vt illud ampliari aut restringere nequeat, vt bene Syluester *debitum n. 9. l. v. 4. causa ex Panorm.* & Glossa *cap. ex publico*, quos sequitur Thom. Sanch. *lib. 2. disp. 24. n. 12.* est enim terminus determinate à iure præfixus à quo tamen licet raro, & maxima ex causa recedere, vel coarctando, vel extendendo, quod rarissime debet fieri præcedente tamen causæ cognitione, vt bene † considerat, & probat egregie ex iure ciuili, & canonico Basilius Legionens. *lib. 9. de matr. c. 9. n. 8. & 9.* legatur. Qui 6 *n. 7.* quod si transacto bimestri, etiamsi multi transierint anni, vt aduertit Dicastill. *n. 412.* sequutus Sanch. *ubi sup. n. 27.* alter coniux si matrimonium non sit consummatum, etiamsi iniuste sit denegatum debitum, ad consummandum, etiamsi sub excommunicatione sit præceptum vt reddat, & consummet, ad religionem transierit, ibi professionem emisit professio tenet, nec restituendus est alteri petenti vt restituatur quia eo ipso quod matrimonium non sit consummatum 7 perseverat priuilegium transuolandi ad religionem, assignatur tamen bimestre vt possit cogi ad consummandū ante ingressum quod si cogatur per excommunicationem, & ingrediatur ante consummationem etiamsi ob cōtumaciam sit excommunicatus debet absolui, vt bene Sanchez *ubi supra num. 26.* & Basilius *num. 7.* intra bimestre tamen nullatenus potest excommunicari, nec cogi à iudice vt consummet, quia semper licet ei de Religione deliberare,

## SVBRESOLVT. XI.

*Si coniuges annis pubertatis completis si adhuc non sunt apti, tenentur residere simulque cohabitare.*

## S V M M A R I V M.

1. *An si puer & femina contraxerunt matrimonium statim ac impleuerunt annos pubertatis & nondum inueniantur apti ad consummandum matrimonium, teneantur simul residere.*
2. *An non possit peti separatio residentia matrimonialis, nisi vir sit maior 18. annis.*

**V**Ndecimum sit, quod † si puer, & femina contraxerunt matrimonium statim ac impleuerunt annos pubertatis, & nondum inueniuntur apti, & potentes ad consummandum matrimonium, adhuc tenentur ad residentiam matrimonialem (si nolint religionem ingredi) vsque ad annum 14. in femina & vsque ad 18. in viro, in quo tempore licite possunt copulae, & actibus maritalibus vacare, vt videatur an impotentia dimanet, ex ætatis imbecillitate an ex frigiditate, aut maleficio perpetuo. Etenim etsi in foemina annus 12. & in viro annus 14. sit ætas à iure destinata vt intelligantur, & iudicentur ordinarie puberes, tamen ætas pubertatis omnino plena est 14. in foeminis & 18. in viris, vt habetur expresse *l. arrogatio. D. de adoptio & §. minorem inst. eodem*, & ratio est quia quum non est plena pubertas completa, potest præsumi quod impotentia proueniat, ex debilitate ætatis, & sic separari non debent, sed commanere, & residere simul, quod fecus est quum iam plene puberes coire non possunt, tunc enim triennium est expectandum *cap. laudabilem de frigidis* Ita Syluester. *matrimonium §. q. 6. Panormit. cap. impuberes de desponsat. impub. contra Glossam ibi* quam sequuntur Anton. de Butrio *n. 3 & Couarr. 4. decret. p. 2. cap. 5. n. 2.* qui expresse dicunt expectandū trienniū, sed quod diximus verius est quod sequitur Sanchez multis citatis *l. 7. disp. 104. n. 18.* qui optime aduertit † nō posse peti separationem residentia matrimonialis nisi vir sit maior 18. annis, quia vsque ad hoc tēpus nō est adeptus plenā potestatem, & & ita semper præsumit ius impotentia prouenire ex ætatis debilitate, nisi radix impotentia ad oculū pateat vt si vir habeat veretrū abscissum, aut careat vtroque testiculo, aut foemina ita arcta, vt penetrari nequeat, dixi si vir careat vtroque testiculo, quia si non sunt abscissi sed vel occulti vt nō videantur, vel sic ei appareant, expectandum est tempus, à iure statutum & medici consulendi, & anatomici.

## SVBRESOLVT. XII.

*A quo tempore computandum sit triennium.*

## S V M M A R I V M.

1. *An triennium non sit expectandum à die plenæ pubertatis.*
2. *Ætas 18. annorum si vir sanus existat non est debilis.*
3. *An triennium experientia designatum debeat esse continuum moraliter loquendo.*
4. *Dicastilli mens assertur, & n. 7. necnon Auctoris iudicium, & 5.*
6. *Ad quid experiendum Ecclesia determinet expectandum esse triennium continuum.*

**S**Ed dubium est, an triennium, quod ius decernit expectandum computetur à die plenæ pubertatis, ita vt post completā plenā pubertatem quæ requiritur, vt tractetur de dirimendo matrimonio propter impotentia debeat transire triennium experientia præscriptum. Th. Sanch. *lib. 7. disp. 110. n. 16.* sequutus solum Cardinalem, *cap. puberes cit. n. vnic.* dicit † expectandum non esse trienniū à die plenæ pubertatis, quem sequitur Dicastill. *disp. 7. de matr. à n. 582.* sed verius est oppositum, quod sequuntur ferè omnes Antiqui Canonistæ, & Summistæ, qui hoc punctum tetigere, & citat Sanchez *num. 8. & 9.* quare Syluester *ubi supra* dicit quod *iste adolescens debet expectare vsque ad pubertatem plenam quæ est 18. annorum, qua adueniente si generare non potest, & mulier instaret propter dissolutionem matrimony, dissolutio fieri posset, quia tunc præsumeretur esse impedimentum perpetuum, & hæc opinio Doctorum vedetur esse æquior.* Ita Syluester, quem ex Neotericis sequuntur Perez *disp. 37. de matr. sect. 11. n. 11.* Hurtado *Complect. disput. 12. diffc. 11. n. 41.* ætas enim † 18. annorum si vir sanus existat non est debilis ita vt prudenter præsumatur ex debilitate ætatis dimanare impotentiam coeundi, quare ad summum expectandus erit mensis aut bimestre iudicis arbitrio, vt tenent Hostiensis *c. puberes n. 5.* Ioan. Andr. *n. 8.* Anchar. *n. 6.* Henric. *n. 8.* Alex. de Neuo *n. 19.* ea autem quæ in sui fauorem adducit Sanch. & Dicastill. cum non fundetur in iure, sed in aliquali congruentia vim non habent cōtra iuris Canonici ferè omnes interpretes antiquos, quibus magis deferendum est, quum non est textus, & ex alio capite ad experiendū, an impotentia sit perpetua trienniū dūtaxat sit à iure præfixū. Vnde fit, quod si iuuenis matrimonium cōtraxerit à 16. vsque ad 19. expectandū est iuxta *c. laudabilem de frigid. vbi Pont. dicit, vt à tempore celebrati coniugij si frigiditas prius probari non possit cohabitent per triennium.*

Duo aduerto circa hoc Corollarium primum, quod † triennium hoc experientiae designatum debet esse continuum moraliter loquendo, ita vt ferè semper coniuges matrimonialiter resideant, ita Pont. *c. fin. de frigidis.* & benè probant Dicastill. *n. 575. & 576.* Sanchez *lib. 7. disp. 109. n. 4. & 5.* qui dicit, quod etiam si constet certo de impedimento maleficij concedendum triennium est, vt vacent actibus coniugalibus cū enim impotentia ex maleficiis etsi sit perpetua non sit naturalis, sed accidentalis præsumitur fore, vt decursu temporis medijs adhibitis remoueri posse, atque ita non esse declarandum irritum matrimonium, ante triennialem experientiam, imo iuxta *cap. fin. de frigidis* iudex arbitrio suo potest hoc matrimonium differre maleficiatis, vt ingerent penitentiam de commissis et si fortè placeret Deo, vt opus matrimonij consummarent. ait Pont.

Secundum notat Dicastil. *di. illa 7. n. 563.* vbi ait. † *Certum est pro foro conscientiae, quum in eo satis constat impotentiam esse perpetuam, aut quum ferè certo id creditur, ita vt probabilissimum sit esse perpetuam impotentiam absque probabilitate oppositi non posse coniuges se maritaliter cognoscere, seu id intentare, & conari, etiam si per censuras ad id compellantur. Ratio est, quia pro foro conscientiae comparatione illorum, aut certum, aut ferè certum est, matrimonium esse nullum & non habent probabile ius.* hæc ille.

Sed non vsquequaque arridet hæc sententia, quia † nego, quod nisi ad oculum constet virum esse impotentem, quia caret vtroque teste, aut quia veretrum est abscissum, aut quia à peritis in Medicina, & Anatomia probatione iuridica constet impotentiam esse naturaliter perpetuam possit, ita certo constare de illa, vt nulla omnino sit probabilitas oppositi, ita vt nec remedijs, orationibus, & alijs medijs non possit recuperari potentia coeundi, argumento *ex cap. fin. cit.* quare † ad hoc experiendum Ecclesia determinat expectandum esse continuum triennium quo transacto Ecclesia fundata in præsumptione, quod illa impotentia est perpetua, dissoluit matrimonium, taliter quod si experiatur, cum alia coit restituatur priori, quare mihi dubium non est, quod isti coniuges possunt per totum triennium (nisi probetur iuridice contrarium) conari ad copulam, quia ante istud tempus ab Ecclesia præfixum semper possunt formare iudicium probabile, quod impotentia naturalis non est perpetua, vt non possit auferri sicut de impotentia orta ex

maleficio dicit † ipse Dicastillus: si per reuelationem certam impotentiam esse perpetuam constaret cum ista vinceret præsumptionem, tunc teneret verum sententia

præfata, quare etiam si vterque ante triennium fateatur impotentiam non constat ex hac confessione, an sit perpetua vel ad tempus, & ita concedendum est triennium, vt experimentum fiat. Legantur Hurtado *disput. 12. diffc. 17. num. 38.* Perez *vbi supra n. 5.* Basilius *lib. 7. cap. 66.*

SVBRESOLVT. XIII.

*Si coniux propria auctoritate non resideat ob impotentiam alterius, restituendus est.*

S V M M A R I V M.

1. *Si alter coniugum propria auctoritate ob alterius impotentiam nolit commanere, sed recedat, an sit coniux spoliatus restituendus, non obstante quod matrimonium non esset consummatum.*
2. *An ante matrimonij consummationem non sit verum spolium, & num. 3.*
4. *Cælestini 111. sensus assertur.*
5. *An ante carnalem copulam, & matrimonij consummationem non detur vera restitutio spolij.*
6. *An consensus qui matrimonium facit sit consensus in matrimonium.*
7. *An consentire in matrimonium sit consentire in carnalem copulam implicite non explicitè.*
8. *An ministeria & habitatio coniugalis debita sint inter coniuges quatenus est debita copula.*
9. *An ante consummationem matrimonij non sit translatum omnino corpus vnius coniugis in corpus alterius, sed sub conditione.*
10. *An possessio quam habet coniux ante matrimonij consummationem, non sit possessio absoluta sed conditionalis.*
11. *Quid ex traditis veniat resoluendum, & n. 12 & 13.*

**D**odecimum est corollarium quod † si alter coniugum propria auctoritate ob alterius impotentiam nolit commanere, & residere, sed recedat, est coniux spoliatus restituendus non obstante, quod matrimonium non esset consummatum. Hoc corollarium vt rectius intelligatur (fui enim consultus de eo Neapoli ann. 1625. an scilicet tuta conscientia posset quidam vir nobilis recedere à residentia coniugis suæ, quæ penetrare non valebat & factis multis experiētis, remedijs adhibitis valide erigere nequibat, vi si semè effunderet) supponendum est cōtra Th. Sanch. *l. 7. de matr. disp. 112. n. 8.* quæ sequuntur Gutier. *to. de matr. in meis c. 121. à n. 10.* Barb. *c. ex transmissa. cit. n. 4.* quod † ante matrimonij cōsummationem non est verum spoliū, atque ita non esse locum remedio restitutionis spoliatorum

fed solum quod ex vi contractus matrimonij iudex officio suo cogat, quod simul habitent & resideant, ad intentandam copulam, valdè enim differunt, hi duo modi, nam modus restitutionis non patitur aliquam exceptionem, sed ante omnia spoliatus restituendus est *cap. ex transmissa de restit. spol.* & tradunt Canonistæ ad *cap. ex parte eodem tit.* vbi Innocentius num. 4. Hostiens. n. 11. Ioannes Andreas num. 7. Butrio num. 31. Card. num. 5. at modus ex officio iudicis cogentis, vt stetur contractui, non ita rigidus est, & executius, nam obiici quæcumque iusta exceptio ab spoliante, potest quæ prius Iuridice examinanda est, quam coactio fiat, ita *cap. 1. de ordine cogn.* vbi iuris Canonici expositores.

3 Et quidem verè & propriè non dari spoliolum ante matrimonij consummationem mihi longè probabilius est, & iuris Canonici Interpretibus conformius ad *cap. ex transmissa & cap. ex parte de restit. spoliat.* quos refert ipse Sanchez n. 6. estque expressum, in *cap. ex transmissa*, vbi ita clare deciditur, vt miror virum doctissimum non aduertisse, motumque fuisse argumento friuolo, à contrario sensu, *ex cap. ex parte*, cum argumentum huius figuræ in iure valdè debile fit maximè, quum est textus, expressus in contrario, vt contingit in præsentem in quo non est efficax, vt benè viderunt ipse Sanchez *lib. 6. de matrim. dist. 21. n. 9.* multis citatis, quos etiam refert & sequitur Barbosa *de locis communi loco. 27. num. 5.* Sayrus *de censuris lib. 5. cap. 18. n. 18.* ex Euerardo in *topiis loco. 4.* vbi rem egregiè discutit, neque enim locus & argumentum à contrario sensu sufficiens debet esse ad iura expressa corrigenda, quorum correctio semper fugienda est, tanquam iuris interfectio.

4 Tum præcipuè, quia neque *ex cap. ex parte* plenum argumentum sumitur à contrario sensu, ibi enim † Cælestinus III. scribens Vulterano Episcopo solum dicit, quod si nõ præcesserunt sponsalia de futuro, aut consensus de præsentem, nec subsecuta fuere ad traductionem in domum, nullum inter eos vinculum obligatorium est, quod quidè verissimum est, tamen ex hoc non benè inferitur à contrario sensu adæquato, quod si sint sponsalia, & traductio in domum, quod sit vinculum obligatorium, & iuris possessio, quamuis sit possessio facti, ad hoc autem, quod sit in casu matrimoniali faciendæ restitutio spoliati, necessaria est iuris possessio, quia vt optima glossa ad hoc singularis ibi verbo *commodo destituta*, *ex sola possessione facti nulla seruitus, vel obligatio hinc inde contrahitur, nec restitutio peti potest, cū nulla possessio iuris hic fuerit, unde hereticus non potest in iure petere rerum Ecclesiasticarum restitutio-*

*nem c. 1. & 2. 23. q. 7. nec laicus restitutione decimarum, licet de facto possideat, quia aliud est possidere, aliud detinere, cap. causam de prescriptione, nec enim sufficit probare spoliacionem nisi probet, quia possederit cap. consultationibus de offic. deleg. & cap. olim de rest. spoliat.*

Ex qua Glossæ doctrina, quæ satis iuridica & rationi cõsona est tale formo argumentū, vbi non est iuris possessio non est restitutio faciendæ, atqui † ante carnalem copulam, & matrimonij consummationem non est iuris possessio perfecta, ergo non datur vera restitutio spoliij, minorè & docuit & probauit D. Th. in 4. dist. 27. q. 2. art. 3. *questiunc. 2. ad 2.* sic, *ante carnalē copulā non est omnino translatio corpus vnus sub potestate alterius, sed sub conditione si interea alter coniugū ad frugē melioris vite non conuolet, sed per carnalē copulā cõpletur dicta translatio, quia tūc intrat vterque in corporalē possessionem sibi tradita potestatis,* quibus verbis si adiugas ea quæ dicit dist. 28. q. 1. art. 4. vbi inquit, an cõsensus, qui causat matrimoniū sit cõsensus in carnalem copulā, & respõdet, quod † *cõsensus, qui matrimoniū facit est cõsensus in matrimonium, quia effectus proprius volūtatis est ipsū volitū, unde se habet carnalis copula ad matrimoniū, ita cõsensus, qui matrimoniū causat, est in carnalem copulam, matrimonium autē non est essentialiter ipsa coniunctio carnalis, sed quadam associatio viri & vxoris in ordine ad carnalē copulam, & alia quæ ex consequenti ad virum & vxorem pertinent, secundū, quod eis datur potestas inuicē respectu carnalis copule, unde patet, quod benè dixerunt illi, qui dixerunt, quod † cõsente in matrimoniū est cõsentire in carnalē copulam implicitè, non explicitè. Non enim debet intelligi nisi sicut implicitè continetur effectus in causa, quia potestas carnalis copule in quam cõsentitur est causa carnalis copule, sicut potestas vtendi re sua est causa vsus, hæcenus ibi.*

Ex quibus manifestè ostenditur deceptio Tho. Sanch. quia ante carnalem copulā non habet aliquis cõiugum possessionē iuridicā, ad solū habitationē & alia ministeria inter coniuges mutuo debita præter copulā, ratio D. Th. perspicua est, quia † ministeria & habitatio coniugalis debita sunt inter cõiuges quatenus debita est copula, quæ est principalis effectus cõsensus, ergo vbi copula est impossibilis, & nõ est executata nõ est iuridica possessio potestatis datæ ex vi contractus, ergo si non potest peti restitutio ad copulā, non potest peti restitutio ad alia ministeria inter cõiuges debita, consequētia est euidēs, quia accessoriū sequitur principale Regula, *Accessorium de reg. in 6. leg. etiā C. de iure dot. & latè Tusc. to. 1. litt. A. cons. 76.* Marius Ant. lib. 1. *resol. 72. n. 6.* & alij quos citat Barbof. *Axiomate 4. per totum,* vnde fit quod si non est restitutio spoliij faciendæ circa principale, scilicet

scilicet circa copulam, nec circa accessorium, scilicet habitationem, & ministeria alia quæ sequuntur copulam.

9 Secundum argumentum sumitur ex eodem S. D. quia ante consummationem matrimonij non est translatum omnino corpus unius coniugis in potestatem alterius, sed sub conditione si inter ea alter ad frugem melioris vite non conuolet, ergo ante consummationem matrimonij non datur spoliū, verè & propriè etiam in ordine ad alia ministeria inter coniuges mutuo debita, consequentia est manifesta, quia ista non sunt debita ante consummationem; nisi ex mutuo consensu velint habitare, ut fratres, tunc enim mutua ministeria debita sunt, at non datur etiam verè spoliū circa illa, quia semper possunt olim potentiam petere, quod matrimonium, quod non est consummatum, 10 ob illam dissoluatur, quare possessio illa quam habet coniux ante matrimonij consummationem non est possessio absoluta, sed conditionalis si alter ad meliorem frugem conuolare, aut petere resolutionem vinculi, & sic illi possessioni non debetur restitutio, sicut neque possessioni, quæ habet hæreticus bonorum suorum & dominium imperfectum illorum ante sententiam declaratoriam criminis, neque enim traductio coniugis in domum dat traductenti ius aliquod possessorium absolutum, etiam ad ministeria coniugibus debita, quia hoc debitum, ut sit absolutum fundatur in consummatione matrimonij.

11 Hoc supposito facilis est resolutio corollarij, aut enim coniux recedit propria auctoritate ob impotentiam alterius, antequam triennium ad illam experiendam, esset completum & sic cogendus est coniux recedens, ut cohabitaret & consentiret toties quoties copulam intentare vellet alter, ita ut si nollet non possit absolui in foro conscientie, et si sub excommunicatione id præcipiatur à iudice absolui etiam nequit à censura. Ita Sanchez ubi supra n. 12. Gutierrez de matrim. c. 122. Rodriguez tom. 1. summ. cap. 235. n. 3. Syluester diuortium n. 23. q. 20. nam cum in dubio melior sit conditio possidentis & ad hoc dubium excludendum ius detrectauerit hoc triennium, ut experientia facta dubium excludatur, ante illud completum ius habet coniux, ut alter sibi commaneat, resideat, & cohabitaret, & ita potest ad id cogi etiam per censuras, non quidem per remedium restitutionis spoliij, sed inuocato auxilio iudicis, ut obligatio ex vi contractus matrimonialis orta adimpleatur.

21 Si verò triennio iam transacto coniux recedat ab impotente absque iudicis decreto & sententia, sed propria auctoritate, non cogatur spoliatus redire ad impotentem, sed

exceptio impotentie admittenda est, ut lis decidatur, quia ut vidimus non est locus iudicio possessorio, & restitutionis spoliij cum nulla sit iuris possessio ante matrimonij consummationem. Neque est simile, quod adfertur, ex cap. Litteras de restit. spoliat. vbi Pontifex mandat, quod sponsus spoliatus restituatur, quoad habitationem, imò & quoad copulam, si in incontinenti non offerantur probationes de impedimento consanguinitatis, quia in specie huius textus matrimonium erat consummatum, & sic agebatur de possessorio, cum esset iuris possessio in coniuge spoliato, & sic iste omnino restituendus, nisi in continenti probetur impedimentum consanguinitatis, vel quodlibet aliud post consummatum matrimonium, ut dicit Th. Sanchez lib. 10. de Matrim. disp. 12. & ego alibi disputo, quod secus est de impedimento impotentie propter quam non consummatur matrimonium.

Ex his doctrinis, quæ mihi probabiliores 13 & æquitati iuris conformiores semper visa sunt, respondi ad casum Neapoli mihi propositum. Equitem illum qui ante elapsam triennij recessit à coniuge quam penetrare nequibat non posse tuta conscientia, non residere cum illa, & non reddere debitum quoties ipsa exegerit ad tentandam penetrationem vasis, ad idque posse cogi à iudice Ecclesiastico etiam sub censuris.



## RESOLVTIO IX.

*Quali obligatione teneatur ad restitutionem matrimonialem, veneficiatus, & maleficiatus.*

### S V M M A R I V M.

1. Quid differat veneficium à maleficio.
2. An Demon, vel per se immediatè, vel per suos maleficos ministros possit virum, vel feminam impotentes reddere ad copulam, & congressum carnalem.
3. Variorum DD. sensus adducuntur, & n. 4.
5. Quæ impotentia sit temporalis, aut perpetua.
6. Maleficio inter & frigiditatem, quod discrimen intercedat.
7. An impotentia ex maleficio dimanans possit esse perpetua tam in viris quam in feminis.
8. Maleficio est perpetuum, quod non potest habere remedium humano opere, ex S. Doctore.
9. An impotentia orta ex maleficio perpetua non dicatur quum humano opere licito auferri

ferri possit.

10. Caietani opinio afferitur, necnon Delrij, & n. 11. & 12.

14. Lessij mens adducitur.

**Q**UAM V I S impotentia ad coeundum & ex veneficio, & ex maleficio dimanare queat, & æque ex quocunque dimanet si sit ante contractum matrimonium ipsum ex iudicio Ecclesiæ dirimat, tamen aliud est veneficium aliud maleficium, etsi enim omne veneficium maleficium sit, tamen non omne maleficium veneficium est, etenim veneficium est quum adsumitur aliquid per os, vel applicatur inseparabiliter corpori quo sumpto, vel applicato intrinsecus per aliud corporis orificium impotens redditur ad coeundum coniux maxime vir, qui seminare intra vas nequit, vel virga emarcuit ita vt erigere se nequeat, ad penetrandum. Maleficium autem, etsi eundem inducat effectum, tamen non est per aliquid venereosum sumptum, intus corpus, per os vel aliud orificium; sed per aliquid, quod fabricatur malefici, aut maleficæ, quo fabricato ex dæmonis pacto implicito aut explicito, dæmō ipse assistens maleficiato ex vi præfati pacti facit, & causat impotentiam coeundi non est huius loci hanc differentiã amplius explicare, legi possunt Martin. Delrio lib. 3. *disquisitio p. 1. quest. 1. sect. 1. & aliquibus sequentibus, & q. 3. sect. 2. & 8.* Franciscus Torreblanca *iuris spirit. lib. 12. cap. 11. & 12. & 13.* vbi erudite, etsi indigeste quidquid ad hanc materiam pertinet ex Auctoribus congesit, vt autem titulo Resolutionis fiat satis, aliqua sunt prælibanda, ex quibus enucleatio constabit.

2. Primum sit, indubitate tenendum † Dæmonem vel per se immediate vel per suos maleficos ministros posse hominem siue virum siue fœminam impotentes reddere ad copulam, & congressum carnalem, ita vt inter ipsos post triennij experientiam valide possit si ipsi id exigant dissolvere matrimonium. Hoc libamen pono verbis grauissimis D. Thom. in 4. *dist. 34. quest. 1. art. 3.* vbi rem totam probans, & comprehendens sic fatur. *Quidam dixerunt quod maleficium nihil erat in mundo nisi in estimatione hominum, qui effectus naturales quorum cause sunt occulta maleficiis imputabant, sed hoc est contra auctoritates Sanctorum Patrum qui dicunt quod homines habent potestatem supra corpora & supra imaginationem hominũ, quando à Deo permittuntur, unde per eos malefici signa aliqua facere possunt. Procedit autem hæc opinio ex radice infidelitatis, siue incredulitatis, quia non credunt esse Dæmones nisi in estimatione vulgi tantum, vt terrores quos homo sibi ipsi facit ex sua estimatione imputet Dæmoni, & quia etiam ex imagi-*

*natione vehementi aliqua figura apparent in sensu tales quales homo cogitat, & tunc creduntur Dæmones videri, sed hæc vera fides repudiat perquam Angelos de celo cecidisse, & Dæmones esse credimus, & ex subtilitate sua natura multa posse qua nos non possumus, & ideo illi qui eos ad talia facienda inducunt malefici vocantur. Hæcibi.*

Quam doctrinam contra huius temporis Atheistas, qui substantias inuisibiles, & immortales existere negant † probant Doctissimus Rangolius ad cap. 1. *genesis ad illa verba n. 1. In principio creauit Deus.* Cæterique patres ex variis scripturæ sacre locis, Aug. lib. 2. *de doctrina Christiana c. 19. & lib. 8. de ciuit. cap. 19.* Isidorus lib. 8. *originum cap. 9.* Chrysoft. lib. *de fato D. Antoninus p. 2. tit. 12. cap. 1.* Origenes lib. 3. *in Iob.* Scholastici cum Magistr. in 4. *dist. 34.* vbi D. Bnauent. Scotus, Paludanus, Ricardus Maioris, & alij Expositores D. Tho. 1. p. q. 115. vbi Banez, Nazarius 2. 2. *quest. 96. art. 1. & 2.* vbi Dominus Caiet. Syluius, Torre, Valentia late Bubalus 1. p. *quest. 50. art. 1. quest. 1.* Suarez lib. 8. *de Angelis cap. 13. & tom. 2. de Relig. lib. 2. cap. 9.* Thom. Sanchez lib. 7. *de matrim. disp. 94. num. 1. & seqq.* eruditissimus Valle de Moura *de incantationibus sect. 2. c. 1. à num. 24.* Decretistæ *caus. 33. quest. 2. & 26. quest. 1. & 2.* Canonistæ ad titulum *de sortileg. & ad titulum de frigid. & maleficiat.* Legistæ *ad leg. multi eorum C. de malefic. & Mathem.* Regnicolæ nostri *ad tit. 27. part. 7. & tit. 3. lib. 8. Recopilationis* Medici inter omnes Doctissimus Petrus Garzia Regius Protomedicus, & huius æui intra medicos Princeps *de locis disp. 74.* vbi plures refert. Valles *de sacra Philosop. c. 27.* Quare id negare sine errore nequit, cum experientia doceat, præxis Ecclesiæ, Conciliorum, & Summorum Pontificum decreta, quæ referuntur in præfatis titulis determinant, ex quo errore valde graua inconuenientia sequerentur, & loca sacre scripturæ extorquerentur, quibus autem modis hæc maleficia, aut veneficia ligaminaue fiant.

Remigius lib. 2. *de monomag.* plusquã quinquaginta enumerat, Thomas Sanchez vbi supra, sequutus Martin. Delrio lib. 3. p. 1. q. 4. *sect. 8.* ad quinque reduxit, sed hoc non pertinet ad præsens institutum, quare omitto, legi possunt Raphael de la Torre vbi supra *disp. 10. circa art. 2.* Doctissimus Malderus 2. 2. *tract. 10. cap. 8. lib. 9.* Vldericus Molitor. *de Pithouisa muliere cap. 7.* Campanill. *in diuersorio iuris Rubric. 11. cup. 17. à num. 19.* Hoc certum debet esse quod quocunque modo fiat huiusmodi maleficium, veneficium, aut ligamẽ vt ex eo sequatur impotentia coeundi. † Impotentia hæc aut est temporalis, aut perpetua. Hoc est contra quosdam qui vt refert



refert D. Tho. *vbi supra*) dixerunt, quod per maleficia præstari potest impedimentum carnali copulæ, sed nullum tale est perpetuum, unde non dirimit matrimonium contractum, & dicunt iura, quæ hoc dicebant esse reuocata, sed hoc (inquit D. Th.) est contra experientiam & contra noua iura, quæ antiquis concordant, & ideo distinguendum est, quia impotentia coeundi ex maleficio, aut est perpetua & tunc matrimonium dirimit, & ad hoc experiendum eodem modo Ecclesia tempus præfigit triennium, scilicet sicut de frigiditate dictum est, tamen hæc est † differentia inter maleficium & frigiditatem, quia qui est impotens ex frigiditate sicut est impotens ad unam ita ad aliam, & ideo quum matrimonium dirimitur non datur ei licentia, ut alteri coniungatur, sed ex maleficio homo potest esse impotens ad unam, & non ad aliam, & ideo quum in iudicio Ecclesie matrimonium dirimitur, utrique datur licentia, ut alteram copulam querat. Hæc ibi, quæ doctrina certa est, & indubitata ita ut opposita sit omnino improbabilis, & temeraria, cum sit contra Ecclesie praxim, & iudicium & contra omnes ferè scribentes paucis exceptis, quos refert Sanchez *num. 7.* & pro sententia S. Tho. adducit plus quam 66. Authores ex Theologis vtriusque iuris interpretibus, Summistis, & aliarum facultatum.

7 Negari ergo nequit, quod † impotentia ex maleficio dimanans possit esse perpetua tam in viris, quam in fœminis, etsi in istis non ita communiter fit, nec à maleficis præctatur, at posse in fœmineo sexu reperiri docent Delrio *vbi supr.* Abulensis *ad cap. 19. Matth. quest. 90. post medium.* Henriq. *lib. 12. de matr. cap. 7. num. 3.* Ioan. Garcia *vbi supra disp. 74.* quod duobus modis fieri potest, aut per læsionem, imaginationis, & phantasiæ, quia dum potens veretro erecto ad fœminam decedit ipsa subdito illud horrescit quasi improportionatæ magnitudinis & sic fugit, renititur; cum re vera improportionatum non sit, sed huius improportionis dæmon excitat in fœmina, speciem. Secundo, quia tam in ossibus quam in carne, ita comprimitur os vuluæ & fœmineum vas, ut à viro quantumuis potente nullatenus valeat penetrari, & ita fœmina viro omnino fit inutilis, & membrum eius impeditum, ita quod vir ei commisceri non possit, ut dicitur *cap. ex litteris de frig. & malefic.*

8 Secundum prælibandum est, quod dicit D. Tho. *vbi supra in solut. ad 3.* quod † maleficium est perpetuum, quod non potest habere remedium humano opere, quamuis Deus possit remedium præstare, dæmonem cogendo, vel etiam à dæmone, desistendo. Non enim oportet semper, ut id quod per maleficium factum est, possit per maleficium aliud destrui, ut ipsi malefici confi-

entur, & tamen si possit per maleficium remedium adhiberi, nihilominus perpetuum reputaretur, quia nullomodo debet aliquis dæmonis auxilium per maleficia inuocare. Similiter non oportet, quod si per peccatum aliquod data est diabolo potestas in aliquem, quod cessante peccato cesset potestas, quia pena interdum remanet, culpa transeunte. Similiter etiam exorcismi Ecclesie non valent ad reprimendum dæmones semper, quantum ad omnes molestias corporales iudicio diuino hoc exigente, semper tamen valent contra illas infestationes dæmonum, contra quas principaliter instituta sunt. Hæc ibi.

Sed hæc doctrina etsi verissima indiget enucleatione. Itaque † impotentia orta ex maleficio perpetua non dicitur quum humano opere licito auferri possit, etiam si ab ipso maleficio auferatur, licito tamen modo quo licet ab ipso id exigere, ut docet Thom. Sanchez contra quosdam Iurisperitos *vbi supra num. 12.* imo ad id cogi potest maleficus verberibus, & aliis pœnis, ut modo licito soluat maleficium impotentia, siue hæc coactio inducatur à particulari persona, siue à iudice. Ita tenet Delrio *lib. 6. disquisitio. cap. 2. sect. 1. quest. 2. concl. 5.* quæ doctrina duplici temperamento astruenda est, primum posuit D. Caiet. † *tom. 2. opusc. 12. quod est de maleficiis*, vbi sic fatetur. *Quamuis liceat debita prudentia adhibita ire ad maleficum & rogare, ut factum maleficium destruat simplici dissolutione non tamen licet ire ad eum petendo, ut alio maleficio, aut inuocatione dæmonum primū destruat, neque enim licet absolutè ire ad maleficum, & absolutè petere, ut succurrat maleficiato. Tum quia malefici opus, ut sic petitur sicut cum quilibet alius artifex exposcitur, tum quia particulare opus necesse est petere, & non vage relinquere arbitrio viri diabolici petitionem propriam.*

Sed Delrius *concl. 5.* dicit quod † doctrina cautiora Caiet. necessaria est, quum petitur à malefico, qui non primo fecit maleficium, quia hic vir sine peccato potest id facere, secus vero si peratur ab eo, qui primo maleficium intulit, iste enim potest licitè auferre maleficium, vel per medium naturale, si nouit, vel destruendo signum appositum, ab isto enim malefico absolutè potest exposci, ut nocere desinat, sicut ab exposito vsurario possum absolutè exposcere mutuum.

Ast Delrius, non penetrauit profunditatem ingenij Caiet. quia si in primo casu necessaria est cautio, ita & in secundo cum in utroque maleficus possit benè tollere maleficium. Tum secundo, quia opus malefici est intrinsecè malum propter dæmonis inuocationem & pactum cum ipso initum, unde quousque ego sciam, vel sim persuasus, vel protestationem & dictam cautionem

nem faciam, quod ex vi pacti non est auferendum maleficium, nequeo tuta conscientia absolutè ad maleficium accedere, exposcens ab eo, ut maleficium auferat, quia semper maleficus ex vi amicitiae, & pacti inini præsumentur, & re ipsa est ita quod amicabiliter ad dæmonem aufert maleficiū, quare ego teneor protestare ne id faciat ex vi pacti, sed hoc clarius elucebit diggressione prima ex triplici, quod in hac materia modo disputabo. Ast mutuum dare secundum se licitum est etiam respectu istius, qui pecuniam suam dat ad vsuram, & sic mutua-  
 12 re bonum est ex natura rei, tamen non est bonum ex natura rei dæmonem, siue implicitè siue explicitè, siue formaliter, siue virtualiter inuocare, aut amicabiliter cum eo tractare qualiter tractat maleficus, ars enim malefica est intrinsecè mala, ast ars mutuataria bona, & ita licet adire absolutè ad mutuatarium, quamuis iste nō mutuet sine vsura, at non licet absolutè adire maleficum nisi protestando & cauendo, quod tollat maleficium absque dæmonis inuocatione aliqua, quia eius ars hanc respicit ex natura rei, at ars mutuataria nō respicit vsuram, etsi vsuarius eam respiciat, quare hoc mihi per accidens est.

- 13 Secundum temperamentum præfatæ doctrinæ posuit Delrius ipse *concl. 5.* quod quādoquē probabiliter maleficum posse tollere maleficium modo licito & ipsum cogere, ut tali modo auferat minis & verberibus verbera ista leuia & non atrocita debēt esse, si enim atrocita sūt videor cogere, ut quocūque modo siue licito, siue illicito maleficium auferat, ut se à crudelibus plagis liberet, quod non licet nisi in ipsa verberatione crudeli exprimat, quod fit ut modo licito maleficium auferat, & sic intelligo Lessium *lib. 2. de iustitia cap. 9. num. 48. si malefica (ait) † positis certis signis magicis assidue per dæmonem noceat. Hoc casu si aliud remedium non suppetet uti poterimus iure defensionis cogendo eam verberibus, ut ab iniuria cesset si tamen certo constet eam esse mali auctorem, & putetur sine maleficio prius maleficium tollere posse. Ratio est quia illa perinde facit, ac si Tyrannus aliquis per suos satellites torqueret: utitur enim dæmone tanquam instrumento cum assidue instigans signis illis, quibus se dæmon adstruxit ad noxam inferendam. Nihil autem interest per te, an per ministros tuos noceas. Hæc ille, verum est, quod si subit grauißima causa possit grauißimè cedi, & pœnæ mortis minis, ut maleficium auferat maleficus, si iste alias potest sine nouo pacto auferre, iuxta dicta à me loco citando à numer. 140. legatur Raphaël de la Torre *tom. 2. quæst. 95. art. 4. disp. 2. S. ex hac doctrina.**




## A P P E N D I X

A D

## L I B R V M T E R T I V M,

*In qua ponitur triplex Diggressio, non iniucunda lecturæ.*

**T**RIPLICEM hanc diggressionem requisitus ab amicis, aliquibus abhinc annis elaboravi, quarum duæ priores non mediocrem lucem dabunt iis, quæ iuxta doctrinam. D. Tho. dixi resolutione præterita de impotentia orta ex maleficio. Ultima vero quæ de curatione Tauri in die. S. Marci Euangelistæ tractat, eruditionis gratia & ut consuetudo in Hispania à sancto Inquisitionis officio tolerata tueatur, à me discussa fuit, & ut ea quæ *tom. 1. Moralium* de eadem materia, dixi benè concipiantur, quare eas in hoc tomo decreui, prælo sudare, in gratiam & oblectamen meorum Lectorū.



## D I G G R E S S I O I.

*Utrum liceat, à malefico exposito petere, ut maleficium, maleficio evertat?*

## S V M M A R I V M.

1. *An nunquam liceat inducere maleficium ad pactuizandum cum dæmone ad maleficij destructionem.*
2. *An posito quod maleficium non inueniatur, consulendus sit maleficus de loco, ubi sit.*
3. *An licitum sit à malefico parato & exposito petere, quod maleficium maleficio evertat, & n. 25. 26.*
4. *SS. Augustini & Thomæ afferuntur sententiæ, & n. 19. 22. & 23.*
5. *An si à meretrice exposita consensum ad fornicationem exposcam, non peccem peccato scandali.*
6. *Variorum DD. sensus afferuntur, necnon D. Caiet. & n. 7. 8. 9. 10. & 11. & 38.*
12. *Minus malum licitè consulitur, ut maius vitetur.*
12. *Suadere minus malum quatenus minus respectu maioris, an nihil aliud sit, quam dissuadere maius malum, saltem moraliter.*
14. *An liceat à malefico exposito petere, quod maleficium, quod fecit aliquo pacto & dæmone inuocato soluat, & num. 15. 16. & 17.*
18. *Quid ex traditis veniat dicendum.*

20. An soluere maleficium alio maleficio sit secundum se prauum, & n. 21.  
 24. Authoris iudicium adducitur, & num. 31. 35. 37.  
 27. Quid ex premissis veniat inferendum, & n. 28. & n. 33.  
 29. Quando nam inuocatio demonis, & incantamentum sit permissum.  
 30. Abulensis sententia affertur, necnon Gotiphredi, & n. 32.  
 34. Quæ acceptatio quæ sit actus voluntatis maleficiati sit omnino illicita.  
 36. An si maleficus sciat media licita, & illicita ad tollendum maleficium factum, liceat absolute petere ab illo ut tollat, & n. 37.  
 40. Angelici Doctoris sensus adducitur.

**D**E hoc puncto per transennam egi tom.

1. Moral. tract. 1. num. 136. vbi & Cardinalem Aureolum vindicavi communi sententiæ subscripsi vtrumque in præsententi enucleatius est peragendum igitur Eminentissimus Cardinal. Petrus Aureolus vir accuratissimi ingenij in 4. dist. 34. quæst. unica art. 2. duo statuit. Primum, Quod *† nunquam licet inducere maleficium ad pactuizandum cum demone ad maleficij destructionem, quia sicut maleficium fuit factum per pactum, sic eius destructio hoc modo fieret per pactum cum Demone, & hoc modo qui secundum maleficium facit ad destructionem primi pactuizat cum Demone, ac per hoc peccat peccato infidelitatis, cum fieret particeps qui illud fieri procurauerit. In tali ergo casu vbi aliter non posset maleficium destrui, deberet quilibet potius sustinere mortem, quam agere ad eius destructionem hoc modo, si vero maleficij destructio non procuraretur per maleficium, sed alio modo cum de testatione maleficij, & Demonis non puto quod sit peccatum eo quod sit ibi Diaboli detestatio.*

2. Dicit secundum, *† posito quod maleficium non inueniatur, nunquid consulendus esset maleficus de loco vbi esset? Dicunt quidam quod sic: & ratio est, quia licet inducere ad peccatum sit malum, tamen vti peccato alterius in bonum est quandoque licitum, sicut dicit August. epist. 154. ad Publicolam, & serm. 30. de verbis Apostoli de iuramento infidelis iurantis in nomine Dei sui, quod respiciendum est propter bonum veritatis, & fidelitatis sic dicunt quod si ille velit facere suum maleficium, dato quod peccet faciendo ego tamen si vtor illo in bonum alterius puta in euasione mortis non videtur peccatum. Non puto quod hoc sit recte dictum, secus enim est de illo qui inducit ad actum, & secus de illo qui vtitur alio existente actu iam posito. Primum enim semper peccatum est, & illicitum secundum vero potest esse licitum, & sic est in proposito, si inducam maleficium ad pactuizandum cum Demone, ad maleficij destructionem, non video quod fiat sine*

*gravi peccato, quapropter consulere maleficium cum hoc modo inducatur ad exercitium actus peccati, omnino puto quod sit illicitum. Quod ergo consilium de remedio adhibendo? Respondeo esset in tali casu maleficiatus exorcizandus, & presumendum est quod in hoc casu Deus assisteret ad Damonem reprimendum. Hæc Eminentissimus Cardinal.*

Ex quibus liquido constat quod Angelus verbo *superstitionum*. 13. quem sequuti sunt Vngarellus ibi litter. 6. Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 95. num. 6. Delrius lib. 6. disquisitio. cap. 2. sect. 1. quæst. 2. concl. 3. & alij communiter imponunt Aureolo, quod asserat *† licitum esse à malefico parato, & exposito, petere quod maleficium maleficio euertat, huius enim contrarium constat docuisse, solum enim dicit, quod si maleficium non inueniatur, & maleficus dicat locum in quo est, potest quis illud euertere, quia iam pactum fuit initum à malefico, & cum iam constet locus in quo est signum maleficij possum illud euertere, quia non induco ad pactuizandum, quod omnino est illicitum ut dicit aureolus, sed pacto iam facto existente, & actu iam posito ex quo constat signum maleficij vtor ad liberandum maleficiatū. Quare præfati auctores Aureolum in fonte non legere, & non miror, quia vsque ad annum 1605. non dum erat typis datum opus eius in 4. sent. libros, nisi illorum frustra apud Capreolum eius impugnatores, ex quibus forsitan id collegerunt, sed non bene nec iustitia patitur, quod hic error Cardinali Sapientissimo imponatur, ad Sanchez vero, Delrium & alios modernos scriptores forsitan hæc Aureoli Romana impressio non peruenit, & in fide Angeli Clauarij Aureolum pro hoc errore citarunt, quod vero ipsum non viderint constat, quia ipsum citant in 4. dist. 34. quæst. 2. cum non sit, nisi quæst. unica artic. 2.*

Igitur cuiuscunque sit hæc sententia duplici probatur non inermi argumento, primo, quia ut constat *† ex August. locis citatis* & ex D. Thom. 2. 2. quæst. 79. quia infidelis expositus ad iurandum per idolum ut confirmet contractum cum ipso initum licet ab eo petere iuramentum confirmatorium, etsi de facto fiat, per idolum, cui defertur cultus & reuerentia, quia in hoc attenditur confirmatio veritatis, ut ait Augustinus, ergo cum à malefico exposcitur ut destruat maleficium maleficio intendatur salus, & vita maleficiati, quam præcipue intendo non inuito per se maleficium ad pactuizandum, quamuis id per accidens sequatur sicut non inuito infidelem, ut deferat cultum idolo, dum exposco ab eo iuramentum, quod ex vi religionis suæ non potest facere, nisi per idolum, ergo quamuis maleficus ex vi pacti,

& officij sui non possit destruere maleficiū nisi per reuerentiam exhibitam Diabolo, cum hoc ego non intendam malitiæ malefici est tribuendum non meæ petitioni; quia non expresse exposco pactum, sed destructionem maleficij, vnde dixi loco citato n. 140. Princeps & iudex Ecclesiasticus possunt cogere maleficiū, vt destruat maleficiū malefici, & striga.

5 Confirmatur, quia † si à meretrice exposita cōsensum ad fornicationem exposcam, non pecco peccato scandali, vt contra Sanchez lib. 1. summ. cap. 6. num. 14. docui ubi supra num. 166: & me citato tenet Magister Prado in qq. moral. cap. 15. quæst. 12. num. 4. ergo si petam à malefico, quod maleficiū destruat, quod nisi aliō maleficio aut pacto solui nequit, ergo nec pecco contra religionem, hæc consequentia probatur, quia non induco ad peccandum, siquidem ipse maleficus paratissimus est ad illud perficiendum, alias si induco ad peccandum est ibi circumstantia scandali, quod negat communis sententia, vt vidimus.

Secundū valde vrgent, quia malefico, qui fecit maleficiū, quod conseruat cum grauissimo damno maleficiati, & nequit hoc damnum impedire nisi fiat aliud pactū cum Dæmone à quo exposcatur, quod cesset, & damnum non inferat possum consilium dare, vt faciat hoc pactum quod est minus malum, vt cesset prius quod est maius, ergo possum illud petere, consequentia probatur, quia quod licet consiliare licet petere, antecedēs probatur, quia quando quis est determinatur ad faciēdum aliquod damnum grande possum consilium dare, vt patretur minus damnum, etiam si ad illud non sit determinatus, vt si quis est paratus occidere vxorem, vt aliam ducat possum consulere vt adulterium committat, & non vxoricidium, † vt expresse docet August. lib. 2. de adulter. coniug. cap. 15. relatus in cap. si quod verius 33. q. 2. cuius fundamētum sequuntur Patres Concilij Tolet. 8. cap. 2. relatum cap. duo mala dist. 13. ibi. Duo mala licet omnino cautissime sint præcauenda, tamen si periculi necessitas vnū ex his perpetrare compulerit id debemus resolvere, quod minori nexu noscitur obligare. id quod etiam traditur à S. Gregor. lib. 32. Moral. cap. 18. S. Ambrosius lib. 1. de Abraham c. 6. Chrysoft. homil. 43. in Genes. D. Aug. lib. de mendacio cap. 7. agentes de Loth, quando vt vitaret Sodomiam obtulit filias suas ad stuprum, quod licuit, quia vt ait. D. Th. q. 1. de malo art. 5. argumento 14. elegit minus malum ostendens ordinem esse seruandam in fuga culpæ, & illa prior est fugienda qua est grauior, & minor quando aliter fieri nequit eligenda.

7 In hac doctrina recte intellecta perpetuus fuit † D. Caiet. quamuis enim 2. 2. quæst. 18.

art. 4. §. in art. 4. versic. aduerte. Hanc ponat vniuersalem regulam. Si peteret quis ab aliquo actum, quem non potest exercere absque peccato, proculdubio ad peccatum eum induceret, quantumuis paratissimum, ac per hoc particeps peccati esset consentiens peccato alterius. Aduerte ergo in casibus, vt discernas si actus petitus potest ab eo à quo petitur sine peccato fieri, quia hic radix est illiciti, vel liciti cum de vsu peccati alterius agitur, quam doctrinam probat exemplis Loth. Gen. 19. & Leuita iudicum 19. ex quibus sic colligit, & hæc dicta sint, vt non putet quis licere inducere ad minus malum, paratos, vt euitetur maius malum, si enim non sūt faciēda mala, vt eueniant bona multo minus faciēda sunt, vt non fiant maiora mala, quod non in boni positione, sed in mali negatione consistit. Magna namq; differentia est inter inducere ad minus malū, vt vitetur maius & offerre ac tradere materialiter materiam minoris mali. Primum nullaratione licet propter raticnem dictā, secundum autē fecit Lotho, fecit Leuites, facimus quotidie redimentes captiuitatem, vel vexationem nostrā iniustam & soluentes vsuras. Dixi autem offerre, seu tradere materialiter, hoc est non ad inducendum ipsum ad explendam suam malam voluntatem circa oblatam materiam, sed ad redimendum vexationem suam, vel proximi tali 9 oblatione, vel traditione vtendo alterius iniquitate, non inducendo aliquem ad peccandum. Vnde nō licuisset ipsi Loth, qui obtulit materiam liberi arbitrij filias, consulere filiabus suis, vt consentirent in stuprum, sed vt illatum violenter constanti patientia sustinerent ad coronam vt leuia dixit. Hæc ibi, quibus videtur oppositus quæst. 95. art. 8. §. ad euidentiam versic. ex parte vero dicens. In quodam casu per hoc offerendo duellum abducuntur à maiori malo, auferendo materiam maioris mali non vt faciant totum hoc minus malum, sed vt facturi, malum peccent minus quod est officium Angelorum, vt patet de decem viris qui occisuro eos obtulerunt vt acciperet suos thesauros. Hæc Card. 2. 2. cuius commentarium finiuit ann. 1517. etatis suæ 49. inchoante.

Sed eum sibi esset hæc doctrina antinomia obiecta dissonantiam excludit tom. 1. opusc. 31. Resp. 13. ad Magistr. Conradū Koclin. §. tertium est. ibi. Soluitur hoc dubium declarando differentiam, quam non penetrarunt mouentes hoc dubium, aliud est enim inducere ad totum hoc scilicet minus peccandum, & aliud est inducere solummodo ad Ly minus. Primum nunquam est licitum, & hoc in primo loco dicitur (scilicet art. 4. quæst. 78.) secundum est non solum licitum, sed sanctum imo, & Angelorum officium, & hoc in secundo loco dictum est (scilicet art. 8. quæst. 95.) & hinc fit vt adulterium cum aliter non valemus retrahere, ad simplicem fornicationem licite prouocemus, non hortando vt fornicetur, sed si sua vult satisfacere voluptati

voluptati, alieno non iniurietur thoro. Nec tamen oportet huiusmodi conditionalis semper exprimere, sed sufficit quandoque eas mente retinere pro loco & tempore prout sapiens iudicabit: hoc enim non est inducere ad malum maius, aut minus, sed est secundum rem retrahere à malo maiori. Fitque frequentissima exercitatione hoc à redimentibus vexationem suam, ut fecerunt decem illi viri apud Hieremiam. Hæc Caietan. an. 1521. ætatis sue 53.

11 Et in Summa verbo Tyrannus, numero secundo. sic fatur. Sed nunquid Gubernante Tyranno (qui scilicet non habet legitime dominium, sed tyrannicè occupat illud) peccent illi qui recurrunt ad ipsum pro iustitia? quia inducunt illum ad actum quem non potest licite exercere. Respondetur, quod excusantur à peccato inducendi tyrannum ad actus, & opus sibi illicitum petentes ab illo iustitiam, quia non petunt actum illicitum, sed iustitiam actus, illi illiciti, sicut enim luxurioso sanctè consulitur, ut non adulteretur, sed fornicetur, hoc est minus malum committat, quia subintelligitur si luxuria uti vis. Ita occupatori dominij sanctè suadet, quod minus male utatur dominio illo constat autem, quod minus male utitur, qui usurpato dominio utitur in actibus, & operibus aliis iustis, quam si actibus & operibus, aut etiam omissionibus iniustis, & perniciosis Reipublicæ, aut particulari personæ uteretur. Ita ibi, quod fuit vltimum iudicium, quod de hoc puncto scriptum reliquit, finivit enim summulam inter Hungaricæ Legationis discrimina. Posony die S. Cæciliæ anno 1523. ætatis sue 55.

Hoc igitur iudicio mentem suam explicuit, & clarè docet, quod † minus malum licitè consulitur, ut maius vitetur, si quidem luxuriose sanctè consulitur si luxuria uti vult, ut non adulteretur, sed fornicetur, id quod multis citatis ego docui ubi suprâ à n. 154. quibus addo Villalobos tom. 2. tractat. undecim. difficult. septim. numero sexto. Trullench. libro septimo, in Decalog. capit. decimo - tertio. dubio secundo. paragrapho primo, numero sexto. Syluium secunda secunda. questione quadragesima - tertia. articulo quarto, question. secunda. conclusione tertia. & Sanchez qui libr. septim. de Matrimon. disputatio undecim. numero decimo quinto. ubi pro hac sententia triginta & plures Doctores, & citat & sequitur, qui loquuntur non ex suppositione, quod homo velit committere vnum è duobus, ut falso existimat Magister Prado, ubi suprâ numero decimo. sed ex suppositione, quod homo velit suæ voluptati luxuriæ satisfacere, ut constat ex Caiet. locis citatis. Armilla

verbo Tyrannus in fine. Syluestro verb. Matrimonium septimum. quest. 5. dict. 9. vers. sed istud est verum. & multis aliis ibidem citatis, quamuis enim multi illorum loquantur de eo, qui simul vult maius maius & minus malum, tamen etiam loquuntur cum vult maius solum & de isto dicunt, quod si aliter diuertere nequit nisi consulendo minus, hoc est licitum, & re vera eadem in utroque ratio, quam ex Caiet. dedi num. illo 153. quia † suadere minus malum quatenus minus respectu maioris, nihil aliud est quam dissuadere maius malum saltem moraliter, argumento, ex cap. Nervi 14. dist. 8. hinc autem Paulus. Unde primario non intendit minus malum, & peccatum minus, quatenus hoc complexum dicit, & minus, & peccatum, sed evitare maius peccatum, quatenus hoc complexum dicit & maius & peccatum, quod re ipsa & quatenus maius, & quatenus peccatum, vitare curat, & ad hoc subministrat ex parte sua materialiter materiam. minoris mali & hæc fuit profundissima doctrina Caiet. quam omnes velint nolint tenentur admittere, etsi sub diuersis nominibus, & terminis, cum nullus Catholicus possit dicere, quod dum consulo minus malum ad vitandum maius, ego consentiam in malitia minori, quia eam, ut sic non consulo, sed propono, ut materiam in qua diuertatur quis à maiori malitia facienda, nec enim ego possum consilium dare, ut quis consentiat in minorem culpam, ut de Loth. (dicebat Cardin.) respectu filiarum, quibus non poterat consilium dare, ut consentiret in copulam, & stuprum, ergo dum eas obtulit Sodomitis, id solum fuit materialiter volens minus malum quatenus esset materia ad impediendum maius, & hoc est obiectum bonum, honestum, & licitum illius oblationis, quam profundissimam doctrinam, non bene enucleat Mag. Prado.

Ex qua tale efficax deducitur argumentum pro sententia Angeli de Clauasio qui solus asserit, quod † licet malefico exposito petere, quod maleficium, quod fecit, alio pacto & Dæmone inuocato soluat, quia ut dicebam, quod licet conciliare, licet petere, at licet conciliare malefico, quod tollat prius maleficium per aliud minus malum damnosum, ex doctrina tradita de consilio minoris peccati ad vitandum maius, & ratio est, quia hoc consilium habet obiectum per se bonum, quod est vitatio maioris mali, iuxta ea quæ in superioribus discussi. Urgetur, primò, quia si maleficus nolit soluere modo licito, ut nouit maleficiū, potest quis acceptare, ut alio maleficio soluat, ut tenet Sanchez disput. 9. citat. num. 12. vers. ita si.

Dicastillus *disp. 7. dub. 50. numer. 540. v. Neque etiam.* asserens, quod id etiam docent multi Recentiores Doctissimi ex Societate, cum quibus de hac re disputauit Perez *disput. 37. section. 8. numer. 9.* & ex parte sequitur Raphaël de la Torre *vbi supra §. Superest*, quia non cooperatur peccato malefici, ergo qui conciliat, vt maius maleficium soluat, minori non cooperatur maleficio, quia re ipsa solum intendit vitare maius damnum, maiusque peccatum.

15 Vrgetur secundò, quia si maleficus esset determinatus ad faciendum maleficium, quo homo necaretur & ab illo non possem auertere, possum illi consilium dare & inducere, vt faciat maleficium minus damnosum. ergo sub eodem motiuo, si iam est operatus maleficium, quod suo pacto conseruat si non possum inducere, quod modo pacto faciat possum conciliare, tanquam minus malum ad vitandum maius, quod alio maleficio maleficium tollat.

16 Vrgetur tertio, quia si maleficus est determinatus ad perdendas omnes segetes alicuius oppidi possum consilium dare, quod alio tempestates deferat Diabolo ministrante, quo damnum non inferant, quia est consilium de minori malo exequendo.

17 Vrgetur quarto, ex doctrina quadam Dicastilli. *tom. 2. de iustit. & iure libr. 2. tractat. 11. disput. 4. numer. 15.* vbi agens, an liceat petere mutuum ab vsurario dicit. *Assero secundo. Non licet petere mutuum sub vsuris etiamsi vsurarius sit paratus ad sic dandum. Fundamentum est, quia hoc esset petere, quod alter non potest licite petere ab infideli, quod iuret per falsos Deos, & sic non possum petere ab vsurario, vt sub vsuris det, nisi forte existens in extrema necessitate, in quo casu possum, vt supra dicebam, & docent Innocentius cap. super. 10. de vsuris & alij citandi.* Nauarrus *in Summ. cap. 17, numer. 263.* Rebellus *libr. 8. quest. 16. section. 6. numer. 27.* Reginald. *in praxi libr. 23. numer. 102.* Quia in eo casu ponit materiam minoris peccati ad vitandum maius, minus malum est accipere vsuram quam permittere, vt intereat proximus quando liberari potest. hæc Dicastillus, in quibus sistit fundamentum conclusionis, secundo, nec video cur liceat aliquando petere sub vsuris, quod non potest facere vsurarius sine peccato contra legem naturæ, & non liceat ob idem Malefico, quod maleficium, maleficio dissoluat consulere, quando aliter dissolui nequit, vt non intereat pro-

ximus.

Sed dicendum est primò † nunquam licet petere etiam à malefico parato, & exposito, quod maleficium maleficio euertat etiam pro salute Regia, hæc est omnium fere Catholicorum sententia, qui fere omnes oppositam Angeli de Clauasio erroris censura inurunt, & iure optimo, Huius veritatis duplex est fundamentum. Primum posuit Vngarelus *in notis ad Angelum*, quem deserit dicens *in hoc non esse Angelum tutum neque sequendum.* Quare ex S. Bonaventura *in 2. dist. 7. art. 3. quest. ultim.* concludit, quod ille, qui petit à malefico vt maleficium maleficio euertat peccat in Ecclesiam, quia habet commercium cum Diabolo, qui est omnino præcisus, & Ecclesiæ aduersarius immutabiliter obstinatus, in eius damnum peccat etiam in maiestatem diuinam, dum recurrit ad Diabolum quasi non sit omnipotens, & sufficiens Deus Christianorum, vnde ad pacta Dæmonū recurrere, & eorum ministeriū Deo vero magna inferitur iniuria & offensa, quod enim nõ recurratur immediate ad Dæmonem, sed ad sagas, & maleficos nihil confert, vt excusetur offensa, quia istæ sollicitantur vt ad Dæmonem recurrant, quod est intrinsece malum, & quia malum prohibitum lege diuina, & humana. Hinc ortum duxit dictum illud celebre Augustin. *relatum cap. qui sine Salvatore 22. quest. 2.* quod omnis curatio, quæ à diuinis vel magis, vel ab ipsis dæmoniis in idolorum cultura expetitur mors potius dicenda est quam vita, & quia ea sectantur si se non correxerint ad æternam perditionem tendunt, quod eleganter, vt assolet D. Ioannes Chrysoft. *homil. 3. Thessalonicensis*, vbi illum, qui maleficio, & incantationibus sanari non vult, *corona martyrii redimitum dicit.*

Secundum fundamentum huius veritatis est à priori, quod posuit D. Caiet. *in Summa verbo veneficium numer. 3.* his verbis. † *Soluere maleficium alio maleficio, est secundum se prauum, & nulla potest intentione bene fieri, & similiter inducere maleficium paratum ad maleficia perpetranda ad soluendum maleficium alio maleficio est peccatum mortale, quid nulla ratione licitum est inducere hominem quantumcumque paratum ad offendendum Deum. Neque habet locum in proposito distinctio inter inducere ad peccandum, & vt iniquitate alterius parati ad peccandum, vt distinguitur in vsura, & iuramento Infidelium. Quoniam illa distinctio non habet locum, nisi in illis, in quibus actio petita potest ab alio parato fieri*

feri sine peccato, si vult, & ex iniquitate sua prouenit, quod apponat ipse peccatum, tunc enim petens petit opus bonum, sed quia ille à quo petitur non vult nisi cum peccato efficere, ideo petens vititur iniquitate, parati, & non cōmunicat peccato illius, verbi gratia, petens vsurā ab usurario petit opus bonum, scilicet mutuum, quod usurarius si vellet posset sine peccato concedere, & similiter petens iuramentum ab infideli petit opus religionis sanctum, scilicet iurare, quod idololatra potest si vult sine peccato concedere recognoscendo verum Deum & per illum iurando. In proposito autem petitur à malefico, ut soluat maleficium, quod ille non potest etiam si vult prestare sine peccato, & propterea conuincitur, quod petit peccatum & inducit paratum ad peccandum. Digni autem sunt morte, inquit Apostolus non solum, qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. Hæc ibi.

Quam doctrinam altius repetiit tom. 1. opuscul. tractat. 31. respons. 14. ad Magistrum Conradum in dubio 3. quod erat an circa id quod dixerat 2. 2. quæst. 78. articul. 4. videntem malitia alterius semper petere debere aliquid absque peccato præstabile, & respondet solidissimum esse iactum fundamentum, scilicet nunquam licitum esse petere peccatum & implicare contradictoria petere peccatum & non agere in præiudicium salutis, quoniam ipsum petere peccatum est, peccatum, quod ex eo patet, quia quidquid licet petere, licet appetere, cum petere actus humanus sit ab appetitu rationali, qui voluntas est procedens, sed constat, quod non licet appetere peccatum alterius, quantumcumque parati, scriptum est enim de charitate, quod non gaudet super iniquitate, ergo non licet petere peccatum alterius quantumcumque parati. Augustin. autem, ut patet in epist. ad Publicolam non dicit Barbari iuramentum si velit iurare per unum Deum non esse admittendum, sed utentem fide Barbari firmato iuramento per falsos Deos non communicare peccato illius, quo per falsos Deos iurat, sed fidei, id est fidelitati, qua dicta sunt, unde petens iuramentum ab idololatra petit opus sanctum, quod ille si vult potest absque peccato prestare, & infra, falsum supponitur, dicendo, quod si vellet Barbarus iurare per verum Deum iuramentum non admitteretur, nisi forte obiiicientes referant hoc ad irrissoriam iurationem, quasi idololatra non ut iuramento, sed ut vana & superstitiosa iurandi adinventionem illo uteretur iuramento per Iesum Christum, iuxta hunc enim sensum factor, quod non admitteretur, non ex defectu Christianorum, sed ex defectu idololatrarum exhibentium hoc non ut iuramentum, sed ex ista refutatione, si accideret non sequitur, ergo petendum esset, ut iurarent per falsos Deos,

Tom. II.

sed, ergo petendum esset, ut iurarent & non irriderent veram fidem, & tunc ut prius dicebatur non petitur, nisi iuramentum quamuis sciatur, quod iurans iniquitatem apponat iurando per falsos Deos. Hæc ibi, quibus mirabile Caiet. ingenium rem radicatus enucleauit, & à suis primis principiis induxit, ex quibus liquido constat solutio primi argumenti oppositi, ad confirmationem etiam constat, quod licet dum maleficum expositum & venalem ad maleficium maleficio euertendum non scandalizem, dum illum induco ad hoc peccatum, sicut de meretrice exposita dum consensum ad meretricandum exposco dicebam, tamen non ob hoc excusor ab alio peccato contra Religionem, sicut in exemplo de meretrice non excusor à peccato mortali, contra temperantiam habens malitiam simplicis fornicationis.

Dico secundo † licitum est, malefico qui maleficium fecit ex quo sequitur magnum damnum, vel reipublicæ, vel alicui personæ particulari, consilium dare, ut illud dissoluat & euertat, etiam si dicat quod nequit id facere, nisi nouo pacto & inuocatione dæmonis, imo ad illam quatenus minus malum inducere. Hoc non expresse runt scriptores, quos ego viderim, tamen manifestè colligitur ex illo principio morali, quod supra probaui, quod est ab omnibus receptum, quod ad vitandum maius malum ad quod quis est paratus facere, potest quis faciens Angelicum opus (ut aiebat Caiet.) consulere minus malum non quatenus est totum hoc complexum minus malum, ita ut consensus in vtrumque feratur, sed quatenus est impeditium maioris mali; cumque maleficus per prius maleficium actu conferuet malitiam & ingens damnum, quod euertere potest & non continuare si dæmonem inuocet, ut tollat, & aliter nolit dissoluere; imo possibile est quod ex vi pacti aliter non possit dissoluere, ergo licet consiliare minus malum, ut à maiori desistat, sicut si quis habet concubinam vxoratum, quam, quia luxuriosus non deserit, possum consulere, ut solutam accipiat si vult suæ libidini satisfacere. Hanc conclusionem probant omnia ea, quæ in secundo fundamento adduxi.

Neque ex hoc sequitur † quod liceat à malefico etiam exposito & parato petere, ut maleficium maleficio tollat absolute loquendo, quia hoc esset peccatum petere, ut egregiè aiebat D. Caiet. sicut etiam pro salute totius mundi non licet petere ab aliquo, quod fornicetur, quamuis liceat conciliari, ut fornicetur, tanquam minus malum,

ff 2

malum;

malum, quo impeditur maius, quare hæc consiliatio primario tendit ad vitationem maioris mali, quod petit vitare, & petitio ad hoc tendit non ad fornicationem, ita dum concilio, quod minoris maleficio maius tollatur, non peto minus maleficium, sed vt maleficus, qui maleficium fecit, & conseruat ab illo desistat, & ad hoc tendit petitio hæc, quæ habet per se obiectum honestum, quod respicit minus maleficium, non quatenus maleficium, sed quatenus minus, medio quo desistitur à maiori. Vnde alteri malefico, qui maleficium non fecit & conseruat non possum consiliare, quod maleficio minori maleficium euertat maius, quia iste non est determinatus ad faciendum maius damnum, & peccatum. Vnde si illi concilio, quod maleficium maleficio tollat, ab illo peccatum peto, quod non licet, quia *non sunt facienda mala, vt eueniant bona*, nec minora mala, vt vitentur maiora, quum enim alicui qui determinatus est, ad faciendum maius peccatum, consilium do de minori nolo minus malum, vt vitetur maius, sed volo vitationem maioris & ad hoc consequendum propono alteri minus malum, ad quod propositione sua induco, quatenus ex illo vitari potest maius ab eo qui patraturus est illud, si verò à malefico qui non fecit maleficium peto, vt maleficium maleficio soluat, id ad quod induco semper est respectu mei consilij malum, cum non habeam motium, quod iste vitet in se maius peccatum. Hæc dixerim deducendo ex principio illo, quod licet conciliari minus malum ad vitandum maius, quia tamen hanc illationem apud aliquem non viderim eam subiicio Sacro Tribunali & Ecclesiæ iudicio, si enim consona non est sanæ doctrinæ illam abiicio, & reprobo, quia nolo nouitatem in re tam graui introducere.

27 Ex dictis infertur. Primò, † qualiter sint intelligendæ ciuiles leges, *leg. eorum. 4. Cod. de Maleficiis & Mathem.* vbi Imperator Constantinus & *leg. 3. titul. 23. part. 7. Nostri Catholici Reges immunes faciunt Maleficos, qui innocenter*, adhibent remedia humanis corporibus, aut agrestibus locis suffragia innocenter, explicat lex nostra *los que hicieren encantamentos con intencion buena, asi como de sacar Demonios de los cuerpos de los homes, ò para des ligar los que fueren marido è muger, ò para descatar nube que hecha granizo porque no corrompalos frutos, ò para otra raçon probechosa semejante a estas ni debe auer pena, antes decimos que debe auer galardón por ello.*

28 Múltiplex adhibetur his legibus inter-

pretamentum & moderamen, & primum posuit Torreblanca in *Epitome de Magia libro 2. cap. 50. numer. 29. & 30.* & Emanuel de la Zerda *libr. de pulueribus Mediolanens.* lingua Lusit. scriptus *part. 2. cap. 1. fol. 80.* adfirmant has leges ortas fuisse ex ignorantia, ex qua legislatores errarunt ignoranter iudicantes licere maleficia & Dæmonum inuocationes, quum fiebant ob bonum finem publicum, cum certi iuris diuini & naturalis sit huiusmodi pacta & incantationes, siue explicitè, siue implicitè esse malas, vt tradunt Thomas Sanchez *lib. 2. Summ. capit. 42. numer. 5.* Maiolus *tom. 1. dierum colloquio. 3.* Fagundez *tom. 1. in Decalogum libr. 1. capit. 41.* Delrius *lib. disquisit. capit. 1. section. 2. quest. 4.* Arist. *tractat. de superstitio. numer. 70. & 71.* Ciruelo *libr. 3. capit. 6.* Bonacina in *Decalog. disput. 3. quæstion. 5. punct. 5.* Lessius *libro 2. cap. 44. numer. 25.* Suarez de *Relig. tom. 1. libr. 2. cap. 18.* Syluius 2. 2. *quest. 95.* D. Caiet. ibi. Raphael de la Torre *disp. 1. circa artic. 5.* Verum enim vero, etsi hoc, quod dicit Torreblanca certissimum sit, tamen dicere, quod Principes Religiosi hoc principium in moribus certum ignorasse omnino est incredibile, & ita illis non parua iniuria infertur, dum de ignorantia in re notissima notantur, quæ de Principibus & Legislatoribus vir præsumi debet, dum leges quas maturo consilio & deliberatione faciunt, in publicum edunt, maximè ignorantia iuris naturæ, & diuini.

Quare secundum moderamen ponunt Bartholus, Saluctius, Binifledus *ad leg. eorum 4. citat.* Gregorius Lopez *ad leg. 3. citat.* & Azeuedo *leg. 5. numer. 13. titul. 1. lib. 8. recopilat.* Sanchez de *Matrim. lib. 7. disp. 95. num. 2.* Suarez *ubi supra cap. 19. numer. 14.* dicunt, quod † licet hoc incantamentum & inuocatio Dæmonis sit peccatum contra ius diuinum, & naturale, tamen ob bonum publicum, tunc permittebantur ad vitanda damna, quare impune lege ciuili huiusmodi malefici permittebantur, quia ex eorum peccato damnum publicum vitabatur, sicut permittebatur olim lupanar ad vitandam sodomiam, hæc est valdè probabilis interpretatio & honorifica legislatoribus, qui vbi non interueniebat dampni publici vitatio, etiamsi aliàs interueniret aliquali tempore commodum vsus istæ magiæ maleficæ, non permittebatur, sed huiusmodi incantationes prohibebantur, *lege vnic. Cod. de Theauris libr. 10.* & notat Farinacius de *hereticor. quæstion. 181. §. 1. n. 11.* & sortilegia etiam pro rebus Ecclesiæ inueniendis, *cap. 2. de sortileg.* & hodie post



post erectum sanctissimum Fidei Tribunal, quod omnes de hæresi suspectos iustissimè punit, impunè non permittuntur huiusmodi malefici, qui quodcumque damnum publicum dæmonis inuocatione, ex pacto implicito siue explicito, aut quacunque societate, commercio, aut amicitia impediunt, etiamsi sit Regis salus, & totius Regni liberatio, quodcumque enim pactum, amicitia, societas & commercium cum dæmone nobis inhibita est iure diuino & naturali *Leuit. 19. num. 8. lib. 4. Reg. cap. 1. num. 10. & Paralip. 2. cap. 20. num. 18.* in quibus locis egregiè, vt assolet † Abulensis, quare hæc omnia suspiciones causant in fide, vt latè probaui *tom. 1. moral. tractat. de delictis gener. suspect. in fide.* Quare egregiè Ciruelo *lib. 3. cap. 8. & 9.* dicit & probat quod huiusmodi coniuratores tam dæmonum, vt egrediantur à corporibus, quam nubium, & tempestatum nullatenus debent permitti, nedum salarium dare, à iudicibus, tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus, etsi permittunt mortaliter peccant, legatur doctus & pius vir, qui summa sinceritate veritatem enucleat & proponit.

31 Hæc interpretatio si alia non subesset admittenda est, tamen mihi alia genuina & legibus ipsis germanior occurrit, quod videlicet tam Imperator Constantinus, quam Reges Hispani loquantur de illis hominibus, qui per incantationes licitas, & liberas à dæmonis inuocatione, & pacto aliquo, etsi implicito, illa quæ referunt leges, operantur, quod colligo ex ipsis legibus, nam Imperator dicit *nullis criminatibus implicanda sunt remedia humanis quaesita corporibus, aut in agrestibus locis innocenter adhibita suffragia & Reges nostri. Losque hicierem encantamentos con intencion buena,* at dum quis ex pacto cum dæmone, aut eius inuocatione implicita, vel explicita aliquid operatur, neque *innocenter*, neque *con intencion buena*, id faciunt, possunt enim hi dæmones aliquos ensalmos inuocatiuos habere ad id perficiendum, quos ensalmos licitos esse ex genere suo latè cum multis & grauibus Authoribus probaui *tom. 1. moral. tractat. 5. resolut. 44. à num. 546.* & hos ensalmos lex encantamentos dicit factos *con intencion buena*, incantatio enim aliquando in bonam partem sumitur excludens omne dæmonis pactum, argumento *manifesto, ex leg. qui venenum 236. D. de verbor. significat.* vbi Paulus Iurisconsultus ait, *qui venenum dicit adiciere debet vtrum malum, an bonum; quod monet Homerus dicens.*

32 *Venena multa quidem bona mixta, multa autem mala.* Vnde Gotifredus ibi litter. D.

Tom. II.

*veneni appellatio media est*, sic enim incantationis appellatio *media est*, sicut & ensalmi inuocatiui. Legatur Lorinus in *Psal. 57. vers. 6.* ad illa verba, *quæ non audiet vocem incantantium & venefici incantantis sapienter*, & tam Imperator Constantinus, quam Reges nostri incantationes, *encantamentos* sumunt in bonam partem, & has approbant non dæmoniacas, eas tamen examinare diligenter oportet, ne diabolus se ingerat, vt de saluatoribus & ensalmatoribus dixi *tom. 2. tract. 5. resol. 44. citat.*

Infertur secundo, qua ratione vera sit 33 doctrina Thomæ Sanchez, Dicastilli & aliorum scriptorum è societate asserentium, quod si maleficus non vult soluere malefium, quod modo licito potest soluere, nisi per aliud malefium possum acceptare, nec mihi tribuetur culpa, vt potè qui minimè cooperor peccato malefici, sed vtor vt propriæ saluti conferam, sicut petens mutuam ab vsurario, & iuramentum ab infideli accepta conditione dandi sub vsuris, & iurandi per idola, nec apparet, cooperatio aliqua, sed solum vsus peccati alterius, qui culpa sua prauè facit. Sed Magister Raphaël de la Torre 2. 2. *tom. 2. quest. 95. artic. 4. disputat. 2. §. superest respondere*, dicit quod huiusmodi † acceptatio, quæ sit actus voluntatis maleficiati, est omnino illicita, quia habet pro obiecto actum inuocatorium dæmonis tanquam amici, & familiaris, quod est iure naturæ malum, si tamen maleficiatus nihil approbans, sed tacens videat malefium accingi ad magicam artem exercendam pro sanitate restituenda, & non resistat, sed sanitate restituta, de ea gaudeat, si eius conseruatio non pendeat à pacto aliquo non peccat peccato superstitionis, secus vero peccabit, si ex officio tenetur impedire, semper tamen tenebitur malefium denunciare sancto Officio, neque nisi denunciaret poterit absolui iuxta regulas generales in materia denunciationis ad sacrum Tribunal.

Sed existimo hos modos dicendi opposi- 35 tos non esse, nam primus separat ab acceptationis obiecto malitiam superstitionis, quia non fertur directè, & per se ad sanitatem quatenus à maleficio dependet, quia hæc dependentia est ex malitia malefici, qua supposita illa vitur maleficiatus in vilitatem suam, quæ non pendet per se ab actione malefica, sicut constat dum quis acceptat mutuam ab vsurario sub conditione dandi vsuras, quæ est conditio iniqua tenens ex parte vsurarij, at secundus modus, qui tutior est considerat, quod acceptatio respiciat per se salutem maleficiati,

vt hic & nunc dependet ab actione malefica, & in hoc sensu verum dicit, & re vera valdè difficile est moraliter loquendo, quamuis nõ acceptet actionem maleficam, quam hic & nunc, etsi ex malitia malefici scit esse medium ad salutem consequendam, quãuis enim ista possit consequi sine actione magica, tamen hic & nunc per istam consequitur, quare illam actionem maleficam vult, nisi dicas quod illam vult tanquam minus malum ad vitandum maius, vt supra dicebam, hæc etiam secunda sententia conformior est D. Tho. q. 13. de malo art. 4. ad 17.

36 Infertur tertio, quid sentiendum † an si maleficus sciat media licita & illicita ad tollendum maleficium factum, liceat absolute petere ab illo, vt tollat maleficium, etiam si mihi certo moraliter cõstet, quod illud dissoluet medio illicito, & dæmonis inuocatione, adfirmant Doctores societatis communter *ubi supra*, Lessius *lib. 2. de iustitia cap. 44. n. 35.* Sanch. *disp. 95. cit. n. 11.* Suar. *tom. 1. de relig. lib. 2. de superstis. c. 18. n. 9.* Henriq. *lib. 12. de matr. c. 8. n. 3.* Fagund. *ubi sup. c. 42. n. 10.* & ex familia Dominici Ledesmae *de matr. cap. 58. dub. 2. ar. 3.* Raphaël de la Torre *2. 2. q. 95. art. 4. disp. 2. concl. 5.* Delrius vero media via incedit *lib. 6. disq. c. 2. sect. 1. q. 2.* dicit enim sententiam Caiet. eiusque cautionem prorsus necessariam esse, quum solutio maleficij petitur ab eo malefico, qui maleficium non intulit, vix enim sine peccato (ait) talis potest maleficium auferre, secus vero si quis ab ipso, qui nocuit, medelam petat, tunc enim necessarium non est addere illam protestationem, quod licito modo, quo scit soluat, sed sufficit absolute petere, vt nocere desinat, quia res quæ petitur iusta & honesta est, nempe non nocere proximo, & potest, & tenetur maleficus id licito modo facere, nempe per medium aliquod naturale (si nouit) vel per signi destructionem. Huius sententiæ fundamentum est, quia existenti in necessitate nummorum licet petere mutuũ ab usurario, quem certo scit non daturum nisi sub usuris & peccado, & similiter licet à Barbaro idololatra petere absolute, vt iuret pacta, quem tamen certo scit iuraturum per falsos Deos, ergo licet petere à mago, vt soluat maleficium, quod potest prestare medio licito, quamuis sciam illud soluturũ per medium magicum, & superstitiosum, non enim teneor vitare peccatum sagæ, & malefici nisi ex charitate, cuius præceptum non obligat cum tanto patientis maleficium detrimento, quod latè probaui *tom. 1. moral. tract. 1. de occasione proxima.*

38 Sed dominus Caiet. *tom. 2. opusc. 12.* aliter sentit valdè profunde, sic, *quamuis liceat debita prudentia adhibita ire ad maleficum & rogare, vt factũ maleficiũ destruat simplici dis-*

*solutione, non tamen licet ire ad eum petendo, vt alio maleficio, aut inuocatione demonum primũ destruat Nec enim licet absolute ire ad maleficum, & absolute petere, vt succurrat maleficiato. Tum quia malefici opus, vt sic petitur, quum absolute petitur, sicut cum quilibet alius artifex exposcitur, tum quia particulare opus necesse est petere, & non vage relinquere arbitrio viri diabolici petitionem propriam.*

Hanc sententiam verissimam puto, pro- 39  
batur ex manifesto discrimine inter maleficum ex vna, & mutuante & iurante. ex alia parte, actio enim mutuantis & iurantis ex obiecto suo est honesta, & religiosa absolute & secundum se, quare illam absolute petere licet, etiam si certissime etiã mutuũ non dandum sine vsuris & iuramentũ non faciendum nisi per falsos Deos, at opus malefici, vt maleficũ est absolute malum, & malefica ars ex natura rei illicita, quare qui absolute petit à malefico, quod maleficium soluat, quod potest soluere, & licite vt homo & illicitè, vt maleficus, si certo sciat, quod illicitè est soluturus dum absolute petit, petit absolute opus malefici, vt malefici, quod nullatenus licet, quia opus malefici vt malefici est intrinsecè malum, sicut opus vsurarij, vt vsurarius est. Dices etiam ablatio & destructio maleficij est secundum se licita, quæ potest fieri & licite & illicitè, ergo absolute potest exigi à malefico, etiam si sciam ab illo faciendam illicitè: responderetur, quod dũ fit à malefico, vt maleficus est non est absolute bona, sed mala, quare non licet petere absolute à malefico, quem certo scio vsurum maleficio, vt maleficium soluat, quia peto opus artis suæ, quod est absolute illicitum, nisi ipsum admoneam me nolle, quod soluat maleficiũ, nisi per medium licitum, qua admonitione declaro me ipsum non adire tanquam ad maleficum, sed tanquam ad hominẽ scientem remedium licitum consequendæ sanitatis, quod si nõ fiat hæc admonitio accedo ad maleficum, vt maleficus est, & ita ab illo peto opus illius proprium, scilicet ablationem maleficij per dæmonis inuocationẽ, at dum absolute peto mutuũ ab eo quem scio non daturum sine usura peto actionem secundũ se licitã scilicet mutuacionem, vnde accedo ad ipsum, vt mutuante, non vt vsurarium, qui per accidens fit malitia sua vsurarius, quare si mutuans nolit dare pecuniam nisi sub usuris, ego illi non tribuo materiam peccandi, sed eam sibi assumit, ex malitia sua, & ego succurro necessitati meæ, quia accedo ad ipsum, vt mutuante non vt vsurarium, & illius proprius actus honestus est, & iustus, ipsum vt hominẽ ratione naturali ductum respicio, non vt sua malitia deturpatum, quare ab illo possum

possum mutuum petere, at dum accedo ad maleficum, & ipsius adiutorium, peto absolute, vt soluat à maleficio sciens, quod vsurus est Dæmonis inuocatione, ad illius solutionem, iam ipsum, vt maleficum  
40 considero, sicut S. Thom. dicit † *quest. 13. de malo art. 4. ad 18.* qui concedit pecuniam suam scienter, ei de quo credit, quod vtetur ea ad usurarium lucrum, quod alias exercere non posset, absque dubio peccaret tanquam consentiens in peccatum. hæc S. Doct. ergo qui scienter, quod maleficus maleficium inuocatione Dæmonis tollet, etsi posset licite tollere, & ab ipso absolute petit, vt tollat absque dubio peccat, quia consentit eius inuocationi illam tacite approbans, & virtualiter intendens, & sic peccat contra Religionem, ac maleficus ipse, sciens enim præbet antecedenter materiam voluntariam arti maleficæ, cuius exercitium virtualiter exposcitur.

DIGRESSIO II.

*Virum liceat tollere signa maleficij à malefico fabricata.*

S V M M A R I V M.

1. An signa maleficij à malefico fabricata tollere liceat.
2. Francisci Syluij sensus adducitur.
3. Duo sunt signa diabolica quibus homines magica operatione affliguntur, & numero 4.

**R**AVISSIMA est præsens difficultas & à paucis, vt par est discussa, quia à paucis vt suspicor comprehensa, præterquã à DD. Illustrissimæ Vniuersitatis Duacænæ in qua Doctissimi viri existerent Doctori Angelico valde affecti eiusque Doctrinæ accerimi defensores. Vt autem huius difficultatis sensus omnibus manifestus fiat, & punctum in quo sita, & excitata est dignoscatur: aduertere fas est, omnibus Catholicis certum esse † licere, ex omni latere, signa quæcunque malefica auertere, & destruere in odium, & detestationem artis diabolicæ pacti, societatis, & inuocationis dæmonum, non secus ac licet euertere, & destruere aras & templa idolorum, illisque dicata, hæc enim euersio valde est Deo grata, & meritoria, euertere enim materiam cultus, & venerationis alicuius inimici Dei, qualis est Dæmon, dubioprocul honestum, & religiosum est. Quare Doctissimus Franciscus, Syluius Insignis Duacensis Doctor. 2. 2. q. 69.

*art. 4.* sic sensum huius quæstionis proponit enucleatum † *an ei qui nouit ubi sit huiusmodi signum, siue sit ipse maleficus qui illud posuit, siue is, qui affligitur siue quispiam alius, liceat illud tollere, vel destruere sub spe vel expectatione seu desiderio cessationis nocuenti.*

Sed vt clarius in hoc sensu ventilando & certa ab incertis separemus notare maxime opus est, † duo esse signa diabolica quibus homines Magica operatione affliguntur. Primum, quod naturaliter valet ad nocendum, vt sunt venena, quæ maleficus alicui in cibo, vel in potu, aut in vnguento dederit, vel cuiquam instillare curauerit, aut in puteo, vnde familia haurit aquam iniecerit, vel pecorum alimentis, siue in prato, siue in præsepio strauerit. Secundum, signum dicitur tale, quod per se non est venenosum, neque noxium hominibus, aut animalibus, eorumve rebus. Quamuis dum illud est alicubi positum detrimenta & damna sequantur Dæmone propter pactum cum malefico  
4 initum inferente rebus, & hominibus, de quibus inter Dæmonem & maleficum facta est conuentio. Igitur dubium procedit non de signis quæ naturalem vim habent ad dænum inferendum, hæc enim destitui possunt etiam spe, & desiderio, vt damnum cesset, sicut possum auertere ignem desiderio ne vrar ab eius efficacia, dummodo non fiat inuocatio Dæmonis adiutorium. Quare super est difficultas de signo nudo, hoc est de signo, quod solum infert damnum ex Dæmonis pacto, siue implicito, siue explicito.

S E C T I O I.

*Sententia Delrij, Suarez, Sanchez, Lessij & plurium Doctorum Societatis enucleata.*

S V M M A R I V M.

1. Ex quo signi diabolici amotio sub spe & expectatione cessationis maleficij effectus sit illicita.
2. An liceat maleficos de medio tollere ea spe ne hominibus amplius noceant.
3. An Exorcista iubeat dæmonem dicere, an detineatur in corpore ob aliquam operationem magicam, aut malefica signa.

**M**artinus Delrio l. 6. *disquisit. c. 2. sect. 1.* q. 3. §. 2. & Leonardus Lessius lib. 2. *de iustitia cap. 44. dub. 6.* Primi fuere, qui hanc ventilantur quæstionem interrogati, quid in ea sentirent, & sensum suum aperientes affirmatiuam partem sunt amplexi, quos sequuti sunt fere omnes suæ familiæ scriptores, Suarez tom. 1. *de Relig. lib. 2. cap. 17. à n. 9.*

Sanchez lib. 7. de Matr. disp. 69. à num. 3. vbi plures ex Antiquis citat, sequutus in hoc Delrium de quorum vera intelligentia infra edisseram Fagundez lib. 1. in 1. Decalog. c. 43. cit. D. Caiet. tom. 2. opuscul. 12. Syluester verbo Maleficium n. 2. Castro de iusta hæretic. punit. c. 15. Sotus in 4. dist. 34. quæst. vnic. art. 3. Bannez 2. 2. q. 78. art. 4. dub. 2. ad 4. Lop. 2. p. instruct. c. 5 2. de Matrim. vers. concluditur ergo. Ioannes Nider eam amplectitur lib. 5. formicarij cap. 3.

Hoc placitum multis confirmant. Primò, quia † non videtur ex quo capite hæc signi diabolici amotio sub spe & expectatione cessationis maleficij effectus, sit illicita, vel assignetur, hunc discursum latissimè extendit Delrius in tertia sua opinionis probatione. Secundò, quia si scio posito veneno aliquo naturali, locum esse noxium, licet mihi ab illo declinare, vt effugiam noxam, ergo licebit mihi venenum illud ab illo loco tollere, ne quem amplius lædat, igitur similiter si scio sub limine positum maleficium, vt quicumque limen illud culcauerit moriatur licebit mihi per aliam domus portam egredi, & limen vitare, ergo licebit mihi quoque maleficium illud sub limine positum amouere.

Tertiò, † licet maleficos de medio tollere ea spe, & desiderio ne hominibus amplius noceant per Diabolum, cuius sunt viua instrumenta, licet ergo signa maleficorum tollere, ne per Diabolum illa amplius noceant, cuius sunt multa & ficticia instrumenta moralia, sicut enim tubæ, tympana, vexilla in bello sunt quædam moralia instrumenta militiæ, sic huiusmodi signa sunt quædam, quasi nequitia & malitia Diabolica non operantia, sed eam ad operandum excitantia. Huic argumento (ait Delrius,) nondum responsum est ab his qui contrarium sentiunt.

Quartò, quia ab antiquo Ecclesiæ ritu quem renouauit Paul. V. in suo Rituali præscribitur & ordinatur, vt † exorcista iubeat Dæmonem dicere, an detineatur in corpore ob aliquam operationem magicam, aut malefica signa, vel instrumenta, quæ si obsessus ore sumpserit euomat, vel si alibi extra corpus fuerint, reuelet, & inuenta comburantur, id quod tradunt Zammarinus in Thefauro Sacerdotali p. 1. tit. de exorcismo cap. 2. de maleficiis. & est res indubitata ex praxi Ecclesiæ.

Quintò, quia si non liceret tollere ea signa, maleficus volens resipiscere, erit perplexus, quia licet nequit tollere, rursus nequit licet ea relinquere, quia esset causa damni, quod cogetur restituere.

## S E C T I O II.

Antiquorum, statera Religiosa, ponderatur Auctoritas.

## S V M M A R I V M.

1. Vtrum in dissoluendis maleficiis licitum sit, vel tolerabile retundere vana vanis, idest aliquibus de se non illicitis, & numero 2.
3. Authoris iudicium assertur, & n. 27.
4. An obseruare somnia habendo illis fidem tanquam certis signis futuri euentus sit illicitum.
5. An non sit licitum habere pactum tacitum & implicitum cum dæmone.
6. Quando nam pactum implicitum interueniat, & n. 7.
8. Vti pacto cum dæmone est profiteri se indigentem dæmone ex Caiet.
9. Thoma Sanchez opinio assertur, & numero 22.
10. In quo sita sit malitia pacti cum dæmone, siue explicitè, siue implicitè, & numero 11.
12. An in homine non possit distingui duplex genus voluntariorum.
13. Omnis dæmonis inuocatio, vt aliquid faciat, siue bonum, siue malum est per se illicita, ex S. Doct.
14. August. sensus adducitur, & n. 15.
16. An destructio maleficij in se bona esse possit.
17. An licitum sit verbo petere à diabolo, vt desinat nocere, modo id non petatur deprecando, & n. 18.
19. D. Caietani mens adducitur, & n. 20. 21. & 26.
23. An licitum sit rumpere, soluere, euertere signum magicum ea intentione, quod maleficium cessabit ex vi talis destructionis.
24. An liceat tollere maleficium intentione curandi infirmum maleficiatum.
25. An spe curationis infirmi possit destrui maleficium.
28. Aubulensis sententia adducitur.

Gloriatur Delrius pro se habere Antiquorum agmen in re tam graui, vt exinde inferat, quæ retuli argumento 6. sed ipsi oppono Doctissimum Ioannem Nider. in formicario lib. 5. cap. 3. vbi dicit agens de hac questione. Antiqui negant, Moderni concedunt, quare Antiqui Scriptores Theologi, nec per somnum id quod intendit Delrius affirmarunt, & ipse in hoc illusor est, vt constabit.

Vt tamen hoc luce clarius constet iterum enucleandus est huius grauissimæ controuersiæ

uerſa ſeſus, & cardo in quo vertitur. Quod præſtitit Doctiſſimus vir Sylueſter Prieras  
 1 verb. Maleficium queſt. 9. vbi ſic. † *Vtrum in diſſoluendis maleficiis licitum ſit vel tolerabile retundere vana vanis ideſt aliquibus de ſe non illicitis, vt dicit Hoſtiens. in cap. littera veſtra §. mulier de frig. & malef. & pro ſolutione queſtionis declaro, quum ſit illicitum credere maleficiis, & dico hoc non eſſe quaſi ſit illicitum credere, quod malefico faciente opera ſua ſequatur aliquis effectus puta ſanitatſ, quia hoc aliquando eſt verum ad ſenſum, ſed peccatum eſt credere, quod effectus qui videntur ſint à malefico virtute verborum ſuorum aut eorum qua facit, ſi talia ſunt qua de ſui natura, non ſint nata ſic efficiere, quia talia ſunt à Diabolo mediante aliquo pacto cum malefico, & iſta eſt mens Henrici de Gandauo quolibet. 5. art. 33. Scoti ( in 4. diſt. 34. ) & patet idem 26. q. 5. cap. nec mirum iungendo ſinem principio. q. 2. cap. illud.*

Ad queſtionem igitur dico, quod illud dictum habet veritatem. Primo quum quis fecerit illa vana ideſt indifferentia, at de ſe non illicita credens, aut volens experiri, an per talia ſoluantur maleficium non per operationem Diaboli, ſed per eius ceſſationem ab operando, vt pote qui habebat pactum cum malefico, vt à vexando deſiſteret, ſi fieret tale quid ablatiuum ſigni prioris, talia enim aliquando Diabolus aliquibus reuelat, & deinde veniunt in notitiam hominum.  
 2 Secundo qui talia facit neſciens eſſe illicita, & peccata quia tunc tolerari poteſt, quaſi non mortaliter peccans, & credo iſtam fuiſſe mentem Hoſtiens. eſt tamen falſum illud dictum ſi quis talia indifferentia exerceat ſuperſtitioſe quaſi credens talibus eo modo quo, & aliis incantationibus, quia omnia remedia vana non naturalia ſunt illicita, & pernitioſa 26. queſt. 2. cap. illud, & multo magis eſt falſum ſi quis credat quidem talia vana eſſe vana, ſed tamen ad exercitium talium Diabolum cooperari ad ſolutionem maleficij.

Hæc Sylueſtri Catholica doctrina nobis explanat ſecurum iter, per quod ſine periculo declinandi à veritate poſſimus incedere.  
 3 Itaque nullus dubitare iure poteſt, † quod quis ad ſumendum experimentum an Dæmon ceſſet à damno, quod infert maleficiato, ſicut multoties ceſſauit, frangat & euertat maleficium, nullam fidem dans Dæmonum ſignis, & ſacramentis ab ipſis in perniciem hominum fabricatis imo ea abiurans, & vt ex ſua inſtitutione inefficacia reddens, imo etiam ſi hoc modo alia vana redactiuert, vt priora non nocere experiat, ſic enim Diu. Caiet. aliquando dicit ſe feciſſe experientiam de annuli motione renuntians cuiunque pacto, & inuocationi, quare ſi quis talia vana faciat, quæ alias ſciat à Diabolo eſſe reuelata, vt ſi fiant, priora euaneſcant, quod ſæpe contigiſſe ad ſenſum patet, iſte

talis non mortaliter peccat, quia non operatur vt viuum Diaboli inſtrumentum, cuius ſacramentis fidem non adhibet credens, hoc ita futurum, quia Diabolus inſtituit, ſed volens experiri effectum qui alias expertus eſt, ſic enim dixi tom. 1. Moral. tract. 5. Resol. 56. n. 1171. cum Caietano, & multis aliis quos ibi dedi, quod † obſeruare omnia habendo 4 illis fidem tanquam certis ſignis futuri euentus eſt illicitum, & ſuperſtitioſum mortale crimen, at illa obſeruare ob experimentum quod fere ſemper habet timens malum effectum aut gaudens de bono, quem eſt ſæpe expertus, non eſt mortale crimen ſed ad ſummum veniale, quam doctrinam ibi accuratius extricavi.

Igitur cardo noſtræ controuerſiæ vertitur in vanitate ſignorum poſitorum ex vi pacti Dæmonis ad nocendum, an ſi quis credens, & certo ſciens ( quod tanquam Catholicus tenetur ſcire ) vana eſſe, & ex ſe nullius efficaciam ſue & poſita noceant, ſiue ablata deſinant nocere, an poſſit ea euertere, & deſtruere cum certa expectatione, quod deſtructis, Dæmon ceſſauit nocere. Et in hoc ſenſu ad firmo firmiter nullum antiquorum docuiſſe licitum hoc fore. Quia nullus antiquorum dixit † licitum eſſe habere 5 pactum tacitum, & implicitum cum Dæmone, atqui rumpens, aut euertens maleficium ea ſpe, expectatione, & certa credulitate, quod ruptis iſtis ſignis Dæmon ceſſabit à maleficio moraliter cooperans ad eius ſolutionem habet pactum implicitum cum illo, virtuale commercium, ſocietatem, & amicitiam, ergo maior cum ſit de fide eius oppoſita edoceri nequit ab aliquo Doctore Catholico, minor manifeſte oſtenditur ſequentibus doctrinis inter Chriſtianos Catholicos certis, & indubitatis, quas deduco ex Aug. & vtroque Thoma cæteriſque Scholaſticis.

Prima eſt, quia † pactum implicitum tunc 6 interuenit, quum quis mediis, quæ nõ ſunt efficaciam, vel ex natura ſua vel ex diuina inſtitutione, aut Eccleſiæ ritu, & ordinatione, quare ſunt vana, & ad effectum inducendū euania, & inefficacia, eo enim ipſo Dæmonem inuocat, eius confortium, & amicitiam efflagitat, & ſolicitat. Ratio horum eſt manifeſta, quia eo ipſo quod effectus certo ſperatur futurus, ſiue ſit negatiuus ſiue poſitiuus, aliquam illius cauſam agnoſcit, actio enim aut actionis ſuſpèdium aliquod agens neceſſario exigit, vel quid influat vel quid influere deſinat, at dum ex medio aliquo vano effectus ſperatur, aut deſideratur cauſæ influxus ſperatur, & deſideratur, atqui cauſa iſta non eſt Deus nec Angelus bonus, ex Dei imperio, nec Eccleſia inſtituens, ergo eſt Angelus malus ex Dei permiſſione, effectusque

effectusque siue positius sine negatiuus à Dæmomis pacto descendit ex vi cuius, aut Dæmon, vt causa moralis, & physica operatur, si positius sit, aut vt causa moralis positia, & physica negatiua cōperatur suspendens influxum, quem habere pactizauit posito signo, vnde qui signum euertit, credens certo quod ex euerfione futura sit  
7 damni cessatio credit sacramentis Dæmonis, illisque tacite assentitur, si id non faciat in odium Dæmonis, & abominationem signorum, & abominandæ superstitionis quæ in illis latet, quare nisi hæc abominatio interfit, tacite assentitur illis, & cooperationi morali quam habet Dæmon, vt destructo signo non noceat.

Tota hæc doctrina est D. Thom. 2.2. q. 95. art. 2. vbi D. Caiet. §. in resp. ad. 1. hoc profunde probat, quia † vt pacto cum Dæmone est profiteri se indigentem Dæmone, ac per hoc illi subditum, omnis enim indigens quatenus indigens subiicitur illi cuius opera indiget. Quæ ratio me quidem iudice rem in proposito euincit, quia qui destruit signum (non abominando opera Diaboli) sed cum spe, & credulitate quod illo destructo Dæmon cessabit, proficitur se indigere Dæmone vt cesset moraliter influens in cessationem à maleficio, quod est signum influxus in damnum maleficiati, ergo tacite illi subiicitur, quia omnis indigens vt sic subiicitur illi cuius opera indiget, & quidem opera Dæmonis cessare maleficio, destructo signo, nulli dubium cum cesset, & non ex opera agentis naturalis.

9 Neque obstat † (notat sapienter Pater Thomas Sanchez lib. 2. summ. cap. 38. num. 4.) hos euerfores signorum, non intendere opem Dæmonis implorare. Quia satis est ad hanc tacitam inuocationem his vanis vt, quæ vim humanam superant, cum enim ea vana secundum solam secretam Dæmonis opem ad id conferant, eo ipso quod quis eis vacat, ad eum effectum consequendum, affectat tacite, & virtute se velle eam Dæmonis opem, vt bene docet Suar. to. 1. de Relig. c. 9. l. 2. de superst. n. 13. qui n. 17. addit interdum per crassam ignorantiam vel in aduertentiam velle hominem, contraria, vnum in se & formaliter, aliud in alio, & virtute vt contingit in hoc casu. Quamuis enim vtens his vanis dicat explicite se nolle pactum cum Dæmone, vult tamen illud tamen implicite, & quamuis nolit expressum pactum vult de facto tacitum. Quia vult vt illis mediis ex se inutilibus, & vanis ad eam rem, quasi illa utilia sint cum tamen utilitatem habere nequeant nisi Dæmonis interuentu. Hæc Sanchez ex Suarez & vterque ex Caiet. 2.2. quest. 95. art. 2. §. ad euidenciam, vbi rem radicis enucleat.

10 Secunda doctrina est, quod † malicia pacti cum Dæmone siue expliciti, siue impliciti,

aut cuiuscunque inuocationis, in eo sita est, quia Deus inter homines, & Dæmones inimicitiam induxit perpetuam *genes. 3. num. ...* eamque spondent vniuersi in baptismo renuntiantes Dæmoni, & eius operibus, cuius elegantem subministravit rationem D. Caiet. 2.2. quest. 9. art. 1. §. ad euidenciam vers. 11  
Nam habere (ait) socialem actum cum Dæmone est mortale peccatū ex suo genere, quia actus socialis habet materiam repugnantem non qualitercunque, sed pernitiōse, & quod sit materia repugnans, patet ex eo quod socialis actus terminatur ad hostem Dei, cælestis patriæ, & nostram, constat enim hostem repugnare societati, cum societas omnis sub amicitia comprehendatur honesti, delectabilis, vel utilis. Nulla autem cum hoste amicitia est concessa, quod autem sit repugnans pernitiōse constat ex eo quod est cum hoste in his in quibus est hostis. Nam non potest in homine † distingui duplex genus voluntariorum, 12  
quoddam pertinens ad hostilitatem, & quoddam nō vt inter homines ad inuicem inimicos contingit, sed omnia voluntaria Dæmonis hostilia sunt propter eorum peruersam, & obstinatam voluntatem in malo, in tantum vt in quolibet suo voluntario opere peccent mortaliter. Omnis autem amicitia cum hoste in his, quæ hostilia sunt est pernitiōsa vt pote hostilitati contraria, &c.

Tertia doctrina est S. Doctor. 2.2. quest. 95. art. 4. vbi † asserit, † quod omnis Dæmonis 13  
inuocatio, vt aliquid efficiat siue bonum, siue malum siue vtile, siue proximo, siue toti Reipublicæ Christianæ est per se illicita, & prohibita quia mala, quia eo ipso, quod Dæmon inuocetur pactum inicitur cum illo, circa quam doctrinam admirabili ingenio sic solide discurret D. Caiet. Inuocatio expressa est pactum expressum, & inuocatio tacita est pactum tacitum, constat autem quod inuocatio est actus societatis, & infra §. amplius. Quando legeris pactum vel fœdus inicitur, intellige societatem inicitur expresse per inuocationem tacite per opus cui merito Dæmone immiscet, & bene hac nota quod actus inuocationis seu cuiuscunque discursus ad Dæmonem est saltem societas inita quia est initium societati cum Dæmone, & vocatur pactum inicitur. sicut etiam societas inita 14  
ta, quoniam societas claudit in se pactum, fœdus, seu conuentionem, etsi non verbo saltem factio ipsius societatis. Hæc Caiet. quæ prius docuerat August. † lib. 2. de doctrina Christiana cap. 23. sic omnes igitur artes huiusmodi vel nugatorie, vel noxiæ superstitionis ex quadam pestifera societate hominum, & Dæmonum quasi pacta infidelis & dolose amicitie constituta penitus sunt repudianda, & fugienda Christiano, non quod idolum sit aliquid, vt ait Apostolus, sed quia quæ immolant, Ceremoniis immolant, & non Deo, nolo autem vos socios fieri Dæmoniorū. Quod autem de Idolis, & immolationibus quæ honori eorum adhibentur dixit Apostolus hoc de omnibus

omnibus imaginariis signis sentiendum est, quæ vel ad cultum idolorum, vel quæ ad creaturam eiusque partes tanquam Deum colendas trahunt, vel ad remediorum aliarumque obseruationum curam pertinent, quæ non sunt diuinitus ad dilectionem Dei & proximi tanquam publicè instituta, sed per priuatas appetitiones rerum temporalium corda dissipant miserorum. In omnibus istis igitur doctrinis societas demonum formidanda atque vitanda est, qui nihil cum principe suo diabolo, nisi reditum nostrum claudere, atque obseruare conantur, & cap. 24. Quæ omnia tantum valent quantum præsumptione animorum quasi communi quadam lingua cum demonibus fæderata sunt. Quæ tamen omnia plena sunt pestifera curiositatis, enuenientis solitudinis mortifera seruitutis. Non enim quia valebant animaduersa sunt, sed animaduertendo atque signando factura est, ut valerent. Et ideo diuersis diuersa proueniunt secundum cogitationes & præsumptiones suas, illi enim spiritus, qui decipere volunt talia procurant cuique, qualibus cum irretitum per suspiciones & contentiones eius viderint. Hæc August. quibus plura & grauiora obtulit argumenta pro veritate sententiæ nostræ.

Quarta doctrina est quam ex Patribus & Ecclesiæ vera praxi ponunt Sanchez ubi supra cap. 4. n. 17. Suar. etiam ubi sup. cap. 18. n. 5. cuius verba placuit adducere, sic enim loquitur, licet destructio malefici in se bona esse possit, tamen postulare eam à demone intrinsecè malum est, quia inuoluit societatem & pactum cum ipso demone, & quendam cultum eius. Nam rogare demonem, ut aliquid non faciat, sed petere ab illo, quodlibet bonum, vel medium alicuius mali intrinsecè malum, ergo & petere ab illo, ut à maleficio cesset intrinsecè malum est. Vnde Leo papa serm. 29. de Passio. ait de demonibus. Multis quod dolendum est ita per nequitiam simulationis illudunt ut quidem illos & timeant pari infensos & velint habere placatos, cum beneficia demonum omnibus sint nocentiora vulneribus, quia tutius est homini inimicitiam demonis meruisse, quam pacem. Nihil ergo ab eis licet petere, seu rogare, ergo neque solutionem malefici. Atque ita docuit Sotus in 4. distinct. 34. art. 3. §. quod si quis, Delrius ac Sanchez supra contra quendam Briansonium, quem referunt in Collect. super 4. sent. quæst. 13. concl. 3. noster etiam Lessius dict. lib. 2. cap. 44. dub. 10. dicit licitum esse verbo petere à diabolo, ut desinat nocere, modo id non petatur deprecando, sed est sano modo intelligendum, nam petere & deprecari parum differunt, unde petere per modum supplicationis non licet, petere autem per modum obiurgationis, & contemptus licitum est, ut si dicas Abi hinc, cessa maleficere, in hoc enim nulla est societas cum demone, nec aliquid ab eo propriè postulatur, nec honor ei defertur.

Et ita nihil contra hoc obstat ratio supra facta, quia quum Angelus, vel sanctus homo præcipiunt demoni imperando, id faciunt virtute diuina, ut ministri Dei eiusque obsequentes voluntati, at quum homo rogat demonem tanquam supplex, & indigens eius ope, planè illi se subiicit, cumque quodammodo Deo præfert, iuxta illud 4. Reg. 1. Nunquid non est Deus in Israel, ut eatis ad consulendum Beelzebub. Deus ergo orandus est, ut liberet à maleficio, non demon. Quod si Deus liberare noluerit non propterea, orandus, aut colendus est Deus, ut in simili dixerunt tres pueri Danielis cap. 3. eo vel maxime, quod si quis rectam fidem teneat non potest cum fiducia petere à demone aliquod remedium etiam in proprio maleficio, cum sciat eum esse mandacem, & perniciosum hostem, qui bonum etiam corporis non confert, nisi in ordine ad animæ malum, & ideo etiam ratione periculi mortalis non potest hoc fieri sine graui peccato. Hactenus vir doctissimus.

Quarta doctrina sit ex D. Caiet. † q. 95. cit. art. 2. §. ad euidentiã versic. si vero, si fiant (vana) ut utilia, cum non sint secundum veritatem utilia ratione sui, sed ratione secretæ virtutis demoniacæ inquisitiones istæ ex genere suo sunt perniciosæ: quoniam uti vanis, ut utilibus secundum secretam vim demoniacam manifestè perniciosum est. Nec obstat si dicatur quod inquisitiones istæ, ut utiles non sunt secundum secretam vim demoniacam, sed secundum secretam quandam vim nobis incognitam. Dicunt enim Inquisitores isti, quod non inuocant, nec inuocare intendunt demonem, sed uti talibus, quia experiuntur esse utilia ad huiusmodi cognitionem occultorum. Hoc inquam non obstat: quoniam ex quo secreta illa virtus in veritate, est virtus demoniacæ, nisi homo utens illa excusetur propter ignorantiam, diabolicæ se societati immiscet tacitè ex hoc ipso, quod utitur vanis, ut utilibus secundum secretam vim ignotâ. Debet enim curam habere operum suorum, ut sciat quid facit, & infra sunt igitur huiusmodi vana quatenus pro utilibus habentur secundum genus suum superstitiosa, ac per hoc in quantum vana & in quantum superstitiosa, ideo sunt prohibita, quia mala, & non è conuerso, & post multa valde utilia concludit. Timens Ecclesia ne ad superstitiosa filij sui declinent, horret, damnat, punitque hæc, non iniiciendo laqueum animabus, sed prohibendo, quæ mala sunt & monendo ne etiam licitis in huiusmodi se implicent, ne paulatim declinent in perniciosam, & si Christiani intelligerent celsitudinem gradus sui (quæ diuini facti consortes natura asciti sunt in membra Christi, & datum est ei præesse omnibus naturalibus & demonibus iuxta Domini promissionem Marci ult. ubi dicitur, signa autem eos, qui crediderint hæc sequentur, &c.) neque à signis cæli, neque ab alijs, quæ gentes, quæ homines non Christiani timent, metuerent sibi,

sibi, sed Christianitatis virtute super omnia se ipsos agerent, foelicissimè omnia calcantes.

Quam doctrinam, quæ certa est secutus P. Thomas Sanchez ubi supra cap. 38.

22 n. 10. dicit † quod intentio operantis & utentis huiusmodi vanis spectanda est, si enim (ait) serio per media illa vana certum effectum querat inest pactum tacitum cum demone secus, quum vanitatis causa sciens illa media vana esse & inutilia.

23 Ex his selectis doctrinis ex penu Catholico collectis mihi persuasum habeo, nullum antiquorum, aut modernorum, vsque ad Delrium & Lessium eam docuisse sententiam, scilicet † licitum esse rumpere, solvere, euertere signum magicum ea intentione & credulitate, quod maleficium cessabit ex vi talis destructionis & euerisionis, hæc enim secundum se vana est ad hunc effectum, certo consequendum, & prorsus inutilis & inefficax, nisi quatenus nititur pacto dæmonis, & eius virtuti secretæ, quæ virtualiter inest in illa signi amotione.

24 Quare Sotus in 4. dist. 34. quest. 12. (quem sequuntur Bassolis Antonius Andreas, Orbellis Angles, ibidem cæterique eius discipuli) inquit † an liceat tollere maleficium intentione curandi infirmum maleficiatum? & respondet his verbis. Non solum licet, sed est meritorium, destruere opera diaboli, nec in hoc est aliqua infidelitas, quia destruens non acquiescit operibus malignis, sed credit demonem posse & velle fatigare dum tale signum durat, & destructio talis signi imponit finem tali vexationi. Hæc ille, quæ prius docuerat Henricus de Gandauo quodlibet. 5. quest. 33. dicens Catholicum esse destruere opus superstitiosum dæmonis, & in hoc ei contrariari, & sic dico, quod licitum est maleficium deponere simpliciter, quem admodum licitum idolotytum in cloacam proicere, & etiam ut curetur infirmus maleficiatus non credendo, quod virtute illius maleficij morbus ille contingat, hoc enim credere infidelitatis est, sed credendo contrarium, & quod fiat solum demonum actione ex divina permissione, qui non consueverunt secundum pactionem suam maleficiatum vexare, nisi stante illo maleficio. Hactenus profundè Tornacensis dignitas, quibus totum negotium pro dignitate enucleauit, nullus enim Catholicorum negat, quod

25 † spe curationis infirmi potest destrui maleficium credens, quod dæmon vexat permissione diuina, hoc enim credit Ecclesia dum hunc maleficiatum orationibus, & exorcismis intendit curare, dum etiam præcipit, quod si maleficium inueniatur comburatur, & destruat, hoc enim Catholicum & meritorium est, sicut est & idolum destruere, & opera diaboli euertere, & con-

trarium dicere erit error in fide. Punctum ergo difficultatis præsentis non est hic, an absolute & simpliciter possit destrui maleficium, sed an possit destrui, cum spe, expectatione, & desiderio (non quidem, quod sanetur infirmus, huius enim salutis & liberationis à vexationibus diabolicis, spes, expectatio, & desiderium, sanctissima est ex obiecto suo) sed quod dæmon cessabit illico, ac signum frangetur, hoc enim dicimus esse omnino illicitum, & quod nullus antiquorum vsque ad Authores societatis, dixit licere, imo oppositum omnes adfirmarunt, ut manifestè constat ex doctrinis traditis.

Hoc docuerunt Caiet. † tom. 2. opusc. 12. 26 dum dicit, maleficium tollere per simplicem, destructionem pacti soluendo ligaturas sine dubio est licitum. Sotus in 4. distinct. 34. quest. unica articul. 3. asserens, quod potest quisque conuenire maleficium & rogare, & pecunia ab eo extorquere, ut illis ligaturas quas habet sepultas, aut suspensas, aut alicubi asseruatas, inde dimouere, quia illud maleficium facere virtus est, quibus verbis rationem subministrat veritate nostræ sententiæ, quia maleficus tenetur ad illud ligamentum, aut maleficium tollere abiurando pactum & intentione sana, sicut infidelis tenetur iurare per verum Deum, quod si iuret per idolum mihi non tribuitur, & maleficus malefaciet si ligaturas rumpat firma spe, quod dæmon cessabit illis ruptis nocere, non secus, ac malefacit dum ligaturas facit spe & desiderio, quod dæmon damnum inferat.

27 Utrobique enim dæmon est principalis causa, dum damnum infert est causa physica medio instrumento morali, scilicet signo à se instituto ad maleficiendum, cum tamen cessat à maleficio ex fractione ligaturæ, aut idoli, influit tanquam causa moralis in curationem maleficiati, sicut enim ligatura est signum ex se vanum, & inefficax ad damnum inferendum; ita fractio ligaturæ, aut idoli est etiam inutilis ex natura sua ad inferendum sanitatem, vnde fractione vitur tanquam medio ad sanationem maleficiati, cum expectatione & credulitate, quod ex vi illius dæmon cessabit, euidens est quod vanis vitur, ut vtilibus, quod tacitè à dæmonè aliquid petit, quod ipsum tacitè inuocat in adiutorium, quod non renunciat dæmoni & eius operibus, & vltimo cum illo pactum tacitum, & virtuale, societatem & amicitiam inuit, quæ omnia doctrinis præfatis sunt exclusa.

28 Agnosce ergo Christiane dignitatem tuam, & ne timeas à signis, quæ malefici faciunt, quæ homines non Christiani & Catholici timent, ea ne destruas, spe posita quod dæmon cessabit, quia signum est destructum



structum & sacramentum magicum euer-  
sum, sed Christianitatis virtute, Saluatoris  
documentis, oratione, ieiunio, elemofy-  
nis, instā opportunè, importunè, per exor-  
cismos Ecclesiæ, & sic felicissimè omnia  
calcabis. Destruere quidem malefici diaboli-  
ca sacramenta, sicut Ecclesia præcipit de-  
struere, & comburere, vt eius imperij vir-  
tute à Deo sibi indita dæmon cesset, co-  
actus altiori diuina vi, non voluntaria ipsius  
dæmonis cessatione, quam ipse coactus fingit  
facere, quia non existit eius sacramen-  
tum, vt sic annuat, confirmet, & alliciat  
28 homines. Quæ omnia † egregiè dixit Abu-  
lensis ad cap. 19. Matthæi quæst. 90. §. nisi obii-  
ciatur, de Ecclesiasticis exorcismis, sed tunc  
dicendum, quod dæmones coguntur ad aliquid  
scilicet ad recedendum de corporibus obsessorum,  
vel ad non nocendum, sed hoc fit per Deum in  
quantum ipse instituit id, quod ab Ecclesia fit,  
& est ibi virtus diuina latens operatrix, sicut  
est in operatione sacramentorum, & tamen in  
operibus maleficorum quibus dæmones cogere  
volunt, non operatur Deus cum potius sint con-  
traria diuino honori, ideo non possunt malefici  
cogere dæmones ad aliquid, sed ipsi dæmones  
mentiuntur & simulant se cogi, quia in hoc  
stat maxima virtus suasionis eorum, quod ele-  
gantè enucleat in sequentibus.

### SECTIO III.

Sententia Ætj Syluij, Guagerici Hispani, &  
aliorum Doctorum Vniuersitatis Duacensis,  
vt vera defenditur autoritate Au-  
gustini, & D. Thoma.

#### S V M M A R I V M.

1. Vtrum liceat tollere ligaturas & alia signa  
malefica à maleficis posita eo fine, vt dia-  
bolus desinat nocere, ex Lessio, & nume-  
ro 2. 3.
4. Quibus portentis illudatur humana curiosi-  
tas.
5. Nunquid teneat gentiliū traditiones, qui  
sperat & fidit, quod rupto signo à dæmone  
imposito ad nocendum, cessabit nocumen-  
tum.
6. Quanam obseruationes pertineant ad su-  
perstitionem ex S. Thoma.
7. Duplex genus diuinationis distinxit S. Do-  
ctor.
8. Quandonam çana diuina sit superstitiosa  
& pernitiosa.
9. D. Caietani sensus adducitur, necnon S. Do-  
ctoris, & p. 10.
11. An ablatio & destructio signi quo posito  
dæmon nocet & non posito vel destructo  
cessat nocere, non habeat naturalem vir-  
tutem ad non nocendum.

12. D. Augustini mens adducitur, necnon Au-  
thoris iudicium, & n. 13. & 14.

Pater Leonard. Lessius tom. illo celebri de  
iustitia & iure lib. 2. cap. 44. dub. 6. cuius  
titulus est † vtrum liceat tollere ligaturas, &  
1 alia signa malefica à maleficis posita eo fine,  
vt diabolus desinat nocere? sic fatur, hæc quæ-  
stio ante cõplures annos ad me à longinquo missa  
fuit multis argumentis pro parte negante (quam  
viri quidam docti & pijs tenere dicebantur) in-  
structa, quã deinde tractaui in materia de ma-  
trimonio cap. de impedimento malefici, verum,  
quia propria est huius loci, quæ ibi dicta, huc  
transferenda, bona illorum, qui aliter sentiunt  
venia, putari solius enim veritatis & proximi  
iuuandi amore hæc à me tractantur, & eos qui  
secus sentiunt non damno, sed pietatis, & do-  
ctrina, & dignitatis causa v. eneror. Hæc pru-  
denter Lessius.

Viri autem isti pietate, doctrina, & digni-  
tate conspicui sunt Ioannes Heuclius magni no-  
minis Theologus in 4. sententiarum, quem ab eo  
dictatum & D. Ætj manu scriptum vidi, ac le-  
gi dist. 34. cit. & sequitur Ioannem Prouensalẽ,  
docentem, non licere talia signa auferre, vt dæ-  
mon non noceat amplius, atque ita ratiocinatur.

Quicumque tollit in sua actione seruit diabolo,  
vel pacto diaboli, quod ipse instituit, qui enim  
tollit signum credit, quod illo stante nocebit dia-  
bolus & eo remoto cessabit, ergo illud tollere, vt  
diabolus voluntariè cesset, est sequi institutũ &  
sacramentum diaboli, quia cessare, quũ illud si-  
gnũ remouetur, & nocere quãdiu stat institutum  
est diaboli. Hactenus Syluius 2. 2. q. 96. art. 4.  
concl. 3. §. ad postremũ, qui & eandẽ sententiã  
firmiter amplectitur probat & omnia oppo-  
sita fundamẽta euidẽter soluit secutus Ma-  
gistrũ suũ Estium in 4. dist. 24. horum omniũ  
placitũ. Sequitur Guageric. Hispanus in notis  
ad summã Caiet. verb. malefic. litt. A. etsi non  
benè dicat Caiet. contrariũ nobis esse, cum  
Cardin. nõ tractet, quæstionẽ in eo sensu in  
quo à nobis agitur, idem docetur commu-  
niter in vniuersitate Duacensi, quæ equus  
Troianus est ex quo validissimi propugna-  
tores D. Th. prodeunt.

Hæc sententia variis est adstruenda fun-  
damentis, in hoc §. ea quæ autoritatis pon-  
3 dus, in sequenti, ea quæ rationum momenta  
continent, iacienda, igitur hoc sensit Aug.  
ita clare, vt eius claritudinem solus cæcus  
non videat. Imprimis S. Doct. quem refert  
Rabanus Maurus in lib. de prestigijs magorum  
relatus cap. nec mirum §. final. sic fatur, si ali-  
quis mihi opponit & dicit quomodo eueniunt  
illa, quæ illi diuini prædicunt futura, aut quo-  
modo possunt agrus præbere medelam, aut sa-  
nis immittere egritudinem, si aliquid propria  
virtutis, aut potestatis non habent? Hoc à me  
recipiat responsum, quod ideo quisque non de-

bet eis credere, quia aliquando eueniunt, quæ prædicunt, aut sanare videntur languidos, aut ledere sanos, quia hoc permissu Dei fit, vt ipsi qui hæc audiunt, vel vident probentur, & appareat qua fide sint vel deuotione erga Deum, &c. at ille qui tollit ligaturam capillorum inuolucrum, idolum ex cera confectum accubus infixum, & similia non fide in Deum & deuotione, erga Ecclesiam, sed credulitate & expectatione, quod dæmon cessabit ab inferendo malum, non expectat sanitatem à Deo, nec in ipsum apparet fiducia, & deuotio, sed potius erga dæmonem, quem voluntariè cessaturum sperat fracto signo ab ipso instituto, ad ipsumque occurrit tanquam ad cooperatorem moralem cessationis, ipsumque inuocat. *His enim † portentis illuditur humana curiositas, quum id imprudenter appetunt scire, quod nulla ratione eis competit inuestigare. Hæc enim potestas immundis spiritibus ideo datur, vt per vasa sibi apta hoc est per prauos homines seducent illos, qui spernunt veritatem & credunt mendacio, ita ibidem Augustinus & quid obsecro faciunt, nisi mendatio credere, qui idolum cereum accubus transfixum evertunt spe, quod dæmon voluntariè cessabit à maleficio ex vi fractionis, nisi credere mendacio pacti prius initi? quid faciunt nisi coaceruare sibi magistros prurientes auribus, vt à veritate & praxi Ecclesiæ auditum evertant, & ad fabulas & vana tanquam, ad vtilia se conuertant.*

Hinc est quod in Concilio Aquerenſi, vel Ancyrenſi (vt volunt Richardus & Pannoplia) cap. 1. dicitur, *subuersi sunt & à diabolo captiui tenentur, qui relicto creatore suo, diaboli suffragia querunt*, non suffragium querit à diabolo, qui idolum frangit, sperans voluntariè cessaturum à malo inferendo per maleficiū factum? certè non video qua ratione id fieri possit; vnde Martinus Bracharenſis in Concilio suo cap. 72. relatus cap. non liceat 3. 26. quest. 5. dicit, *quod non liceat Christianis tenere traditiones gentilium, scriptum est enim ad Colos. 4. omnia quæ factis, aut in verbo, aut in opere omnia in nomine Domini Iesu Christi facite gratias agentes Deo † nonne tenet gentilium traditiones qui sperat & fidit, quod rupto signo à dæmone imposto ad nocendum cessabit nocuumentum, quia pactum cessat, dæmone sic pactizante, qui enim sic sperat non abiurans ipsum dæmonem, & eius opus, & ex vi huius abiurationis fidens Deo frangit signum, id non facit in nomine Domini Iesu Christi, imo potius virtualiter in dæmonis nomine, quem cessaturum sperat fracto signo §. seq. id ipsum ex rationibus Aug. confirmabo.*

Non minus clare id docuit D. Th. qui 2. 2.

q. 92. art. 2. ad 2. dicit, quod † *observationes aliquæ pertinent ad superstitionem in quantum pendent ab aliquibus operationibus dæmonum & sic pertinent ad quadam pacta cum eis inita, quibus verbis rationem manifestam nostræ sententiæ subministravit, quia ratio superstitionis formaliter sita est in quantum aliquid obseruatur, quod pendet ab aliquibus operationibus dæmonum, atqui quod nocuumentum cesset ex vi fractionis signi à dæmone instituti ad nocendum, pendet à dæmonum operationibus, quatenus instituerunt hoc signum, quo amoto ipse etiam dæmon se amouebit à nocendo, ergo qui signū frangit expectans, quod dæmon cessabit à nocuumento inferendo vane obseruat, superstitiosè agit, pactum tacitum init, siquidem expectat auxilium dæmonis, vt non noceat ad quod dæmon ipse concurrat, vt causa positiva moralis.*

Secundo idem S. D. aliud non minus euidentis argumentum nobis dedit q. 95. art. 2. vbi † duplex genus diuinationis distinxit, vnū cum expressa dæmonis inuocatione, alterum cum tacitè inuocatur, quia (ait) *dæmones se ingerunt vanis inquisitionibus futurorum, vt mentes hominum implicent vanitate, de qua vanitate dicitur in psal. 39. non respexit in vanitates, & insanias falsas, vana autem inquisitio futurorum, est quum aliquis futurum cognoscere tentat, vnde prænosci non potest.* Ex quibus tale induco argumentum, tunc est † vana diuinatio superstitiosa & pernicioſa, quum aliquis prænosci tentat aliquod futurum, siue rei positivæ, siue negativæ per medium per quod nosci non potest, quia tunc se ingerit dæmon his vanis inquisitionibus, vt mentes hominum implicet vanitate, & sic est ibi pactum tacitum cū inimico initum, atqui fractio signi à dæmone instituti non est medium aptum ad sperandū dæmonem cessaturū à damno inferendo, nisi quatenus signum ipsum est à dæmone institutum, quod est omnino vanū & inutile, & sic ex fractione signi sperare futuram cessationem damni omnino vanum est, & quis tentat cognoscere futura, vnde prænosci non potest, & sic illi fractioni cum ipse cessationis se ingerit dæmon, quod egregiè animaduertit D. Caiet. ibi §. in eodem art. † *diuinatio vana, quæ est quum aliquis futurum prænosci tentat, vnde cognosci non potest, & hæc propter admisionem occultam dæmonum est pernicioſa, sed occulte, vt amplius infra patebit, & hoc oportet seruare pro fundamentis in tota materia diuinandi, quoniam in his cōsistit formale ad quod oportet resolvere. Ex his nō scimus an talis inquisitio pura per sōnia, per sortes, per astra, &c. sit vana, sed tātū in quo formalis ratio dæmoniacæ inquisitionis respectu futurorū cōstat scilicet, aut in expressa inuocatione*

vocatione, aut tacita per hoc, quod vana sit futuri inquisitio. Si nosse autem vis an talis inquisitio sit vana oportet formale ad talem materiam applicare & videre si inde futurum potest, vel non potest præcognosci. quo nihil illustrius.

Tandem tertio, S. Doctor *quæst. 96. art. 2.* ubi hanc doctrinam traditam in vniuersum de variis diuinationum speciebus & de superstitione in communi applicat superstitionibus obseruantiarum, & tam in corpore quam in solutione ad 1. dicit, † quod si simpliciter adhibeantur res naturales ad aliquos effectus producendos ad quos putantur naturalem habere virtutem non est superstitiosum, vel illicitum, si vero adiungantur, vel characteres aliqui, vel aliqua nomina, vel quæcunque varia obseruationes, quæ manifestum est naturaliter effectum non habere, erit superstitiosum & illicitum, & in solut. ad 3. ex bello indicto contra Dæmones colligit, quod nullo modo licet homini Dæmonum auxilio uti per pacta tacita, vel expressa. ex quo clarum deducitur argumentum, † ablatio & destructio signi quo posito Dæmon nocet, & non posito, vel destructo cessat nocere, non habet naturalem virtutem ad non nocendum. Ergo sperare, quod ex vi destructionis signi cessabit Dæmon vana est obseruatio, & sic Dæmon tanquam agens morale suspendens actionem, se illi ingerit, & sic superstitiosum est, & illicitum.

12 Ultimo † D. Aug. *lib. 21. de Ciuitat. Dei, cap. 6. Illiciuntur* (ait) *Dæmones ad inhabitandum per creaturas, non ut animalia cibus, sed ut spiritibus signis, ut autem illiciantur ab hominibus prius eos astutissima caliditate seducunt, vel inspirando eorum cordibus virus occultum, vel etiam fallacibus amicitias apparento, eorumque paucos discipulos suos faciunt, plurimorumque Doctores, neque enim potuit nisi primum ipsis docentibus disci quid, quisque illorum appetat quid exhorreat, quo inuitetur nomine, quo cogatur, &c. quid clarius si Dæmon horret signi sui destructionem, qua cogitur cessare hoc fit ipso primum docente, ergo vane fit si ex vi ablatione, & destructione signi speretur quod cessabit, & absque dubio ipsius nomine inuitatur, ut desistat à malo inferendo, quia huius signi destructione fingit se coactum cessare & illam exhorrere, ut nos seducat, ut egregie Henriqus de Assia in *Genesim*, cuius verba dat Delrius, *lib. 2. disquisit. quæst. 30. sect. 3. versic. infertur tertio.* & prius dedit Sybillanus peregrinarum *quæstiunc. Decad. 3. cap. 8. quæst. 1. Ipse* (ait Henriqus) *simulat se captum, ut te capiat, se vinctum, ut te vinciat, se tuo Imperio subditum, ut te sibi subdat, à te inclusum, ut contra te finaliter con-**

cludat, fingit se tua arte, vel imagini, vel lapidi ligatum, ut funibus peccatorum religatum ad infernum te perducatur. hæc sapienter Assia.

Ex quibus argumentor, † vel ille qui frangit signum institutum à Dæmone ad nocendum credit re ipsa & vere, Dæmonem cogi ex vi illius signi ad nocendum, & hæc credulitas, & existimatio erronea est, quia Dæmon non potest cogi ab homine nisi diuina virtute, quare credit Catholicus, quod Dæmon fingit se cogi tali signo ad nocendum, ergo dum illud destruit expectando, quod Dæmon cessabit ex vi fractionis à nocimento inferendo Dæmoni credit, & fidem dat, & est infidelis Deo, consequentia euidens est, quia credit quod dæmon libere cessabit à nocimento non virtute diuina, sed ex vi fractionis signi, quod si frangit credens, quod virtute diuina cessat à quo cogitur vt cesset, hoc Catholicum est, & meritorium, & hoc nos docet Ecclesia, sed hic non est difficultatis nostræ punctum, & est falsitatem cum veritate confundere, & ex medio licito, quod Ecclesia instituit transire ad medium inutile, & vanum, quod tacite instituit Dæmon, sicut Raynaldus, & alij solent facere, qui vt excuset restrictionem mentalem à mendacio, & seductione proximi audientis, confugiunt, & secretum sigilli confessionis sacramentalis quod omnino est inuiolabile, & qualibet æquiuocatione vtendum priusquam aperiatur, quam fallax sit hoc argumentum monstraui *tom. 5. de vero martyrio fidei Diggressio. 6. sectio. 8. & 9.*

#### SECTIO IV.

*Rationibus, Syluij & Guagerici Hispani, eadem vera comprobatur, sententia.*

#### S V M M A R I V M.

1. *An sit superstitio cum medijs inutilibus & à diuina prouidentia minimè constitutis procuratur aliquis effectus.*
2. *Quis effectus non sit positua aliqua dæmonis actio.*
3. *An liceat effectum priuatiuum à dæmone expectare.*
4. *Guagerici Hispani sensus adducitur, & numer. 5.*
6. *Vnde liberatio maleficiati expectetur.*
7. *An alicuius agentis ope & auxilio speretur salus maleficiati.*
8. *An si signum maleficij destruat in odium dæmonis illud instituentis ad inferendum damnum, non speretur à dæmone salus ex*

vi destructionis signi, sed à Deo.

9. Quidam dimanet ut ex signi à demone instituti destructione pactum dissolvatur.
10. Malitia superstitionis in quo consistat.
11. Homines quas observationes attendant non, ut quasdam causas, sed ut signa quadam futurorum euentuum bonorum, vel malorum.
12. Amotio & destructio signi & expectatio, quod ex vi illius cessabit demon nocere, ubinam fundetur, ex Delrio, & numero 13.
13. Demon etsi aliquando stet pactis nunquam tanquam fidelis & verax.

**D**Octissimus Franciscus Syluius, loco in superioribus citato conclus. 3. sic ratiocinatur. Ipsi qui huic conclusioni aduersantur

- 1 B. Thomam sequuti, affirmant † esse superstitionem quum mediis inutilibus, & à diuina prouidentia minimè constitutis procuratur aliquis effectus, ut Sanchez lib. 2. in Decalog. cap. 40. & lib. 7. de Matrim. disp. 95. Lessius lib. 2. de iustit. cap. 43. dub. 10. sed per dictam signi amotionem procuratur effectus medio inutili, & à diuina prouidentia non constituto ergo admittitur superstitio. Minor videtur clara. Quoniam nudi signi amotio nullam habet vim, vel à natura, vel à positua Dei ordinatione, vel ex Ecclesie instituto ad causandum effectum qui expectatur.
- 2 Dices † effectus, qui in presenti expectatur non esse posituam aliquam Demonis actionem, sed cessationem & priuationem actionis quem effectum licet à Demone expectare, sicut dum gestamus Agnus Dei, & reliquias, dum utimur aqua benedicta, dum benedicimus domus & templa hoc facimus, ut Diabolus nocumentum non inferat, vel cesset inferre. Respondetur, etiamsi effectus expectatus non sit actio Demonis positua, est tamen aliquis effectus & is vel posituus, ut lac & butyrum, quod cum per signi presentiam impeditur per istius signi amotionem expectatur futurum. Item amissa valetudinis recuperatio per hoc, quod Diabolus desinat eam ledere, morbosque causare, vel est tale priuatiuum, quod loco beneficij haberi possit, velut quod equi non moriantur, quod fruges non impediuntur & similia, nullum autem beneficium licet expectare à Demone cum beneficia Demonum omnibus sint nocentiora vulneribus, ut ait S. Leo serm. 19. de passio. Vnde & negandum est, † licere effectum priuatiuum à Demone expectare idque satis indicat D. Thom. locis iam allegatis quum nullam distinctionem facit inter effectus posituos & priuatiuos, absoluteque docet esse supersticiosum expectare aliquem effectum à Demone. Neque enim dubium esse potest quin ad superstitionem pertineat expectare à Diabolo non ladi, non vulne-
- 3

rari & similia.

Dum autem gestamus Agnus Dei, vel reliquias, vel dum utimur aqua benedicta, aut benedicuntur templa, aut domus, non hoc facimus expectantes à Demone ut desinat nocere, sed quidquid speramus à Deo expectemus, qui intuitu benedictionum, & precum Ecclesia, ac etiam meritorum Sanctorum quorum Reliquia gestantur Demones velit fugare, & coercere, ne noceant, ut ex formulis benedictionum liquet & etiam ex huius quest. 96. art. 4. ad 3. hæc Syluius.

Ferè eodem argumento & paucioribus verbis, † utitur Guagericus Hispanus in notis ad Caiet. verb. Maleficium, contraria tamen & tutior & rationibus vtrique bene perpensis non immerito probabilior videri potest. Cum enim talium signorum amotio nullam vim naturalem, aut supernaturalem habeat ad illum finem scilicet cessationem nocementi (uti neque eorum positio similem aliquam vim obtinet ad nocendum) videtur vanum esse & supersticiosum ea tollere, aut destruere ad dictum finem consequendum. Neque excusat, quod fitis qui intenditur per signi amotionem non sit aliqua actio positua Demonum, sed cessatio, aut priuatio actionis, licet enim possimus impedire Demonem, ne noceat per remedia ad eam rem à Deo, vel ab Ecclesia instituta, vel vim aliquam naturalem contra nocumentum ab eo nobis illatum, habentia, non videtur tamen id licere per media, qua ad hunc effectum neque naturalem, neque supernaturalem virtutem obtinent, sed moralem dumtaxat fundatam in pacto cum Demone inito, qualis est amotio signi. Hactenus Guagericus Hispanus.

Hæc argumenta manifesta sunt nec video quid ad illa, quod subsistens sit, & non verborum Lussio responderi possit abutendo uti dixi veritate, ut falsa introducatur doctrina, sed Martinus Delrius quest. illa 3. lib. 6. citata, respondet duo. Primum in solutione ad primum argumentum, quod † liberatio maleficiati non expectatur à Deo, neque à Sanctis, vel à Dæmonibus immediate, sed ab amotione signi, quæ est causa moralis liberationis à malo, hæc autem signi à Dæmone instituti abrasio, destructio idem est ac pacti cum Dæmone à malefico initi dissolutio, qua dissolutione facta iam amplius nocere non tenetur Dæmon, quare à Dæmonis cessatione in agendo pendet, quod maleficiatus sanetur dependet quidem mediate non immediate expectare autem effectum priuatiuum è Dæmone licet, quum hic effectus dimanet ab ablatione, & destructione signi, quod explicat hoc exemplo si quis cū hoste foret pactus quod suspensa de muro vitta coccinea occurrat, & portā occupet vrbeque potatur, & tertius quispiā ciuiū hoc resciscat nōne tollere licebit, imo merebitur

merebitur si fecerit? quis quæso illum proditoribus consentire dicat recte æstimantes iudicabunt cum pacta conuenta eorum non stabiliisse neque approbasse, sed abominatum ea rescidisse. Cur igitur non eadem ratione, & iure, qui rescivit pactum Dæmonis, & malefici, de olla, in familiae perditionem defossa, potens illam tollere, & tollendo censendus erit ab eorum pacto alienus? an cum ille non consentiat proditori qui illam destruit, huic censendum est maleficium qui illud destruit.

Hoc primum dictum Delrij, inutile est, & vt Apollonius dixit, est lutum luto purgare, & abstergere vt magis polluta vestis maneat, & contra illud sic insurgo primo, quia † alicuius agentis ope, & auxilio speratur salus maleficiati, ex vi destructionis signi, non à Deo, non à Sanctis, non ab aliquo remedio ab Ecclesia instituto, non ab Angelo bono, ergo à Dæmone, & ab homine qui amouet signum illud, qui rumpit cū expectatione, quod Dæmon cessabit à nocendo ex vi amotionis signi, ergo cum hac signi amotio quæ morale instrumentum nō influat moraliter per virtutem naturalem aut supernaturalem, neque ex institutione diuina manifeste influit per pactum implicitum Dæmonis, qui cessat ex vi amotionis, & destructionis signi à se instituti, cui fides adhiberetur virtualiter ab illo qui sperat salutem aut cessationem à malo inferendo, ex vi destructionis signi. Neque exemplum quod adducit est ad rem, imo potius manifeste est contra ipsum. Ciuis enim suæ Reip. amator sciens prodicionem, & ne sequatur signum proscribit, evertit, & auertit, facit in odium traditionis, à quo non sperat salutem patriæ, & damni alicuius quod de facto à traditore inferatur ex vi alicuius pacti, ablationem, si autem hoc ita esset ablatio signi ex vi cuius inferatur damnum si non esset in odium inferentis malum, erat consentire virtualiter pacto, quod non licet si autem signum auferatur in odium proditoris, & pacti ab eo initi vt ciuitas liberetur, iam nō speratur à proditore salus, sed meritorie speratur à Deo, cui fides datur, & in quo spes reponitur, ita † si signum maleficii destruat in odiū Dæmonis illud instituentis ad inferendum damnum (quod nullus Catholicus negat posse fieri meritorie) non speratur à Dæmone salus ex vi destructionis signi, sed à Deo, ob quem odio prosequor Dæmonem, & eius opera, quod odium mihi præceptum est tanquam inimici, cuius omnia opera sunt hostilia in genus humanum.

Secundò, quia quod ex signi à Dæmone instituti destructione dissoluatur pactum † non dimanat ex aliqua virtute physica na-

turali aut supernaturali, aut ex diuina institutione vel Ecclesiæ, vt dissoluto pacto nō inferatur damnum, quia etiam soluto signo potest Dæmon nocere sicut posito signo, ergo expectare quod ex vi signi pacti destructione Dæmon cesset, est expectare auxiliū & iuuamen à Dæmone siquidem hæc expectatio dimanat ex obseruatione alicuius rei vanæ ad talem cessationem inferendam, si enim destruitur in odium Dæmonis, & operum eius, iam hæc destructio pertinet ad reuerentiam Dei, eiusque amicitiam ad quam pertinet odio prosequi eius inimicū, quod si non fiat in odium Dæmonis, & eius operum destructio signi, est aliquod vanum, vt ex vi illius expectetur effectus siue positius sit siue priuatius, hoc enim nihil conducit vt pactum implicitum sit illicitū, sicut est illicitum ex pacto explicite expectare à Dæmone effectū posituum, aut priuatiuū, malitia enim superstitionis eadem est in specie siue dimanet à pacto implicito, siue explicite, quia vt ex vtroque Thoma, & communi sententia dixi † malitia superstitionis in hoc consistit, quod speretur, effectus à medio aliquo inutili siue naturaliter siue supernaturaliter ad illum inducendum, quare obseruare fractionem signi, sperando quod ex vi illius Dæmon cessabit à nocendo (cum hoc non habeatur ex institutione diuina aut Ecclesiæ) etiam si omnes communiter experiantur, quod Dæmon cessat à nocendo fracto signo, & maleficio destructo, supersticiosum est & illicitum, vt de similibus obseruantis obseruat D. Tho. q. 96. art. 3. dans huius euidenter rationem, quia † homines huiusmodi obseruationes attendunt, non vt signa quadam futurorum euentuum (non dicit effectuum sed euentuum) honorum vel malorum non obseruantur autem tanquam signa à Deo tradita cum non sint introducta ex auctoritate diuina, sed magis ex vanitate humana cooperante Dæmonum malitia, qui nituntur animos hominum huiusmodi vanitatibus implicare, & ideo manifestum est omnes huiusmodi obseruationes esse superstitiones, & illicitas. Quid clarius & illustrius.

Secundum dictum, & responsum Delrij est. Quod † amotio, & destructio signi & expectatio quod ex vi illius cessabit Dæmon nocere, non fundatur in pacto, nec datur fides Dæmoni, quod pactum suum seruet, sed tantum destruitur pactum, & eius obligatio soluitur, quare iam amplius non tenetur Dæmon nocere, & sic speratur non nociturum amplius, quia cessauit causa ad nocendum alliciens, nempe signi positio, vnde Dæmon, aliquando stat pactis conuentis, non sit verax, & fidelis, sed quia censet hoc sibi esse vtile ad homines decipien-

decipiendos sicut solent debitores minus debitum soluere, ut in grandioris summa creditoris simplicitate abutantur.

13 Verum enim vero responsum hoc est ab instituta controuersia alienum, & longe inferius quam res exposcat, & ut Tertulianus *lib. de carne Christi de calcaria ad Carbonariam digreditur*, & ex vno malo in aliud incidit primò, quia si expectatio quod rupto signo Dæmon cessabit à malo inferendo non fundatur in pacto inito, quod malum inferat ex positione signi tanquam in prima radice, & motiuo in quod resoluitur huiusmodi expectatio, dicat nobis Delrius in quod ultimo resoluitur huiusmodi expectatio, certe quidem nihil assignat nisi quia cessat causa ad nocendum alliciens, atqui non allicit ad nocendum nisi ex pacto ex vi cuius signum allicitur cum non alliciat vi naturali, aut supernaturali, ergo euidentis est quod hæc expectatio futuri euentus cessationis à damno inferendo resoluitur in pactum initum, & ita qui expectat futurum hunc euentum ex vi fractionis signi pactum approbat, & vane pernitiöse obseruat id quod ex vi cuius, euentus non est futurus nisi Dæmon se immisceat huiusmodi obseruationi.

14 Secundò, ad hominem, quia † Dæmon, etsi aliquando stet pactis nunquam tamen est fidelis, & verax cum sit pater mendacij, sed stat pactis quia iudicat sibi hoc esse vtile ad homines finaliter decipiendos, hoc enim certissimum est inter Catholicos, ergo non licet aliquem euentum expectare futurum dependentem ab eius voluntate, ex vi fractionis signis ab illo instituti ad nocendum, consequentia est euidentis, quia hæc cessatio illationis mali fit à Dæmone mendace eam ordinante in nostrum damnum, nisi cogatur cessare altiori virtute diuina, vel nisi fiat in odium ipsius Dæmonis, & omnium operarum eius.

## SECTIO V.

*Aliis argumentis eadem veritas fulcitur & confirmatur.*

### S V M M A R I V M.

1. An quod licet sperare liceat petere.
2. S. Augustini iudicium adducitur.
3. An qui sperat Dæmonem cessaturum ex vi fractionis signi ab ipso instituti, utatur vanis ac si essent vtilia.
4. Syluij mens affertur.
5. An qui tollunt signa maleficij non per hoc auferant à diabolo potestatem nocendi.

1 PRIMO quia quod † licet sperate licet petere, cum spes quædam species petiti-

nis sit rei speratæ, ergo si licet expectare à Dæmone quod cesset male facere ex vi fractionis signi à se instituti utique licebit ab eo petere, & exorare ut cesset, consequens autem omnino falsum est, ut constat ex doctrina 4. *posita* §. 2. quare eo modo, quod licet petere à Dæmone quod cesset, scilicet per modum obiurgationis, eodem, & licebit expectare scilicet ab iurando pactum, & odio prosequendo Diabolum, & opera eius in hoc enim odium, & abiurationem ultimo resoluenda est hæc expectatio, ut licita sit alias vana, superstitiosa, & pernitiösa est.

Secundò, quia ut optime S. Augustinus *lib. 2. de doctrina Christiana cap. 23.* † adductus doctrina 3. *cap. 24. & 25.* hoc signum quod est ruptio signi, qua posita Dæmon cessat nocere non est institutum ab hominibus ut inter ipsos homines valeret, & tantum valeret quantum ipsis placuit, ut valeat ex libera hominum institutione, sed tantum valet hæc ruptio signi ad cessationem damni, quantum præsumptione rumpentis, vnde institutum est signum hoc à Dæmone vel homine ex Dæmonis societate, & conuentione, & cū Dæmonibus confederatione. *Quæ omnia (ait Aug.) plena sunt pestifera curiositatis cruciantis sollicitudinis, mortifera seruitutis. Non enim quia valebant animaduersa sunt, sed animaduertendo atque signando factum est ut valerent.*

Tertiò, sumitur valde vrgens argumentum ex doctrina 5. *adducta* §. 2. quia † qui sperat Dæmonem cessaturum ex vi fractionis signi ab ipso instituti, utitur vanis ac si essent vtilia quod fieri nequit, nisi credat in tali fractione inesse pestiferam Dæmonis occultam virtutem, & sic pernitiöse expectat euentum ex vi fractionis, cuius ratio est perspicua quam dedit Augustinus *lib. 2. de ciuita. cap. 6.* quia si ex vi fractionis Dæmon definit nocere, ergo allicitur ad non nocere, atqui non allicitur rebus, sed signis, ergo illa fractio signum est Dæmonem alliciens ad voluntarie cessandum, sicut idolum cereum signum fuit ad malefaciendum, at omne signum quo Dæmon allicitur ad euentus futuros est ab ipso institutum, nisi cogatur diuina virtute, vel per remedia ab Ecclesia instituta, & orationibus sanctorum, abominatione Dæmonis, & omnium eius operum, quibus inclinetur Deus ad ipsum coercendum, & ex hoc motiuo ut sanetur maleficiatus, signum, & idolum rumpatur.

Quartò, arguit satis vrgenter Syluius 4 quo præcluditur illa Delrij imaginatio de vno vel duplici pacto, quod voluntarie dictum est non solide. *Quia qui tali fine signa tollit miscet se pacto quod Dæmon habet cum malefico, ergo malefacit. Antecedens probatur.*

*Quoniam*

Quoniam pactum aliquando quidem est huiusmodi, quod signo manente Dæmon nocebit, eo vero sublato tenebitur non nocere, quando autem pactum est simplex nimirum quod manente signo perget nocere, nihil expresse continens, quid facturum sit eo amoto, implicitè tamen continet, quod tunc cessabit nocere. Ideo enim ipse maleficus & alij signorum conscij ea tollunt, quia existimant nocumentum, tunc cessaturum, cuius existimationis nulla esset ratio, si non putaretur in esse saltem tacitum pactum de tunc cessando nocere. Confirmatur, † qui sic tollunt signa maleficij non per hoc auferunt à Diabolo potestatem nocendi cum Deus non tantum vsque ad illum terminum nocere permiserit, alioquin non esse signa Diaboli, sed Dei, ergo à Dæmonis voluntate expectat cessationem nocuenti, idque ex pacto inter illum & maleficum inito, hæc ille.

SECTIO VI.

Non licere alia ponere signa per quæ præcedentia signa posita, vim suam amittant, contra Suarez, & Fagundez ostenditur.

SUMMARIUM.

1. An non solum fas sit tollere signa magica, sed etiam ponere res aliàs, quibus positæ expiret pactum prius, & dæmon desinat nocere, & sanitas statim restituatur, & n. 3. & 4.
2. An repercussio saga, lauatio in tali flumine & si sit actio positiua, sit de se indifferens, & ordinetur ad auferendum signum Diaboli.
3. Guagerici Hispani sensus affertur.
6. Necnon SS. August. & Thom. & n. 7. 9. 13. 14. 16. 17. & 18.
8. Ratio difficultatis affertur, & n. 10.
11. An maleficium liceat maleficio tollere.
12. An quamuis sagam repercutere & ei panem cum sale porrigere sit quid ad iophorum quatenus subsunt pacti dæmonis, sit illicitum, & n. 21.
15. Vtrum Deus possit assumere dæmonem in verum ministrum ad predicandum, reuelandam, seu declarandam aliquam supernaturalem veritatem, cui tuto assentiri possimus, remissiuè.
19. An animus & intentio euertendi artes dæmonis exequatur per medium vanum & inutile.
20. Reliquiarum portatio, aspersio aquæ Benedictæ & Sacrificiorum oblatio nihil vani habent.

Stephanus Fagundez l. 1. in 1. in Decalog. cap. 43. n. 6. sequutus Suarez t. 1. de Relig.

lib. 2. de superstit. cap. 17. n. 16. & 17. Lessium l. 2. cap. 24. n. 45. Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 96. n. 3. citat Syluestrum verb. Maleficium quæst. 9. sed malè, quia ipse contrarium dicit, vt vidimus §. 1. Igitur Fagundez & alij dicunt, quod non solum fas est tollere signa magica, destruere, & comburere, sed etiam per se loquendo ponere res alias quibus positæ expiret, & destruat pactum prius & Dæmon de signat nocere, & sanitas statim restituatur. Exemplis res declaratur. Ponamus pactum cum Dæmone fuisse hoc quandiu hæc olla ex terra non extrahatur, & loco illius aliquid ponatur, verbi gratia lapis, hæc tegula aut locus ille aquæ benedictæ aspergine non leuatur non cessabit maleficium, nec recuperabitur sanitas. Item si saga te percusserit à tergo, inficieris, si illam repercusserit cessabit maleficium. si domo egressus fueris per talem portam maleficio ligaueris, si corpus laueris in tali flumine vel aqua maleficium soluetur. Item si anulum gestaueris in tali digito ægrotaueris si illum inde abstraxeris, vel illo alium digitum ornaueris, continuo sanaueris, licitum erit tibi ollam eruere, & loco illius res aliàs ponere, aqua benedicta locum aspergere, sagam repercutere, annulo alium digitum ornare & his similia facere, modo hæc omnia fiant non animo colendi dæmonem, sed destruendi pactum illius, nec affectu amicitiae, erga illum, sed ex odio ipsius. Ratio est, quia hæc omnia non fiunt modo deprecatorio, & effectu aliquo beneuolentiae, erga Dæmonem, sed animo & intentione destruendi artes Dæmonis, & tollendi signum, cui adstrictus est ad nocendum.

Secundò probatur, quia † repercussio sagæ, lauatio in tali flumine et si sit actio positiua tamen de se indifferens est & ordinatur ad auferendum & impediendum signum Diaboli, & sic nec est illicita, nec superstiosa cum non fiat animo colendi Dæmonem, nec in honorem ipsius, nec ad continuandam priorem pactiorem, sed potius ad destruendam.

Tertiò, quia si pactum esset tale quandiu hæc illa sub terra fuerit ægrotabit Petrus, vbi primum se signo crucis munierit, tales reliquias gestauerit, talisque orationes ad Deum fuderit, aut tot missas dixerit statim sanabitur, nunquid propter prauam Dæmonis conditionem & intentionem non licebit hoc facere, licebit sine dubio, nunquid id censebitur continuatio pacti & amicitiae cum Dæmone? non profecto, sed censebitur destructio illius si recta intentione fiat, & id licebit non solum propter specialem sanctitatem talium rerum, sed etiam ad destruendum signum à dæmone datum vt dicit Suarez ubi supra num. 16.

4 Quarto, quia mutata intentione dum hæc fiunt nõ expectatur sanitas à dæmone, hoc enim illicitum est, & intrinsecè malum cum sit dæmonem inuocare, & excitare illum, sed solum intendi debet, vt dæmon non habeat signum per quod excitetur, ad nocendum, quod naturali virtute ipsa saga aut quilibet alius destruere potest, quod enim hoc fiat actione positua, vt dæmon non solum, vt cesset à malo inferendo, sed etiam operetur aliquid ad salutem maleficiato inferendam est per accidens, & qui talem posituam actionem facit solum se habet permissiuè non deprecatiuè, & honorificè.

Verum enim vero Authores isti rem grauissimam & nouam de turri & mænibus iudicant, eam non satis accurate consideratam & perspectam, quare in eos sic infurgit Guagericus Hispanus vbi supra, dicens † quod liceat repercutere sagam, vel ei dare panem cum sale, aut ab eadem accipere panem, non videtur vlllo modo admittendum, quid enim istud aliud est, quam vti sacramentis ipsius demonis, vtpote cum talia non sint ab alio, quam ab ipso dæmone ad prædictum effectum instituta. Non enim à Deo, nec ab Ecclesia, neque vero à natura suam habent institutionem, vt manifestum est, ac proinde sunt merè superstitiosa, sed nec verbo licet petere à dæmone, quod nocere desinat. Tanta enim debet esse nobis cum illo inimicitia, vt non nisi impèriose cum illo agere debeamus in virtute Dei per salutaria media ab ipso non vero à dæmone instituta, iuxta id quod auctor dixit supr. verbo interrogation. 6. versic. sextum de inuocatione demonum. Hæc ille satis sapienter, quæ confirmant omnia ea, quæ in superioribus adduximus.

6 Et quidem contra hanc sententiam expresse militant Aug. & D. Tho. ille lib. 2. de doctrina Christiana cap. 20. vbi hanc sententiam & exēplis refutat & ratione, sic enim loquitur his adiunguntur millia immanissimarum observationum. Si membrum aliquod salierit, si iunctim ambulantes amicis, lapis, aut canis, aut puer medius interuenerit, atqui illud, quod lapidem calcant tanquam direptorem amicitie minus molestum est, quam quod innocentem puerum colapho cedunt si pariter ambulantes interuenerit. Sed bellum est, quod aliquando pueri vindicantur à canibus, nam plerumque tam superstitiosi sunt quidam, vt etiam canem qui medius interuenerit ferire audeant, non impunè, namque à vano remedio cito interdum ille percussorem suum ad verum medicum mittit. Hinc sunt illa, limen calcare cum ante domum suam transit, redire ad lectum, si quis dum se calciat sternutauerit, redire domum si procedens offenderit. Hæc Aug. quibus nihil illustrius contra Sanchez, & Suarez,

August. sunt secuti quotquot de superstitione scripsere antiqui, quid est obsecro lapidè calcare, puerum, aut canem repercutere, si per medium duorum ambulantium transferit, quid si dum quis se calciat sternutet, iterum ad lectum redire? nisi si saga percusserit, iterum repercutere si anulum in tali digito ponas sanabis, qui prius positus, in alio intulit infirmitatem, & similia quæ licere dicunt isti, & August. dicit esse immanissimas obseruationes, & vanum remedium.

Rationem dat S. Doctor cap. 25. quia hæc 7 omnia tantum valent quantum præsumptione animorum quasi communi quadam lingua cum dæmone fœderata sunt. Quæ tamen omnia plena sunt pestifera curiositatis, cruciantis sollicitudinis, mortiferae seruitutis, quam benè, mortiferae seruitutis, qua eo ipso, quod vano isto remedio à dæmone solum instituto ex pacto inito cum hominibus aliquis vtatur, velit, nolit, se seruum diaboli profitetur ipsum honorat, & veneratur, tacitè saltē. Ratio est perspicua † quia quāuis dum quis sciens esse dæmonis pactum, quod si sagam repercuterit non infirmabitur, vel si ei dederit panem cum sale, aut ab eadem acceperit panem non infirmabitur, intendat non honorare dæmonem, tamen vt diximus §. 2. doctrina 1. ex D. Tho. Sanchez & Suarez eo ipso, quod talia faciat, quæ vim humanam superant, & non habent virtutem ex diuina institutione ad effectum consequendum affectat tacitè & virtute se velle dæmonis opem, & profitetur velit, nolit se dæmonē indigere, legantur ea quæ dixi doctrina 1. cit. quæ veritatem istam conuincunt.

Secundo idem asseruit D. Tho. 2. 2. q. 96. 9 art. 3. & 4. vbi & probat ratione & S. Augustini autoritate, & quidem in corp. artic. 3. hac ratione sententiam istam modernorum præcludit, quia homines huiusmodi obseruationes attendunt; non vt quasdam causas, sed vt signa quadam futurorum euentuum bonorum, vel malorum; non obseruantur autem, vt signa à Deo tradita cum non sint introducta ex auctoritate diuina, sed magis ex vanitate humana cooperante dæmonum malitia, qui nituntur animos hominum huiusmodi vanitatibus implicare, & ideo manifestum est omnes huiusmodi obseruationes esse superstitiosas & illicitas, & in solutione ad secundum rationem radicalem tradit cum enim sibi obiecisset, quod communiter omnes experiuntur, quod ex huiusmodi obseruantis habent aliquod præfagium boni, vel mali futuri. Respondet, quod hoc à principio in istis obseruationibus si aliquid verè homines experti sunt hoc accidit à casu, sed postmodum cum homines incipiunt suum animum huiusmodi obseruantis implicare multa secundum huiusmodi obseruationes eueniunt per deceptionem dæmonum, vt



*in his obseruationibus homines implicati duriores fiant, & se magis inferant multiplicibus laqueis pernitiosi erroris, vt ait August. lib. 2. de doctrina Christiana cap. 23. cuius verbis ita clarescit vtriusque S. D. sententia, vt proteruus sit qui neget, quod amplius confirmat art. 4. rationibus quas iam subiicio.*

0 Probatur deinde argumentis à ratione & absurdo petitis primo, quia si facto pacto cum dæmone, quod si quis à saga panem accipiat, vel illi det panem cum sale, & quod si exieris per talem portam ligaberis, si corpus laueris in tali flumine, soluetur maleficium, & sanitas restituetur, si inquam facto hoc pacto licet facere ea, quæ pactum exigunt manifestè sequitur, quod licet absolute & simpliciter maleficium, maleficio solvere, consequens autem est omnino falsum & contra omnes Catholicos excepto Angelo, qui non est multum curandus, vt enim ait Syluester verb. maleficium n. 8. q. 8. §. in hoc tamen suo more in determinando audax, & periculosa dicit, hoc esse licitum) sequela probatur,

11 quia ideo † non licet maleficium maleficio tollere, quia ad secundum maleficiū requiritur nouum pactum, cum dæmone initum, quod est intrinsecè malum ex vi cuius pacti secundi cessat dæmon facere malum, quod intulit ex vi prioris pacti, id autem quod fit per duplex pactum fit in præsentem per duas partes eiusdem pacti, prima est nocendo, si saga tetigerit. Secunda cessabo à nocendo, vel non inferam nocumentum si sagam repercusseris, vel si ab ea panem accipias, vel illi tribuas panem cum sale. Dicere autem, quod hoc fit sine animo colendi dæmonem, ipsumque excitandi, & ordinetur ad auferendum & impediendum primum diaboli signum ab ipso institutum ad nocendum. Hoc inquam dicere profus est vobis ludere cum idem diceret, qui maleficium maleficio tolleret, quod scilicet hoc secundo maleficio non colet dæmonem, cum ipsum ordinet ad auferendum & impediendum prius maleficium, & pactum ita enim se habet vnum pactum ad aliud sicut pars vnus pacti ad aliam partem, & pactum, secundum omnes sui partes illicitum est.

12 Quamuis enim iterum † sagam repercutere & ei panem cum sale porrigere sit quid adiophorum, & indifferens, tamen vt subsunt pactioni & institutioni dæmonis omnino illicitum est, ea exercere, siquidem vtitur quis illis rebus vanis ad hunc effectum & inutilibus ac si vtilibus essent, in quo consistit pernitiōsa superstitio, vnde ille, qui eas facit velit, nolit ea exercet animo deprecatorio & affectu benevolentia, & seruitutis mortifera erga dæmonem, & illo se indigere profitetur, dum vtitur suis sacramen-

tis institutis ad ipsum alliciendum.

Secundo idem probatur ab inconuenienti, quia si licet partem pacti exequi ad impediendum damnum, quod illatura erat prima pars pacti non animo colendi dæmonem, aut se illi subiiciendi, ergo si dæmon in pacto cum malefico dicat si hoc idolum careum sit accubus transfixum sub terra infirmabitur Petrus vsque ad mortem, nisi secum portet toto vitæ spacio reliquias S. Laurentij in vase triangulari poterit quis illas portare non intendens dæmonem colere, sed impedire damnum sibi futurum, at consequens est omnino falsum, vt probat 13 D. Tho. quest. 96. art. 4. ad 3. dicens, si reliquias portentur ex fiducia Dei & sanctorum quorum sunt reliquias non erit illicitum, si tamen circa hoc attendatur aliquod vanum, puta quod vas esset triangulare, aut aliquid huiusmodi, quod non pertinet ad reuerentiam Dei, & sanctorum esset superstitiosum, & illicitum. Hæc ibi, quod non est ex alio capite, nisi quia figura triangularis, etiam si secundum se sit adiophora, & indifferens, tamen in ordine ad effectum est vana & per consequens, illi se ingerit dæmon, & qui illam portat pacto illius assentitur.

Tertio ex eodem S. Doct. nihil sanctius 14 quam proferre verba diuina & nomen Domini inuocare, quia hoc ad reuerentiam Dei pertinet à quo expectatur effectus, si tamen dum nomen Domini inuocatur habeatur respectus ad aliquid vane obseruatum illicitum est, & prohibitum, quia malum: similiter si dæmon pactum ineat si idolum transfixum accubus existat Petrus infirmabitur, nisi dicat missam pro infirmis, cum viginti candelis accensis & vna inaccensa quamuis totum hoc sit secundum se & bonum & adiophorum, tamen nullatenus licet facere, quia à dæmonis pacto dimanat, & tot luminaria esse & non plura vanum est, imo nec dicere missam licebit si sit respectus ad dæmonis pactum, quia vt sic vane obseruatur dum missa dicitur, quia in hoc dæmoni obtemperatur & spes habetur in eo velit, nolit, qui sic operatur, dicere enim missam, reliquias portare, nomen Domini inuocare secundum se licitum, Catholicum, & meritorium est, tamen quum fiunt ex dæmonis pacto non licet, ex hac circumstantia illicitè fiunt, quia dæmoni assentitur, cui neque in bonis profit ab ipso assentiendum est, quia semper intendunt nostram perditionem, etiam dum bona dicunt.

Quod latè dixi tom. 1. moral. tract. 5. res. 61. 15 vbi inquisiui † vtrum Deus possit assumere dæmonem in verum ministrum ad pradicandum, reuelandam seu declarandam aliquam supernaturalem veritatem, cui tuto assentire possimus? & negatiuam partem tutatus sum

multis, & grauissimis fundamentis, & contrariam proximam errori, scandalosam, & temerariam iudicavi, quam censuram grauissimis viris placuisse postea noui contra Ioannem Vortmant Dominum de Quiromont in *Historia de tribus Energumenis in partibus Belgij, & de quibusdam aliis Magia cōplicibus, &c.* Et ex dictis & non cum paruo studio collectis, ibi tam in probationibus quā in solutionibus argumētorum vrgentissima ratio colligitur, pro hac conclusione, quia scilicet exequi id quod Dæmon dicit esse remedium, non ex natura rei, sed ex pacto, & promissione ipsius licebit utique assensum præbere, iis, quæ ab ipso dicuntur tanquam vera prout ab ipso dicta, consequens autem omnino falsum est, quia, etsi vera dicat non est illi assentiendum, vt ibidem monstraui, ergo multo minus est vtendum remedio ab ipso instituto, sic enim Dæmoniacis sacramentis vtetur, quod sine illorum reuerentia saltem implicita, implicat.

- 16 Audiant authores oppositæ sententiæ quāta grauitate cōtra eos loquatur Aug. ser. 241. qui est in *Appendice de diuers. ser. 68. Quid facimus eo quod Auguria ipsa, & caragi, vel diuini nobis vera annūtiāt. De hac re scriptura nos contestatur, & monet, dicens, etiam si qua vera vobis dixerint, nolite credere. Tentat enim vos Dominus Deus vester utrum timeatis eum vel non, sed iterum dicitis aliquoties si peccatores non fuerint, aut de morsu serpentis aut de qualibet alia infirmitate prope vsq; ad mortē multi periclitantur, verum est fratres Charissimi, qui permittit hoc Deus diabolo ad probandum Christianum, vt in illum interdum per illa sacrilegia aliqua remedia in illa infirmitate percipere, & aliquid verum potuerint agnoscere facilius diabolo credant, sed qui totam Christianam Religionem desiderat custodire, oportet vt hac tota animi virtute contēnat, & infra id multis confirmat. Hac attendite fratres, quia cum omnem substantiam diabolus euertisset Beati Iob, non dixit Iob Dominus dedit diabolus abstulit, sed Dominus dedit Dominus abstulit, vir enim Sanctus noluit istam gloriam dare diabolo, vt aliquid potuisset tollere, quod Dominus nō permisisset auferre, & ideo certissime credentes quod nihil possumus perdere, nisi quātum Deus nobis permittit auferri, toto corde nostro ad illius misericordiam eamus, & sacrilegas obseruationes fideliter relinquentes de illius adiutorio semper præsumamus.*

- 18 Et infra hoc idem probat tali argumento. *Contestor vos coram Deo, & Angelis eius ac denuntio, vt neque ad illa diabolica conuiuia que ad sanū ad fontesq; aut ad aliquas arbores fiunt veniatis, etsi vobis aliquid inde transmissū fuerit, tanquam si ipsum diabolus videatis perhorrescite & respuite, & ita repudiare vt neque in domum vestram permittatis de illo sacrilego*

*conuiuio aliquid exhiberi propter illud Apostol. 1. ad Chorint. 10. num. 20. Non potestis calicem Domini bibere, & calicem Damoniorū, nec mensa Domini participare, & mensa Damoniorum, & quia solent aliqui dicere. Ego me signo, & sic manduco. Nullus hoc facere præsumat quomodo se signat in ore, & gladiū sibi mittit in pectore? nam quomodo gladio corpus occiditur, & illo cibo sacrilego anima occiditur, quid illustrius ad intentum.*

Ex quibus liquida conspicitur argumentorum oppositæ sententiæ dilectio. Ad primum respondetur, quod † animus ille, & intentio euertendi artes Dæmonis exequitur per medium vanum, & inutile quod iudicatur vtile ad illam euersionem, & hoc est illicitum ex natura rei, qui est tacita, & virtualis dæmonis veneratio, & inuocatio, eo ipso quod vtatur quis remedio vano vt aiebat Aug. lib. 2. de doctrina Christiana. Ad secundum respondetur, quod illa actio physice est indifferens, tamen vt est signum à dæmone institutum illo vti est intrinsicè malum sicut dicebamus ex D. Thom. de inuocatione Nominis Dei, & portatione Reliquiarum.

Ad tertium respondetur, prorsus esse frivolum, quia † si reliquiarum portatio, asperio aquæ benedictæ, & sacrificiorum oblatio non habeat aliquid vanum, quod ordinarie apponit Dæmon dum illa instituit tanquā signa, quibus allicitur ad operandum, vel cessando ab operatione, imo nequit ob suam obstinationem hæc sancta præcipere vt fiat, nisi in executione aliquid vanū misceatur, quamuis malefico non manifestet, cuius ratio est manifesta, quia huiusmodi sancta vt sic odio prosequitur Dæmon, & abominatur, & ita ea nō præcipit aut instituit, vt signa suæ malitiæ nisi aliquid addat vanū ratione cuius ea instituat tanquam signa cum allicientia ad operandum vel cessandum ab operatione, & sic sacrificium missæ offerre, quia Dæmon pepigit vt offerretur nullatenus licet, nisi offeratur in odium ipsius dæmonis, & operum eius, quia vt sic non offeratur ex vi pacti, si autem non offeratur ex vi pacti extra quæstionem itur, quis enim dubitat quod ego possum me lauare in flumine, aspergere me aqua benedicta, reliquias Sanctorum portare, & missas dicere?

Ad quartum respondetur, quod eo ipso quod quis repercutit sagam, quia sic pepigit Dæmon vt sanetur infirmus, vel sequatur maleficium non mutat intentionem omnino, sed eam retinet virtualiter inuocandi dæmonem eo ipso quod vtitur sacramento ab ipso instituto quod secundum se vanum est & inutile, & solum habet vim ex vi pacti initi, vnde non per accidens sed per se expectatur salus, & cessatio nocimenti à dæmone

mone institutore talis remedij vani.

## SECTIO VII.

*Soluuntur argumenta opposita sententiæ Delrij, & aliorum.*

### S V M M A R I V M.

1. *An illicitum sit soluere idolum acubus transfixum & alia similia signa magica ad inferendum damnum maleficiato.*
2. *An non sit peccatum superstitionis dissoluere, aut auferre signa magica per actiones quæ naturalem habent oppositionem cum signis delendis.*
3. *Quæ naturalis oppositio cum signis magicis delendis multipliciter possit intelligi.*
4. *An Daemonium sustinenti liceat petras habere, vel herbas sine incantatione.*
5. *Augustini sententia adducitur, & n. 11. necnon Chryst. & n. 12.*
6. *Quomodo dignoscatur quum est signum magicum, vel naturale ex Valentia.*
7. *Tobia exemplum affertur, & n. 8.*
9. *Variorum DD. sensus adducuntur.*
10. *Quæ oppositio inter actiones humanas & signa diabolica possit intelligi.*
13. *An effectus veneni sit naturalis.*
14. *An malefici non tollantur de medio, sed pœna mortis puniantur.*
15. *An in odium Daemonis & operum eius possint destrui signa malefica.*
16. *Maleficus potest sicut quiuvis alius signa malefici tollere in odium & detestationem tã demonis quam pacti, quod cum illo habuit, modo sic agat, vt omnis scandali periculum absit, ex Syluio.*

**I**n solut. prima, huius Digressionis fundamenta scholæ societatis adduximus, quæ cuertere facillè quisque poterit, ad primum respondetur, ex dictis constare caput ex eo, quod † illicitum est soluere idolum acubus transfixum, & similia signa magica ad inferendum damnum maleficiato, quia hoc nõ fit sine pacto tacito Diaboli eiusque inuocatione implicita, si expectetur effectus ex vi fractionis signi, si enim non expectatur sic fractio signi meritoria est, & Catholica, vt benè aduertit Magister Raphaël de la Torre tom. 2. quæst. 95. art. 5. disput. 3. conclus. 2. vbi ea quæ dicit sale prudentiæ sint condienda, dicit enim sic p. 2. 29. colum. 2. † non est peccatum superstitionis dissoluere, aut auferre signa magica per actiones quæ naturalem habent oppositionem cum signis delendis, quamuis & ipsæ actiones sint signa magica conuenta inter Demones, & Magos, si tamen delens non habet intentionem positiuam vtendi actibus, vt signis, vel vt Daemon cesset à malo, aut lar-

giatur bonum, sed dumtaxat tollendi & destruendi signa priora. Probat, quia actiones hæc positivæ habent natura sua impossibilitatem cum signis prioribus sicut affirmatio cum sua negatione e opposita, ergo vtens illis ad eum finem nullam superstitionem committit, sicut nec ille qui poterit, & conculcat signa magica. Etenim qui vtitur aliqua re quem naturaliter præstare potest non est dicendus supersticiosus.

Hæc doctrina verissima est verum indiget explicatione non parua, nec parum necessaria ne Dæmon in huiusmodi se implicet, etenim † naturalis ista oppositio cum signis magicis delendis multipliciter potest intelligi primò, si sit inter effectum naturalem quem causat Dæmon illectus signis istis, cui effectui naturali si aliqua medicina, & remedium naturale quod expellit effectum causatum à Dæmone quo effectum ablato, quod quod est tanquam complementum signi allicientis Dæmonem etiam, & maleficium cessat ligatura aut impotentia, quæ causabatur ab effectu, quem Dæmon inducebat, eamque conseruabat allectus tanquam à signo per effectum illum, cui effectui naturaliter potest esse alius inductus à medicina illi naturaliter oppositus, solet enim Dæmon per maleficium causare in homine melancholicum humorem, frigiditatem nimiam, aut calorem superabundantem, quibus effectibus sunt alij oppositi naturaliter, quos causat naturale medicamentum, quare ablata dispositione naturali, quam Dæmon exigebat ad causandum suum effectum, & ipse cessat à malefaciendo, & sic intelligo cap. Daemonium 26. quæst. 7. ibi. † Daemonium sustinenti licet petras habere vel herbas sine incantatione. Multoties etiam Dæmon in locis in quibus inhabitat requirit aliquem odorem, aut dispositionem in corporibus, aliquos humores, & affectiones, quibus existentibus, & ipse malefactor existit, vt constat de Lunatico illo Matth. 17. num. 20. de hac oppositio non dubito, quin liceat ponere remedium hoc naturale etiam si alias à Dæmone sit institutum signum, vel à cessando à malo inferendo, vel ad causandam sanitatem. Ratio est quia, qui scit tale remedium habere vim naturalem oppositam illi rei, & effectui, quem Dæmon ex malitia sua instituit tanquam signum non expectat à dæmone sanitatem, sed à virtute naturali remedij, quare est per accidens, quod Dæmon illud naturale remedium instituerit signum magicum, quia illo vt sic non intendo vt, sed naturali remedio.

Verum est quod si quis sciens hoc remedium naturale simul esse magicum signum illo vtatur vt citius quam natura operaretur, & sic applicat maleficiato, illo vtitur non vt remedio

remedio naturali, sed vt vano, & Dæmoniaco, quia in modo operandi magicum est? etiam si alias modo naturali operans effectum suum causaret, & sic † intelligo Augustin. *lib. 21. de ciuitat. cap. 6.* dum dicit. *Dæmones inhabitare in hominibus illecti, per varia genera lapidum, herbarum, animalium,* quia istis mouentur ad citius operandum salutē, & sic ratione modi operandi magica signa sunt, & ex hac intentio vt citius causent salutem non licet eis vti. Vnde egregie Pater Valentia 2. 2. *disp. 6. quæst. 13. punct. 2.* † vt dignoscatur quum est signum magicum, vel naturale, sic fatur *vers. Primo igitur ex modo operandi cognoscitur in hoc genere vanitas, & superstitio, tunc enim certo iudicari potest, vt minimum illico esse commercium cum Dæmone expressum, aut tacitum, illico enim se immiscet, vnde cumque vanitas operationis contingat, siue ex parte rei adhibita, siue ex parte modi. Vnde si quum modus est vanus simul etiam contingat rem esse insufficientem ad effectum intentum, erit non solum commercium cum Dæmone, sed etiam superstitio, si autem contingat rem adhibitam esse alioquin sufficientem ad effectum, tunc tantum erit commercium cum Dæmone propter vanum modum.* hæc ille, quibus addo, quod eo erit certior præsumptio auxilio Diaboli operatam sanitatem, aut incolumitatem, quo citius ea consequatur etiam adhibita causa naturali lentius deberet dimanare, sic enim D. Tho. *quæst. .... de potent. art. ....* dicit, quod contingit miraculum verum quum producit effectus citius, quam à causa naturali modo sibi debito deberet produci.

Ad hunc primum modum naturalis oppositionis, forsan posset quis reducere expulsionem Dæmoniorum, de quibus Tobia cap. 6. n. 8. dum Angelus dixit Tobia Iuniori † *Cordis eius* (scilicet piscis Cernuori) *particulam si super carbones ponas fumus eius extricat omne genus Dæmoniorum, siue à viro, siue à muliere, ita vt ultra non accedat ad eos, & fel valet ad vngendos oculos in quibus fuerit albugo & sanabuntur.* Vnde sicut in felle est naturalis vis ad consumendam oculorum albuginem, ita fumus eiusdem piscis de particula cordis prunis imposita accendens, valet ad aliquem effectum naturalem inducendum oppositum humori illi aut affectioni naturali, sine qua Dæmon non inhabitat in aliquo loco, aut corpore, & ita valet indirectè ad extricandum Dæmones, ita vt quando talis fumi effectus daret Dæmō vltius non accedat ad personam, aut locum fumigatum, nec enim video cur in felle piscis sit virtus naturalis ad abstergendam oculorum albuginem & in particulae cordis fumo, non sit virtus virtualis ad causandum effectum naturaliter oppositum ef-

fectui, affectui sensitui, aut dispositioni, quam exigit Dæmon ad inhabitandum, & nocendum, quam virtutem hominibus post lapsum ignotam, Deus pisci illi indidit, & Angelus Raphael medicus noster reuelauit Iuniori Tobia, sic etiam possunt conducere lapides, herbae, & radices, & similes naturales causa. † Legendi sunt Valesius *de sacra Philosophia c. 28.* vbi perdocte id tractat ex principiis veræ medicinæ. Gregorius Tolosanus *in Sytigmat. iurus l. 24. cap. 22.* Franciscus Georgius *tom. 6. problem. 119.* Mengus *in flagello Dæmonis cap. 6. vers. 8.* Abulens. *in cap. 16. lib. 1. Regum q. 46.* ego ipse *tom. 1. tract. 5. resol. 48. & 49.*

Secundo modo † potest intelligi hæc naturalis oppositio inter actiones humanas, & signa diabolica, ita vt ista deleantur ex illarum positione quatenus homines faciunt aliquid aut ponūt naturalem aliquam rem, quæ directe agat in Dæmonem ipsumque expellat aut compellat ad sanitatem operandam aut infirmitatem repellendam, & hoc modo nisi virtus aut eleuatio interueniat diuina, aut Angelus bonus aut Ecclesia ille sua potestate supra Dæmonem omnem etiā superiorem, ista vero suis exorcismis, precationibus, & intercessionibus, omnino implicat, tum quia Dæmon spiritualis est creatura in quam nulla corporea queit agere, nisi vt instrumentum diuinæ omnipotentia aut ex diuina institutione assumptum vt bene adnotant Valesius *vbi sup.* David Amauden. *in Tobiam cap. 6. sect. 8.* Seranus *ad cap. 8. quæst. 3.* vnde si quis ad tollendum vel impediendum maleficium re aliqua vtitur, aut actionem positiuam facit, quæ non ex natura sua vim habeat ad effectum contrarium inducendum, illi quem Dæmon vt inhabitet, requirit, aut vt damnum inferat, dubio procul salutem procurat vano remedio, & dæmonis auxilio.

Vnde additione 3. ad capitula Caroli Magni & Ludouici cap. 61. editio. Pithæi dicitur. *Admoneant Sacerdotes fideles populos, vt nouerint non ligaturas ossium, & herbarum cuiquam mortalium adhibitas prodesse, sed hæc esse laqueos, & insidias antiqui hostis, quod qualiter sit intelligendum multo ante docuerat* † Augustinus *lib. 2. de doctrina Christiana cap. 29.* his grauissimis verbis quibus rem hanc extricauit, enucleauit, explicuit. *Aliud est (inquit) dicere tristam istam herbam collo si suspenderit venter non dolebit? ibi enim probatur contemperatio salubris, hic significatio superstitiosa damnatur. Quamquam vbi precantationes, & characteres non sunt, plerumque dubium est vtrum res qua alligatur, aut quoquomodo adiungitur sanando corpori vi nature valeat, quod libere adhibendum est, an significatiua quadam obligatione proueniat, quod*

tanto prudentius oportet cauere Christianum quanto efficacius prodesse videbitur, sed ubi latet qua causa, quid valeat, quo animo quis utatur interest duntaxat in sanandis, vel temperandis corporibus, siue in Medicina, siue in agricultura, quæ vltima verba quomodo sint intelligenda antea dixerat cap. 20.

12 Sed audi Chrysostr. homil. 8. in cap. 3. ad Colossens. hoc argumento vtentem, quod dicitur à minori ad maius negatiuè. Dic mihi (ait) si diceret quispiam, duc ægrotum in templum simulachrorum, ferres ne illum? Non inquis, quare? quia ad simulachrorum cultum dirigeret, inquis, hic vero nō est simulachrorum cultus, sed impliciter incantatio. Hæc satanica cogitatio est; istæ sunt insidiæ Diabolica, ad occludendum seductionem, & ad porrigendum sub melle venenosum pharmacum, sciens enim te ad simulachrorum templum persuaderi nō posse hac via ingreditur amuleta & aniles fabulas adducens, & infra. Quomodo non ridebunt nos Graeci? Quomodo non subsannabunt, quum illis dicimus magnam esse crucis virtutem, quomodo credent, cum videant nos istis egere, quæ ipsi derident? quæ satis ad rem præsentem attinent, quo enim titulo, quoque motiuo actionem facio de se inutilem ad maleficiū consopendum, nisi, quia factō ipso iudico vtilem ex tacita Dæmonis pactione.

13 Ad secundum respondetur, concedo antecedens, quia † effectus veneni naturalis est, quare distinguo consequens, si maleficiū euerto pactum abiurando & expectans salutem à Domino vera est illatio, si autem pactum non abiuro, sed ex vi fractionis ollæ sub terra posita, aut idoli cerei acubus transfixi expecto salutem consequendam, & dæmonem cessaturum à malo inferendo, falsa est omnino consequentiam, & Dæmonem cessaturum à malo inferendo falsa est omnino consequentia, vt satis liquet ex dictis.

14 Ad tertium respondetur (quamuis Delrius dicat non fuisse à defensoribus nostræ sententiæ solutum,) quod † malefici non tolluntur de medio & pœna mortis puniuntur, quia sunt signa diabolica, sed quia sunt ex malitia sua viua instrumenta inferni & malefactores qui Rempublicam suis malefactis conturbant, quare occiduntur, cremantur, suspendunt palo, quia peruersores boni communis & pacis publicæ.

Ad quartum respondetur probari, quod 15 † in odium Dæmonis & operum eius, quod expectans salutem à Dæmonio nullus Catholicus negat posse destrui signa malefica, quare Delrius, qui hoc argumento vtitur rem falsam cum veritate vult confundere.

16 Ad quintum respondetur ex Syluio in solut. ad 7. dicente. Quod † maleficus potest si-  
Tom. II.

cui quiuis alius signa maleficij tollere in odium & detestationem tam Dæmonis, quam pacti, quod cum illo habuit, modo sic agat, vt omnis scandali periculum absit. Quod si forte contingat eum non, posse ita tollere non idcirco erit causa nocuementi, postquam serio pœnitentiam egit, quamuis fuerit antea eius causa per pactū & inuocationem Dæmonis; per seriam enim pœnitentiam, & pacto, quod cum Dæmone habuit renunciat, & ipsi Dæmoni, adeo vt si adhuc aliquod nocuementum sequatur id soli Dæmonis malitia, quam, iustum Dei iudicium ex causa permittit sit adscribendum, non autem ei qui ex Malefico factus est iam pœnitens. hæc ille satis bene.

## SECTIO VIII.

Vtrum sententia opposita nostra sit aliqua graui censura digna?

### S V M M A R I V M.

1. An ex vi destructionis signi speretur Dæmonē cessare à malefaciendo, nisi dæmon ipse abominetur, simul cum suis operibus.
2. An non liceat destruere maleficiū cum expectatione, quod Dæmon cessabit ab operando malum.  
Item an non liceat reductinare maleficæ, vel illam percutiendo, aut aliquid ei dando, ne maleficiū efficax sit.
3. Guagerici Hispani sensus adducitur.
4. Quomodo confessor se debeat gerere in absolute malefici & sagarum, & n. 5.

Delrius quæst. illa 3. cit. §. 1. in fauorem suæ sententiæ, sic fatur. Hæc est communis sententia Hispanorum, Germanorum, Italarum, Gallorum, Britannorumque Theologorum quidem Scholasticorum omnium, Nominalium, Scotistarum, Thomistarum, ex quibus multi Cardinales, Episcopi, & Magistri Sacri Palatij, ceteri dignitatibus aliis, aut eruditione saltem & pietate conspicui. Quare cum sit incredibile tot Academiarum precipuarum professores in hoc dogmate ad mores pertinente vsque ad Hesselium errasse, & hodie quoque errare, tum in lectionibus, tum in ipsa praxi quotidiana, idque errore tam periculose sanè non videtur carere temeritate, qui hos omnes inscitia & errore condemnare audit. Hæc ille, verum hic Auctor de face haurit patrociniū. Neque enim Hispani, Germani & aliarum Catholicarum Nationum scriptores in consensu, quem intendit Delrius sequutus Lessium quos sequuntur Scriptores, alij Societatis, sunt locuti, sed alio longe diuerso vt nos explicuimus, quem amplectitur praxis Ecclesiæ  
h h quæ

quæ semper abominatur, † quod ex vi destructionis signi speretur Dæmon cessare à maleficiendo, nisi Dæmon ipse abominetur, simul cum suis operibus, unde non ex vi destructionis signi, salus speranda est, aut Dæmonis cessatio hoc enim, ut diximus est Dæmonis pactum tacitè approbare, quod non licet sicut neque dicere verbo tenus, quod à malefaciendo cesset.

Igitur cum nostra sententia duplicem  
2 contineat partem, primam quod † non liceat destruere maleficium cum expectatione, quod Dæmon cessabit ab operando malum secundum, quod non liceat redactiuare maleficæ, vel illam percutiendo, aut aliquid ei dando, ne maleficium efficax sit, quia ita in Dæmonis inito pacto statutum & conuentum est, si de prima parte loquamur, eam tanquam probabiliorem defendimus & tanquam magis immunem & securiorem à superstitione iuxta principia August. & vtriusque Thomæ, & toti antiquitati conformiorem, contrariam tamen sententiam, quam viri docti & pij defensarunt, censura non inuro, at securam non affeuerò à periculo superstitionis, ut in nostris fundamentis liquido apparet, si enim signum maleficij, potest euerti abominando Diabolum, eius opera, & pacta expectans ob hunc actum, salutem à Domino cur expectare licebit, quod Dæmon cessabit ex vi fractionis signi, & quod ex vi huius retrocedat à pacto voluntarie. quia non obseruatur signum, quod ipse instituit, certè quidem si hoc syncerè consideretur non videtur mundum ab omni Dæmonis obseruantia, siquidem exigitur, quod Dæmon aliquid voluntariè ponat in vtilitatem nostram, & non coactè ex vi alicuius sanctæ operationis, aut exorcismi.

3 Si tamen de secunda parte sententiæ nostræ sit sermo, de ea sic loquitur Guagericus. *Non videtur vlllo modo admittendum non solum licere signa maleficij destruere spe cessationis nocuenti, sed etiam licitè poni alia per qua precedentia vim suam amittant, puta quod liceat repercutere sagam ad auertendum maleficium, vel ei dare panem cum sale, aut ab eadem panem accipere, quid enim istud, aliud est quam vti sacramentis ipsius Dæmonis, utpote cum talia non sint ab alio quam ab ipso Dæmone ad prædictum effectum constituta, &c.* Cui Auctori assentior, existimo enim hoc nullatenus esse admittendum, id quod dicunt quidam, quos retuli *sect. 5.* eorumque sententiam in praxi neque in docendo, neque in consiliando tutam esse, aut practicam habere probabilitatem cum vsque ad Lessium quem sequuti sunt Suarez, Sanchez, & Fagundez nullus antiquior eam docuerit, contra quos sunt manifestè Au-

gust. & vterque Thomas locis citatis & omnes qui asserunt, quod non licet maleficium maleficio tollere, etiam si intentio destruendi & rescindendi pactum cum Dæmone primo initum.

Ad finem huius dubij aduertendum est, cum Guagerico Hispano vbi supra † *quomodo Confessor se debeat gerere in absolutione Malefici & Sagarum, si enim isti miserabiles eo deuenere, quod Christum & eius Sacramenta & fidem Catholicam abiurarint nequeunt ab aliquo quam ab Inquisitoribus delegatis Summi Pontifices, utpote cum incurrerint casum hæresis reseruatam in Bulla cænæ & in edictis Sancti officij, rursus si per maleficium damnatum intuleris, vel in bonis fortuna, vel in vita, vel ineptum faciendo maleficiatum, ut victum sibi & suis querat obligandi ad restitutionem iuxta principia tradita de restitutione si vero maleficiatus sit Clericus incurrit excommunicationem Canonis, & tandem excommunicandus est maleficus & Sagarum, an adhuc habeat maleficia vsquam posita ad nocendum. Quæ si per se noxia sint tenebitur ea destruere, aut amouere, si autem ex pacto dumtaxat noceant, potest ea destruere eo modo quo supra dictum est, videlicet in odium & contemptum pacti superstitiosi.* Hæc bonus Hispanus.

### DIGRESSIO III.

#### *Vtrum cicuratio Tauri in die S. Marci libera sit à superstitione.*

**T**omo 1. tractat. 5. Resolut. 25. Taurus hic in Syluam abiit, & meum sententium circa illius cicurationem etsi non omnino manifestum proposui, cogor tamen è Sylua in forum adducere iterum exagitantem, quia his diebus aliquatenus murmuratum est de meo dictamine, quod nec pietati, nec Religioni, aut cultui opponitur, nec alij quid, quod superstitiosum sit defendit. Igitur præter Auctores quos dedi loco citato, qui Magiæ Dæmoniacæ cicurationem animalis huius ferocissimi tribuunt & non miraculo, & deuotioni populi immemoriali idem sentiunt alij recentiores Theologi.

\* \* \*

## SECTIO I.

Opinio Reuerendissimi Magistri, Ioannis,  
à S. Thoma, confirmata  
adducitur.

## S V M M A R I V M.

1. Circuratio tauri in die S. Marci ad quam speciem incantationis & superstitionis spectet.
2. Variorū DD. sententiæ afferuntur.
3. An potestas miraculorum nullis adstringatur vocibus, nullis legibus.
4. An Deus permittat demoni facere miracula falsa, etiam prætextu sanctitatis ad decipiendum, ex Torreblanca.
5. Grillandi opinio adducitur, necnon Mag. à Sancto Thoma, & n. 6.
7. Authoris iudicium, & numer. 8. usque ad 13.
14. Quæcumque in nomine Dei & Christi fiebant, licite operabantur, ex Malleolo.
15. Quando agitur de animarum salute, & de re illicita iure natura vitanda, tunc quod leuius videatur, sed quod reuera sit animæ tutius, an sequendum & consulendum.

Reuerendissimus Pater & valdè amicus meus Magister Ioannes à S. Thoma in quadam quolibetica quæst. Compluti recitata pro gradu Doctorali obtinendo & habetur in 22. commentariis ad finem & est in ordine. 7. post multa, hinc inde eruditione adducta. Sic circa finem quæstionis concludit.

1. Quare res ista. (tauri circuratio in die S. Marci) sine dubio ad speciem illam incantationis & superstitionis spectat, quæ verbis quibusdam nullam aliam virtutem habentibus, quam nudam significationem sine villo Dei promisso, aut operatione effectus aliquos mirabiles, verè tamen Magicos circa animalia, efficit, sicut est, serpentum incantatio, quæ damone procurante, ita illos stupefacere & edomare solet, ut innoxie manibus attrecent, & magorum nutibus sine vlla resistantia obediant. Hæc est huius grauiissimi Magistri sententia indubitanter prolata † in qua secutus est Moure opusculo de incantation. & ensalmis sect. 2. cap. 2. numer. 13. & cap. 3. num. 16. & cap. 9. numer. 2. & cap. 16. numer. 15. quam non ita indubiè secuti sunt Raphaël de la Torre tom. 2. quæst. 96. artic. 4. disp. 1. S. huius argum. occasione in fine, vbi asserit, Cupio videre leges & obseruantias requisitas, ut inde possim venari quid sit de hac re sentiendum, vbi aliquid pietatis in D. Marcum miscetur. Franciscus Torreblanca lib. 4. iuris spiritualis cap. 6. numer. 34. approbare (ait) non

Tom. II.

audeo consuetudinem Confratrum S. Marci, qui à vesperis eius festiuitatis ferocissimum Taurum ex armento vocant, ut processioni assistat. ipseque statim obtemperans ciuitatem petit & deposita ferocitate à pueris & virginibus se tractari patitur. Nam licet ad inebriationem referat laguna ad discordiam, capit. 119. fol. 450. & ad fici alligati occultam proprietatem Alexander de Angelo lib. 1. contra Astrologos cap. 18. & ad aliam causam (scilicet ad ligationem dextri Tauri genu.) Picrius in Commentar. ad Hieroglyphica titul. de bonorum obsequio folio 23. Talis ritus, ut superstitiosus damnatur à Clemente VIII. in Bulla ad Episcopum Ciuitatis. data Romæ 10. Martij 1598. Hæc ille referens verba Breuis Apostolici, sed non fideliter, ut ego totum ad verbum referens, lib. 6. huius tomo 2.

Sed hæc sententia vrgentius, quam vnquam confirmata à me est proponenda, & quidem Magister Raphaël de la Torre, sic argumentatur. Magna me tenet formido superstitiosa. Primò, quia † potestas miraculorum nullis adstringitur vocibus, nullis legibus, quas dicuntur seruare isti D. Marci Confratres. Secundò, quia iam stabilita fide, maxime apud Hispanos non est opus credulitatem Sanctitatis Diui Marci corroborare, sicut nec deuotionem nutrire magis quam aliorum Sanctorum, illa miraculosa bestia ferocis mansuefactione. Tertio, quid D. Marco cum tauro? cum ex illa mystica quatuor animalium visione potius sibi obtigerit figura Leonis.

Torreblanca sic arguit. Non repugnat. † Deum permittere Dæmoni facere miracula falsa etiam prætextu Sanctitatis ad decipiendum, ut tradunt D. Th. ad Theff. 2. lect. 2. & 22. q. 178. art. 2. Suar. t. 2. in 3. p. 1. disp. 31. sect. 2. Valle de Moura, & quidem multos esse qui arte Dæmonis bruta huiusmodi incantant, tradunt Delrio l. 2. q. 13. Laguna ad Dioscori. lib. 6. c. 54. Arnobius l. 1. Cassiod. l. 3. ep. 31. Grilland. de sortileg. q. 8. de crocodillis à piscatoribus tradit Villamonte l. 3. itinerar. c. 12. de leonibus Syluius Italicus.

Hareolo non pavidus fatas mulcere leonas De Trigidibus & Dracon. Petronius arbiter Hircanique Tigres & iussi stare Dracones Nec solum fisti cogebantur, sed exarmabantur veneno, ut eos tractantes non morderent, aut si morderent nil mali adferrent, ut de viperis hac arte incantatis, & in coronam Romæ adductis à nebulonibus, (quos ego vidi ann. 1624.) ut pecunias extorquerent, narrat Laguna vbi supra nam, ut ait Syluius Italicus.

Serpentes diro exarmare veneno

Doctus Atyx, tractuque graues sopire Chelyndros.

Hæc Torrebl. quibus addo, id quod in 6. Synodo Trullana cano. 61. dicitur de quibusdam

h h 2 qui

qui vrsas & huiusmodi animalia ad ludum & simpliciorum noxam circumferunt, quæ verba Theodorus Balsamon, etsi schismaticus non ineruditus intelligit sic, *Vrsas trahere dicuntur ij, qui Arctotrophi idest vrsorum altores appellantur, qui quidem in capite & totius animalis corpore, tincturas appendentes, & pilos, ex ipsis tondentes, eos vna cum tincturis dant, perinde ac remedia, & amuleta & tanquam in morbis, ac fascinantibus oculis conferre possint.* Hactenus Balsamon qui huiusmodi vrsorum cicurationes tanquam superstitiones cum Patribus Trullanis censet,

Seneca etiam in *Medea act. 4.* sic fatur  
*Taurus coercesit figure Arctorigens,  
 Et omne monstrum tracta magicis cantibus.*

5 Grillandus pariter † *vbi supra ad finem quest. 8.* dicit se vidisse Romæ hominem natione Græcum & magum, qui tempore Adriani VI. antequam Pontifex in urbem veniret taurum ferocissimum verbis compressisse & humiliasse, sic quod cordula quò vellet ligatum duceret, forsan hic Græcus Magus idem est, qui tempore Clementis VII. idem fecisse legitur, isti enim duo Pontifices paucis interpositis, vnus alteri successit, nam Adrianus vixit anno 1522. & Clemens euectus est ad summam Ecclesiæ dignitatem ann. 1523. vixit enim Adrianus in sede Apostolica anno vno, & mensibus octo, diebus sex.

6 Magister à Sancto Thom. † sic procedit calamo eloquentiæ, vt est vsus in huiusmodi quodlibetis, *caterum in hac quæ narramus Tauri cicuratione, sicut fieri solita est nihil accidere, quod diuini miraculi, vel tenuiter odoretur vestigia, sed quod superstitione macula tingatur fuligine, hoc asserimus, hoc firmamus. Nec nos solum, sed testimonium perhibet de his, Sacro-sancta Sedes Apostolica, cuius oraculo supremoque iudicio inclinare caput cogimur, cum Papa Clemens VIII. Ciuitatensi Episcopo in cuius diœcesi oppidum illud huic prodigio vacat situm est, per suas litteras commisit, vt talem abusum, quasi superstitosum prorsus euelleret & extirparet, nec amplius fieri pateretur.* Huius summi Pontificis Breue lib. 6. integrum dabo, in cuius diplomate manifeste cernitur sacerdotalis pectoris robur & nerosa veritatis censura, qua tanquam accipiti & acuto caelestis authoritatis gladio omnis superstitione conciditur, omnis impostura detegitur, & falsæ pietatis umbra penitus dissoluitur.

Certè Syluius ipse cicurandi belluam, longè à veri miraculi maiestate grauitateque recedit, miraculorum enim fulgor in eum finem sollimare videtur, vt vel in fidei confirmationem,

vel in commendationem sanctitatis alicuius persona, vel Ecclesiæ fiant. Fides autem satis apud nos confirmata & altis infixis radicibus, signis, & miraculis amplius non indiget, vt confirmetur, sed miraculorum loco ipsa sine signis firma credulitas succedit, hoc enim mirabile in fide nostra est, vt semel fundata sine miraculorum radiis propria tantum luce splendeat, & firmitate sua stabilis, atque immobilis obscuram caliginem sola illustret face certitudinis.

Persona autem, quibus superstitione ista peragitur nullius sanctitatis nota insignes habentur, vt miraculorum authoritate indigeant commendari, sed prout fortuito contingit Prefectum sodalitati illo anno reperiri ad tanta actionis solemnitatem, cuiuscumque vitæ ille fuerit æquis passibus animatur. Multo minus ad Ecclesiæ ipsius utilitatem, aut venerationem res ista conducit, cum potius, vt ipsius Ecclesiæ vniuersalis Pastor nos admonet, non sine ipsius Ecclesiæ conspurcatione, & labe non sine indecentia officiorum sacrorum non sine populi dissolutione, risu, & inquietudine in totius Ecclesiæ indignitatem spectacula ista celebrentur. Quorsum ergo hic miraculi vis, aut potestas, vbi tanti vndique infunduntur abusus?

Ipsa denique forma, & ceremonia stylus 8 inanitatem miraculi ostendit, quid enim ad cicurationem istam, sollicitudo illa, & præuentio refert, vt prius suffragiis communibus eligatur taurus, & electus Marci nomine insigniatur, ac deinde denudato capite in festi ipsius peruigilio à sodalitati Prefectus, dicto nomine euocetur? quid hæc ad veri miraculi patrationem conducunt, aut quid ad sancti venerationem, cultumque diuinum? vbi autem aliquid vanum & de se nihil conducent ad finem religiosi cultus adhibetur, ibi maximè superstitione locum habet, & maximè timenda est.

Tum quia stylus iste & forma cicurandi taurum, nisi ab ipso Deo, aut Ecclesiæ approbante præscriptum sit, sine dubio tanquam humanum commentum, aut inane commentum, & mera fictio habenda est, quod vero ab ipso Deo præscripta sit, aut annuente Ecclesiæ comprobata non constat, imo oppositum ex relata Pontificis sententia manifestè colligitur. Si vero ex hominum placito & humana tantum voluntate res ista subsistit, cum ex sola sermonum & vocum significatione virtutem illam cicurationis sortiri nullomodo possit, restat, vt ab aliquo prauo spiritu vim suam aliquo pacto tacito, vel expresso verbis illis alligante effectum istum procedere teneamus.

Et certè qualis cultus censeretur potest & 10 non potius irrisio, & maxima Christianæ Religionis indecentia, fortassis à demone ad diuinum cultum minuendum procurata, brutum animal



mal & ferocissimam belluam tanto strepitu & concursu tantis clamoribus, tam prophano ludo intra ipsam Ecclesiam induci, ibique toto festiuitatis tempore quasi in stabulo immorari omnium animos, & oculos ad se conuertere, & à diuinorum attentione debitaque reuerentia, & grauitate auertere, popularibus mentibus quasi ludricum reddere quidquid tunc in Ecclesia geritur, ne videlicet ad Dei laudes, & religiosam modestiam animus erigatur, sed tota Ecclesia confusa clamoribus irreuenter tractetur, puerorum, ac iuuenum circa taurum discurrentium inquietudine ferueat, ubi nihil modestum, nihil religiosum, nihil ad pietatis ac Religionis augmentum, sed totum ad euagationem mentis, & iocularum tumultum compositum, efformatumque videatur. Hæc ad verbum vir satis cordatus, & prudens, quibus videtur *Argineum Clypeum*, abstulisse discerpisseque consuetudinem, hanc tanquam conchylium, sed vt ait Plutarchus.

*Est Pylus ante Pylum siquidem est Pylus altera sane.*

11 Cæterum antequam Pylum nostram in medium adducamus placet amplius, & forsân vrgentius cicurationem tauri S. Marci, vt immunem à superstitione impugnare, primò, quia vel hæc tauri cicuratio fit tunc temporis quàm à Confratribus emittitur, aut acceptatur illius oblatio ab aliqua pia, & deuota persona, & insignitur nomine Marci ab ipsis confratribus sine aliqua alia cæremonia, aut signo, ritûve speciali ( vt fit in Oppido huius Diœcesis Hispalensis dicto *la Puebla*, distante ab Oppido dicto *Loria*, triplici aut quadruplici iactu lapidis, & hoc errore ductus dixi in *Resol. illa 21.* quod hæc cicuratio fiebat in Oppido dicto, *Coxia*) ab Hispali autem distat per duas leucas & dimidiam, & tunc aut cicuratio fit ex vi impositionis nominis, aut ex designatione ad diem festiuum, solum & sic tempus obseruatur diem scilicet S. Marci, & non alium in quo cicurationem faciendam auturnant, at temporis, diei, horæ, & anni obseruatio tanquam vana, & superstitionosa damnatur à Patribus, super illud *ad Galat. 4. num. 10. Dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos, timeo vos, ne frustra laborauerim in vobis.* Ambrosius, *ibi: Tempora sic obseruant cum dicunt hodie festiuitas est.* Sequuntur Augustinus, *epist. 119. & in Inchiridio. ad Laurentium, cap. 79.* Anselmus *ad cap. 4. epistol. ad Galat.* & legendi sunt Ciruelus *p. 3. de superstit. cap. 6.* Arles in *simili tract.* Martinus del Rio *lib. 3. disquisit. p. 2. quest. 4. sect. 7.* vbi id eruditè confirmat.

12 Si vero hæc cicuratio ferocissimi animalis fit ex vi nominis impositionis pro audiendum est in syluis suæ oblitus ferocita-

tis, vocatur vt suæ satisfaciatur obligationi, sic enim vocabitur ab his qui eum trahunt ad Ecclesiam: *Ven Marcos a complir con la obligacion.* Hæc enim, & nullum aliud verbum proferunt portitores illius quo audito quasi ouis venit sine fune, sine fustibus, sed solum dirigitur virgula, concluditurque in loco subsidio quousque iterum vocatur, vt assistat processioni, quæ fit per vicos & plateas Ciuitatis, neque enim assistit in loco *de la Puebla*, sacrificio Missæ, & verbi Dei prædicatione, etsi audio in Diœcesi Salmantina etiam in Ecclesia fit, dum fiunt officia omnia diuina. Si inquam hæc cicuratio fit ex vi verborum, aut nominis impositione, via & ostium magnum aperitur superstitioni ex vi verborum horum efficacitæ & virtutis.

Primo ensalmus ille quo utebantur milites Hispani de quo, & quem referunt Martin. del Rio *lib. 3. disquisit. p. 2. quest. 4. sect. 3.* & vt superstitiosum suo tempore Episcopus Iprensis in Flandria vnà cum suis Theologis, & Consiliariis damnauit, & multis impugnat ibi Delrius ipse, quamuis in illo non nisi verba sacra & sancta contineantur, quia effectus huius ensalmi totus expectatur à Deo per modum miraculi, sed miracula sic assidue & quasi ex consuetudine poscere est Deum tentare. Deinde sancti viri ad miracula edenda non sunt vsi determinatis verbis, & nominibus, sed prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis, & inspirabat, nec enim gratia miraculorum datur sub conditione, vt certis vtatur verbis.

Secundò, ex hoc magnam accipient occasionem Discipuli, Felicis Malleoli Canonici Tigurini, vt defendant opus eius duobus libris digestum de exorcismis, quorum verbis aliam virtutem confert admirabiles operationes; quâs ex Magia Dæmoniaca dimanare nulli Catholico dubium est. Quare opus istud & nomen Ecclesia Romana inter primæ classis prohibitos Auctores, quorum cuncta scripta sunt vetita, retulit, & quidem ipse Malleolus eo utebatur argumento, quod † quæcunque in nomine Dei, & Christi fiebant, licitè operabantur, iuxta illud Pauli *ad Colossens. 3. num. 17. omnia quæcunque facitis, in nomine Domini Iesu Christi facite*, quare si hæc mira fiant in nomine Christi licitè fiunt hoc enim promissum est nomine Christi, *Marci. capit. ultim. in nomine meo, Dæmonia eticient, &c.* si enim ritu priuato ab Ecclesia non instituto licet cicurare ferocitatem animalis, cur similibus ritibus & cæremoniis non licebit etiam vti, vt infeliciter prætendebat felix ille qui formulas ex verbis sacris confectas proponens, vt illis licitè quis vti possit

ad sanitatem & alia mira faciēdi, *fortassis* (inquit) *est arcanum Dei, quod Sancti viri per revelationem acceperunt*, quod etiam dicunt defensores Cicurationis Tauri.

- 15 Tertiò, quia † quando agitur de animarum salute, & de re illicita iure naturæ vitanda, tunc, non quod leuius videatur, sed quod reuera sit animæ, tutius est sequendum & consulendum, *nam in dubiis tutior est eligenda pars, & relicto incerto, quod certum est amplectendum*. vt ius Canonicum, Patres & Doctores adfirmant, cum ergo in præfenti agatur de vitanda superstitione, & occulenda via animabus perniciosissima id, quod tutius est amplectendum.

Quartò, quia teste D. Tho. 2. 2. *quest. 96. art. 2. tam in corpor. quam in solut. ad 3.* si ad aliquem effectum inducendum adiungantur, vel Characteres aliqui, vel aliqua nomina, vel aliæ quæcunque variæ obseruationes, quæ manifestum est naturaliter efficaciam, non habere erit superstitiosum & illicitum.

## SECTIO II.

*Praxis Hispana de Cicuratione Tauri S. Marci in eius pervigilio, & Fæsto propugnata, adducitur.*

### S V M M A R I V M.

1. Cicurationis tauri exemplum adducitur.
2. D. Th. mens adducitur, & n. 3. 4. necnon D. Caietani, & n. 5. vsque ad 11.
12. Authoris iudicium assertur, & n. 14. 20.
13. An sit relatio, quod femina & popularis multitudo tauro venerationem, aut cultum diuinum tribuant, aut deserant.
15. In Toletanis Conciliis prohibentur choreæ fieri in Ecclesia.
16. Sixti V. prohibitio de Taurorum agitatione sine funibus in Hispania.
17. An hodie sint in Ecclesia multa miracula continuata miris effectus causantia, qui licet possint refundi in magiam damonticam, refunduntur in Deum mediis Angelis & hominibus.
18. Ex tempore quo Paulus Malitæ viperam excussit, insula illi diuinitus impertitum est, vt in ea serpentes omnes veneno careant.
19. Quid veniat aduertendum.
21. Quandonam propriè Deus tentetur.

1 Huius † cicurationis ferocis animalis in præfatis diebus non solum mirum, sed miraculum experitur Hispania nõ solum in hoc Oppidulo de la Puebla, sed in multis aliis Diocesibus expertū agnoscimus, ipsū tamē cum in medio sole fiat, & sciētibus S. Officij Tribunalibus, quæ in extinguendis incanta-

tionibus, & superstitionibus assiduo inuigilant, & pernoctant; quare cum DD. Inquisitores id non prohibeant durum est, quod alij, quibus potestas iudicandi tradita non est, ita acerbe in hanc consuetudinem infurgant, cuius principium, & origo non pactum Dæmonis, sed sancta, & pia deuotio videtur exutisse, & in dubio non est ita facile damnanda. Audi D. Caiet. 2. 2. *quest. 96. art. 4.* fundamentum huius propugnationis nobis proponentem his verbis.

*In art. 4. eiusdem 96. 9. † aduerte quod multa obseruantur in iis quæ pro Dei reuerentia aguntur, quæ superstitiosa apparent, & tamen fiunt & dicunt se excusari quia habent talē deuotionem, verbi gratia patientes contractionem neruorum accipiunt primum Carlinum (moneta est argentea Neapolitana) oblatum Crucifixo in parasceue cum adoratur, & ex eo fit annulus qui gestatus, valet contra illam passionem. Dicunt quod habent deuotionem ad hoc quia sic didicerunt, & experiuntur. Ego nescio hos excusari à vanitate, nisi putet quis expertus effectum ex deuotione, quod Deus alicui Sancto viro hoc inspirauerit, sicut hodie quia S. Gregorius triginta diebus orare fecit pro defuncto, missæ numero triginta dicuntur pro defuncto, videntur enim simplici corde similia credentes, & facientes ex deuotione excusandi, quia non peccant aut venialiter tantum, ex quo principale putat, quod diuina assistat virtus potest sustineri, licet nesciant aliam reddere rationem. Quare has conditiones quæ vanæ sunt, obseruant, nisi quia sic acceperunt à Maioribus. Difficile namque est confutare, quod seniorum traditione, & autoritate firmatum vulgares acceperunt. Non sunt tamen hæc extendenda, sed prudenter declaranda vbi fructus speratur ne deteriora eueniant, videtur enim hæc sic simplici corde ex deuotione facta valde imperfecte superstitionem sapere sicut mendacium iocosum imperfectum est in genere peccati in proximum. Hactenus Eminentissimum ingenium.*

In quæ nondum perueneram (quotidie enim edoceor ex Caietano) quādo primo exagitaui Taurum istum, vt licite cicurarem, & mansuetum in conspectu fidelium redderem, quod præfatis verbis securius possum in forum exire, tot enim sunt propugnacula fere quot sunt Caiet. † verba quod præfatis singula exponendo. Primum. Obseruantiam de primo Carlino oblato crucifixo in Parasceue, & non in alio die, quod manifeste superstitionem videtur involuere, & tamen excusatur à mortali si annulus ex illo factus fertur contra illam infirmitatem, quia habent deuotionem ad hoc, quia sic didicerunt, & experiuntur. Idem prorsus dicunt Incolæ horum Oppidorum in quibus Taurus cicuratur, quod sic didicerunt, & experiuntur ab immemorabili.

- 6 Secundum ergo nescio hos excusari à vanitate, nisi putet quis expertus effectum ex deuotione, quod Deus alicui sancto viro, hoc inspirauerit, idem dicunt incolæ, quod ex immemorabili consuetudine habent, quod sit in Hispania alicui viro sancto inspiratum, & in aliquibus Oppidulis non in omni Hispania executum.
- 7 Tertium videntur enim simplici corde similia facientes ex deuotione excusandi, quia non peccant, aut venialiter tantum, ex quo principale puta, quod diuina virtus potest sustineri. Excusantur igitur à mortali incolæ horum Oppidorum cum expressè fateantur, quod hinc diuina assistat virtus meritis & intercessione S. Marci expressè renunciantes & odientes omne pactum, siue implicitum, siue explicitum.
- 8 Quartum hoc esse verum propugnaculum consuetudinis immemorialis, licet nesciant aliã rationem reddere, quare has conditiones, quæ vana sunt obseruant, nisi quia sic acceperunt à maioribus, hoc idem proclamant incolæ præfati, vident taurum ferocissimum mansuefactum & tanquam ouem ducere etiam si zelotypus inter baccas existat, vocatum vt inter sit processioni & festiuitati S. Marci aduenire huius mirabilis nullam rationem dant, nisi quia à maioribus acceperunt.
- 9 Quintum difficile est namque confutare, quod seniorum traditione & auctoritate firmatum vulgares acceperunt, sic dicunt oppiduli isti, qui simplicitate ducti in deuotionem Evangelistæ Marci, tauri in eius honorem mansuefacti in processione solemnè circumducunt per calles, vicos & plateas dicentes se bono zelo facere & secundum scientiam, quia seniorum traditione & auctoritate firmatum acceperunt, hoc autem quam difficile confutetur experientia constat siquidem non obstante Breui Clementino, quod sinistra informatione factum, dicunt, impetratum, huic consultationi intendunt, tacite supplicantes de illo cui supplicationi videntur Pontifices annuisse, siquidem non insistant in ea obseruantia euertenda & prohibenda.
- 10 Sextum non sunt tamen hæc extendenda, sed prudenter declaranda, vbi fructus speratur ne deteriora eueniant. Prudens vtique propugnaculum, non enim est hoc facile extendendum, nisi declarandum non licere similia fieri à particularibus personis, hoc enim priuilegium cicurandi Taurum confraternitati S. Marci concessum est, vt tenet immemorialis consuetudo, non alicui particulari personæ, nisi quatenus nomine confraternitatis, id faciat, vocans Taurum nomine Marci sibi imposito, quare magna prudentia in similibus exemplis approbandis est necessaria.
- 11 Septimum videntur hæc sic simplici corde ex

deuotione facta valde imperfectè superstitionem sapere, sicut mendacium iocosum imperfectum est in genere peccati in proximum, quæ addit D. Caietanus, qui hoc excusans dixit, quod non peccant, aut venialiter tantum, quod non peccent explicuit, quod venialiter tantum si peccant, enucleat, quia cum ex deuotione fiant valde imperfectè superstitionem sapiunt, & sic est peccatum veniale, sicut est mendacium iocosum. Hæc sunt propugnacula non enormia ex doctrina D. Caietani eruta, quæ non facile expugnantur & diruuntur, sed sunt alia ex aliis quadris lapidibus fabricanda, non minus fortia.

Primum desumitur † à destructione præcipui fundamenti, cui oritur contraria sententia, quod est Breue Clementinum rescriptum Episcopo Ciuitatensi ad cuius informationem fuit editum & publicatum, quod fateor valde vrgere si Pontifex procederet tanquam definiens, rem esse superstitionem, quia sic non posset aliqua communitas Catholica amplius taurum hunc cicurare esset enim perniciosum in fide, & contra illam operaretur, qui contra definitionem Pontificiam ageret, vt est inter fideles certum dogma, tantum enim procedit Pontifex in hoc Breui, tanquam Legislator, qui ad instantiam, & informationem Episcopi Ciuitatensis legem fert, quia prohibet ne amplius cicuretur taurus iste in festo S. Marci ob rationes quas offert & Episcopi Ciuitatensis proposuit, & examinavit sacra rituum congregatio, ex cuius sententia tale dimanauit decretum, & Episcopus multa tacuit, quæ huius consuetudinis obseruantiam poterant releuare, & excusare, & aliqua forsitan retulit, quæ vera non sunt, vt constat ex verbis ipsius Breuis, *ibi statim à principio, exponi nobis fecistis apud nonnullos istius diœcesis Ciuitatis populos inoleuisse abusum quendam in festo S. Marci Euangelistæ, quo die Taurus ferocissimus publice ad missas & processionem à vicinis perducitur Marci nomine, candelam & panem in cornu gestans, magno sane cum diuini honoris & animarum periculo, cum ipsimet belluæ, à feminis præsertim, ac reliqua vulgi multitudine quasi è celo à Deo, vel à S. Marco ad processionem missæ, veneratio, ac diuinus cultus tribuatur, ad quod periculum. Quoniam hæc scandala, atque incommoda accedunt, primum gentilitica illa superstitione affinis ac simillima idololatria, deinde etiã mortis discrimen, tum etiam virtutis diuinae, ac miraculi cuiusdam efflagitatio, &c. Tu propterea pro tua in Deum pietate, &c.*

Imprimis vera non est relatio facta, quod † fœminæ & popularis multitudo Tauro venerationem, aut diuinum cultum tribuant, aut deferant, imo potius S. Marcum venerantur & colunt in eius honorem à maioribus ac-

ceperunt, & est immemorialis consuetudo fieri hanc ferocis animalis cicurationem, quo supposito nullam speciem idolatriæ habet, & hoc dixit, Pontifex ex falsa relatione Episcopi, sicut & quod sit mortis periculum, nunquam enim visum est taurum istum quandiu cicuratus exitit aliquē, aut vulnerasse, aut occidisse, rursus non petitur, aut efflagitur nouum miraculum, sed nixi immemoriali experimento ab immemoriali à patribus in filios traditio petunt continuationem eiusdem & quod diuina virtus, sicut assistit primis illis hominibus, assistat modo præsentibus, non propter merita propria, sed propter merita S. Marci Euangelistæ, quare scandala cessant, & gentilitia superstitio hic nõ adest, sed deuotio & dulcia in S. Marcum, quæ nullatenus defertur Tauro, qui illius est prorsus incapax, neque enim Taurus iste tanquam Osyris Ægyptius veneratur, sed tanquam miraculosè mansuefactus aspicitur, & admiratur, mouens animos fidelium ad Deum laudandum, qui non solum est mirabilis in sanctis suis, sed admirabilis etiam in brutis animalibus propter sanctos.

- 14 Quare dum Pontifex breue hoc edidit & diuulgauit processit tanquam Legislato, prohibens hanc cicurationem propter aliqua incommoda, quæ circa mundiciem Ecclesiarum, & templorum & circa deuotionem fidelium, qui diuertuntur dum assistunt diuinis officiis videntes bestiam, ita ferocem inter homines habitantem absque damno & periculo multitudinis, quod secundum se potius erat motiuum ad sacrificandum Deo hostiam & sacrificium laudis, quare lex ista non fuit admessa, neque in Ciuitatensi diocesi, sicut fit in multis aliis Pontificiis legibus & constitutionibus, quia magis ponderat, quod consuetudo ista immemorialis obseruetur, quam vitare aliqua minora incommoda, quæ ex assistentia tauri cicurari in Ecclesia possunt sequi. In Conciliis enim † Toletanis prohibentur choreæ fieri in Ecclesia, & aliqui dicunt esse mortale si ibi fiant, vt tenet Syluester *verbo chorea n. 2. quest. 1. versic. secundo de bitus locus*, Ioannes Angelus *argum. ex cap. decet de immunit. Eccles. in 6.* & tamen in tota Hispania in Ecclesia fiunt etiam dum celebrantur diuina officia, quia iura illa abierunt in desuetudinem.

- 16 Deinde declaratur amplius, quia † Sixtus V. Breui speciali prohibuit agitationem taurorum sine funibus in Hispania, dicens esse *gentilicam consuetudinem & demonum spectaculum* & tamen Clemens VIII. concessit huiusmodi ludum *propter insitam Hispaniæ gentis ad illum, inclinationem*; ergo cum cicuratio tauri in die S. Marci possit liberari

à peccato mortali, & à superstitione perniciofa, cum huius sit in Hispania immemorialis consuetudo, nisi hæc expressè derogetur censetur non prohiberi, vt est communis sententia, præterquam quod cum sit lex ista humana & potest non admitti, & de illa supplicari, vt allegentur à populis motiua, quæ habent, vt cicurationem istam à superstitione liberent, & sic legis obligatio suspēditur quousque æqua lance librētur & ponderentur; nõ ergo ita viuus est sermo Clemētinus, vt tanquam gladius acutus ex vtraque parte taurum nostrum eneruet, quin effugi valeat eius acies. Cum enim fratres Confraternitatis S. Marci sint in possessione conuocandi taurum Marcum & sic illum cicurandi, nisi patenter sit superstitiosum talem cicurationem perficere, Breue Apostolicum ipsis inauditis, etiam si esset ex motu proprio non spoliatur sua possessione immemoriali, nec tollit quin fratres prædicti eum defendant & exceptiones præfati Breuis faciant, vt ait Seraphinus *decis. 280.* quem sequitur Barb. *de claus. vsufreq. claus. 79. n. 48.* imò etiam si Pontifex excluderet omnem consuetudinem, non comprehenderet immemoriam hanc, nisi expressaret, vt multis citatis decisum tenet Gonzalez *ad Regulam 8. gloss. 33. nu. 5.* Gratianus *in disceptatio. cap. 491. n. 6.* & censuit Rota apud Farinacium *part. 2. decis. 610. n. 1. coram Cocchino Decano 5. Decemb. 1614.* & alibi sæpè, quare Breue Clement. loquitur de facto, quod tueri potest.

Secundum argumentum est, quia † hodie <sup>17</sup> sunt in Ecclesia multa miracula continuata miros effectus causantia, qui licet possint refundi in Magiam Dæmoniacam, tamen refunduntur in Deum mediis Angelis, & hominibus, vt instrumentis operantibus, & applicantibus diuinam virtutem alicui subiecto in speciali, & quod non tribuatur in Dæmonis auxilium, non ex alio colligitur, nisi quia ex se augent deuotionem excitant ad laudem Dei, & Sanctorum venerationem, roborant fidem, confundunt hæreticos, & confirmant fidem nostram, etsi illis iam non indigeat, tamen maximè conducit, quod fiant in Ecclesia, vt monstretur contra hæreticos Ecclesiam Romanam, veram, & Catholicam esse, conuentus autem hæreticorū ex proprio Marte congregato non à Christo institutos, & quamuis Resolutione citata horum miraculorum plura induxerim exēpla, tamen in præsentiarum alia ex multis quibus sunt plenæ Ecclesiarum Historiæ. Primum, sit in insula Malta Magno Magistro S. Ioannis subiecta in temporalibus nullum noxium, aut venenatum animal est postquam Beatus Paulus, dum se calcæ faceret & ad ignem post naufragium à vipera mor-

18 sus est, vt refert ex multis & sequitur Leri-  
 nus ad cap. 28. act. Apost. n. 6. alia refert Cor-  
 nelius à Lapide ibi, sic loquens. Porro ex hoc  
 tempore † quo Paulus Malita viperam excussit  
 insula illi diuinitus impertitum est, vt in ea  
 serpentes omnes veneno careant, & quantumli-  
 bet aliquem momorderint nihil prorsus inferant  
 nocuenti, eamque insulam vocant gratiam S.  
 Pauli, qui hac rarione abundè eis hospitij & ho-  
 spitalitatis compensauit. Malita, ergo nullum  
 maleficum serpentis genus nascitur, nec nocet  
 aliundè ad rectum, imò gleba Melitensis anti-  
 dotum est contra venena, adeoque ipsi Meliten-  
 ses quasi terrori sunt serpentibus. Ita Thomas  
 Fazellus de rebus Siculis decade 1. lib. 1. cap. Ba-  
 ronius Gancius & alij sic de S. Phoca Martyre  
 in Romano Martyrologio, die 5. Martij, ita le-  
 gimus. Qualiter de antiquo serpente trium-  
 phauit hodie quoque populis eo miraculo decla-  
 ratur, quod si quispiam à serpente morsus fue-  
 rit, vt ianuam Basilicæ Martyris credens atti-  
 gerit confestim euacuata virtute veneni sana-  
 tur, quæ refert Gregorius Turonensis lib. de glor.  
 Martyr. cap. 99. ergo ante S. Paulum Malita ob-  
 noxia erat venenis, Paulo ergo hanc immunita-  
 tem debet, & vltro acceptam refert. Hæc  
 Cornelius. Cur ergo idem non possunt con-  
 fratres S. Marci hanc Tauri cicurationem  
 debere, & vltro ab eo eius meritis acceptam  
 referre, simile quid refertur in Archiepis-  
 copatu Toletano meritis, & intercessione  
 S. Ildephonfi.

19 Sed circa miraculum hoc de immunitate  
 veneni tam in Malita, quam in Archiepis-  
 copatu Toletano aduertendum † quod vi-  
 peræ, & cætera venefica animalia in his lo-  
 cis vere habent venenum, est enim illis na-  
 turalis proprietas orta ex specifico tempera-  
 mento, quod immutatum manet sicut, &  
 species horum animalium, & priuilegium  
 his locis concessum à Deo meritis Pauli, &  
 S. Ildephonfi Conciuis mei, in hoc consistit,  
 quod venenum non noceat, nec vires suas,  
 & efficaciam exerat, in ciues insulanos, &  
 Toletanos si enim vipera Malitensis aliò de-  
 ferretur, vbi non est tale priuilegium nocer-  
 et vtique veneno à se effuso.

20 Secundum sit quod audiui à viris graui-  
 bus, in montanis quæ dicuntur de Xaca est  
 quædam heremitiola erecta in honorem S.  
 Ludouici Episcopi in cuius profesto, in quo-  
 cunque tempore in quo missa dici inchoe-  
 tur, statim florent omnia, quæ sunt ibi, por-  
 tæ, altare, imò & calix, & patena, & por-  
 tarum clauis, quis hoc in magiam referat  
 cum sit in honorem Sanctorum, vt enim ait  
 D. Thom. 2. 2. quæst. 178. miracula ea sunt, à  
 Deo, vel vt ipse honoretur. & laudetur in San-  
 ctis, vel vt ministeria supernaturalia credi-  
 bilia reddantur, vel sanctitas alicuius mani-  
 festetur, vel tandem, vt conseruetur vene-

ratio & cultus, tum Dei in Sanctis, tum ip-  
 sismet sancti ob quod hodie multa conti-  
 nua miracula conseruantur, vt est ebullitio  
 sanguinis concreti aliàs, vt lapis S. Ianuarij, ad  
 præsentiam capitis, manna quod effluit ex  
 corpore S. Nicolai Episcopi Barenfis, & cur  
 non eodem modo non est tribuenda Tauri  
 ferocis cicuratio diuinæ virtuti sic operan-  
 ti in honorem S. Marci, quod enim ille qui  
 vadit ad euocandum taurum, siue sit Maior-  
 domus, siue quilibet alius nomine confratrum  
 non sit vir sanctitate præditus, imò  
 aliquando peccator & moribus dissolutus,  
 hoc non obstat veritati miraculi, quia, vt ait  
 D. Thom. quæst. cit. art. 2. in fine corp. Nihil  
 prohibet per aliquem peccatorem miraculum  
 fieri ad inuocationem alicuius Sancti, quæ tæ-  
 men miracula non dicitur facere ille, sed ille  
 ad cuius Sanctitatem denuntiandam, hæc fie-  
 rent.

Neque in hac Tauri quotanna miraculo-  
 sa cicuratione tentatur Deus dum petitur,  
 & exequitur, quia vt aiunt D. Th. & Dom.  
 Caiet. 2. 2. quæst. 97. † tunc Deus proprie ten-  
 tatur, dum quis ea intentione aliquid à Deo  
 postulat, vt exploret Dei scientiam, pote-  
 statem, aut voluntatem, vel dictis vel factis,  
 experimentum sumens de Deo, dubitans  
 an velit, possit, aut sciat, vel dicitur Deus  
 tentari interpretatiue, quum, etsi quis non  
 intendat experimentum sumere de Dei po-  
 tentia, scientia, aut voluntate dubitans, ali-  
 quid tamè petit vel facit quod ad nihil, aliud  
 est vtile nisi ad probandum Dei bonitatem  
 potestatem, vel cognitionem, quum enim  
 propter aliquam necessitatem aut vtilitatem  
 committit se aliquis diuino auxilio in suis  
 petitionibus vel factis, hoc non est tentare  
 Deum, quæ omnia in præsentem verificantur  
 sine eo quod Deus tentetur implicite vel ex-  
 plicite, aut interpretatiue cum hoc mira-  
 culum à Deo petatur à confratribus non du-  
 bitantes, imò certi, & certificati, ex tradi-  
 tione maiorum, quod ita fiet, quia sic sem-  
 per factum est, & in eo intendunt vtilitatem  
 scilicet honorem, & venerationem S. Euan-  
 gelistæ Marci, & quod Deus laudetur in san-  
 ctis suis.

### SECTIO III.

Eadem Hispana praxis confirmatur ex  
 solutione rationum in  
 oppositum.

### S V M M A R I V M.

1. Leges quas obseruant Confratres S. Marci  
 quæ sint?
2. An Taurus in die S. Marci in nomine eius ci-  
 curetur, & n. 3.

4. *An aliquando Deus permittat per demones, & eorum ministros mira facere.*
5. *Miraculorum diuersitas affertur ex S. Thoma.*
6. *Ex quo Arctotrophi dammentur.*
7. *Mali Christiani operantur miracula per signa publica iustitiae ad excitandum deuotionem, & cultum in sanctos, & laudem Dei.*
8. *Quis sit stylus, & forma taurum cicurandi.*
9. *Vnde cicuratio tauri fiat.*
10. *Nazianzeni mens adducitur, necnon auctoris, & n. 11. 12. & 14.*
13. *Vnde Malleolus superstitiones suas confirmabat.*

**M**ultipliciter confirmata est opposita sententia sectione prima, at praxis Hispana non ineffaciter est solidata cuius soliditas magis clarescet si opposita argumenta euanescent, quod praestare operosum non erit. Ad primum, Raphaëlis de la Torre respondetur, quod † leges quas obseruant cōfratres S. Marci nullæ aliæ sunt nisi in honorem Sancti, Taurum nomine eius insigniri, & vocare. Ad secundum respondetur, quod etsi miraculum cicurationis Tauri non fiat ut credatur vera Sanctitas Euangelistæ voluit Deus illud facere, ut eius veneratio crescat, & sacrificium laudis in sanctis feruentius Deo offeratur, ut contingit in exemplis à me positis sectio 2. Ad tertium respondetur magnam congruentiam interuenire in hoc quod † in die S. Marci taurus in nomine eius cicuretur, & mansuetus fiat in ipsius honorem, dum enim Alexandrini idololatæ festum suum infaustum Tauri Osiridi Egyptio celebrarent in eodem die S. Marcum fune ad collum alligato, tanquam Taurum deportarent ad locum, qui Bubalorum erat in quo ipse S. Euangelista Ecclesiam fundauerat, quæ refert Symeon Methaphrast. *in eius vita apud Lipomanum die 24. Aprilis. Factum fuit (inquit) ut beatus, & festus dies noster hoc est sanctum Pascha die Dominico celebraretur octauo Calendas Maij hoc est vigesimo-quarto die Aprilis mensis, qui ab Ægyptiis Pharmutius vocatur, illo autem tempore, & serapidis illorum Dei debacchatio celebraretur. Cuius igitur eam temporis opportunitatem nacti essent, homines quosdam subornatos miserunt, qui Apostolum sanctas diuinae oblationis preces, & ministerium facientem inuenerunt. Quem cum apprehendissent fune in eius collum iniecto trahebant, ita dicentes; Trahimus bubalum hunc ad bulei stabulum, & infra. Idem refert & cum magna tempestas orta esset impediens ne corpus Euangelistæ in cineres redigeretur. Quidam irridentes dicebant: beatissimi illorum Serapidis prouidentia hæc in illo viro fuisse facta*

*propter natalem ipsius diem. Legantur Ado. 7. Calendas Maias Baronius tom. 1. anno Christi 64. Calixtus lib. 2. Hist. c. 43. Beda in Martyrol. die 24. Aprilis, vnde egregius ille verbi Dei Concionator eruditus serm. 2. in festo S. Marci dixit, quod ob hæc verba infidelium, & quod tanquam taurus ductus est B. Marcus, abiit in proverbium taurus S. Marci, & quidem nõ est hæc tauri ferocis cicuratio absque ratione facta diuina virtute, in significatione, quod sicut S. Marcus velut taurus agitur in honorem Osiridis Egyptij in eius festiuitate, ita taurus qui Deus erat ficticius Ægyptiorum mansuefactus existat, & humiliatus ad pedes S. Marci in eius festiuitate. Quare iam constat ad illam interrogationem. Quid Diuo Marco cum Tauro.*

Argumenta etiam Francisci Torreblanca non magis vrgent. Ad primum respondetur, verum esse † aliquando Deum permittere per Dæmones, & eorum ministros 4 mira facere ut seducant homines id, quod nullus Catholicus dubitat, sed an hæc mira sint apparenter miracula, sed vera virtute diuina edita, cognoscere ad varias circumstantias pertinet, quibus consideratis diiudicatur quid sit verum miraculum, ut egregie adnotauit D. Thom. 2. 2. quæst. 178. art. 2. ad 3. vbi ex August. lib. 99. 83. quæst. 76. Quæ habentur 20. 4. dicit † quod aliter Magi faciunt 5 miracula, aliter boni Christiani, aliter mali. Magi per priuatos contractus cum Dæmonibus: boni Christiani per publicam iustitiam, mali Christiani per signa publica iustitiae. Publica autem iustitia (ut ait D. Thom. de potentia q. 6. art. 9. ad 13.) est ex fide per quam tota Ecclesia iustificatur secundum illud Roman. 3. iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi.

Ad secundum respondetur, quod † illi Arctotrophi damnantur à Patribus Trullanis, non quia arte humana vrsos mansuefaciunt, hoc enim fieri potest, & experientia constat de multis qui leones, & lupos cicurant, & mansuetos ostendunt, sed quia superstitione ducti quædam amuleta ex pilis vrsorum certis filis contexta venditabant, quæ superstitiosa esse, dixerunt Patres.

Argumenta magistri à S. Thoma vrgentiora possent alicui videri sed si bono affectu trutinentur absque passione impellente facillima apparebunt. Primum enim desumptum ex Pontificio Clementino Breui satis abundeque dilutum & sectione 2. nec indiget alia solutione.

Ad secundum respondetur, quod hæc tauri cicuratio in eum finem dirigitur non ut fides Hispana inter Hispanos confirmetur inter quos iam à multis annis altissimas, & solidissimas radices iecit Deo sic disponente in suæ Ecclesiæ Romanæ defensionem, cicuratur tamen taurus ad excitandam feruidam deuotione

deuotionem, & duliam in S. Euangelistam Marcum, & ad confundendos hæreticos falso putantes apud ipsos veram existere Ecclesiam, quod hoc, & similibus prodigiis, & portentis diuinis fit euidenter credibile.

7 Ad tertium respondetur, quod vt vidimus ex D. Tho. & Aug. † mali Christiani miracula operantur *per signa publica iustitiæ* ad excitandam deuotionem, & cultum in sanctos, & laudem Dei in sanctis suis mirabilis & per consequens in Ecclesiæ vniuersalis vtilitatem, quod enim ex Tauri mansuetudini in Ecclesia aliqua sequantur incommoda, puerorum vociferationes, & aliqualis diuersio attentionis ad officia diuina per accidens est, nam ex repræsentationibus sacramentalibus, ex choreis publicis, & ballationibus ab hominibus personatis factis cū instrumentis inusitatis in Ecclesia similes puerorum, iuencularum, & similibus sciuntur, & tamen quia finaliter per se ordinantur in Dei cultum, & sanctorum venerationem non sunt hodie prohibiti in Hispania, & similiter quod ex Tauri stercore aliquando spurcetur Ecclesia, hoc non est magni momenti, vt praxis ista extirpetur similis spurcitiæ euenit in Ecclesia c..... Vlisipone ex coruis quorum successio multis ab hinc annis, ibi conseruatur ex communi Ecclesiæ annona aluntur, & sustentantur.

8 Ad quartum respondetur, quod † stylus, & forma taurum cicurandi est eadem ipsa quæ à maioribus immemorialiter confratres acceperunt, & id faciunt in reuerentiam, & deuotionem S. Marci, animal nomine proprio appellando vis autem cicurandi non est à nomine deriuata sed à diuina potentia in honorem S. Marci, nec enim existimamus nomina à sua institutione vim naturalem habere ex significatione sua, cum non à Deo sed ab hominibus libere, & ad placitum deriuetur, quamuis à Deo vocum significationes omnium linguarum immediate fuisse impositas non ab hominibus nouiter existimet Francisc. Bruarius in *commentariis Apodicticis in Marcum Maximum in Disquisitione de vera origine lingua Hispana* §. 4. à pag. 315. Si enim ita est quod nominum significationes à Deo immediate dimanauit non ab hominum placito, vt omnes Peripatetici cum *Aristot. i. lib. Persarm.* sequuntur, non video, cur nominibus non insit virtus specialis ad hominum salutifera remedia sicut inest herbis, lapidibus, fructibus arborum, & animalibus, quod non vidit perdoctus pater, & alibi latius ipsum impugno.

Ad quintum respondetur, quod abunde vidimus quanta sequatur veneratio, & excitetur deuotio per se ex huiusmodi tauri cicurati assistentia in Ecclesia, excitantur enim

fideles ad sacrificium laudis Dei, & duliam in S. Marcum illi enim rumores, & puerorum vociferationes ab ætate indomita proueniunt, & à timidis fœmellis, quod est per accidens.

Ad ea quæ ex nostra penu, & pylo in confirmationem huius sententiæ adduximus non est difficilis responsio. Ad primum respondetur, quod † illa cicuratio fit ex vi designationis tauri, vt assistat festiuitati in die S. Marci, & dum nomine Marci vocatur de armento exequitur mansuetudo, vt inter populum sit sine alicuius detrimento aut periculo, eo quod ita securi homines ipsum pertrectent, vt nec gemellæ nobiles, aut ignobiles, aut teneri infantes ferocitatem animalis alias timeant aut formident, quod autem hæc designatio tauri à confratribus, & nominis impositi vsus hanc cicurationem inducunt ex deuotione quam ex maiorum traditione, & immemoriali consuetudine obseruant, nec amplius disquirendum est, aut verbis explicandum ne ( vt ait Nazianzenus † *orat. in laudem Basilij de quodam miraculo* ) *miraculum deprimatur, & extenuetur eiusque quam unusquisque de eo conceptam habet opinionem per eos qui laudare conati fuerint aliqua diminutio fiat, commodius fuerit silentio potius in nobis augere miraculum, quam oratione imminuere.* Ita S. D.

Neque ostium & via aperitur superstitioni onomasticæ ex vi scilicet verborum, & nominum significationis. Nam respondetur ad primum, de ensalmo illo quod memoratur, & damnat Delrius Raphaël de la Torre *ubi supra* §. ad quartum, & ego etiam reieci *tom. 1. Moral. tract. 5. Resol. 43.* per totam quamuis enim alicubi à iudicibus sæcularibus impune permittantur, tamen DD. inquisitores ensalmatores, quam ensalmos ipsos trutinantur, & examinant, & vix aliquem permittunt, quod secus est de Tauri Sancti Marci cicuratione, quam permittunt, & cui aliquando assistunt, nec prohibent, etiam non obstante Breui Clementino, quod argumento est, nullatenus Diabolicam esse, sed diuinæ virtutis effectum.

Ad secundum respondetur, quod Maiolus ille fuit valde supersticiosus, & dæmoniis pactis deditus, & vnde quaque irretitus, & sic iure optimo malleo S. Eccles. percussus damnatus est, & omnia eius opera damnata tanquam perniciofa fidelibus, & contraria omnibus patribus, quare eius argumenta quibus utebatur ad vniuersalem istam superstitionem comprobandam, & introducendam futilia sunt, vt egregie monstrat Delrius omnia referens, & refellens, neque enim fit nomine Christi nisi nominaliter, quod fieri tali nomine non approbat Ecclesia tacite, dum non resistit vel reprobat,

bat, vel explicitè dum approbat, aſt tauri S. Marci cicurationem reprobauit Pontifex male informatus, quod illi animali cultus, & veneratio datur, ſicut Oſiridi dabant Ægyptij, quæ informatio veritati non nitebatur, quare eam hodie tacite approbat, dum veritate cognita non repellit. Rurſus † omnes ſuperſtitiones ſuas Malleolus confirmabat ex eo quod forſan erant alicui Sancto viro reuelatæ formulæ, quas ipſe vel alius Dæmoniacus conſinxit ex Dæmonis inſtructione, quod vniuerſaliter dicere temerarium eſt, at quod cicuratio iſta fiat ex priuilegio conſeſſo confratribus S. Marci ob eius inſigne martyrium temerarium nõ eſt, neque ſcandalolum, imo permiſſum, & tacite approbatum in Eccleſia.

<sup>1</sup>4 Ad tertium reſpondetur, quod ſtante dubio in praxi *tutior pars eſt eligenda*, & quæ non ſit expoſita animæ periculo, aſt ſi dubium excludatur in operando, & formetur iudicium, quod hic, & nunc bene operatur, etiam ſi iudicium hoc ſit probabile dumtaxat, & perſeueret in ſpeculatione pro vtraque parte, quis anceps, & dubius recte operatur, ſequens iudicium probabile vt eſt certa & indubitata ſententia in materia *de conſcientia dubia, & probabili*, quæ doctrina in præſenti verificatur, nam cicurantes taurum ſuperſtitioſi non ſunt, quia formant iudicium probabile, quod hoc liceat, quod iudicium penetrant ea omnia quæ hucusque adduximus, vnde conſtat ad 4. quia hæc cicuratio non dimanat ex vana obſeruatione, ſex ex confirmata ex maiorum traditione, & diuina virtute.

#### SECTIO IV.

*Proprium Auctoris iudicium, & ſententia.*

#### S V M M A R I V M.

1. *Cicuratio tauri in feſto S. Marci non eſt ſine dubio ſuperſtitioſa.*
2. *Non eſt fas, quod Hispanis aliquid ſuſpicionis de fide, vel diabolica ſuperſtitionis imponatur, & n. 3.*
4. *Cur tauri cicuratio ſine dubio non ſit ſuperſtitioſa.*
5. *Martini Delrio ſententia adducitur.*
6. *Auctoris mens propalatur, & numero 7. & 8.*

**M**ulta aſpera quidem in taurum S. Marci attuli per multa ſum vagatus aliorum ſententias commemorans, quod aliquibus non inſuaue aut inutile vibebitur, vt tamẽ de vſu iſto vel abuſu colophonem imponam dico, quod † res iſta (cicuratio ſcilicet tauri in feſto S. Marci) non eſt ſine du-

bio ſuperſtitioſa vt exiſtimat pater Magiſter Ioannes à S. Thom. vt ex ipſo retuli *ſectio. 1.* tum quia ſub dubio eam relinquunt Torreblanca, & Raphaël de la Torre, qui non audent rem decidere, ſed ancipiti manent hærentes, & quidem iure optimo hæſitant, cum vt vidimus principale fundamentum cui nititur oppoſita ſententia ſcilicet Apoſtolicum Breue non damnat, id quod hodie virtute diuina meritis S. Marci in Hispania circa tauri cicurationem fit. Neque enim fas, † quod Hispanis in quibus, & ſi des, religio, cultus Dei, & veneratio Sanctorum ita ſplendent immunes ab omni ſuſpicionem vel de fide, aut diabolica ſuperſtitione imponatur, quod à confraternitate religioſa erecta in S. Euangeliftæ honorem, & venerationem aliquid ſuperſtitioſum generatur, & quod inter ipſos alter Oſyris Ægyptio reuiuifcat, & veneratione colatur. Hoc enim factò tota Catholiciffima natio apud exteros infamatur à propriis. *Neque enim* (vt ait Cyprianus *epiſt. 42. ad Cornelium Papam*) *facile ſunt promenda, & incaute publicanda quæ ſcripta audientibus ſcandalum moueant, & fratres longe poſitos, ac trans mare conſtitutos, in certa opinione confundant.* Nonne exteri conturbantur dum vident Hispaniæ filios dehonore Matrem ſuam, adfirmantes publicè exercere ſuperſtitionem, & Diabolo, etſi tacite inferuire? Nonne ſcandalizantur Hæretici, & alij trans mare conſtituti, dum legunt Catholicorum libros, qui tuentur arte Magica diabolica taurum hunc cicurari, & nihilominus quod Hispani in hoc perſeuerant? certe quidem ſatius eſt id non operatione Dæmonis, ſed virtute diuina fieri, defendere, ne ex hoc hæretici anfaſumant parui pendendi miracula ea tribuentes diabolo, ſi hoc quod maiorum traditione approbatum tenemus Magiæ Dæmoniacæ attribuitur à nobis.

Quid ni? † ſi huius tauri cicuratio ſine dubio eſt ſuperſtitio ex pacto Dæmonis deſcendens, deſidiæ arguitur tacite ſacrum inquisitionis Tribunal, dum publice in conſpectu, totius populi factam, non reprimat, imo dum non reprehendit, videns cum poſſit cohibere tacite in eam conſentit iuxta regulam *tacite conſentire videtur*, quæ indubitata eſt ſi is qui tacet diſſentire, & ſuum diſſenſum manifeſtare queit, hoc argumentum me conuincit, vt ſaltem in praxi ſit probabile hanc tauri cicurationem, immunem eſſe à ſuperſtitioſo ritu, & cæremonia. Dum enim feſtum S. Marci celebratur inſignes verbi Dei Præcones, hoc vt miraculum prædicant, & exaggerant, & quamuis hoc miraculum non ſit in ea claſſi certitudinis, in qua ſunt ea quæ in Canonizationibus, & beatificationibus diligenti trutina, & ſanctuarij



Atuarij pondere appenduntur, tamen fidem meretur in suo ordine & gradu, quia illud ut tale antiquitas Catholicorum tenet & maiorum deuotione firmatum est, quos omnes deceptos à Dæmone, & supersticiosos fuisse mihi dicere non arridet, nec prudenti arridet, & quidem cum hæc tauri cicuratio, ita sit in Hispania & Portugallia antiqua, quod non sit hominum memoria, quando inceperit & in retro ante temporibus viri fuerint in omni Religione quæ in Ecclesia est, valde zelantes veritatem, Doctissimi & omni sapientia repleti, nullus tamen vsque Valle de Moura eam superstitionem dixit, quid amplius? † Doctissimus Martinus del Rio in opere illo eruditione pleno *disquisitionum Magicarum*, in quo ad minutissima quæ superstitionem olent descendit, cicurationem istam, (quam non ignorasse certissimum debet esse) non attigit, quia videlicet miraculosam agnouit, & immunem à Dæmonis arte & auxilio. Quare non abusus est censendus, sed vsus licitus virtutis diuinæ, quæ mirabilis est in sanctis suis & ad illorū sanctitatem & venerationē fouēdā, & deuotionem excitandam, mira facit.

Cæterum etsi hoc tutum in praxi, ut hodie fit, existimem † tamen in Resolutione 6 illa dixi indeterminatus. Si secludatur indecentia diuini cultus, & immundities Ecclesiarum, non videtur supersticiosa huiusmodi consuetudo, maximè vbi non est receptum Breu. Clementinum cui standum est sine tergiversatione, ea enim quæ adduxi in confirmationem, & defensionem consuetudinis disputandi gratia intelligantur, quare sententia, quæ in ancipite posita fuit, iam determinatè pro foro tanquam probabilem & liberam à superstitione saluo tamen S. Tribunalis iudicio cui sine tergiversatione standū esse pronuntio, ab ipso enim claram aquam semper haurio, ut semper bibam. Multa alia omitto disputanda in hoc amplissimo tractatu de Residentia Matrimoniali, ut de Residentia Matrimoniali Hæretici & Catholici coniugium, de seruorum Residentia vxoraria, an semper vsus matrimonialis residentia per coitum sit admixtum veniali culpæ, quæ alibi disputata ad longum promitto, & hîc non do, ne tomus iste posterior de Residentia nimium excrescat.

## FINIS LIBRI TERTII.



## LIBER QVARTVS,

*De alia specie Residentia Regularis, quæ dicitur filiatio.*

## S V M M A R I V M.

1. *Filiatio & Paternitas sunt relationes oppositæ & ita connexæ in diuersis subiectis, ut implicet dari vna sine alia.*
2. *Filij nati ex fornicatione simplici sunt naturales, nō legitimi, at spurij nati ex adulterio, aut stupro, nec sunt naturales, nec legitimi, ex S. Thom. & de hoc diuersa ratio affertur, & n. 3.*
4. *An Filiatio & Paternitas fundentur in actu virtutis generatiuæ.*
5. *Quinque species filiorum & totidem Patrum admittuntur, & n. 6.*
7. *Duplicem admittit carnalem natiuitatem S. Thom.*
8. *In Sacramento penitentia propriam legitimam spirituales filiationem negat dari idem S. Thom.*
9. *An circumstantia filiationis spiritualis in Sacramento penitentia sit necessario consistenda, & n. 10. & 11.*

Tom. II.

**F**ILIATIO, † & Paternitas relationes sunt oppositæ, & ita connexæ in diuersis subiectis, ut implicet dari vna, sine alia, sed ea ratione propria, vel impropria, qua fuerit vna debet, esse, & alia, & vtraque fundatur in generatione, filiatio in passiva, qua filius generatur & Paternitas in actiua, qua P. generat iure enim naturæ P. est, qui generat & filius qui generatur in similitudinē naturæ paternæ, vnde venit intelligendus S. Th. in 4. dist. 41. art. 3. quæstiunc. 1. in corp. dū asserit, quod † filij nati ex fornicatione simplici sunt naturales, non tamen legitimi, at spurij nati ex adulterio, aut stupro, nec sunt naturales, nec legitimi, quia nascuntur contra legem positiuam, & expresse contra legem naturæ, quæ ratio difficilis est, qui etiam filij qui nascuntur ex simplici fornicatione nascuntur ex coitu damnato ex iure naturæ, ut est de fide, quia simplex fornicatio est contra legem naturæ, ergo isti, nec sunt legitimi, nec naturales. Respondetur,

3 detur, † esse diuersam rationem, quia spurij nascuntur contra legem naturalem speciale in materia luxuriæ, quia adulterium & stuprum sunt species determinatæ, in materia luxuriæ habentes specialem repugnantiam ad naturam in materia luxuriæ, & sic non sunt filij naturales, vt sunt qui nascuntur ex simplici fornicatione, quæ est coitus illegitimus, non in quantum est actus virtutis generatiuæ. Igitur † Filiatio, & Paternitas in actu virtutis generatiuæ fundatur, cumque ex vi generationis actiuæ Pater habeat patriam potestatem in filios, istique illi subditi sint quandiu sub illius potestate existunt, illi correspondere & commanere tenentur intra domum Paternam, quia sunt de Patris familia, *leg. congruentia. 4. C. de Patria potest. & leg. si hi qui cum Patre 3. C. de filiis famil. l. 10.*

Hinc est, quod legaliter & canonicè loquendo, vt ait Syluester *verb. Filius n. 1.* quod

5 † sunt quinque species filiorum, & totidem Patrum scilicet legitimi tantum, idest lege probati, non tamen naturaliter geniti, vt sunt adoptiui, & arrogati, quia sola legis institutione sunt filij, aut sunt legitimi spirituales, vt suscepti ex baptismo, vel cōfirmatione, & generaliter omnes in spiritualibus subditi, sicut omnes Christiani sunt filij Papæ, & omnes de Diocesi, Episcopi, & omnes de

6 Parrochia curati *cap. omnes 30. quest. 1. naturales tantum & isti, aut spurij qui nascuntur ex coitu lege reprobato, aut nothi qui nascuntur ex soluto, & soluta, aut tandem sunt naturales, & legitimi, qui nascuntur ex coitu naturali habito in legitimo matrimonio. Quare totidem sunt generationes & filiationes, legitima tantum, naturalis tantum, spiritualis legitima, & spuria, & naturalis legitima.*

Sed cur dentur huiusmodi filiationes legitimæ legales, ciuiles, & legales canonicæ egregiè enucleat D. Th. in 4. dist. 42. q. 1. art. 2. ad 1. dicens, quod † duplex est carnalis natiuitas prima in utero in quo adhuc, id quod natum est, est adeo debile, quod non possit extra poni sine periculo, & huic natiuitati assimilatur generatio, quæ est per baptismum in quo regeneratur aliquis adhuc quasi fouendus intra uterum Ecclesie. Secunda est natiuitas ex utero quum iam id quod natum erat in utero, tantum roboratum erat, quod potest sine periculo exponi exterioribus, quæ nata sunt corrumpere, & huic similatur confirmatio per quam homo roboratus exponitur in publicum ad confessionem nominis Christi, Ecce duplex natiuitas, duplex filiatio legitima spiritualis in baptismo, & confirmatione, sed in soluto.

8 Ad 8. † negat dari in sacramento pœnitentiæ propriam legitimam spirituales filiationem, cuius rationem egregiam dat, quia licet per pœnitentiam tollatur peccatum actua-

le, tamen hoc nõ est per modum generationis, sed magis per modum sanationis. Vbi autem non est generatio non est filiatio propria spiritualis, Vnde detegitur falsitas cu usdam sententia aliquorum Canonistarum afferentium † circumstantiam filiationis spiritualis in Sacramento pœnitentiæ esse necessario confitentem in Sacramento pœnitentiæ, quia contrahitur agnatio spiritualis ex vi huius Sacramenti, sicut ex vi Sacramenti baptismi & confirmationis, falsum enim est hoc, quia in Sacramento pœnitentiæ talis cognatio non contrahitur sicut in duobus relatis Sacramentis, quamuis contrahatur quoddam fœdus inter sacerdotem, & mulierem confitentem simili cognationi spirituali, & tantum peccat eam carnaliter cognoscens, ac si esset sua filia spiritualis. Vnde hoc prohibetur, *cap. omnes 8. cap. si quis 9. cap. non debet 10. 30. quest. 1.* non quia sit ibi spiritualis cognatio, sed ac si esset ad vitandam & tollendam occasionem peccati, quod enim quis sollicitet fœminam in confessione, non est circumstantia mutans speciem et si sit, ita grauis, quod in foro fori inducat suspicionem iuris & à iure, quod malè sentiat de fide, sed de hoc latius, *t. 1. Mor. tr. 3.*



## RESOLVT. I.

*Vtrum in Religione approbata à sede Apostolica detur propria filiatio spiritualis.*

## S V M M A R I V M.

1. *Vtrum religiosi professi solemnem professione sint veri filij spirituales Religionis, in qua professionem solemnem emittunt.*
2. *Pater spiritualis dicitur ad similitudinem Patris carnalis ex S. Thom.*
3. *Quid exigat filiatio religiosa.*
4. *Variarum DD. opiniones afferuntur.*
5. *In filiali seruitute qua quis voluntariè & totaliter Deo mancipatur, & abrenuntiat totaliter secularibus pompis & nouis perterita vota solemnem in religione à sede Apostolica confirmata, quid colligatur, & n. 6.*
7. *In quo iure fundetur regularis filiatio.*
8. *Quomodo se habeat filiatio Religiosi solemniter professi.*
9. *Quid sit ius diuinum quo tenentur Episcopi regere Ecclesiam sibi commissam.*
10. *An Summus Pont. possit alicui religioso solemniter professi auferre ius filiationis, & seruitutis actualis.*
11. *An Pontifex de plenitudine potestatis possit facere, quod quis sit Religiosus solemniter*

niter professus non determinata aliqua religione.

12. Suarez, Azorij & Canonistarum opiniones adducuntur, necnon Authoris iudicium, & n. 13. & 14.

1 **S**ENSUS est ¶ vtrum Religiosi professi solemniter professione sint veri filij spirituales Religionis in qua professionem solemnem emittunt, Notat egregie D. Th. *distinet. 42. cit. quest. 1. art. 3. questunc. 1.* quod sicut in generatione carnali aliquis nascitur ex patre & matre, ita in generatione spirituali aliquis nascitur filius Dei sicut Patris & Ecclesie sicut matris. Vnde in propria filiatione spirituali Pater & mater debent concurrere exercendo ea spiritualiter, quæ Pater & mater carnales exercent, sed quæ sint ista sapienter nobis proposuit D. Tho. 2 *vbi supra art. 2. ad 9.* dicens ¶ *Pater spiritualis dicitur ad similitudinem Patris carnalis, Pater autem corporalis, ut dicit Philosoph. 8. Ethicorum cap. 11. tria dat, esse, nutrimentum, & instructionem, & ideo Pater spiritualis aliquis alicuius dicitur ratione alicuius horum trium, cum ergo ille qui profitetur solemniter habeat ex vi professionis esse nouum in Religione à qua nutritur, & instruitur manifestum est, quod est filius Religionis, in qua profitetur solemniter, quæ iure diuino tenetur ipsum intra se gestare, nutrire in naturalibus, & instruere in supernaturalibus, vnde & ipse filius mutuo tenetur matri obtemperare & illi acquirere, quia Religiosus solemniter professus nunquam emancipatur, aut fit sui iuris & sic semper manet minor & pupillus, qui nec de assensu possit disponere sine consensu eius, cui se per professionem solemnem subiecit.*

3 Hoc enim ¶ exigit filiatio hæc religiosa, quæ etsi in iure Canonico quantum ad aliqua fundatur, tamen à iure diuino originem ducit, & in illo simpliciter fundatur cum à iure diuino descendat solemnitas votorum quibus quis substantialiter constituitur Religiosus omnino immutabiliter, per quæ, quis abrenunciat sæculo illique totaliter moritur, & confepelitur Christo in professione solemniter, quæ est Patrum sententia & Ecclesie traditio assimilatur Baptismo ¶ Beatus Bernardus *lib. de precepto & dispens. ad finem*, ex Hieron. *epist. 8. & 15.* D. Athanasius *in vita S. Anton.* Leontius Cyprius *in vita Simeonis Abb.* Anselmus *lib. de similit. cap. ultim.* quos sequitur S. Thom. 2. 2. *quest. 189. art. 3. ad 3. & in 4. quest. 3. articul. 3. questunc. 3. ad 3.* ibi *in vitis Patrum dicitur, quod quidam Patrum vidit eandem gratiam descendantem super eum, qui habitum religionis assumit, ac super eum, qui baptizatur; sed hoc non est, quia talis à satisfactione ab-*

soluatur, sed quia eo ipso, quod suam voluntatem etiam in seruitutem redegit, propter Deum plenarie *pro omni peccato satisfecit*, & ita fuit apud veteres Monachos reuelatio ista communi consensu & traditione recepta, quæ receptio etiam hodie perseverat inter Catholicos, ut alibi enucleauimus.

In hac filiali seruitute ¶ qua quis plenarie & totaliter Deo mancipatur & abrenunciat totaliter secularibus pōpis & curis per tria vota solēnia in Religione à Sede Apostolica cōfirmata, colligitur enucleatio veteris Axiomatis iuris Canonici, quod *quidquid acquirit Monachus acquirit Religioni*, Axioma veritatem continet Catholicam, quia de fide est, quod Religiosus solēniter professus hodie ex vi voti paupertatis solemniter facit se incapax acquirendi aliquid sibi siue titulo dominij, vsusfructus, aut alicuius proprietatis; vnde valide de nihilo quit disponere sine sui superioris facultate concessa, vnde ex vi huius voti solemniter incapax est dominij, sicut est incapax valide contrahendi matrimonium, ex vi voti castitatis, quod si ex voto simplici castitatis, est incapax matrimonij, ut sūt Scholares Societatis post bienniū, hoc non habet ex vi voti simplicis (sicut nec ex vi voti paupertatis simplicis sunt incapaces dominij, quod suarum rerum retinet & conseruant) sed ex priuilegio speciali, sibi à Sede Apostolica concessa, ante quod valida erant huiusmodi matrimonia, ut alibi ex authoribus societatis probatum est, vnde fit quod sicut quidquid acquirit seruus acquirit Domino, ut est certissimi iuris gentium, ita quidquid acquirit Religiosus solemniter professus acquirit Religioni, cuius est filius non mancipatus, & seruus.

Hinc deciditur etiā difficultas illa ¶ in quo iure fundetur regularis filiatio Pellizar. *to. 2. manualis tract. 8. c. 6. sect. 4. subsect. 3. n. 267.* Bord. *to. 2. resol. 58. n. 10.* dicunt fundari in iure Canonico. At ego in filiatione Religiosa triplicem respectum considero, ad Religionem in qua quis solēnem professionem emisit, cuius caput est Sum. Pont. & vnus generalis superior, ad Prouinciā & superiorē Prouincialē; & ad speciale monasteriū & conuentū, eiusque superiorē locale, & de filiatione diuerso modo est philosophandum secundum diuersum respectum, si enim loquamur de filiatione respectu totius Religionis, etiā diffusa per totum vniuersum est de iure diuino. Probatur, quia ¶ ita se habet filiatio Religiosi solēniter professi in hac Religione à Sede Apostolica approbata sicut se habet paternitas, & Pastorale officium Episcopi respectu subditorum, & ouium quas ut filios dirigit, & gubernat. Hoc expressit D. Th. 2. 2. q. 184. art. 5. *in corp.* atqui paternitas & Pastorale officium est in Episcopo de iure diuino, ut est indubitatū

iuxta illud Pauli *capit. 20. Actuum Apostolorum. num. 30. Attendite vobis & uniuerso gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.*

9 Ius autem † diuinum quo tenentur Episcopi regere Ecclesiam sibi commissam, & cum qua indissolubiliter coniunguntur, est vel votum factum ab Episcopo solemnizatum consecratione, vt vult D. Tho. vel est præceptum diuinum, vt explicat D. Caiet. *ibi §. in art. 5. in fine.* in filiatione autem Religiosa & seruitute qua quis se m̄cipat Deo oritur ex tribus votis substantialibus solemnibus status religiosi, quem, quis profitetur in hac Religione. Vnde sicut ex vi ordinationis & consecrationis Episcopi resultat obligatio iuris diuini regendi Ecclesiam sibi commissam à Pontifice in eaque residendi, vt egregie D. Caiet. *2. 1. quest. 184. art. 6. §. ad obiecta.* assumunt enim curam animarum, vt agentia principalia, & ita iure diuino illis incumbit obligatio eas regendi & iurisdictionaliter gubernandi, ita Religiosi solemniter professi, ex vi professionis, quam vt agentia principalia emittunt, se constituunt iure diuino & naturali in statu filiationis, & seruitutis Religiosæ, quam filiationem, & seruitutem nequit Pontifex auferre, etiam de plenitudine potestatis, sicut, nec potest liberum facere religiosum solemniter professum, ab obligatione trium votorum solemnium in quibus dispensare nequit, vt sæpius à me dictum est cum D. Thom. & communiter Thomistarum.

10 Verum est, quod † Summus Pontifex potest aliquem Religiosum alicuius Religionis in qua professionem emisit, & cuius est iure diuino filius & seruus auferre ius filiationis & seruitutis actualis, vel per transitum ad aliam Religionem, siue strictiorem, siue laxiorem, vel per exclusionem ab illa, ita vt sit habitu retento in sæculo immediatè subditus ipsi Pontifici cui acquirat, & non Religioni sicut acquirunt expulsi à Religione, cuius non sunt actu, sed habitualiter filij, & serui. Nequit tamen Pontifex auferre filiationem, & seruitutem radicalem, quia ista acquiritur ex vi professionis solemnis, quæ omnino indelebilis est vsque ad mortem, non secus ac potestas absoluendi à mortalibus in sacerdote, etiam si actu nequeat absoluere, quia non approbatus, vel quia ob crimen priuatus sit, semper tamen manet in illo radicaliter & habitu. An vero † Pontifex de plenitudine potestatis possit facere, quod quis sit Religiosus solemniter professus non determinata aliqua Religione cuius Regulam profiteatur, sed sit ipsi Summo Pontifici immediatè subiectus ipsiusque filius, & seruus & vt dixi non alicuius Religionis in specie. Res est Meta-

physicæ disquisitionis, sicut est, an possit consecrari Episcopus non alicuius Ecclesiæ determinatæ, etiam si non habeat actu oues quas regat, de quo legendi sunt † Suarez *lib. 12. br. 10. de legibus cap. 6. num. 14. Azor part. 2. lib. 3. cap. 29. quest. 3.* Canonistæ *ad cap. inter corporalia de translat. Episcoporum.* sicut in hoc vtraque pars probabilis est, ita & in Religioso isto, qui si postquam sic professus applicetur à Papa, vt regulam specialem obseruet & subiciatur, fiatque filius alicuius Religionis, verbi gratia S. Benedicti ex vi huius applicationis, etsi à voluntate humana Pontificis dimanantis, iure diuino erit filius, & seruus huius Religionis sicut à voluntate Papæ pendet vt quis sit Episcopus Tarracoenensis, tamen supposita confirmatione iure diuino tenetur residere *vt l. 1. latius dixi.*

Si tamen loquamur de filiatione respectu Prouinciæ, aut specialis Conuentus, iuxta variarum Religionum constitutiones, statuta & consuetudines agendum est, iuxta quas filiatio habet speciales condiciones, specialia iura, quantum ad bonorum acquisitionem partitionem, hæredationem, officiorum distributionem & alternatiuam dignitatum quæ pro diuersis Prouinciis & Conuentibus diuersæ sunt ex dispositione humana dimanantes, & de filiatione respectu Prouinciæ & Conuentus particularis, loquuntur Gregor. *XIV. Constit. quæ incipit circumspecta*, quam refert Quaranta in *Bullario suo pag. mihi 316.* & Clemens *VIII. in Instit. Nouitiorum §. quia vero.* quam confirmauit Urbanus *VIII. apud Peyrin. to. 2. Priuileg. sui Ordinis.* Vnde *cap. fin. de Religiosis Domibus. §. ult.* Summus Pontifex Innocentius *III. in Concilio suo Lateranens. prohibemus* (ait) *nequis in diuersis Monasteriis locum Monachi habere presumat, nec vnus Abbas pluribus Monasteriis presidere.* ad quæ verba Glossa singularis *ibi. nec Abbas cum fratribus potest dispensare, vt Monachus haberet locum in diuersis Monasteriis, cap. constitutis de electio. vbi iterum Glossa in casus formatione & verb. vocem.* Vnde nequit iure communi habere vocem actiuam, aut passiuam in duobus Conuentibus, aut Prouinciis, vt determinat Honor. *III. in prefato Capitulo constit.* habere enim locum in duobus Monasteriis est habere vocem actiuam, aut passiuam, vt quis possit eligi, aut eligere.

✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽

### RESOLVT. III.

*Vtrum sit perfecta filiatio Religiosa, vbi non est votorum solemnitas?*

## S V M M A R I V M.

1. An perfecta sit religiosa filiatio, ubi non est votorum solemnitas.
2. Religiosa filiatio cui dicatur similis.
3. An filiatio Religiosa simillima sit adoptioni, quæ est legitima legis filiatio.
4. Qui sit filiatio adoptionis ex S. Doct.
5. Quando dicatur perfecta adoptio.
6. An ubi non est votorum solemnitas, non sit perfecta filiatio Religiosa.
7. Quæ secunda filiatio sit aliquantulum præcedenti perfectior.
8. Quæ filiatio Religiosa dicatur arrogatio, & num. 9.
10. Thomæ Sanchez sensus afferitur, & num. 11. necnon Valentie & Henrici. n. 12. 13.
14. Inter Religionem in qua solum emittuntur vota simplicia, & Religionem in qua solemnitas, discrimen afferitur.
15. An cognitio comprehensiva quæ totum obiectum totaliter comprehenditur non differat essentialiter à cognitione quidditatiua dumtaxat eiusdem, & n. 16.
17. Inter statum Religiosum ex votis simplicibus oriundum, & statum Religiosum ex votis solemnibus natum est substantialis & essentialis differentia.
18. Quid ex traditis veniat colligendum.

**N**OTAT Bordonus ubi supra num. 4. 5. & 6. quod † sicut per generationem naturalem filius dicitur totus Patris, cum ab eo recipiat totum suum esse, ex quo cum illo vnica reputatur persona in multis, *leg. final. Cod. de impuber.* & dicitur persona corporis Patris, *leg. cum scimus §. fin. de Agricol. & cens. lib. 10.* & docet *Ar. 6. Ethic. cap. 5.* Ita Nouitius effectus Religionis filius professione, non amplius Patris est, sed Religionis, cui se totum tradit mancipando se diuinis obsequiis, & seruituti Religionis à qua quidquid habet agnoscit. Hæc † Religiosa filiatio similis est filiationi ex adoptione, sicut enim adoptione arrogatus transit cum suis iuribus in potestatem arrogantis, ita & professione Religiosus transfert se totum & omnia sua iura in potestatem Religionis, si aliter ante professionem non disposuit *Authent. ingressi C. de sacros. Eccles. Authent. de Monach. cap. si qua 9. 19. quest. 3.* Bordonum sequitur Pellizarius ubi supra q. 1. n. 265.

3 Igitur † filiatio Religiosa simillima est adoptioni, quæ est legitima legis filiatio de qua satis ad rem eius materiam comprehendens, sic Syluester. *verb. Adoptio. Adoptio est persona extranea in filium, vel nepotem & deinceps legitima assumptio, secundum Raynaudum S. Tho. & Ricardum in 4. dist. 42. vel adoptio est legitimus actus per quem, qui filius non est pro filio habetur pene naturam imitans. Institut. de*

*Adopt. in glossa, & persona extranea intelligitur omnis qui non est in potestate adoptantis, siue sit de eius carnali cognitione, siue non: & per masculinum intelligitur etiam femineum, ut per filium filia & per nepotem neptis. Adoptare autem secundum S. Tho. 3. p. quest. 23. & in 3. dist. 10. est admittere ex gratia ad participandum hereditatem. Hæc Syluester.*

Sed D. Th. agens de adoptione in 4. dist. 42. q. 2. art. 1. ad 1. sic fatetur. Filiatio adoptionis est quædam imitatio filiationis naturalis & ideo duplex est adoptionis species, una quæ perfecte imitatur naturalem filiationem, & hæc vocatur arrogatio per quam reducitur adoptatus in potestatem adoptantis, & sic adoptatus succedit Patri adoptanti ex intestato, nec potest cum Pater priuare sine culpa quarta parte hereditatis: sic autem adoptari non potest nisi ille qui sui iuris est, qui scilicet postquam adoptatur non habet potestatem, aut si habet est mancipatus, & hæc adoptio non fit nisi auctoritate Principis. Alia est adoptio quæ imitatur naturalem filiationem imperfecte quæ vocatur simplex adoptio per quam adoptatus non transit in potestatem adoptantis. Vnde magis est dispositio quædam ad perfectam adoptionem, quam adoptio perfecta, & secundum hanc potest adoptari etiam ille qui non est sui iuris, & sine auctoritate Principis ex auctoritate Magistratus, & sic adoptatus non succedit in bonis adoptantis, nec tenetur ei adoptans aliquid de bonis suis in testamento dimittere, nisi velit. hæc ibi.

Quæ omnia stillata sunt ex iure ciuili tam Digestorum, quam Codicis, ut enim ait Syluester ubi supra. † Adoptio perfecta est quum is qui non habet Patrem, vel est emancipatus, vel generaliter qui est sui iuris transit cum iuribus, & rebus suis in potestatem arrogantis auctoritate Principis, quod ita verum est quod filius adoptatus adoptione perfecta siue arrogatione non possit sibi alicuius rei dominium reseruare, sed quidquid habet transit in potestatem arrogantis, ut probe vidit Barhol. *Auth. ingressi C. de sacros. Eccles. institut. lib. 1. tit. 11. §. 3.* Hinc est quod *Ulpianus leg. si paterfamilias 15. D. de adoptio. dicit si paterfamilias adoptatus sit omnia quæ eius furunte, & acquiri possunt tacito iure ad eum transeunt qui adoptauit.* Quare attentis iuris ciuili principijs, nequit perfecta adoptio quæ arrogatio dicitur *leg. 1. D. eodem* subsistere ubi arrogatus omnia iura quæ habet transfert in potestatem arrogantis nec sibi alicuius rei dominium reseruare potest.

Ex his clare colligitur, quod † ubi non est votorum solemnitas non est perfecta filiatio religiosa, non dico quod non sit vera filiatio, sed quod non sit perfecta Igitur in Religionibus à sede Apost. approbatis triplex filiatio adoptiua religiosa potest considerari. 1. Nouitiorum qui admittuntur ad habitum religionis,

& commune exercitiorum confortium, & hæc est valdè imperfecta & dispositio ad perfectam. Nouitij enim filij sunt Religionis priuilegijs, & Religiosi status, indultis, & exemptionibus, quamuis non immobiliter, neque ex parte sua, neque ex parte Religionis, sed quandiu sunt in illa perseverantes, etiamsi emittat intra annum nouitatus tria vota simplicia, hæc non tribuunt aliquam status immutabilitatem solemnem, sed semper manet simplex stabilitas quæ via ordinaria dissolui potest.

7 Secunda filiatio † est aliquantulum præcedenti perfectior, sed non simpliciter perfecta, quia semper manet simplex adoptio, & dispositio ad adoptionem perfectam, & est quum post nouitatus tempus determinatum in aliqua Religione approbata à Sede Apostolica emittantur tria vota obedientiæ, paupertatis & castitatis, simplicia quidem taliter, quod ex vi votorum non amittat rerum suarum dominium, sed quod valdè etsi illicitè possit quis sine Superioris licentia disponere, donatione, testamento, aut aliter. Similiter ex vi horum votorum non reddatur quis incapax contrahendi valdè matrimonium, nisi adesset specialis Bulla Apostolica eos reddens incapaces, tales sunt Religiosi Scholares Societatis Iesu, qui post biennium nouitatus emittunt tria vota simplicia ex vi quorum non habent perfectam filiationem religiosam adoptiuam, sed manet simplex adoptio & filiatio, sicut & Religiositas quam habent etsi sit vera ex priuilegio Pontificis simplex est non solemnis sicut & vota ex quibus dimanant, vnde sicut Religiositas istorum perfecta non est, etsi sit vera, ita & filiatio religiosa, sed vt aiebat S. Tho. *manet simplex adoptio, simplex filiatio, simplex religiositas*, non perfecta & solemnis.

8 Tertia filiatio adoptiua Religiosa est perfecta † & omnibus numeris absoluta & dicitur *arrogatio*. & contrahitur ex vi trium votorum solemnum, quæ emittuntur in professione Religionis approbatæ à sede Apostolica, hæc enim solèntas essentialis est de iure diuino introducta & indispensabilis à Pontifice, vt alibi à nobis ostensum est, nec in eius probatione hic immorandum, ex vi enim huius professionis, qui ita arrogatur à Religione, vt ista nequeat illum hæreditate Religiosa priuare, habitu, alimentis, & instructione, nisi culpa sua id mereatur propter eius incorrigibilitatem, tamen etiamsi priuatur, semper tamen filius adoptiuus arrogatus, in habitu & radicaliter, quia semper manet adstrictus triplici solemni voto, quod secus contingit in secunda specie adoptionis à qua si quis spoliatur & dimittatur ab umbra & protectione paterna omnino

liber manet à votis, quæ emiserat, à seruitute, quam promiserat & de filio clerico religioso, fit non filius & sæcularis eodem prorsus modo ac dum nouitius intra nouitatus tempus, vel exiit, aut demittitur, vel spoliatur habitu, vnde sicut adoptio nouitij est dispositio ad adoptionem professi, ita adoptio Scholarium emittentium post biennium tria vota simplicia est dispositio, sed proximior quam nouitatus, ad professionem solemnem quam emittunt, in qua arrogantur à Religione sicut in alijs Religionibus fit, & sic ante arrogationem imperfecta est filiatio religiosa, sicut & religiositas ipsa, & sic evidens est, quod non est perfecta filiatio religiosa, vbi non est votorum solemnitatis.

Vnde constat minus benè Thom. Sanchez *lib. 5. sum. cap. 1. num. 27.* dixisse cautè esse intelligendos Valentia 2. 2. *disp. 10. q. 5. punct. 3.* Henriq. *lib. 12. de matrim. cap. 5. numer. 8. iuncto commento litt. N.* asserentes verissimè, duos esse gradus status Religiosi & per consequens filiationis, religiosæ adoptiue vnum perfectissimum, qui solum votis solemnibus constituitur, alterum verum & proprium, sed non ita perfectum, qui votis simplicibus constat, quia (inquit) *hoc dictum est intelligendum de perfectione accidentali & non necessaria statui Religioso*, hæc enim maior est in votis solemnibus, quibus magis immobiliter traditur vouens Religionem, non tamen intelligendi sunt de perfectione essentiali, nam tunc essentialiter esset imperfectior status Scholarium emittentium post biennium tria vota simplicia, quod *clare pugnat* (ait) *cum extrauagante ascendente Greg. XIII.* vbi decreuit eos esse vere & proprie Religiosos, non secus, ac professos; vnde colligit, posse constare veram & propriam religionem omnibus numeris absolutam, quantum ad substantialem Religionis perfectionem, si ex auctoritate Apostolica solum constaret ex votis simplicibus, etiamsi nulla esset solemnis professio.

9 Verum enim verò † rectissimè dixerunt Valentia & Henriquez, sequentes omnem antiquitatem & Ecclesiæ à suis incunabulis consuetudinem, iuxta quam nulla fuit à sede Apostolica confirmata Religio, neque ab Apostolis, & Religionum antiquis Patriarchis nisi votis solemnibus, quibus quis totaliter mancipatur Deo, & offertur in holocaustum ipsi, totaliter abrenunciatis præfatis solemnibus votis sæculo, illi moriens, vt totaliter Deo, viuat ipsique, inseruiat immobiliter, hanc autem totalem immobilem mancipationem & sæculi abrenuntiationem non habent vota simplicia ex natura sua, sed si habent in Societate est ex particulari priuilegio,


- privilegio, & concessione Apostolica, quod enim eam non habeant præfata vota ex obiecto materia sua fatentur ipsimet societatis authores, & Alumni siquidem in illis perseverat dominium rerum suarum, de quibus possunt valide disponere ad libitum, rursus si non esset speciale indultum quod prohibet matrimonium contrahere, valide contraherent, quod indultum non facit votum solemne, in societate siquidem hoc tantum datum est pro illisque emittunt solēnia quæ
- 13 ex obiecto suo, & materia quæ est totalis renuntiatio sæculi talia sunt, unde si quæ sunt decreta Pontificia annullantia matrimonia, & testamenta professorum, hæc tradita sunt tanquam declarantia vim, & naturam votorum solemniū, quæ sunt solēnia, & irritant matrimonia, & testamenta, non quia sic decretum est à Pontificibus (ut fit in votis simplicibus, quæ iure solum positivo habent irritare matrimonia) sed ideo decreverunt, & declararunt Pontifices, quia votum solemne id habet ex natura sua, quia eius obiectum est totalis sæculi abrenuntiatio, & Deo mancipatio totalis, quod non habet votum simplex, etiam in Religione approbata, sed ideo irritat matrimonium, quia ius Pontificium sic disponit, at in voto solemni ideo disponit Pontifex irritare, quia id habet ex natura sua, sicut sunt aliqua mala, quia prohibita, & alia sunt prohibita, quia mala.
- 14 Ex quo apparet † qua ratione sit substantiale discrimen, & essentialis differentia inter Religionem, in qua solum emittuntur vota simplicia, & Religionem in qua solēnia manuncupantur, & similiter inter filiationem unius, & filiationem alterius servitutem unius, & servitutem alterius, statum religiosum unius, & statum religiosum alterius, quod ex eo fit manifestum, quia mancipatio diuino servitio, & abrenuntiatio sæculi, quæ fit votis solēnibus substantialiter differt, & essentialiter discriminatur ab ea, quæ fit votis simplicibus, siquidem istis nuncupatis etiam in religione approbata à Sede Apost. non est totalis, & totaliter facta, sicut est quæ fit votis solēnibus, quorum materia est totalis, ista abrenuntiatio, nuncupatio; atqui totalis nuncupatio, & totaliter facta substantialiter, & essentialiter differt ab ea quæ totalis non est, nec totaliter fit.
- 15 Quis enim dicat, quod † cognitio comprehensiva qua totum obiectum totaliter comprehenditur non differat essentialiter à cognitione dumtaxat quidditatiua eiusdem, cuius possunt plura ex vi huius cognitionis latere, rursus quis dicet quod actio qua res tota, & totaliter producitur, & est creatio, non differat à generatione, qua res tota

producitur à generante, at non totaliter cum generans non producat materiam primam? ita emittens tria vota simplicia totum quidem se dicat Deo, at non totaliter sicut, qui emisit vota solēnia iste enim nihil quod ad sæculum pertinet sibi retinet, neque in usu, neque in dominio, & proprietate, sicut retinet qui emittit vota simplicia: nullatenus potest ad sæculum redire liber est omnino absolutus à votis, sicut redit qui vota simplicia nuncupatur, & quamuis verum sit quod dicunt Societatis Filij, hoc non dimanare ex parte nuncupantis vota simplicia qui quantum est ex se obligatur ad perpetuo perseverandum in Societate, ex qua provenit quod dimittatur, & ad sæculum liber à votis redeat; sed ex hoc ipso quod Societatis institutum manifestè conuincitur intentū, quod non sit totalis totaliter facta mancipatio Deo in Religione, & totalis abrenuntiatio sæculi absoluta, sicut fit vobis solēnibus siquidem vota simplicia emissa in Societate habent implicitè quod tamdiu iuret eorum obligatio, quamdiu sit, illa emittens in Societate, at quod sit in societate votis adstrictus Religiosus non pendet ab ipso, sed à Generali qui ipsum dimittere potest, ut ineptum societati, ergo evidens est, quod dum post biennium vota præfata emittit, non totaliter se dicat, & consecrat Deo, fitque illius holocaustum cum possit ab hac consecratione, dedicatione, & mancipatione liber existere, & in sæculum iterum ire ac si Religiosus non fuisset aliquando.

Quare † inter statum Religiosum ex votis simplicibus oriundum, & statum Religiosum ex votis solēnibus natum, est substantialis & essentialis differentia, quia status solēnis est absolutè immutabilis, quod est de ratione status, unde est perfectus omnibus numeris absolutus substantialiter, & hoc habet ex natura sua, & obligatione vtorij solēniū, at status ex simplicibus votis ex natura rei non est status immutabilis, sed ex indulto Pontificis, qui ipsum fecit esse religiosum proprie, & vere, sicut id quod est malum quia prohibitum vere & proprie malum est morale, sed non ex natura rei, sed quia prohibitum ita Religiosus in societate Iesu emittens tria vota simplicia Religiosus est proprie & vere quod ex lege humana, sic disponente, sed non ex natura rei, sicut est qui emittit vota solēnia unde Pontifex potest abrogare legē qua fecit scholares Societatis tribus dumtaxat, votis simplicibus esse vere Religiosos, qua abrogata non erunt vere tales, aut nequit facere, quod Religiosus solēni professione talis non sit vere Religiosus, perseverantibus solēnibus votis quia hoc habet ex natura

tura rei, & votorum quidquid sit an Pontifex possit de plenitudine potestatis dispensare in votis solemnibus sicut quidquid sit an possit Pontifex dispensare in matrimonio rato, non consummato tamen certum est apud Catholicos iure diuino esse insolubile.

18. Ex quo † ad intentum colligitur verum esse quod diximus, filiationem religiosā quæ resultat ex tribus votis simplicibus emissis societate, etsi sit vera, non tamen est omnino perfecta sicut est quæ resultat ex votis solemnibus, quæ est perfectissima arrogatio, ex vi cuius totaliter quis transfertur in arrogantem, vt ex dictis constat.



### RESOLVTIO III.

*Qualiter stabilitas sit de ratione filiationis Religiosæ, & Residentiæ, & species?*

**G**RAVISSIMA difficultas, & à paucis vt par est exagitata quam diffusius tractarunt Rota Romana in variis decisionibus circa reformationem Ordinis Præmonstratensis (cuius institutor fuit B. Nombertus in cuius festiuitate hæc laboro (datis ab anno 1629. vsque ad annum 1633. quas adferam in fine tomi huius. Caramuel in Theolog. Regular ad Regulam S. Bened. *disp.* 44. de hac enim radice vix tractarunt Pellizarius, & Bordonus in suis elucubrationibus de filiatione, cum ex huius difficultatis decisione plures possint deduci conclusiones morales ad praxim regularem deseruientes, vt tamen iuxta dignitatem, difficultas hæc digeratur aliqua sunt prælibanda.

#### S. I.

*Primum libamen quid stabilitas Religiosa?*

#### S V M M A R I V M.

1. *Quæ dicatur stabilitas religiosa.*
2. *An status non exigat obligationem in quocunque statu, & n. 3.*
4. *An Archidiaconi, & curati possint ad religionem conuolare.*
5. *Quid ex dictis D. Thomæ veniat colligendum, & n. 6.*
7. *Vt sit perpetuitas quid requiratur.*
8. *An status seruitutis sit introductus iure respectu personæ domini cui obligatur, & n. 9. & 10. 11.*
12. *An votum solemnne dirimat matrimonium, & faciat incapacem dominij.*
13. *S. Doctoris Angelici sensus assertur, & numero 14.*

15. *An exhibitio sui ipsius, & statutum Ecclesiæ possint dupliciter considerari.*
16. *Quid ad solemnne votum exigatur.*
17. *Quandonam sit perfectus status religiosus, & n. 18.*
19. *Quid ad statum Religiosum requiratur.*
20. *Quod votum simplex dicatur triplex?*
21. *Authoris iudicium propalatur, & numero 22. & 23.*
24. *Quis dicatur in statu perfectionis.*
25. *Quis status dicatur imperfectus.*
26. *Quis dicatur status perfectus religionis, & n. 27.*
28. *Quid de statu veniat dicendum, & numero 29.*
30. *D. Caietani sententia adducitur, & n. 33. & 34. 35. & 36. & 37.*
31. *An curati sua voluntate possint relinquere curam.*
32. *Quis curatus dicatur in statu perfectionis.*

**P**rimum sit, † quod stabilitas ab statu vel status ab stabilitate originem ducit, & primordium, vnde cum status teste D. Th. 2. 2. q. 183. art. 1. & 2. dicat *rectitudinem immobilem, pertinens ad rationem libertatis, & seruitutis cum obligatione sic permanendi.* Vt mox explicabo, hinc fit quod stabilitas, vt notauit Rota in *vnâ Trulens. Reformat. coram Duconetto 10. Ianuarij 1631. num. 5.* dicit permanentiam, perseuerantiam, & residentiam in loco. Igitur tam status, quam stabilitas dicunt immobilem permanentiam in Religione, & modo illo standi cum obligatione sic permanendi, siue liber sit quis, siue seruus, neque enim liber est, qui non seruit cum sit obligatus ad seruitutem, nec seruus est qui actu seruit, cum sit liber ab obligatione seruiendi, vt egregie docuit S. Thom. cuius mentem probe enucleat Dom. Caiet. ibi art. 1. §. *ad horum. Sciendum est (ait) quod auctor nunquam dicit, quod † status exigat obligationem in quocunque statu, sed dicit quod, quilibet status respicit obligationem, quæ duo assistant sicut cælum, & terra, nam ad primum requiritur quemlibet statum habere obligationem ad id quod sui status est. Ad secundum vero sufficit quod obligationem respiciat, ita quod penes obligationem distinguantur affirmatiue, vel negatiue; hoc est penes habere obligationem, & penes non habere illam, & hoc modo distinguitur status liberi, à seruo, quia seruitus respicit obligationem affirmatiue, libertas vero negatiue. Hoc etiam modo distinguitur status secularis à regulari, quia regularis habet vinculum, quod caret secularis, & c. & infra agens de statibus proficientium, & incipientium, dicit. §. *ad hoc dicitur. Quod status tam incipientium quam proficientium non nisi imperfecte habet rationem status, sunt enim hi status. In genere status sicut**